UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Clementis XII. ab Anno I. usque ad IV.

Luxemburgi, 1740

urn:nbn:de:hbz:466:1-74733

Visual Library



Th. 475 a

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

MAGNUM BULLARIUM ROMANUM,

SEU EJUSDEM

CONTINUATIO,

Quæ SUPPLEMENTI loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt EDITIONIBUS, ROMANÆ, & LUGDUNENSI.

CUM RUBRICIS, SUMMARIIS, SCHOLIIS, ET INDICIBUS.

TOMUS DECIMUS-QUARTUS,

Complectens Constitutiones CLEMENTIS XII. ab Anno I. usque ad IV.



Juxta Exemplar ROMÆ, Ex Typographia REVERENDÆ CAMERÆ APOSTOLICÆ *editum* 1738.

LUXEMBURGI,

Sumptibus HENRICI-ALBERTI GOSSE & Soc. Bibliopol. & Typograph.

MDCCXL.

CUM PRIVILEGIO SACRÆ CÆSAREÆ ET CATHOLICÆ MAJESTATIS.

MAGNUM BULLARIUM ROMANUM,

SEU EJUSDEM

CONTINUATIO,

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi.

CUM RUBRICIS, SUMMARIIS, SCHOLIIS, ET INDICIBUS.

TOMUS DECIMUS-QUARTUS,

Complectens Constitutiones CLEMENTIS XII. ab Anno I. usque ad IV.

Juxta Exemplar ROMÆ, Ex Typographia Reverendæ Camerae Apostolicæ editum 1738.

LUXEMBURGI,

Sumptibus HENRICI-ALBERTI GOSSE & Soc. Bibliopol. & Typograph.

MDCCXL.

CUM PRIVILEGIO SACRÆ CÆSAREÆ ET CATHOLICÆ MAJESTATIS.



NERIO
S. EUSTACHII

SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ DIACONO

CARDINALI CORSINIO.

HIERONYMUS MAINARDUS

S. P. D.

QUOD mihi libraria in Arte diu multumque versato licuit animadvertere, CARDINALIS AMPLISSIME, illud est Librariorum in more positum, quum Volumina suis impressa formis vulgare cogitant, ut eadem magnorum Princi-

pum

pum splendentia nomine in lucem edant. Quin etiam cur tantum splendoris comparatum iis velint, deprehendi. Id faciunt scilicet, aut grati animi ergo, eo quod maximis sint cumulati beneficiis; aut sapienti ducti consilio, ut Principem demereantur; aut denique necessitate coacti, quod operis natura ipsa Virum Principem spectet. Unoquoque horum capitum me moveri, ut Tibi, CARDINALIS AMPLISSIME, hanc Sacrarum Legum Collectionem nuncupem, diffiteri non possum, nec debeo. At enimvero quæ & quanta tum publica tum privata in me beneficia contulisti? Utinam moderatione tua summa non prohiberer numerando recensere, quorum pro ea, quam Tibi natura indidit, animi magnitudine es oblitus? Tuum vero maximum patrocinium ut assequar, periclitandas mihi esse omnes vires intelligo, mecumque omnes perinde æstimant, quicumque adeo clara adeoque illustria ea virtutum ornamenta suspiciunt, quibus inclyto Tuo generi non insuetum Sacræ Purpuræ decus accessit. Cæterum tametsi utraque movear ratione, nullo tamen pacto eas comparari posse puto cum illa potissima, quæ ex hujus Operis natura petitur.

Sacrarum hæc legum Collectio, EMINENTISSIME CARDINALIS, ad Te, veluti ad suum Dominum optimo, meritoque jure convolat: Tua quippe est. Quidni enim? Sanctissimus D. N. CLEMENS XII., quem Tibi conjunctio sanguinis Patruum dedit, Catholica autem Ecclesia Patrem esse voluit, Tuo potissimum usus consilio ex his quamplurimas tulit:

tulit : nonnullas Tuo commiſit examini : multiſque Tu ipſe cauſam , in Apoſtolicæ ſolicitudinis partem vocatus , dediſti. Quamobrem dum eaſdem ex meis Typis prodeuntes Tibi dedico , æqui partes impleo , Tibi reddens quod tuum eſt.

Nec vero hoc uno Volumine latæ omnes a Sanctiſſimo Patre leges comprehenduntur : diverſæ enim temporum difficultates & multas numero , & harum nonnullas pluribus tractandas pepererunt. Primam itaque partem nunc evulgo , eas nimirum Conſtitutiones , quas primis quatuor Pontificiæ ſuæ adminiſtrationis annis Princeps Optimus ſanxit : reliquas editurus quum primum ſatis otii nactus ero ab iis , quæ me in diverſa diſtrahunt , negotiis. Atque utinam Deus Optimus Maximus CLEMENTEM XII. Eccleſiæ ſuæ bono diutiſſime ſervet , ut ingentem Voluminum copiam ex ſanctiſſime ab eo latis , ferendiſque legibus poſſim conficere. Laboribus , impenſiſque non parcam : quamvis tamen iis potiſſimum decretis , quibus obrepentia prope diem vitia coercentur , deſiderari velim occaſionem. Sed quæ uſquam urbs virtutibus clara , vitiis inacceſſa ? Virtutis expertes turmas hominum permultas inveniemus : ab omni vitiorum ſorde puras nullas prorſus.

Hanc itaque animi mei ſignificationem , quantula illa eſt , qua ſoles benignitate , CARDINALIS AMPLISSIME , accipere ne dedigneris : ac ſi eam tarde quidem promo , hoc non deſidia , ſeu voluntariæ protelationis contumacia ; ſed quampluribus gravibuſque , ac non felicibus artis

artis meæ, temporumque circumſtantiis, factum precor exiſtimes: nihil enim mihi fuit antiquius, quam hoc officii debitum Patrono beneficentiſſimo perſolvere. Interim ego ſalutem, & fauſta quæque precatus, Sacram Purpuram Tuam humiliter exoſculor. Vale. Dabam Romæ Kal. Martii An. S. MDCCXXXVIII.



AD LEC-



AD LECTOREM BENEVOLUM BIBLIOPOLÆ.

HACTENUS emissas à Summis Pontificibus Constitutiones, Bullasque omnes, eâ, quâ par fuit, curâ, promissâque fide, typis mandavimus, Amice Lector, nostramque in Editione MAGNI BULLARII, promulgato hujus Decimo-quarto Volumine, operam esse exhaustam putabamus, & ecce nova laboris ex ante-acto labore ratio exurgit.

Editor quippè Romanus, cùm ultimo suo *Bullarii Romani* Tomo, eas duntaxat, uti in anteriori declarat, quam ad amplissimum Cardinalem CORSINIUM scripsit, Epistolâ, Constitutiones Apostolicas complexus sit, quas primis quatuor Pontificii Regiminis sui annis edixit CLEMENS XII. quem magno Ecclesiæ bono & propriæ ipsius gloriæ incremento DEUS OPT. MAX. diu præstitit incolumem; supersunt adhuc ejusdem Summi Pontificis Constitutiones, & numero benè multæ, & ob ingruentium quotidiè negotiorum momenta graves, quas se editurum quàm primùm idem promittit Librarius: istæ autem, ubi in lucem prodierint, Decimo-quinto Magni nostri Bullarii Volumini materiam suppeditabunt.

Verùm, quia ultimæ Constitutiones istæ ad convenientem forsàn Tomi amplitudinem non satis erunt, iis supplebunt Bullæ in superioribus Tomis, si quæ sint, omissæ, aut etiam in Editione Romana ob quamlibet causam suppressæ. Id ipsum tamen pro certo habeas, Lector Amice, non in his ultimis promulgandis, non quidquam esse immutaturos, aut depravaturos, sed omnes à nobis accuratè ac fideliter fore transcribendas, ex autographis è Romanâ Cancellariâ depromptis, aut aliundè, uti jam anteà fecimus, non sine magno nostro sumtu conquisitis.

Ea te monitum esse voluimus tanquam certum diligentiæ, fideique nostræ testimonium, simulque studii, quo sumus incensi, ne quid in operibus nostris desideres, quod ad tuum possit conferre proventum, nobisque tuam promereri benevolentiam. Nostrâ itaque utere industriâ. Vale.

PRIVI-

PRIVILEGIUM

SACRÆ CÆSAREÆ ET CATHOLICÆ MAJESTATIS.

CAROLUS SEXTUS,

Divinâ favente Clementiâ Electus Romanorum IMPERATOR semper Augustus, ac Germaniæ, Hispaniarum, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. REX; ARCHIDUX Austriæ; DUX Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Würtenbergæ; COMES Tyrolis &c. Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod, cùm Nobis Noster Sacrique Imperii fidelis dilectus ANDREAS CHEVALIER *Typographus* LUXEMBURGENSIS, humillimè supplicârit, ut Privilegium Impressorium super *BULLARIO MAGNO ROMANO Novissimo, a Beato LEONE MAGNO, usque ad PONTIFICEM nunc Regnantem, cum suis Supplementis, in Folio & Novem Tomis* sibi impertitum, ad alios Decem Annos extendere clementissimè dignaremur. Nos submissis pariter ac æquis ejus precibus annuendum censuerimus: Ac proinde Authoritate Nostra Cæsarea omnibus & singulis Bibliopolis, Bibliopegis, Typographis, & aliis quibuscumque rem Librariam seu negotiationem exercentibus, firmiter inhibemus, vetamus, & interdicimus, ne quis supra nominatum *BULLARIUM MAGNUM ROMANUM*, sub hoc aliove titulo aut forma per decem Annorum spatium ab hodierno die computandum, intra Sacri Romani Imperii, & Regnorum Ditionumque Nostrarum Hæreditariarum fines recudere, vel aliis recudendum dare, aliorsumve impressum apportare, citra præfati impetrantis, ejusdemque Hæredum ac Successorum voluntatem in scriptis obtentam, ausit vel præsumat. Si quis verò secùs faciendo Privilegium hoc Nostrum seu Interdictum violare, contemnereque præsumpserit, eum non solùm ejusmodi Exemplaribus, ubicunque locorum repertis, perperam quippe recusis, seu apportatis (quæ dictus ANDREAS CHEVALIER, sive propria auctoritate, sive Magistratus illius loci auxilio, sibi vindicare poterit) de facto privandum, sed & decem Marcarum auri puri pœna Ærario seu Fisco Nostro Cæsareo & Parti læsæ ex æquo pendenda, omni spe veniæ sublata, mulctandum decernimus, dummodo tenor hujus Nostri Privilegii in fronte libri impressus reperiatur, & consuera quinque Exemplaria Consilio Nostro Imperiali Aulico exhibeantur. Mandamus itaque omnibus & singulis Nostris & Sacri Romani Imperii, Regnorumque & Dominiorum Nostrorum Hæreditariorum Subditis, & fidelibus dilectis, tam Ecclesiasticis, quam Sæcularibus, cujuscunque status, gradus, dignitatis, aut ordinis fuerint, præsertim verò iis, qui in Magistratu existentes, vel suo vel Superiorum suorum loco jus justitiamque administrant, ne quemquam Privilegium hoc Nostrum Cæsareum violare, spernere, aut transgredi patiantur: Sed si quos contumaces compererint, constituta à Nobis mulcta eos puniri, & quibuscunque modis idoneis coërceri curent, quatenus & ipsi gravissimam Nostram indignationem prædictamque pœnam evitare voluerint. Harum testimonio literarum manu Nostra subscriptarum, & Sigilli Nostri Cæsarei appressione munitarum, quæ dabantur Laxenburgi vigesima prima Maii anno millesimo septingentesimo trigesimo septimo, Regnorum Nostrorum, Romani vigesimo sexto, Hispanicorum trigesimo quarto, Hungarici & Bohemici verò vigesimo septimo, &c.

CAROLUS.

L.S.

UT JO. AD. COMES
DE METSCH.

Ad Mandatum Sac. Cæs. Majestatis proprium.
J. J. HAYECK de Waldstätten.

Et memoratus CHEVALIER *suprascriptum Sac. Cæs. Majest. Privilegium ex integro concessit* HENRICO-ALBERTO GOSSE & SOC. *ex Conventione factâ inter eos Quarto Nonas Martii Anni* 1738.

INDEX

INDEX

RUBRICARUM OMNIUM CONSTITUTIONUM,

Quæ in hoc Tomo XIV. continentur.

ANNO PRIMO.

I. Confirmatio Regularum Cancellariæ per SS. D. N. Pag. 1.
II. Gratiæ, & Privilegia Conclaviſtis poſtremi Conclavis conceduntur. 12.
III. Privilegia, exemptiones, & indulta conceſſa Dapiferis, qui in anteriori Conclavi S. R. E. Cardinalibus inſervierunt. 18.
IV. Confirmatio Decreti Congregationis Rituum pro Ordine Fratrum B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum circa recitationem Officii Beatæ Mariæ Virginis ſub titulo de Remedio. 23.
V. De continuatione Viſitationis Apoſtolicæ Eccleſiarum & Locorum Piorum Urbis. 24.
VI. Confirmatio Indulti & uſus celebrandi Miſſas & Officia Sanctorum Ordinis Canonicorum Regularium Sancti Auguſtini pro Congregatione Sancti Antonii Viennen. ejuſdem Ordinis. 25.
VII. Confirmatio quorumdam Decretorum Anno 1725. a SS. Domino Noſtro, uti ejuſdem Ordinis Protectore, & a Benedicto XIII. ſpecialiter ad hoc Delegato, editorum pro bono Ordinis Sancti Franciſci Provinciæ Romanæ, illiuſque Fratrum regimine. ibid.
VIII. Jubilæum Univerſale ad implorandum divinum auxilium initio ſui Pontificarus pro ſalutari Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ regimine. 27.
IX. Confirmatio Statutorum & Decretorum pro Congregatione Hiſpaniæ Fratrum Diſcalceatorum Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, in Capitulo & Diffinitorio Generalibus dictæ Congregationis factorum. 29.
X. Confirmatio Brevis Urbani VIII. ſuper ſubjectione Provinciæ Romanæ Ordinis Minorum Sancti Franciſci, Capuccinorum nuncupatorum, pro tempore exiſtentibus Miniſtro Generali, & in ejus abſentia Procuratori & Commiſſario generali ejuſdem Ordinis. 34.
XI. Confirmatio Conſtitutionum Ordinis Monachorum Sancti Hieronymi in Hiſpania. 35.
XII. Moderatio quarumdam literarum Benedicti XIII. pro Ordine Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia. 86.
XIII. Collegium de Ozzier Fratrum Miſſionariorum Ordinis Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia in Regno Sardiniæ ſubjicitur Superiori Generali totius Ordinis. 87.
XIV. Moderno, & pro tempore exiſtentibus Aretinis Epiſcopis, Pallii uſus, & Crucis prælatio perpetuo conceduntur. pag. 88.
XV. Conceſſio Privilegiorum pro nonnullis ſuis Familiaribus. 90.
XVI. Creatio XXV. Puerorum honorariorum in Comites Palatinos, & Auratæ Militiæ Equites, occaſione ſolemnis equitationis a Vaticano ad Lateranum &c. 95.
XVII. Leges publicæ Scientiarum Academiæ Cervariæ in Cathalonia a Philippo V. Rege Catholico inſtitutæ, auctoritate Apoſtolica confirmantur, conceſſis Academiæ hujuſmodi nonnullis Privilegiis. 96.
XVIII. Generali Congregationis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum facultas datur conſtituendi duos Concionatores in qualibet Provincia, tres vero in grandioribus. 127.
XIX. Extenſio Indulgentiæ perpetuæ in diebus Converſionis & Commemorationis S. Pauli Apoſtoli pro Eccleſiis Monialium Angelicarum nuncupat. Congregationis Sancti Pauli Ordinis Sancti Auguſtini &c. Barnabitarum Mediolanen. Civitatis. 129.
XX. Confirmatio Brevis Leonis X. quo Canonici Metropolitanæ Eccleſiæ Florentinæ in Notarios Sedis Apoſtolicæ creantur. 130.
XXI. Confirmatur conceſſio a Leone X. anno 1515. facta Notario & Cancellario Nationis Florentinæ de Urbe, ut quæcumque acta judicialia & contentioſa libere & licite conficere poſſit: quod officium in Urbe reſtituitur. 132.
XXII. Conſtitutio, qua prævia confirmatione & innovatione alterius Conſtitutionis ſan. mem. Pauli PP. IV. anno 1555. editæ, decernitur, Decanatum S. R. E. Cardinalium Collegii ipſo jure deferendum eſſe Cardinali antiquiori Epiſcopo, qui tempore vacationis ipſius Decanatus in Romana Curia præſens, vel ex cauſa publica, ac Romani Pontificis deſtinatione dumtaxat, non tamen ratione reſidentiæ apud aliam Eccleſiam ſibi commiſſam, a dicta Curia abſens fuerit; aliaque inſuper ſtatuuntur & ordinantur tam circa ejuſmodi Decanatum quàm circa ſex Epiſcopatus Suburbicarios, ejuſdem Cardinalibus aſſignari ſolitos pro titulo ſui Cardinalatus. 134.
XXIII. Immunitates & exemptiones, quibuſcumque & quomodocumque, etiam Ordinibus Regularibus, Societatis Jeſu, Ordinis Prædicatorum & Eremitarum Sancti Auguſtini, nuper conceſſæ in damnum Cameræ Apoſtolicæ, revocantur,

vocantur, vel ad terminos juris reducuntur, atque alia pro æquo & congruo stabiliuntur. pag. 136.

XXIV. Vicario, & Officialibus Generalibus Congregationis Galliarum Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini Excalceatorum nuncupat. indulgetur, ut post vacationem novemdecim, aut viginti circiter mensium, ab eorum officiis ad alia eligi possint. 140.

XXV. Votantibus Signaturæ Justitiæ conceditur usus Mantelli Magni, & Pilei Pontificalis cum illorum ornamentis in solemnibus equitationibus &c. ibid.

XXVI. Confirmatur Breve Benedicti XIII. super dismembratione quorumdam Conventuum a Provincia Terræ Laboris Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, ac erectione Provinciæ Neapolitan. 141.

XXVII. Confirmatur Resolutio nuperi Capituli Generalis Ordinis Carmelitarum Excalceatorum, ac Breve confirmationis Benedicti PP. XIII. circa nonnulla humilitatis officia per ejusdem Ordinis Donatos exercenda, cum derogatione cujusdam decreti ab Auditore ejusdem Papæ super hoc editi: additaque declaratione, quòd ab eisdem obeundis officiis cæteri Ordinis Fratres exempti non intelligantur. ibid.

XXVIII. Christi Fidelibus Sæcularibus ac Regularibus Hispaniarum conceditur recitatio Officii & Missæ S. Antolini Martyris cum Oratione & Lectionibus propriis secundi & tertii Nocturni. 143.

XXIX. Literæ Processus Sanctissimi Domini Nostri Clementis Papæ XII. publicatæ die Cœnæ Domini Anno 1731. ibid.

XXX. Confirmatur Decretum Congregationis Episcoporum & Regularium, quo cavetur, ne Sacerdotes Ordinis Hospitalarii Sancti Hippoliti Mexican. Prælaturas Ordinis obtinere possint, aut Provinciæ Assistentes eligi. 144.

XXXI. Constitutio, qua Clericis Regularibus Pauperibus Matris Dei, a Scholis piis nuncupat. facultas asseritur tradendi prima rudimenta literarum, disciplinasque liberales Latinas & Græcas, atque etiam Majores Scientias, Adolescentibus, etiam Nobilibus, novaque condendi Juvenum Collegia, Seminaria, & Convictus, ac Regulares Domos, prævio dumtaxat Ordinariorum consensu. ibid.

XXXII. Conventus Congregationis Sanctæ Sabinæ Provinciæ Lombardiæ Ordinis Prædicatorum a Prioris Provincialis jurisdictione dirimitur, data quoque Fratribus facultate ad alios Provinciæ ejusdem Conventus studiorum causa transeundi. 147.

XXXIII. Conceduntur Privilegia Cappellanis Communibus Sanctitatis Suæ. 149.

XXXIV. Confirmatur Decretum Magni Magistri, & Consilii Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, quo nonnulla statuuntur ad abusus tollendos in exmutitione Commendarum ejusdem Ordinis, earumque concessione. ibid.

XXXV. Confirmatur Decretum Sacræ Congregationis Episcoporum & Regularium, Procuratori Provinciæ Sancti Saturnini Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia concedens institutionem Collegii Missionariorum ejusdem Ordinis in Conventu Sanctæ Luciæ Oppidi Sancti Gavini Ussellen. Diœcesis. pag. 150.

XXXVI. Confirmatur Decretum Capituli Generalis Congregationis Italiæ & Germaniæ Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, Excalceatorum nuncupatorum, super separatione & dismembratione decem Conventuum a Provincia Romana, illorumque erectione in novam Provinciam Ferrariæ & Piceni nuncupandam, cum omnibus privilegiis &c. ac creatione novi officii Secretarii Diffinitorii, & Capituli Generalis. ibid.

XXXVII. Confirmatio Constitutionis circa publicum Archivium Regiminis Bononien. 152.

XXXVIII. Patribus Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Excalceatorum Recollectorum, qui saltem per biennium Hispanicam vel Lusitanicam vel Indicam Provincias Vicarii Provincialis munere fungentes gubernarint, conceditur Provinciæ Patres appellari: iisdemque, quibus isti gaudent, frui prærogativis ac præeminentiis. 153.

XXXIX. Ducatus Parmæ & Placentiæ cum utili Dominio ad Sedem Apostolicam cum omnibus juribus, pertinentiis &c. devolutus declaratur, quatenus ex Henrichetta, ejusdem Ducatus Ducissa, masculina proles non nascatur: vel nata, deficere contingat &c. 154.

XL. Moderato Mandato Benedicti XIII. super Cantu Gregoriano, quo Fratres totius Ordinis Minorum Sancti Francisci Excalceatorum & Recollectorum illius vigore uti deberent, Fratribus Provinciæ Hispaniarum & Indiarum Cantu simplici uti conceditur, dummodo in tota Provincia uniformis sit cantus. 155.

XLI. Dismembratur Oppidum Divionen. a Diœcesi Lingonen. & Civitatis titulo decoratur, ejusque Ecclesia, S. Stephano dicata, Cathedralis constituitur. 156.

ANNO SECUNDO.

XLII. Nonnulla statuuntur pro recta studiorum methodo in Collegiis Fratrum Minorum Sancti Francisci Conventualium nuncupat. 159.

XLIII. Tres Assistentes Germaniæ, Galliæ, & Poloniæ, in Conventu SS. Duodecim Apostolorum de Urbe eorumdem Fratrum Minorum Sancti Francisci Conventualium nuncupat. eligendi constituuntur pro negotiis illarum Provinciarum explendis. 160.

XLIV. Conceduntur consueta Privilegia nonnullis Sanctissimi Domini Nostri Familiaribus. 161.

XLV. Confirmatur Decretum Congregationis Episcoporum & Regularium, quo statuitur, ut in Domibus Religiosis Provinciæ Sancti Gregorii in Insulis Philippinis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia Discalceatorum servetur Clausura &c. ibid.

XLVI. Mandatum quoddam Episcopi Montis Pessulan. cui titulus -- *Ordonnance de Monseigneur de Montpellier contre la deliberation de son Chapitre &c.* -- irritatur, damnatur: addita prohibitione, quominus legi seu retineri possit. 162.

XLVII. Confirmantur literæ Urbani PP. VIII. ac Successorum, quibus singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque Dei verbum prædicantibus, ut saltem bis in anno populo

populo ſacrorum locorum Hieruſalem neceſſitates exponant præcipitur. pag. 163.

XLVIII. Nonnulla declarantur ac ſtatuuntur pro regimine Nationis Germano-Belgicæ, annexarumque Provinciarum Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Regul. Obſerv., nonnullis præterea ſublatis, quæ in Bened. XIII. Conſtitut. *Flagitantium preces &c.* leguntur. 164.

XLIX. Approbantur Conſtitutiones pro Seminariis Eccleſiaſticorum in Regno Aragoniæ erectis, & alibi erigendis, ſub DD. Epiſcoporum juriſdictione, ad illorum inſtructionem, qui in muneribus Apoſtolicis ſint exercendi, & eccleſiaſticæ Diſciplinæ incrementum. 166.

L. Tres Eremi Ordinis Fratrum Servorum Beatæ Mariæ Virginis, pro tempore exiſtentium Provinciæ Romanæ Provincialium juriſdictioni ſubjiciuntur, etiam quoad Viſitationem per eoſdem Provinciales in dictis Eremis annis ſingulis peragendam. 173.

LI. Nonnullæ Ordinationes pro reſtituendo antiquo cultu in Monaſterio Sac. Specus prope Sublacum Congregationis Caſſinen. Ordinis S. Benedicti. 174.

LII. Revocantur diverſæ Facultates, a Romanis Pontificibus per eorum vivæ vocis oraculum, vel reſcripta, conceſſæ. 177.

LIII. Jubilæum pro Chriſtifidelibus Almæ Urbis, Italiæ, & Inſularum adjacentium, divinam opem implorantibus in præſentibus Eccleſiæ neceſſitatibus. 179.

LIV. Conceſſio Indulgentiæ, ſicut in anno Jubilæi, pro degentibus in Regno Hiberniæ, Deoque precantibus pro Regni ejuſdem ſpiritualibus neceſſitatibus. 181.

LV. Literæ nonnullæ Apoſtolicæ, Ordinibus Regularibus & Mendicantibus a piæ mem. Benedicto XIII. conceſſæ, prævia moderatione, ad terminos juris communis, Concilii Tridentini, & Conſtitutionum Apoſtolicarum reducuntur. 182.

LVI. Confirmantur Regulæ & Conſtitutiones Congregationis Montis Libani Monachorum Syrorum Maronitarum Ord. S. Antonii Abbatis. 183.

LVII. Confirmatio Fundationis Congregationis Presbyterorum ſecularium, ſive Collegii ſub titulo Sacræ Familiæ Jeſu Chriſti Civitatis Neapolitan. 220.

LVIII. Confirmatio Statutorum & Privilegiorum Cathedræ S. Thomæ Aquinatis in Univerſitate Mutinenſi. 221.

LIX. Confirmatur Decretum Congregationis Particularis ſuper obſervantia Conſtitutionum Egidianæ, & Carpenſis, & Archiviatione Inſtrumentorum pro Communitatibus & Univerſitatibus Provinciæ Marchiæ. 224.

LX. Confirmatur Decretum Abbatis, & Officialium Congregationis eccleſiaſticæ Sanctiſſimæ Trinitatis Mexican. ne mulieribus in eorum Collegium Hoſpitale, Domus, & Habitationes pateat aditus. pag. 225.

LXI. Confirmatur Decretum Congregationis Epiſcoporum & Regularium ſuper Electione Officialium Ord. Bethlemitarum in Indiis Occidentalibus. ibid.

LXII. Declaratio, quòd Provinciæ Galliæ, & Conventus Beatæ Mariæ Miraculorum de Urbe Tertii Ord. S. Franciſci comprehendantur in Brevi circa vias Crucis. 226.

LXIII. Confirmatio Decreti Congregationis Epiſcoporum & Regularium ſuper diviſione Provinciæ Auſtriæ Inferioris Ord. Frat. Minor. S. Franciſci Conventualium in duas Provincias Auſtriæ Inferioris, ac Sileſiæ & Moraviæ. 228.

LXIV. Confirmatio Decreti Definitorii & Vocalium Capituli Provincialis Provinciæ Sanctæ Mariæ Hungariæ Ord. Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia, Reformatorum nuncupatorum, ſuper acceptatione alternativæ tripartitæ in eadem Provincia, & diſtributione officiorum inter Fratres Nationis Hungaricæ, Germanicæ, Sclavonicæ. 229.

LXV. Erectio Congregationis perpetuæ Adorationis Sanctiſſimi Sacramenti in Eccleſia Collegiata Sanctæ Mariæ ad Martyres de Urbe. 231.

LXVI. Erectio ejuſdem Congregationis in Archiconfraternitatem. 233.

LXVII. Bona Eccleſiaſtica in Ducatu Saxoniæ, ab hæreticis occupata, eiſdem ad Catholicæ Eccleſiæ unionem jam reverſis vel impoſterum redituris remittuntur. ibid.

LXVIII. Hoſpitale Sancti Lazari, extra muros Placentiæ poſitum, ſupprimitur, erigiturque in Collegium ſub eodem titulo. 235.

ANNO TERTIO.

LXIX. Confirmatio Brevis Benedicti XIII., quo ſtatuitur, ne quis Monacus Ord. Chartuſien. gratias vel officia, inconſultis Ord. Superioribus, ab Apoſtolica Sede poſſit impetrare. 237.

LXX. Decretum, ut in Capitulo Generali Provinciæ Januen. Ord. Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia duo Vocales pro ſingulis Cuſtodiis eligantur. 238.

LXXI. Mandatum ſuper obſervatione Brevis Clementis XI. circa bipartitam diviſionem officiorum pro Monachis Regnorum Galleciæ, & Legionis Provinciarum de Campos, Congregationis Hiſpaniarum Ordinis Ciſtercien. 239.

LXXII. Confirmatio nonnullorum Statutorum pro meliori regimine Provinciæ Granaten. Ord. Fratr. Minor. S. Franciſci de Obſervantia. 244.

LXXIII. Confirmatio nonnullorum Statutorum ſuper diſtributione officiorum Provinciæ Terræ laboris Ord. Frat. S. Franciſci de Obſervantia Reformatorum. ibid.

LXXIV. Confirmatio Privilegiorum, a Romanis Pontificibus conceſſorum Bombardariis in Arce S. Angeli de Urbe. 245.

LXXV. Beatificatio Servæ Dei Catharinæ de Ricciis. 247.

LXXVI. Constitutio pro bona directione Conclavis, ac rerum Sede Apostolica vacante agendarum. pag. 248.

LXXVII. Erectio, ac dotatio Collegii Ritus Græci in Oppido Ullani Bisignianen. Diœcesis. 258.

LXXVIII. Moderatio quorumdam Decretorum pro Provincia Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Discalceatorum Regni Portugalliæ. 260.

LXXIX. Concessio Voti in Capitulo Generali Presbyteris Congregationis Piorum Operariorum post decennalem in eadem moram, ac Ordinarii loci approbationem ad Sacramentales Confessiones audiendas. 261.

LXXX. De licentia per Fratres Provinciæ Portugalliæ Tertii Ordinis Sancti Francisci a Superioribus petenda ad hoc, ut extra Provinciam studiorum causa se conferre possint. 262.

LXXXI. Innovatio literarum Clementis X. super prohibitione ambitus in Congregatione Clericorum Regularium de Somascha. ibid.

LXXXII. Diversæ ordinationes pro Collegio Clericorum prope Civitatem Placentiæ, quod Presbyteris Congregationis Missionis administrandum conceditur. 264.

LXXXIII. Statutum, ut Procurator, & Assistentes Generales Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini eligi non possint in Generalem ante sexennalem vacationem ab officio. 266.

LXXXIV. Confirmatio alternativæ Provincialatus, & quatuor Definitorum pro Provinciis Calabriæ citerioris & ulterioris Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo. 267.

LXXXV. Confirmatio Decreti Capituli Provincialis Provinciæ Aquitaniæ Tertii Ord. Sancti Francisci circa Electionem Custodis pro Capitulo Generali. ibid.

LXXXVI. Statutum alternativæ in Electione Provincialis pro Provincia Franciæ Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo. 269

LXXXVII. Confirmatio Decretorum Commissariorum Generalium Indiarum Ordinis Minorum Sancti Francisci Discalceatorum circa missionem Visitatoris ad Provinciam Sancti Gregorii in Insulis Philippinis ex aliena Provincia. ibid.

LXXXVIII. De modo imposterum servando in deputatione Officialium Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia &c. in locum Officialium cedentium vel decedentium. 271.

LXXXIX. Ordini Fratrum Prædicatorum confirmatur facultas celebrandi Processiones Sanctissimi Corporis Christi, & Rosarii B. Mariæ Virginis. 272.

XC. Confirmatio Decreti Capituli Generalis Ord. Frat. S. Francisci Cappuccinorum anno 1667. celebrati circa residentiam Definitorum Generalium in Urbe. ibid.

XCI. Confirmatio Chirographi Benedicti XIII. super augumento assignationis annuæ Votantibus Signaturæ Justitiæ. 274.

XCII. Facultas Generali Ordinis Fratrum Sancti Francisci de Paula aggregandi Confraternitates cum Indulgentiarum communicatione. pag. 275.

XCIII. Specialis concessio Missionariis, & Concionatoribus Ordinis Minorum Sancti Francisci Cappuccinorum circa Confessiones. 276.

XCIV. Confirmatio divisionis Provinciæ Baren. Ord. Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia in duas, atque Erectionis novæ Provinciæ Licien. ibid.

XCV. Statutum circa officia Generalia Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia. 277.

XCVI. Indulgentia Plenaria perpetua pro Visitantibus Ecclesias Monachorum & Monialium Congregationis S. Benedicti in Festo S. Silvestri Abbatis. 278.

XCVII. Confirmatio Statuti circa numerum Vocalium Definitorii Provinciæ Lugdunen. Congregationis Gallicanæ Fratrum Tertii Ordinis Sancti Francisci de Pœnitentia. ibid.

XCVIII. Constitutio circa Majores Scientias in Scholis Pauperum Matris Dei a Scholis Piis Vilnæ tradendas. 280.

XCIX. Decretum pro habilitatione Fratrum Congregationis de Carbonara Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini ad officia Assistentium & Procuratoris Generalium. 283.

ANNO QUARTO.

C. Deputatio Conventus S. Francisci de Pacheca in Mexico Ordinis Fratrum Minorum ejusdem Sancti Francisci Discalceatorum pro Seminario Missionum in Montibus de Cimapan. 284.

CI. Decretum, ut deinceps Procurator Generalis pro tempore Congregationis Montis Oliveti insimul Abbas sit Monasterii Sanctæ Mariæ Novæ de Urbe. 285.

CII. Vicariis Congregationum Ord. Prædicatorum, ac Definitori, & Electori, in Capitulis Generalibus suffragium conceditur. 286.

CIII. Decretum, ne quis Religiosus Provinciæ Sancti Didaci in Mexico Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia Discalceatorum ex eadem extrahi possit, nisi de consensu Capituli Provincialis vel Definitorii. 287.

CIV. Indulgentia Plenaria perpetua visitantibus aliquam ex Ecclesiis Ord. Fratrum Minorum S. Francisci Conventualium in Sancti Didaci Confessoris, & Sanctæ Claræ virginis festis diebus. 288.

CV. Confirmatio Decreti super habilitatione trium Regentiarum Collegii, & dispensatione super duobus annis tantum de ætate præscripta cum Verbi Dei Prædicatoribus pro Ord. Frat. Min. S. Francisci. ibid.

CVI. Ordini Fratrum Prædicatorum privilegium conceditur, ut sæcularibus adolescentibus, Theologicæ facultati in eorum Studiis, Scholis, Gymnasiis, & Collegiis triennalem operam dantibus, lauream Doctoratus seu Magisterii & Gradus in Sacra Theologia, iis pares conferre possit, qui in publicis Studiorum Universitatibus solemni cœremonia conferuntur. 289.

CVII. Confirmatur, & extenditur Breve Gregorii

XV. ſuper juriſdictione Regiminis Bononien. ſuper Univerſitatibus Artium ejuſdem Civitatis. pag. 291.

CVIII. Fratribus Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini interdicitur appellatio a Correctione Regulari. 293.

CIX. Erectio Cuſtodiæ Hiberniæ Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Cappuccinorum in novam Provinciam. 294.

CX. Declaratio ſuper juriſdictione Protectorum Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia, quoad Religioſos deputatos pro regimine & cura Monialium Sanctæ Claræ, & Sanctæ Mariæ Magdalenæ Civitatis Neapolis. 295.

CXI. Indultum, ut Fratres Minores Sancti Franciſci Capuccinorum nuncupat. in Gallia exiſtentes, poſſint excipere Confeſſiones Monialium in Clauſtris degentium. ibid.

CXII. Abbati Generali, ac Diffinitoribus Congregationis Olivetanæ, quod deinceps Capitulum Generale ejuſdem Congregationis Dominica tertia poſt Paſcha Reſurrectionis Dominicæ, ſicque tres dies ſerius quàm hactenus fieri conſuevit, celebrari debeat facultas conceditur. 296.

CXIII. Præcipitur, ne quis notam aut cenſuram ullam Theologicam Catholicorum Scholis, diverſa in explicanda Divinæ Gratiæ efficacia ſentientibus, inurere, aut earum ſententias contumeliis inceſſere audeat. 297.

CXIV. Generali Congregationi Montis Oliveti Ordinis Sancti Benedicti facultas conceditur deſtinandi pro libito Abbatem in Monaſterio Sanctæ Mariæ Novæ, abſque regimine, cum voce tamen activa & paſſiva. ibid.

CXV. Conſtituitur Procurator in Urbe pro Miſſionibus exteris Ordinis Minorum S. Franciſci Cappuccinorum. 298.

CXVI. Fratribus Congregationis Hiſpaniarum Ordinis Sancti Joannis Dei, & Congregationis Italiæ dicti Ordinis prohibetur, ne alterutri ex dictis Congregationibus aggregentur ſine conſenſu eorum reſpective Generalis. 299.

CXVII. Deſignantur Urbes nonnullæ Italiæ tamquam inſigniores, in quibus ii ex Ordine Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini, qui per decennalem Prædicationis curſum Magiſterium in Ordine adipiſci quærunt, Quadrageſimales Conciones, vel decennales habere debeant. 300.

CXVIII. Confirmatur Decretum Congregationis Epiſcoporum & Regularium circa electionem vel ſubſtitutionem Viſitatorum Provinciæ Portugalliæ ejuſdem Ordinis Sancti Auguſtini. 301.

CXIX. Breve Sanctiſſimi Domini Noſtri circa appellationes & recurſus, a Fratribus Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini gradatim ad Ordinis ejuſdem Superiores faciendos, ad Fratres Diſcalceatos Congregationum Italiæ & Germaniæ dicti Ordinis extenditur. 302.

CXX. Confirmatio quorumdam Decretorum & Statutorum Congregationis Hiſpaniæ Fratrum Diſcalceatorum Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum. pag. 303.

CXXI. Confirmantur omnes Confraternitates ſub titulo Beatæ Mariæ Virginis Septem Dolorum a Superioribus Generalibus Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis erectæ, etiamſi de earum canonica erectione non conſtet. 309.

CXXII. Statutum, ut Capitulum Generale Congregationis Montis Oliveti Monachorum Ordinis Sancti Benedicti de quinquennio in quinquennium de cætero celebretur. 310.

CXXIII. Statutum, ut de cætero Patres Congregationis Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum piarum Epitogium geſtent. 311.

CXXIV. Monachis Congregationis Caſſinen. Ordinis Sancti Benedicti interdicitur recurrere ad Sedem Apoſtolicam, antequam vicinioris Provinciæ Viſitatorem, ac mox Præſidentem Generalem Congregationis adeant. ibid.

CXXV. Confirmantur Conſtitutiones pro bono regimine Fratrum Tertii Ord. Sancti Franciſci, ex aliis Conſtitutionibus, Statutis, & Decretis dicti Ordinis collectæ. 312.

CXXVI. Conſtitutio, qua pro indemnitate Communitatum & Populorum totius Status temporalis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, facultates, per Summos Pontifices Congregationi Boni Regiminis contra debitores olim collatæ, confirmantur, noviſque etiam augentur. 322.

CXXVII. Confirmantur patentes Miniſtri Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia Literæ, quibus nonnulli Ordinis ſui Religioſi deputantur ad quæſtuandum in certis ſtatutis Provinciis pro conſervatione Terræ Sanctæ. 331.

CXXVIII. Confirmantur privilegia, gratiæ, facultates, & indulta Collegii Montis Alti Civitatis Bononien., ac præcipue quæ Cardinali Protectori conceſſa ſunt. 332.

CXXIX. Confirmatio Conſtitutionum pro Fratribus & Sororibus Tertii Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis in Braſilia. 333.

CXXX. Confirmantur Statuta, pro bono regimine Eccleſiæ S. Joannis Baptiſtæ Nationis Florentinæ de Urbe edita. 338.

CXXXI. Indulgentia Plenaria pro Chriſtifidelibus utriuſque ſexus, aliquam ex Eccleſiis Fratrum Ord. Minorum Sancti Franciſci Conventualium in Sancti Ludovici Francorum Regis, ac Sanctæ Eliſabeth viduæ Regis Hungariæ natæ, feſtis diebus, viſitantibus. 340.

CXXXII. Confirmatio quarumdam Rubricarum Statuti Collegii Cauſidicorum Civitatis Ferrarien. ibid.

CXXXIII. Declaratur Breve Alexandri VII. circa Votum in Provinciis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia Commiſſarii Generalis Curiæ, ac Procuratoris Generalis eorumdem Fratrum Reformatorum Familiæ Ciſmontanæ. 343.

CXXXIV. Confirmatur concordia ſuper aſſignatione duorum Magiſteriorum Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini Provinciæ Bethicæ ex quadraginta ſupranumerariis. pag. 344.

CXXXV. Declaratur Breve Innocentii XII. ſuper facultate conferendi Lauream Magiſtralem Fratribus profeſſis Tertii Ordinis Sancti Franciſci in Capitulis Generalibus vel Provincialibus tantum. 346.

CXXXVI. Indultum ut Fratres Miſſionarii Galli Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capuccinorum, Miſſam ac Officium S. Ludovici Regis recitare poſſint in Feſto ejuſdem Sancti die. 347.

CXXXVII. Miniſtro Generali Ord. Prædicatorum facultas conceditur proponendi Congregationibus Sanctæ Sabinæ Provinciæ Lombardiæ, ac Sancti Marci Romanæ, tres Religioſos, e quibus Vicarium Generalem, quem maluerint, debeant eligere. pag. 348.

CXXXVIII. Indulgentia Plenaria perpetua pro Viſitantibus aliquam ex Eccleſiis Fratrum Ord. Minorum S. Franciſci Capuccinorum Miſſionariorum in partibus Infidelium, a Cuſtode ſeu Præfecto Miſſionum hujuſmodi deſignandam. 349.

CXXXIX. Confirmatur Decretum Capituli Generalis Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Excalceatorum nuncupat. ſuper diviſione Provinciæ Poloniæ, ac erectione novæ Provinciæ Lituaniæ dicti Ordinis. ibid.

CXL. Confirmantur nonnulla Decreta in Capitulo Provinciali Ord. Fratrum Eremitarum S. Auguſtini edita ſuper Privilegiis, quibus frui debeant antiquiores Doctores Provinciæ Bethicæ ejuſdem Ord. in Hiſpalenſi Univerſitate promoti, vel in poſterum promovendi. 350.

INDEX

VOCABULORUM INITIALIUM OMNIUM CONSTITUTIONUM,

Quæ in hoc Tomo XIV. continentur.

AD paſtorale faſtigium 1734. pag. 338.
Aliàs dum Cardinalatus honore 1730. 25.
Aliàs pro parte 1730. 128.
Aliàs pro parte 1731. 152.
Aliàs Nobis ſupplicationibus 1732. 226.
Aliàs Nos generali decreto 1733. 302.
Aliàs pro parte 1734. 340.
Apoſtolatus officium 1731. 130.
Apoſtolatus officium 1732. 181.
Apoſtolatus officium 1732. 248.
Apoſtolici Regiminis cura 1731. 164.
Apoſtolicæ ſervitutis munus 1733. 294.
Apoſtolicæ providentiæ 1733. 297.
Circumſpecta Romani Pontificis 1730. 86.
Circumſpecta Romani Pontificis 1730. 90.
Circumſpecta Romani Pontificis 1731. 161.
Clericalem vitam eligentibus 1732. 235.
Cœleſtium munerum theſauros 1733. 278.
Cœleſtium munerum theſauros 1734. 349.
Commiſſi Nobis cœlitus 1730. 129.
Creditæ Nobis divinitus 1731. 140.
Cum ſe. re. Innocentius Papa XII. 1730. 24.
Cum bo. me. Antonius Farneſius 1731. 154.
Cum, ſicut pro parte 1733. 271.
Cum, ſicut accepimus 1733. 272.
Cum, ſicut accepimus 1733. 311.
Cum, ſicut 1733. 296.
Cum, ſicut dilectus filius 1733. 299.
Cum, ſicut dilectus 1733. 310.
Divina providentia 1734. 322.
Dudum a ſe. re. Urbano Papa VIII. 1730. 34.
Dudum pro parte 1732. 261.
Dudum poſtquam 1733. 295.
Dudum ſe. re. 1734. 346.
E ſublimi Principis Apoſtolorum 1732. 179.
Eccleſiæ Catholicæ regimini 1730. 35.
Emanavit nuper 1730. 23.
Emanavit nuper 1731. 144.
Emanavit nuper 1733. 284.
Exigit Apoſtolicæ ſervitutis 1731. 143.
Ex injuncto Nobis 1731. 141.
Ex injuncto Nobis 1731. 159.
Ex injuncto Nobis cœlitus 1732. 237.
Ex injuncto Nobis 1732. 239.
Ex injuncto Nobis 1733. 267.
Ex injuncto Nobis 1733. 276.
Ex injuncto Nobis 1733. 293.
Ex injuncto Nobis 1734. 312.
Ex injuncto Nobis cœlitus 1734. 332.
Ex injuncto Nobis cœlitus 1734. 333.
Ex injuncto Nobis cœlitus 1734. 349.
Ex Romani Pontificis 1730. 95.
Exponi Nobis nuper 1730. 25.
Exponi Nobis nuper 1730. 87.
Exponi Nobis nuper 1731. 132.
Exponi Nobis nuper 1731. 140.
Exponi Nobis nuper 1731. 142.
Exponi Nobis nuper 1731. pag. 150.
Exponi Nobis nuper 1731. 153.
Exponi Nobis nuper 1731. 155.
Exponi Nobis nuper 1732. 174.
Exponi Nobis nuper 1732. 221.
Exponi Nobis nuper 1732. 225.
Exponi Nobis nuper 1732. 229.
Exponi Nobis nuper 1732. 233.
Exponi Nobis nuper 1732. 238.
Exponi Nobis nuper 1732. 244.
Exponi Nobis nuper 1732. 245.
Exponi Nobis nuper 1732. 260.
Exponi Nobis nuper 1732. 262.
Exponi Nobis nuper 1733. ibid.
Exponi Nobis nuper 1733. 269.
Exponi Nobis nuper 1733. 276.
Exponi Nobis nuper 1733. 278.
Exponi Nobis nuper 1733. ibid.
Exponi Nobis nuper 1733. 283.
Exponi Nobis nuper 1733. 285.
Exponi Nobis nuper 1733. 296.
Exponi Nobis nuper 1733. 300.
Exponi Nobis nuper 1733. 309.
Exponi Nobis nuper 1734. 311.
Exponi Nobis nuper 1734. 331.
Exponi Nobis nuper 1734. 343.
Exponi Nobis nuper 1734. 344.
Exponi Nobis nuper 1734. 348.
Exponi Nobis nuper 1734. 351.
Felici proſperoque Ordinis 1733. 266.
Grata familiaritatis obſequia 1731. 149.
Imperſcrutabilis divinorum 1730. 96.
In Apoſtolicæ Dignitatis 1732. 247.
In Apoſtolicæ Dignitatis 1733. 264.
Injunctæ Nobis cœlitus 1733. 286.
Injunctæ Nobis divinitus 1734. 340.
Inſignes Eccleſias 105. 88.
In ſupremo Militantis 1731. 160.
In Suprema Principis Apoſtolorum 1732. 174.
In ſupremo Militantis 1733. 303.
Inter graviſſimas Paſtoralis 1732. 181.
Inter multiplices 1732. 258.
Militantis Eccleſiæ regimini 1731. 149.
Militantis Eccleſiæ regimini 1731. 166.
Nobis, quibus a Chriſto Domino 1731. 145.
Nos volentes 1730. 12.
Nuper ad enixas 1734. 347.
Nuper a Nobis emanarunt 1733. 288.
Nuper a particulari Congregatione 1732. 224.
Nuper pro parte 1731. 150.
Nuper pro parte 1731. 161.
Nuper pro parte 1732. 220.
Nuper pro parte 1732. 225.
Nuper pro parte 1732. 228.
Nuper pro parte 1733. 267.
Nuper pro parte 1733. 287.
Nuper pro parte 1733. 298.

Nuper

Nuper pro parte 1733.	pag. 301.	Romanum decet Pontificem 1730.	pag. 18.
Omnipotentis Dei 1733.	275.	Romanum Pontificem 1731.	136.
Paſtoralis officii 1730.	29.	Romanus Pontifex 1731.	147.
Paſtorale officium 1731.	134.	Romanus Pontifex 1732.	177.
Paſtoralis Romani Pontificis 1731.	143.	Romanus Pontifex 1732.	182.
Paſtoris æterni 1732.	231.	Salvatoris & Domini Noſtri 1731.	163.
Paſtoralis officii 1732.	245.	Sanctiſſimus in Chriſto Pater 1730.	1.
Paſtoralis officii 1733.	269.	Sedes Apoſtolica 1732.	233.
Paſtoralis officii 1733.	272.	Singularis dilectorum 1733.	274.
Paterna, quam de noſtris 1733.	291.	Super ſpecula militantis Eccleſiæ 1731.	156.
Pontificalis officii noſtri 1733.	280.	Ubi primum ſupernæ Vocis 1730.	27.
Quamvis jamdiu 1731.	162.	Verbo Dei ſcripto 1733.	289.
Redemptoris & Domini 1733.	288.		

Finis Indicis Vocabulorum initialium.

BULLARIUM ROMANUM.

TOMUS DECIMUS-QUARTUS,

SIVE

CONTINUATIONIS PARS VIII.

CLEMENS XII.

PONTIFEX CCL.

ANNO CHRISTI MDCCXXX.

ANNO 1730. Sanctiſſimus D. N. CLEMENS PP. XII. antea Laurentius S. R. E. Cardinalis Corſinus Epiſcopus Tuſculanus, patria Florentinus, creatus Summus Pontifex die 12. Julii, ac quintam poſt diem coronatus anno 1730. Creavit Cardinales ſeptem & viginti. Octavum jam ſui Pontificatus annum agit, quem Deus, Eccleſiæ ſuæ bono diutiſſime tueatur. ANNO 1730.

I.

Regulæ, Ordinationes, & Conſtitutiones Cancellariæ Apoſtolicæ SS. D. N. Clem. PP. XII.

Sanctæ die 13. Julii. Public. 24. ejuſdem 1730. P. I.

Hujuſmodi Regulæ, Pontificum, qui Clementi X. præceſſere, Conſtitutionibus ſimiles omnino cum fuerint repertæ, atque hac de cauſa in tota Magni Bullarii continuatione omiſſæ; haſce SS. D. N. reponendas duximus, ut Curialium commodo inſerviremus.

SANCTISSIMUS in Chriſto Pater, & Dominus noſter Dominus CLEMENS Divina Providentia PP. XII., ſuorum Prædeceſſorum veſtigiis inhærendo, normam & ordinem rebus gerendis dare volens, in craſtinum ſuæ aſſumptionis ad Summi Apoſtolatus apicem, videlicet die 13. menſis Julii anno ab Incarnatione Domini milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo, Reſervationes, Conſtitutiones, & Regulas infraſcriptas fecit; quas etiam ex tunc, licet nondum publicatas, & ſuo tempore duraturas obſervari voluit; ac quas Nos Petrus Sancti Laurentii in Damaſo Cardinalis Othobonus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Vice-Cancellarius die 24. menſis Julii in Cancellaria Apoſtolica publicari fecimus.

Reſervationes generales, & ſpeciales.

1. In primis fecit eaſdem reſervationes, quæ in Conſtitutione ſe. re. Benedicti PP. XII. quæ incipit: *Ad regimen*: continentur, & illas innovavit, ac locum habere voluit, etiamſi Officiales, in eadem Conſtitutione expreſſi, Apoſtolicæ Sedis Officiales ante obitum eorum eſſe deſierint, quoad Beneficia, quæ tempore, quo Officiales erant, obtinebant. Declarans nihilominus Beneficia, quæ dictæ Sedis Officiales, qui ratione Officiorum ſuorum hujuſmodi ejuſdem Sedis Notarii erant, etiam dimiſſis ipſis Officiis, & quandocumque aſſecuti fuerint, ſub hujuſmodi reſervationibus comprehendi, ac reſervavit Beneficia, quæ per Conſtitutionem piæ mem. Joannis PP. XXII., quæ incipit: *Execrabilis*: vacant, vel vacare contigerint. Quam Conſtitutionem, & reſervationem Sanctitas Sua tam ad Beneficia obtenta, quam alia quæcumque, de quibus Ordinarii, & alii Collatores contra Concilii Tridentini Decreta diſpoſuerunt, & diſponent in futurum, extendit & ampliavit; & ea etiam Beneficia omnia diſpoſitioni ſuæ reſervavit, de quibus per dictos Ordinarios, aut alios Collatores contra ejuſdem Concilii Decretorum formam diſpoſitum fuerit. Decernens irritum &c.

Reſervatio Cathedralium Eccleſiarum, & Monaſteriorum, ac de tempore vacationis Epiſcopatuum, vacaturorum Beneficiorum.

2. Item reſervavit generaliter omnes Eccleſias Patriarchales, Primatiales, Archiepiſcopales, Epiſcopales, necnon omnia Monaſteria Virorum, valorem annuum ducentorum florenorum auri communi æſtimatione excedentia, nunc quomodocumque vacantia, & in poſterum vacatura. Et voluit, quod exceſſus hujuſmodi in literis exprimatur. Ac etiam reſervavit Dignitates, & Beneficia omnia ad collationem, præſentationem, electionem, & quamcumque aliam diſpoſitionem Patriarcharum, Primatum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, necnon Abbatum, ac aliorum quorumcumque Collatorum, & Collatricum Sæcula-

rium, & Regularium quomodolibet (non tamen ad collationem cum alio, vel aliis, aut etiam ad alterius præsentationem, vel electionem pertinentia) quæ post illorum obitum, aut Ecclesiarum, seu Monasteriorum, vel aliarum Dignitatum suarum dimissionem, seu amissionem, vel privationem, seu translationem, vel alias quomodocumque vacaverint, usque ad provisionem Successorum ad easdem Ecclesias, aut Monasteria, vel Dignitates Apostolica auctoritate faciendam, & adeptam ab eisdem Successoribus pacificam illorum possessionem, quomodocumque vacaverint, & vacabunt in futurum. Decernens irritum &c.

Extensio reservationis Beneficiorum per assecutionem pacificam vacaturorum.

3. Item, si qui de Beneficiis Ecclesiasticis, præsertim Curam animarum habentibus, seu alias personalem residentiam requirentibus, dum pro tempore vacant, Apostolica auctoritate provisi, seu providendi, ante illorum assecutionem alia cum eisdem incompatibilia Beneficia Ecclesiastica per eos tunc obtenta, in fraudem reservationis suæ resignarent, seu dimitterent, voluit, decrevit, & declaravit, quod si imposterum quibusvis personis de aliquibus Beneficiis Ecclesiasticis tunc vacantibus, seu vacaturis, per Sanctitatem Suam, aut ejus auctoritate provideri, ipsosque providendos intra vacationis, & provisionis, seu assecutionis eorumdem Beneficiorum tempora, quæcumque alia cum illis incompatibilia Beneficia Ecclesiastica sæcularia, vel quorumvis Ordinum, ac etiam Hospitalium, Regularia per eos tunc obtenta, nulla speciali & expressa de eisdem in provisionibus prædictis facta mentione, simpliciter, vel causa permutationis, ac alias quomodolibet, sive in Sanctitatis Suæ, vel alterius Romani Pontificis pro tempore existentis, aut Legatorum, vel Nunciorum dictæ Sedis, sive Ordinariorum, vel aliorum Collatorum quorumcumque manibus resignare, seu dimittere, aut juribus sibi in illis, vel ad illa competentibus cedere contigerit, omnes & singulæ concessiones, collationes, provisiones, & quævis aliæ dispositiones de Beneficiis, seu juribus sic resignandis, dimittendis, & cedendis pro tempore faciendæ cum inde secutis quibuscumque, cassæ & irritæ, nulliusque roboris vel momenti existant, nec cuiquam suffragentur; sed beneficia & jura, ut præfertur, resignata, dimissa, & cessa eo ipso vacent, ac sub reservatione prædicta, quam Sanctitas Sua etiam quoad hoc extendit, & ampliavit, comprehensa censeantur. Ita, quod de illis per alium, quam per eamdem Sanctitatem Suam, vel pro tempore existentem Romanum Pontificem, nullatenus disponi possit in omnibus & per omnia, perinde acsi per pacificam assecutionem Beneficiorum aliorum hujusmodi vere ac realiter vacavissent. Ac ulterius voluit Beneficium, de quo Resignans fuerit auctoritate Apostolica provisus, ac per cujus assecutionem Beneficia vacare debebant, ut prius vacare, perinde acsi collatio favore Resignantis facta non fuisset, salvis tamen quibuscumque juribus competentibus alteri parti, ad cujus favorem facta esset Resignatio, etiam ex causa permutationis, summarie simpliciter & appellatione remota exercendis. Decernens irritum &c. Attentari.

Reservatio Dignitatum, nec non suorum, & S.R.E. Cardinalium familiarium, Beneficiorum.

4. Item reservavit generaliter dispositioni suæ omnes Dignitates majores post Pontificales in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, & Patriarchalibus, necnon valorem decem florenorum auri communi æstimatione excedentes Principales in Collegiatis Ecclesiis. Reservavit etiam Prioratus, Præposituras, Præpositatus, ac alias Dignitates Conventuales, & Præceptorias generales ordinum quorumcumque (sed non Militiarum) ac quæcumque Beneficia, quæ sui, etiam dum Cardinalatus fungebatur honore, existentes, ac S. R. E. viventium nunc, & qui erunt pro tempore, Cardinalium Familiares, continui Commensales obtinent, & in posterum obtinebunt eorum familiaritate durante, ac in quibus, seu ad quæ jus eis competit, aut competierit, etiamsi ab ipsa familiaritate per obitum Cardinalium eorumdem, vel alias recesserint. Declarans Dignitates, quæ in Cathedralibus, etiam Metropolitanis post Pontificales non majores existunt, & quæ ex Apostolicæ Sedis Indulgentia, vel Ordinaria auctoritate, aut consuetudine præscripta, vel alias quovis modo in quibuscumque Collegiatis Ecclesiis principalem præeminentiam habere noscuntur, sub reservatione prædicta comprehendi debere. Decernens irritum &c.

Reservatio Beneficiorum Collectorum, & Subcollectorum.

5. Item reservavit generaliter omnia, & singula Beneficia Ecclesiastica quorumcumque Collectorum, & unicorum in quacumque Civitate, vel Diœcesi, qui suo tempore officia exercuerint Subcollectorum fructuum & proventuum Cameræ Apostolicæ debitorum, illa videlicet Beneficia dumtaxat, quæ durante eorum officio obtinebant, & in quibus, seu ad quæ jus eis competebat. Decernens irritum &c.

Reservatio Beneficiorum Curialium, dum Curia transfertur.

6. Item reservavit omnia, & singula Beneficia Ecclesiastica quorumcumque Curialium, quos, dum Curia Romana de loco ad locum transfertur, eam sequendo decedere contigerit in quovis loco, quantumcumque etiam a dicta Curia remoto. Decernens irritum &c.

Reservatio Beneficiorum Cubiculariorum, & Cursorum.

7. Item reservavit generaliter idem D. N. PP. dispositioni suæ omnia Beneficia Cubiculariorum, etiam honoris nuncupatorum, ac Cursorum suorum, declarans in Prædecessorum suorum Rom. Pontificum Constitutionibus, & Regulis Beneficiorum Cubiculariorum, etiam Cubicularios honoris nuncupatos, etiam a die earum editionis, & publicationis intelligi, & comprehendi, ac comprehensos fuisse, & esse; irritumque &c. attentari, decernens &c.

Reservatio Beneficiorum Ecclesiarum Sancti Joannis Lateranen., & Sancti Petri, ac Beatæ Mariæ Majoris de Urbe, & Beneficiorum titulorum Cardinalium a Curia absentium.

8. Item reservavit dispositioni suæ generaliter quoscumque Canonicatus, & Præbendas, ac Dignitates, Personatus, & Officia in S. Joannis Lateranensis, & Principis Apostolorum, ac Beatæ Mariæ Majoris de Urbe Ecclesiis, necnon ad collationem, provisionem, & præsentationem, seu quamvis aliam dispositionem S. R. E. Cardinalium a Romana Curia absentium, ratione suorum Episcopatuum, Cardinalatus, ac ipsorum Cardinalium Titulorum, & Diaconorum spectantia, quamdiu absentia hujusmodi duraverit, Canonicatus, & Præ-

bendas,

bendas, Dignitates, Personatus, Administrationes, & Officia, cæteraque Beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura vacantia, ac in antea vacatura tam in eadem Urbe, quam in Ecclesiis, Civitatibus, ac Diœcesibus dictorum Episcopatuum consistentia; ac decrevit irritum &c.

Reservatio Mensium Apostolicorum, & Alternativa pro Episcopis residentibus.

9. Item cupiens SS. D. N. PP. pauperibus Clericis & aliis benemeritis personis providere, omnia Beneficia Ecclesiastica cum cura & sine cura, Sæcularia, & quorumvis Ordinum Regularia, qualitercumque qualificata, & ubicumque existentia, in singulis Januarii, Februarii, Aprilis, Maji, Julii, Augusti, Octobris, & Novembris mensibus, usque ad suæ voluntatis beneplacitum extra Romanam Curiam, alias quam per resignationem quocumque modo vacatura, ad collationem, provisionem, præsentationem, electionem, & quamvis aliam dispositionem quorumcumque Collatorum, & Collatricum Sæcularium, & quorumvis Ordinum Regularium (non tamen S. R. E. Cardinalium, aut aliorum sub concordatis inter Sedem Apostolicam & quoscumque alios initis, & per eos, qui illa acceptare, & observare debuerant, acceptatis, & observatis, quæ lædere non intendit, comprehensorum) quomodolibet pertinentia dispositioni suæ generaliter reservavit. Volens in supplicationibus, seu concessionibus gratiarum, quæ de dictis Beneficiis tunc vacantibus etiam Motu Proprio fient de mense, in quo vacaverint dispositive mentionem fieri, alioquin gratias nullas esse, ac consuetudines, etiam immemorabiles optandi majores, & pinguiores Præbendas, nec non Privilegia etiam in limine erectionis concessa, & Indulta Apostolica circa ea, ac etiam disponendi de hujusmodi Beneficiis, aut quod illa sub hujusmodi reservationibus nunquam comprehendantur, etiam cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, & fortioribus, efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis Decretis, quorum tenores pro expressis haberi, & latissime extendi voluit, quibusvis personis, & Collegiis cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis existentibus quomodolibet concessa, adversus reservationem hujusmodi minime suffragari. Insuper Sanctitas Sua ad gratificandum Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis intenta, ipsis quamdiu apud Ecclesias, aut Diœceses suas vere & personaliter resederint dumtaxat, de omnibus, & quibuscumque Beneficiis Ecclesiasticis cum cura & sine cura Sæcularibus, & Regularibus, (ad liberam ipsorum dumtaxat, non autem aliorum cum eis dispositionem, seu præsentationem, vel electionem, nec etiam cum consilio, vel consensu, seu interventu Capitulorum, vel aliorum, aut alias pertinentibus) quæ in antea in mensibus Februarii, Aprilis, Junii, Augusti, Octobris, & Decembris extra Curiam ipsam vacare contigerit (dummodo alias dispositioni Apostolicæ reservata, vel affecta non fuerint) libere disponendi facultatem tempore sui Pontificatus tantum duraturam concessit. Ac etiam voluit, ut si ipsi in collatione, aut alia dispositione beneficiorum in aliis sex mensibus, videlicet Januarii, Martii, Maji, Julii, Septembris, & Novembris vacaturorum (quæ etiam dispositioni suæ, ut præfertur, reservavit) seu etiam aliorum dispositioni suæ, & dictæ Sedis alias quomodolibet reservatorum, vel affectorum, sese intromiserint, aut quominus provisiones, gratiæ Sanctitatis Suæ de illis debitum effectum consequantur, impedimentum quoquo modo præstiterint, usu & beneficio prædictæ facultatis eo ipso privati existant; ac collationes & aliæ dispositiones de Beneficiis illius prætextu deinceps faciendæ, nullius sint roboris vel momenti. Illi vero, qui gratiam Alternativæ prædictæ acceptare voluerint, acceptationem hujusmodi per patentes literas manu propria subscriptas suoque sigillo munitas, & in sua quisque Civitate vel Diœcesi datas declarare, & literas ipsas sive ad Datarium Sanctitatis Suæ transmittere teneantur, quibus ab eo receptis, & recognitis, ac in libro ad id deputato registratis, tunc demum, & non antea, uti incipiant gratia supradicta. Insuper declaravit, quod si idem Episcopus pluribus Ecclesiis, quomodocumque unitis ex Apostolica concessione & dispensatione, quomodocumque præsit, teneatur hujusmodi Alternativæ gratiam, quatenus ea potiri velit, utriusque Ecclesiæ nomine explicite acceptare, alias illi non suffragetur. Et post factam acceptationem, & admissionem in Dataria, neutri parti liceat nisi concordi consensu ab ea recedere. Declarans præterea, exceptionem positam in Regula favore Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & Indultum conferendi Beneficia reservata concessum Cardinali Episcopo, non suffragari Capitulo ratione communionis, & consortii juxta declarationem fel. rec. Urbani PP. VIII. Prædecessoris sui, editam die decima Septembris Anno millesimo sexcentesimo vigesimo sexto, quam Sanctitas Sua in omnibus & per omnia approbat. Decernens sic in præmissis omnibus per quoscumque &c. judicari debere; ac irritum &c.

De Literis in forma: Rationi congruit: expediendis.

10. Item voluit idem D. N. PP., quod concessa per fel. rec. Innocentium Decimum tertium Prædecessorem Suum, & de ejus mandato expediantur in forma: *Rationi congruit &c.* sub die Coronationis Suæ, ut moris est, & idem quoad concessa per piæ mem. Clementem XI. etiam Prædecessorem Suum ad sex menses dumtaxat ab ipso die Coronationis incipiendos observari voluit.

Declaratio reservationis Ecclesiarum, & Beneficiorum per Prædecessores reservatorum.

11. Item declaravit omnium, & singularum Ecclesiarum Cathedralium, & Monasteriorum provisiones, quas prædicti Prædecessores sui ordinationi & dispositioni eorum, necnon omnia, & singula Beneficia Ecclesiastica, quæ dicti Prædecessores etiam prædictæ dispositioni cum interpositione Decreti reservaverant (quæ quidem Ecclesiæ, Monasteria necnon sic reservata Beneficia tempore obitus eorumdem Prædecessorum vacabant, aut Ecclesiæ ipsæ, vel Monasteria hujusmodi si Commendata, vel eis Administratores deputati non fuissent, etiam tunc vacassent) remansisse, & remanere per hujusmodi reservationem & Decretum affecta, nullumque de illis præter Romanum Pontificem ea vice se intromittere, vel disponere potuisse, sive posse quoquo modo. Decernens irritum & inane, si secus super his attentatum forsan erat tunc, vel imposterum contigerit attentari.

Revalidatio Literarum Prædecessoris Gratiæ, & Justitiæ infra annum concessorum.

12. Item prædictus D. N. omnes, & singulas ab Innocentio XIII. Romano Pontifice

Prædeceſſore Suo infra annum ante diem ejus obitus conceſſas Gratiæ, vel Juſtitiæ, literis temporibus debitis earum Executoribus ſeu Judicibus non præſentatis, omnino revalidavit, & in ſtatum priſtinum, in quo videlicet antea fuerant, vel pro quibus erant obtentæ, quoad hoc plenarie reſtituit; ac decrevit per Executores ſeu Judices prædictos, vel ab eis ſubdelegandos, ad expeditionem negotiorum in eis contentorum procedi poſſe, & debere juxta illarum formam.

Revocatio Unionum.

13. Item rationabilibus ſuadentibus cauſis ipſe Dominus Noſter, omnes uniones, annexiones, incorporationes, ſuppreſſiones, extinctiones, applicationes, & diſmembrationes, etiam perpetuas de quibuſvis Cathedralibus, necnon aliis Eccleſiis, Monaſteriis, Dignitatibus, Perſonatibus, Officiis, & Beneficiis Eccleſiaſticis, eorumve Domibus, Prædiis, & Locis per ceſſum, vel deceſſum, aut aliam quamvis dimiſſionem, vel amiſſionem, qualiacumque fuerint invicem, vel aliis Eccleſiis, Monaſteriis, & Menſis, etiam Capitularibus, Dignitatibus, Perſonatibus, Officiis, Beneficiis, ac Piis & aliis Locis, Univerſitatibus etiam Studiorum generalium, & Collegiis, etiam in favorem S. R. E. Cardinalium, ſeu Eccleſiis, Monaſteriis, & Beneficiis per eos obtentis, quomodolibet Apoſtolica, vel alia quavis (non tamen Concilii Tridentini auctoritate, necnon pro fundatione, ſeu dotatione, augmento, vel conſervatione Collegiorum, & aliorum piorum & Religioſorum locorum ad Fidei Catholicæ defenſionem, & propagationem, bonarumque artium cultum inſtitutorum) factas, quæ ſuum non ſunt ſortitæ effectum: Ac quaſcumque conceſſiones & mandata ſuper unionibus, annexionibus, incorporationibus, & aliis præmiſſis taliter faciendis revocavit, caſſavit, & irritavit, nulliuſque decrevit exiſtere firmitatis. Nec alicui quaſcumque clauſulas, vel adjectiones, aut Decreta, quæ Sanctitas Sua pro expreſſis haberi voluit in quibuſvis Apoſtolicis, etiam quæ Motu Proprio, aut ex certa ſcientia, & Conſiſtorialiter proceſſerunt, & emanarunt, literis, etiamſi in eis decretum eſſet, illas ex tunc effectum ſortitas eſſe, aut jus quæſitum fore, quomodolibet contentæ adverſus revocationem & irritationem hujuſmodi voluit aliquatenus ſuffragari. Decernens irritum &c.

Revocatio facultatum quibuſvis conceſſarum.

14. Item revocavit quaſcumque facultates conceſſas quibuſvis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Perſonis, ac Prælatis, etiam utriuſque Signaturæ Referendariis, nec non Apoſtolicæ Sedis Nunciis, ac fructuum & proventuum Cameræ Apoſtolicæ debitorum Collectoribus, de diſpenſando cum quibuſvis perſonis ſuper Matrimonio contracto vel contrahendo in gradu prohibito, ac natalium & ætatis defectibus, & de incompatibilibus Beneficiis Eccleſiaſticis inſimul retinendis; necnon de Notariis publicis creandis, ac de diſponendo quomodolibet de quibuſvis Beneficiis Eccleſiaſticis, & alias a præmiſſis officia ipſorum Nunciorum & Collectorum directe non concernentes; etiamſi in literis deſuper confectis ſint clauſulæ reſtitutoriæ, & derogatoriarum derogatoriæ, & aliæ efficaciores, quas pro expreſſis haberi voluit quoad omnia, in quibus facultates ipſæ non ſunt ſortitæ effectum, etiamſi Nunciis eiſdem dictæ Sedis Legatis de Latere competens ſit conceſſa poteſtas. Decernens irritum &c.

Revocatio facultatum conferendi Beneficia reſervata.

15. Item revocavit quaſcumque facultates, & literas deſuper confectas, per quas quicumque ſui Prædeceſſores Romani Pontifices quibuſvis perſonis Ordinariam Collationem, ſeu aliam diſpoſitionem Beneficiorum Eccleſiaſticorum de jure vel conſuetudine habentibus, & quavis etiam Patriarchali, Archiepiſcopali, Epiſcopali, vel alia Dignitate, vel alio (non tamen Cardinalatus) honore fulgentibus, quavis conſideratione vel intuitu, etiam Motu Proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine cum quibuſvis clauſulis etiam derogatoriarum derogatoriis, ac irritantibus, & aliis Decretis, quorum tenores haberi voluit pro expreſſis, conceſſerant, ut quamdiu viverent, vel ſuis Eccleſiis, ſeu Monaſteriis præeſſent, aut ad aliud tempus de Beneficiis Eccleſiaſticis generaliter reſervatis, ſeu affectis ad eorum collationem, proviſionem, præſentationem, electionem, & quamvis aliam diſpoſitionem communiter vel diviſim ſpectantibus, diſponere libere & licite valerent, aut etiam ad id per eoſdem Prædeceſſores Vicarii perpetui, vel ad tempus conſtituti forent. Decernens irritum & inane &c.

De dictionibus numeralibus.

16. Item, ut in Apoſtolicis literis committendi crimen falſi per amplius tollatur occaſio, voluit & ordinavit, quod dictiones numerales, quæ in dictis literis ante Nonas, Idus, & Kalendas immediate poni conſueverunt, per literas & ſyllabas extenſe deſcribantur, & illæ ex prædictis literis, in quibus hujuſmodi dictiones aliter ſcriptæ fuerint, ad Bullariam nullatenus mittantur &c.

De concurrentibus in Data.

17. Item voluit, quod de concurrentibus in Data ejuſdem diei ſuper vacantibus ſeu certo modo vacaturis Beneficiis, illi, quibus gratiæ, Motu Proprio conceduntur, cæteris ſimili modo gratias non habentibus: alias graduati non graduatis: aut inter graduatos magis graduato: necnon colorato titulo poſſeſſores non poſſeſſoribus: ac inter perſonas alias in Curia præſentes abſentibus ab ea: ac inter præſentes non Beneficiati Beneficiatis: & ſimiliter inter abſentes, cæteris paribus, oriundi non oriundo, & Diœceſanus non Diœceſano; In reliquis vero ſinguli, qui prius Apoſtolicas deſuper literas eorum executoribus præſentaverint, aliis in ipſorum, de quibus agi contigerit, Beneficiorum aſſecutione præferantur.

De non tollendo jus quæſitum.

18. Item ne per varias, quæ pro Commiſſionibus, ſeu Mandatis, & declarationibus habendis in cauſis plerumque fiunt ſuggeſtiones, juſtitia poſtponatur; Idem Dominus Noſter decrevit & declaravit ſuæ intentionis fore, quod deinceps per quamcumque Signaturam, ſeu conceſſionem, aut gratiam, vel literas Apoſtolicas pro Commiſſionibus, ſeu Mandatis, aut declarationibus hujuſmodi, etiamſi Motu Proprio, & ex certa ſcientia, ac etiam ante motam litem, a Sanctitate Sua emanaverint, vel de ejus mandato faciendas, nulli jus ſibi quæſitum quomodolibet tollatur.

Regula de Viginti.

19. Item voluit, quod si quis in infirmitate constitutus resignaverit, sive in Romana Curia, sive extra illam aliquod Beneficium, sive simpliciter, sive ex causa permutationis, vel alias dimiserit, aut illius Commendæ cesserit, seu ipsius Beneficii unionis dissolutioni consenserit, etiam vigore supplicationis, dum esset sanus, signatæ, & postea infra viginti dies a die per ipsum Resignantem præstandi consensus computandos, de ipsa infirmitate decesserit, & ipsum Beneficium quavis auctoritate conferatur per resignationem sic factam, collatio hujusmodi sit nulla, ipsumque Beneficium nihilominus per obitum censeatur vacare.

De Idiomate.

20. Item voluit, quod si contingat tam in Curia, quam extra, alicui Personæ de Parochiali Ecclesia, vel quovis alio Beneficio exercitium Curæ Animarum Parochianorum quomodolibet habente, provideri, nisi ipsa persona intelligat, & intelligibiliter loqui sciat idiomate loci, ubi Ecclesia, vel Beneficium hujusmodi consistit, provisio, seu Mandatum, & gratia, desuper quoad Parochialem Ecclesiam, vel Beneficium hujusmodi, nullius sint roboris vel momenti, Decernens irritum &c.

De non impetrando Beneficium per obitum viventis.

21. Item si quis supplicaverit sibi de Beneficio quocumque tanquam per obitum alicujus, licet tunc viventis, vacante provideri, & postea per obitum ejus vacet, provisio & quævis dispositio, etiam vigore alterius novæ supplicationis vel gratiæ dicto Supplicanti per obitum hujusmodi denuo faciendæ, nullius sint roboris vel momenti.

De unionibus, & unionum confirmatione.

22. Item voluit, quod petens Beneficia Ecclesiastica aliis uniri, teneatur exprimere verum annuum valorem secundum communem æstimationem tam Beneficii uniendi, quam illius, cui uniri petitur; alioquin unio non valeat, & semper in unionibus commissio fiat ad partes, vocatis quorum interest. Et idem voluit observari in quibusvis suppressionibus perpetuis, concessionibus, dismembrationibus, & applicationibus, etiam de quibuscumque fructibus & Bonis Ecclesiasticis, ac etiam in confirmationibus unionum, singularumque dispositionum hujusmodi.

De Mendicantibus transferendis.

23. Item de Mendicantibus transferendis, qui ad alios Ordines transierint pro tempore, voluit Constitutionem fe. re. Martini PP. V. Prædecessoris sui desuper factam, & in Libro Cancellariæ Apostolicæ descriptam, quæ incipit: *Viam ambitiosæ cupiditatis &c.* firmiter observari.

De male promotis.

24. Item de Clericis extra tempora a jure statuta, sive ante ætatem legitimam, aut absque dimissoriis literis, ad Sacros Ordines se promoveri facientibus pro tempore, etiam voluit Constitutionem piæ me. Pii II. similiter Prædecessoris sui desuper editam, & in dictæ Cancellariæ Apostolicæ Libro descriptam, quæ incipit: *Cum ex Sacrorum Ordinum &c.* pari modo observari.

De Moneta.

25. Item declaravit idem Dominus Noster, quod libra Turonensium parvorum, & florenus auri de Camera pro æquali valore in concernentibus literas & Cameram Apostolicam computari & extimari debeant.

De Beneficiis vacaturis per promotionem ad Ecclesias, & Monasteria.

26. Item prædictus D. N. Papa voluit, decrevit, & ordinavit, quod quæcumque concessiones, gratiæ, & mandata, etiam Motu proprio, & cum derogatione hujus Constitutionis, quæ ab eo pro quibusvis personis emanaverint de providendo eis de quibusvis Beneficiis vacaturis per promotionem quorumcumque ad Ecclesiarum, & Monasteriorum regimina, si hujusmodi concessiones, & mandata diem promotionis promovendorum ipsorum præcesserint; necnon quæcumque collationes, provisiones, & dispositiones pro tempore faciendæ de præmissis, & quibusvis aliis Beneficiis Ecclesiasticis Sæcularibus & Regularibus, quæ per promovendos, vel assumendos ad quascumque Prælaturas inter illarum vacationis, & hujusmodi promotionis, vel assumptionis tempora simpliciter, vel ex causa permutationis ubicumque resignari, vel alias dimitti contigerit cum inde sequutis pro tempore, sint cassæ, & irritæ, nulliusque roboris vel momenti.

De non judicando juxta formam Supplicationum, sed literarum expeditarum.

27. Item cum ante confectionem literarum gratia Apostolica sit informis, voluit, statuit & ordinavit idem D. N., quod Judices in Romana Curia & extra eam pro tempore existentes, etiamsi sint S. R. E. Cardinales, Causarum Palatii Apostolici Auditores, vel quicumque alii, non juxta supplicationum signatarum super quibusvis impetrationibus (nisi in dicta Curia dumtaxat sint Commissiones justitiam concernentes per placet, vel per S. R. E. Vice-Cancellarium juxta facultatem super hoc sibi concessam signatæ) sed juxta literarum super eisdem impetrationibus & concessionibus confectarum tenores, & formas judicare debeant. Decernens irritum &c. Et si literæ ipsæ per præoccupationem, vel alias minus bene expeditæ reperiantur, ad illorum, quorum interest, instantiam, ad Apostolicam Cancellariam remitti poterunt per ejus Officiales, quibus hujusmodi tenores & formas restringere convenit, ad formas debitas reducendæ.

De Regulis Cancellariæ producendis.

28. Item attendens D. N. Papa, quod super habendis de Cancellaria Apostolica Regulis, & Constitutionibus inibi descriptis faciliter per eos, qui in Romana Curia indiguerint, ad ipsam Cancellariam recursus dirigi potest, nec consultum foret, quod super earumdem Regularum & Constitutionum (quæ juxta varietatem concurrentium Causarum, & negotiorum aliquoties immutari convenit) probando tenore vel effectu testium, plerumque tenacem desuper memoriam non habentium, depositionibus stari deberet, voluit, statuit, & ordinavit, quod deinceps quilibet ex Auditoribus Causarum Palatii Apostolici, & aliis (etiamsi S. R. E. sint Cardinales) in ipsa Curia pro tempore depu-

tatis auctoritate Apostolica Judicibus, etiam in causis actu pendentibus super hujusmodi tenore vel effectu probando dumtaxat stet, fidemque adhibeat Cedulæ, seu Scripturæ desuper a duobus majoris præsidentiæ, quod danda sit, a tergo signatæ, & etiam a duobus aliis literarum Apostolicarum Abbreviatoribus in ipsa Cancellaria auscultatæ, & Vice-Cancellarii seu dictam Cancellariam Regentis manu subscriptæ, ut moris est; quidquid autem secus fieri contigerit nullius sit roboris vel momenti.

De subrogandis Collitigantibus.

29. Item Dominus Noster cupiens litium succidere anfractus, & ne novi Collitigantibus Adversarii dentur, providere, voluit, statuit, & ordinavit, quod quoties deinceps aliquem super quovis Beneficio Ecclesiastico Collitigantem in jure, vel ad jus, si quod forsan ejus Adversario in dicto Beneficio competierit, subrogari contigerit (dummodo prædictus Collitigans in dicto Beneficio intrusus non fuerit, nec super eo contra dictum Adversarium, postquam illud per triennium pacifice possederit, lis tunc mota fuerit) aliorum quorumlibet de præmisso jure, sive tunc vacet, vel cum vacaverit impetrationes, vel concessiones etiam Motu proprio infra mensem ante concessionem hujusmodi factæ nullius sint roboris, vel momenti. Et nihilominus cupiens eorum fraudibus obviare, qui viventium Beneficia, illorum præsertim, quibus aut propter senium, aut propter infirmitatem immineret vitæ periculum, impetrant, ut illis decedentibus tanquam Collitigantes in eorum juribus facilius subrogentur; Voluit, ut deinceps nullus in jure, vel ad jus in Beneficio Defuncti, quod illo vivente in casibus præmissis, vel similibus impetraverit, aliquo modo subrogetur, & subrogatio vel gratia, si neutri, si nulli, seu novæ provisionis, aut perinde valere, taliter Impetranti nullatenus suffragetur, quod etiam strictissime observari mandavit in impetrationibus Beneficiorum per privationem, & amotionem ex quibusvis criminibus, & excessibus forsan perpetratis, etiamsi usque ad definitivam Sententiam, quæ tamen in rem non transierit judicatam, processum foret.

De verisimili notitia.

30. Item voluit, & ordinavit, quod omnes gratiæ, quas de quibusvis Beneficiis Ecclesiasticis cum Cura, vel sine Cura, Secularibus, vel Regularibus per obitum quarumcumque personarum vacantibus, in antea fecerit, nullius roboris vel momenti sint, nisi post obitum ante, & datam gratiarum hujusmodi tantum tempus effluxerit, quod interim vacationes ipsæ de locis, in quibus personæ prædictæ decesserint, ad notitiam ejusdem SS. D. N. verisimiliter potuerint pervenire.

Non valeant Commissiones Causarum, nisi literis expeditis.

31. Item quod omnes & singulæ Commissiones Causarum quas in antea fieri contigerit, obtentæ, vel occasione concessionum dumtaxat Apostolicarum de Beneficiis Ecclesiasticis gratiarum, super quibus literæ Apostolicæ confectæ non fuerint, ac processus desuper habendi, nullius sint roboris vel momenti.

De Impetrantibus Beneficia per obitum Familiarium Cardinalium.

32. Item voluit, quod impetrans Beneficium vacans per obitum Familiaris alicujus Cardinalis, teneatur exprimere nomen & titulum ipsius Cardinalis, si ille in Curia fuerit, ipsius ad id accedat assensus, alias desuper gratia sit nulla; & idem servari voluit, si Cardinales quomodolibet ab ipsa Curia absentes, & ubilibet etiam in locis infra duas dietas vicinis degentes, familiamque & lares in eadem Curia retinentes ab ipsa Curia recesserint, ad eamdem illico reversuri, & infra decem vel ad summum quindecim dies vere & personaliter reversi fuerint. Ita quod Cardinalibus, alias quam, ut præfertur, ex quacumque causa quantumlibet necessaria, & hic necessario exprimenda absentibus, facultas præstandi consensum hujusmodi non competat, sed Beneficia hujusmodi ad liberam Sanctitatis Suæ, & Sedis Apostolicæ provisionem, & dispositionem pertineant. Declarans Regulas, & Constitutiones suorum Prædecessorum, etiam a die earum editionis, & publicationis super assensu hujusmodi præstando sic intellectas & intelligendas fuisse; irritumque &c. attentari, decernens. Quodque si prædicti Familiares, eorumdem Cardinalium Familiares esse desierint, seu ad aliorum Cardinalium familiaritatem similem transierint, quoad Beneficia, quæ familiaritate priori durante obtinuerint, & in quibus vel ad quæ priori ipsa familiaritate durante jus eis competierit, Cardinales, quorum prius Familiares fuerint, suum habeant adhibere consensum. Declarans præsentem Constitutionem locum non habere in illis Beneficiis, quæ Familiares ipsi tempore obitus eorum in dicta Curia vel extra eam obtinerent, aut antea obtinuissent, & ratione officiorum per eos obtentorum dictæ dispositioni generaliter reservata, vel affecta fuisse apparerent. Necnon illos quoad effectum dictæ Constitutionis Familiares eorumdem Cardinalium censeri, qui ipsorum Cardinalium Familiares continui Commensales ad minus per quatuor menses, computato etiam tempore ante promotionem ad Cardinalatum, fuisse probarentur. Decernens irritum &c.

Super eadem Familiaritate.

33. Item Dominus Noster ad evitandas lites & contentiones, quæ ex præcedenti sua Constitutione exoriri possent, vestigiis Prædecessorum suorum inhærendo, voluit, statuit, & ordinavit, quod si Beneficia, quæ per obitum Familiarium continuo Commensalium eorumdem Cardinalium in futurum vacabunt, cessantibus Apostolicis reservationibus ad alterius Cardinalis collationem, vel aliam dispositionem pertinere deberent, in dicta præcedenti Constitutione non comprehendantur quo ad hoc, ut in provisionibus talium Beneficiorum super expeditione literarum illius Cardinalis, cujus Familiaris defunctus ille extitit, consensus requiri debeat; Sed Beneficia hujusmodi ad Collationem, seu quamvis dispositionem Cardinalis Ordinarii Collatoris, ut præfertur, libere spectare censeantur; Et si apud Sedem Apostolicam Beneficia hujusmodi per obitum dictorum Familiarium vacaverint, tunc in provisione talium Beneficiorum super expeditione literarum, illius Cardinalis exigatur consensus, si in Romana Curia præsens fuerit, ad quem eorumdem collatio & dispositio, ut præfertur pertinere deberet, itaut Cardinalis Ordinarius Collator in concursu cum Cardinali Patrono semper præferri debeat, salvis tamen semper Indultis concessis & concedendis eisdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus. Decernens irritum &c.

Signatura per fiat præfertur alteri per conceſſum.

34. Item voluit idem Dominus Noſter, quod concurrentibus eadem die ſuper quocumque Beneficio per fiat, & conceſſum, Signaturam ex ejus per fiat, etiam ut petitur, habens, alteri per conceſſum, etiam Motu Proprio habenti præferatur, etiam in illa per conceſſum prægnantiores, & quantumlibet privilegiativæ eſſent clauſulæ.

De Annali Poſſeſſore.

35. Item SS. D. N. ut improbi lites exquirentium motus reprimantur, voluit, ſtatuit, & ordinavit, quod quicumque Beneficium Eccleſiaſticum, tunc per annum immediate præcedentem pacifice poſſeſſum, & quod certo modo vacare prætenditur, deinceps impetraverit nomen, gradum, & nobilitatem poſſeſſoris ejuſdem, & quotannis ipſe illud poſſederit, ac ſpecificam, & determinatam, ex qua clare poterit conſtare, quod nullum ipſi poſſeſſori in dicto Beneficio jus competat, cauſam in hujuſmodi impetratione exprimere, & infra ſex menſes ipſum poſſeſſorem ad judicium evocari facere, cauſamque ex tunc deſuper infra annum uſque ad Sententiam diffinitivam incluſive proſequi debeat & teneatur; alioquin impetratio prædicta, & quæcumque inde ſequutæ nullius exiſtant firmitatis. Et item impetrans, de damnis & intereſſe poſſeſſorem prædictum propterea contingentibus ei ſatisfacere; & ſi poſſeſſorem ipſum injuſte, frivole, & indebite moleſtare repertus extiterit, quinquaginta florenos auri perſolvere Cameræ Apoſtolicæ ſit adſtrictus, nec alius, quam præmiſſæ vacationis modus etiam per literas: ſi neutri, aut ſubrogationis, aut alias ſibi quoad hoc, ut Beneficium hujuſmodi ea vice conſequi aut obtinere valeat; quomodolibet ſuffragetur, illudque nullatenus in antea litigioſum propterea cenſeatur. Quod etiam extendi voluit ad impetrantes Beneficia Eccleſiaſtica cujuſcumque qualitatis per privationem, & amotionem, vel alias propter commiſſa, exceſſus, & crimina vacantia vel vacatura, & ſimiliter ad impetrantes Beneficia tanquam vacantia per devolutionem.

De Triennali.

36. Item ſtatuit & ordinavit idem Dominus Noſter, quod ſi quis quæcumque Beneficia Eccleſiaſtica, qualiacumque ſint, abſque ſimoniaco ingreſſu ex quovis titulo, Apoſtolica, vel Ordinaria collatione, aut electione, & electionis hujuſmodi confirmatione, ſeu præſentatione, & inſtitutione illorum, ad quos Beneficiorum hujuſmodi collatio, proviſio, electio, & præſentatio, ſeu quævis alia diſpoſitio pertinet, per triennium pacifice poſſederit (dummodo in Beneficiis hujuſmodi, ſi diſpoſitioni Apoſtolicæ ex reſervatione generali in corpore juris clauſa reſervata fuerint, ſe non intruſerit) ſuper eiſdem Beneficiis taliter poſſeſſis moleſtari nequeat; necnon impetrationes quaslibet de Beneficiis ipſis ſic poſſeſſis factas, irritas, & inanes cenſeri debere decrevit, antiquas lites ſuper illis motas penitus extinguendo.

De non appellando ante Sententiam diffinitivam.

37. Item idem D. N., ut finis litibus celerius imponatur, & Litigantium parcatur ſumptibus & expenſis, ſuorum Prædeceſſorum Conſtitutionibus & Statutis inhærendo, ſtatuit & ordinavit, quod in Cauſis pendentibus, & quas impoſterum contigerit agitari, nulli ante diffinitivam Sententiam liceat appellare, nec appellatio, ſi fuerit emiſſa, debeat admitti, niſi ab interlocutoria, quæ vim habeat diffinitivæ, vel a gravamine minime concernente negotium principale, quod non poſſit per appellationem a diffinitiva Sententia reparari, nullæque Cauſæ appellationum committantur, niſi in Commiſſione exprimatur, quod interlocutoria vim diffinitivæ habeat, vel gravamen ſit tale, quod in appellatione a diffinitiva non valeat reparari. Alioquin Appellationes & Commiſſiones impoſterum, & quidquid inde ſequutum fuerit, nullius ſint roboris vel momenti; Commiſſionibus Appellationum jam in Judicibus præſentatis & exhibitis in ſuo robore permanſuris, in quibus latis ſuper eiſdem Sententiis, ſecundo vel ulterius ab eis non liceat appellare. Appellantes vero, & appellationes etiam ab interlocutoriis, & gravaminibus hujuſmodi, ſuo, vel alterius nomine proſequentes, ſi ſuccubuerint ultra expenſas, & damna, ad quæ reficienda de jure condemnatus compellitur, viginti florenorum auri pœna mulctetur.

Non ſtetur Commiſſioni poſt Concluſionem.

38. Item ſtatuit, & ordinavit, quod in Commiſſionibus de juſtitia, ſeu Mandatis etiam Conſiſtorialibus per eum, ſeu de ejus mandato, vel auctoritate in cauſis, in quibus concluſum exiſtat, impoſterum concedendis, etiamſi in eis de Concluſione hujuſmodi implicite vel explicite mentio facta fuerit, nihil cenſeatur eſſe conceſſum, niſi per conceſſionem hujuſmodi Commiſſionis, eidem concluſioni, ac præſenti Regulæ derogetur expreſſe.

De Literis Religioſorum expediendis.

39. Item voluit & ordinavit, quod ſi aliqui Religioſi petunt aliquod Beneficium ad nutum amovibile cum clauſula, quod exinde pro ſolo nutu Abbatis, vel Superioris amoveri non poſſint, literæ quoad ipſam clauſulam nullatenus expediantur, niſi idem Dominus Noſter ponat in Signatura, quod non poſſit amoveri, vel ad partem clauſulam ipſam concedat.

De Clauſula ponenda in literis permutationis Beneficiorum.

40. Item ſi committatur alicui Beneficii reſignationis receptio, ponatur clauſula: *Attente quoque provideas &c.* Et ſi ex cauſa permutationis reſignationes fiant, ponatur clauſula: *Quod neuter permutantium jus acquirat, &c.*, niſi quilibet ipſorum jus habuerit in Beneficio per ipſum reſignato.

De ſupplendis defectibus.

41. Voluit, quod ſi petatur ſuppleri defectus in genere, nullatenus literæ deſuper concedantur, niſi in petitione deſuper hujuſmodi defectus exprimantur: vel per *Fiat, ut petitur*, ſupplicatio ſignata fuerit.

De Derogatione Juriſpatronatus.

42. Item voluit, quod deſuper quovis Beneficio Eccleſiaſtico de Jurepatronatus Laicorum non expediantur literæ, niſi ponatur

expreſſe, quod tale Beneficium tanto tempore vacavit, quod ejus collatio ad Sedem Apoſtolicam legitime eſt devoluta, vel quia tempus Patronis Laicis ad præſentandum a jure præfixum lapſum exiſtat, aut ad id Patronorum ipſorum accedat aſſenſus. Et ſi per ipſum Juripatronatus hujuſmodi derogari contigerit, Juriſpatronatus hujuſmodi mentio, diſpoſitive, ac ſpecifice, & determinate, non autem conditionaliter fiat, ſi illud ad aliquem Regem, Ducem, Marchionem, vel alium Principem pertineat. Et ſi de hoc in literis proviſionis, vel mandato de providendo, de dicto Beneficio, ſimilis mentio facta non fuerit, non cenſeatur quomodolibet derogatum.

De Commendis.

43. Item voluit, quod nulli Sæculari de Regulari, nec Religioſo de Sæculari Beneficiis Commenda detur, niſi in Signatura per clauſulam ad partem ſuper petitione Commendæ hujuſmodi, de Commenda ipſa mentio fiat.

De Reformationibus.

44. Item voluit, ſtatuit, & ordinavit, quod ſuper quibuſcumque Reformationibus ſignatis ſuper Impetrationibus quorumcumque Beneficiorum vacantium, vel certo modo vacaturorum, in quibus petitur, quod literæ ſuper prima Data expediri poſſint, ſi ex hujuſmodi expeditione ſub tali Data cuiquam videatur poſſe fieri præjudicium, literæ hujuſmodi ſub ipſa prima Data nullatenus expediantur, niſi Reformationes hujuſmodi per fiat ſub prima Data ſignatæ fuerint.

De conſenſu in Reſignationibus, & Penſionibus.

45. Item voluit, & ordinavit, quod ſuper Reſignatione cujuſcumque Beneficii Eccleſiaſtici, ſeu ceſſione juris in eo, quam in manibus ſuis, vel in Cancellaria Apoſtolica fieri contigerit, Apoſtolicæ literæ nullatenus expediantur, niſi Reſignans, vel Cedens, ſi præſens in Romana Curia fuerit perſonaliter, alioquin per Procuratorem ſuum ad hoc ab eo ſpecialiter conſtitutum, expeditioni hujuſmodi in eadem Cancellaria expreſſe conſenſerit, & juraverit, ut moris eſt. Et ſi ipſum Reſignantem ſeu Cedentem pluries ſuper uno & eodem Beneficio in favorem diverſarum perſonarum ſucceſſive conſentire contigerit; voluit Sanctitas Sua, quod primus conſenſus tenere debeat, & alii poſteriores conſenſus, ac literæ eorum prætextu, etiam ſub priori Data expeditæ pro tempore, nullius ſint roboris vel momenti; nec literæ reſervationis vel aſſignationis, etiam Motu Proprio, cujuſvis penſionis annuæ ſuper alicujus Beneficii fructibus expediri poſſint, niſi de conſenſu illius, qui penſionem perſolvere tunc debebit.

De ingreſſu Religionis.

46. Item non dentur literæ ſuper Beneficiis vacaturis per ingreſſum Religionis, niſi profeſſio præceſſerit Datam deſuper petitionis.

Non valet impetratio facta per modum in Cancellaria exprimendum.

47. Item voluit, quod ſi petatur aliquod Beneficium vacans per modum in Cancellaria Apoſtolica exprimendum, talis impetratio non valeat, nec literæ deſuper expediantur.

De executione facienda.

48. Item voluit, ſtatuit, & ordinavit, quod quotieſcumque per Signaturam ſuam, vel de ejus Mandato factam ſuper exequendis aliquibus cum adjectione proprii nominis, vel Dignitatis cujuſvis, Judex datur, literæ deſuper expediantur cum expreſſione, quod idem Judex executionem faciat per ſe ipſum.

De diſpenſationibus in gradibus Conſanguinitatis.

49. Voluit, quod in literis diſpenſationum ſuper aliquo gradu Conſanguinitatis vel Affinitatis, aut alias prohibito, ponatur clauſula, *Si Mulier rapta non fuerit.* Et ſi ſcienter, ponatur clauſula in quaterno,

Super defectu Natalium.

50. Voluit, quod in diſpenſationibus ſuper defectu Natalium, quod poſſint ſuccedere in bonis temporalibus, ponatur clauſula: *Quod non præjudicetur illis*, ad quos ſucceſſio bonorum ab inteſtato pertinere debeat.

Super Diſpenſationibus.

51. Item, quod per quamcumque Signaturam in quavis gratia nullatenus diſpenſatio veniat, niſi ſpecialiter exprimatur, vel dicta gratia totaliter effectum hujuſmodi diſpenſationis concernat, vel alias nihil conferat, aut operetur.

Nulli ſuffragetur diſpenſatio, niſi literis confectis.

52. Item cum conceſſiones ſuper gratiis diſpenſationum quarumcumque quibuſvis per ipſum Dominum Noſtrum conceſſarum vel concedendarum per Regulas Cancellariæ Apoſtolicæ, ſint provide limitatæ, licet aliquando in petitionibus ſuper hujuſmodi conceſſionibus oblatis multa ſint petita, ne quis talium conceſſionum prætextu, id diſpenſative tenere, aut facere præſumat, ad quod conceſſiones hujuſmodi ſe non extendant; voluit idem Dominus Noſter, quod nulla talis diſpenſatio cuiquam in Judicio vel extra ſuffragetur, antequam ſuper ea literæ Apoſtolicæ ſint confectæ.

De Clauſulis ponendis in literis Indulgentiarum.

53. Item voluit, quod in literis Indulgentiarum ponatur, quod ſi Eccleſiæ, vel Cappellæ, aut alias aliqua Indulgentia fuerit conceſſa, de qua inibi ſpecialis mentio facta non ſit, hujuſmodi literæ ſint nullæ.

De Indulgentiis conceſſis ad inſtar.

54. Item voluit Dominus Noſter, quod literæ ſuper Indulgentiis non expediantur ad inſtar, niſi ſpecificentur.

De exprimendo valore Beneficiorum in impetrationibus.

55. Item voluit, quod in gratiis, quas quibuſvis perſonis de Beneficiis vacantibus, ſeu certo modo vacaturis fieri contigerit, illorum, & aliorum quorumcumque Beneficiorum, quæ dictæ perſonæ tunc obtinuerint, ſeu de quibus eis fuerit proviſum, vel conceſſum,

aut

aut mandatum provideri, verus annuus valor per marchas argenti, aut sterlinguorum, vel libras turonen. parvorum, seu florenos auri, aut ducatos, vel uncias auri, seu aliam monetam secundum communem æstimationem exprimatur, nisi personæ prædictæ Beneficia, quæ tunc obtinuerint, aut in quibus, vel ad quæ jus eis competit juxta ipsarum oblationes, aut alias dimittere teneantur, alioquin gratiæ prædictæ sint nullæ. Et idem servetur in gratiis, quas a Sanctitate Sua Motu proprio emanare contigerit; quoad Beneficia tamen, de quibus per Sanctitatem Suam pro tempore providetur, seu provideri mandatur, aut alias disponitur, ac literis per quas pro tempore ad Ecclesiam Patriarchalium, & Cathedralium, ac Monasteriorum regimina promotis conceditur, ut Monastetia, & alia Beneficia Ecclesiastica Sæcularia, & Regularia per eos obtenta, & in quibus, & ad quæ jus eis competit, retinere possint.

De Clausulis in Beneficiis vacantibus ponendis.

56. Voluit & ordinavit, quod quando providet, seu mandat provideri alicui de Beneficio Ecclesiastico vacante, tunc dari poterunt clausulæ, si petantur, etiamsi illud quovis *modo &c.* seu per Constitutionem *Execrabilis* vacet & specialiter reservatum inter aliquos litigiosum sit, & ejus collatio devoluta fuerit, & si pro collitigante vel subrogationem, *aut si neutri vel si nulli &c.* petente, si tunc lis specifice exprimatur, nec detur aliqua generalis reservatio dispositive, nisi desuper in concessione specialis & expressa, ac parte, & non sub conditione mentio fiat, & tunc reliquæ Reservationes ibi contentæ veniant. Si vero tempore expeditionis inde literarum generalis reservatio hujusmodi probari non possit, aut in novis provisionibus, seu pro collitigantibus, *Si neutri vel si nulli &c.* sit expressum, quod ab aliquibus asseritur, illum, cujus Beneficium conceditur, Collectorem vel unicum Subcollectorem, Abbreviatorem, vel Familiarem, Notarium, aut dictæ Sedis Officialem fuisse, clausula ponatur etiamsi dictum Beneficium ex eo, quod talis Collector vel unicus Subcollector, Abbreviator, vel Familiaris, Notarius, aut dictæ Sedis Officialis fuit, dispositioni Apostolicæ generaliter reservatum existat, dummodo non sit in eo alicui specialiter jus quæsitum. In reliquis vero nulla clausula detur, unde reservatio generalis elici possit, nisi desuper Signatura per duplex fiat signata sit, aut reservatio vel alias specialiter habeatur.

De expressione qualitatum Beneficiorum in impetrationibus.

57. Item voluit, quod super Beneficiis Ecclesiasticis de qualitatibus illorum videlicet an Dignitates, Personatus, vel officia sint, eique immineat Cura Animarum, & ad illa consueverint, qui per electionem assumi, mentio fiat; alias gratiæ desuper factæ sint nullæ. Et si qualitates hujusmodi affirmative vel conditionaliter non exprimantur, negativa expresse desuper fiat in Beneficiis, quæ tales qualitates, vel ex eis aliquas consueverint habere.

De Beneficiis vacantibus per contractum Matrimonii.

58. Item si reservetur Beneficium per contractum Matrimonii, non dentur alii modi vacationum de futuro, nec censeatur Beneficium reservatum specialiter vel affectum, nisi sequatur Matrimonium; sed in Beneficiis per promotionem, aut ingressum Religionis, vel assecutionem vacaturis ponatur clausula, etiamsi non petatur, cum Beneficia hujusmodi præmisso, vel alias quovis modo &c. præterquam per obitum obtinentis, vacare contigerit, etiamsi vacent. Decernens irritum &c.

De clausulis ponendis in literis Religiosorum.

59. Item voluit, quod si petatur aliquem Religiorum recipi, & sibi de quovis Beneficio Ecclesiastico provideri per simplicem signaturam Fiat, receptio hujusmodi dumtaxat detur, adjecto, si petens idoneus sit, aut alium Canonicum non obsistat; & exprimatur, si certus numerus Regularium sit, sit ibidem, cui etiam non derogetur, nisi expresse concedatur, & si numerus iste non existat, ponatur; Dummodo receptionis locus hujusmodi nimium propterea non gravetur. Possintque Executores provisionis hujusmodi ad receptionem emissionis professionis non expectato probationis anno procedere.

De translatione Religiosorum.

60. Item si Regularis petat sibi de Beneficio ab aliquo Monasterio, vel alio Regulari loco dependente provideri, & appareat ex petitione hujusmodi, quod alterius Monasterii, vel loci Religiosus sit, licet ibi translatio non petatur, nihilominus illa veniat.

De clausulis : Si est ita.

61. Item quod in literis super Beneficiis per Constitutionem *Execrabilis* vacantibus, ponatur clausula : *Si est ita*; similiter de quibuscumque narratis informationem facti requirentibus.

Petenti provideri de vacaturo, dentur literæ de vacanti.

62. Item petenti sibi provideri de vacaturo, dentur literæ de vacanti, prout expedierit impetranti.

Revocatio Decimarum, & aliarum impositionum.

63. Item revocavit quascumque Decimarum, nec non subsidiorum, vigesimæ, & aliorum onerum impositiones ex quavis causa emanatas (non tamen Decimarum, subsidiorum, & onerum impositorum ex quavis causa & occasione expeditionis contra Turcas, & Orthodoxæ Fidei hostes), & quascumque facultates super Decimarum, vigesimæ, & onerum hujusmodi exactione quibusvis fructuum, & proventuum Cameræ Apostolicæ debitorum Collectoribus, & Apostolicæ Sedis Nunciis ab eisdem Prædecessoribus concessas. Suspendit quoque ad Suæ Sanctitatis & Sedis Apostolicæ beneplacitum quascumque plenarias Indulgentias ab eisdem Prædecessoribus ex quavis causa etiam expeditionis hujusmodi, si quæ per Nuncios, vel Quæstores deferebantur concessas, nec non deputandi, & eligendi Confessores, qui plenarie absolvant, & alia faciant ad earumdem Indulgentiarum suspensarum effectum, reliquasque facultates ipsas Indulgentias quomodolibet concernentes, præterquam quoad ea in quibus Indulgentiæ, & facultates in aliqua sui parte sint

sortitæ effectum. Itaut illis, qui implentes injuncta eis in literis Indulgentiarum hujusmodi jam consequuti sunt facultatem eligendi Confessores, qui absolvant eos plenarie in mortis articulo, per hujusmodi suspensionem non præjudicetur, quin facultate ipsa uti possint in futurum: Decrevit quoque irritum, & inane quidquid facultatum revocatarum earumdem prætextu impositorum contigerit attentari.

Revocatio facultatum percipiendi pretium Officiorum.

64. Item revocavit, cassavit, & annullavit, ac irritas declaravit quascumque facultates percipiendi pretium Officiorum Romanæ Curiæ pro tempore vacantium in toto vel in parte, & quasvis concessiones & collationes, aliasque dispositiones per fel. rec. Innocentium XIII., aliosque Prædecessores de dictis Officiis, etiam ex die collationum, concessionum & dispositionum earumdem in antea vacaturis in favorem quarumcumque Personarum, Ecclesiarum, Monasteriorum, Piorum locorum, Collegiorum, seu eorum Mensarum, etiam perpetuo, etiam in vim contractus, & ex titulo oneroso, & sub quavis alia verborum forma, quam, & præmissorum tenores pro expressis haberi voluit, concessas, & factas quoad Officia, quæ post obitum dictorum Prædecessorum vacarunt, & in posterum quomodolibet vacabunt. Item revocavit quoque, cassavit & annullavit ac irritas declaravit quascumque Infeudationes, Investituras, gratias, concessiones quoquo modo, etiam in Emphyteusim ad tempus seu in perpetuum, etiam Motu proprio, & de plenitudine potestatis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis (extra tamen Consistorium, & sine Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, & consensu,) a die Constitutionis fe. re. Pii Papæ V. Prædecessoris sui super prohibitione alienandi & infeudandi civitates, & loca Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sub datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, quarto Kal. Aprilis, Pontificatus sui anno secundo, usque in præsentem diem, per quoscumque Romanos Pontifices suos Prædecessores, aut mandato, vel auctoritate eorum quomodocumque & qualitercumque & quovis colore factas & concessas de Civitatibus, Terris, Oppidis, Castris, Arcibus, & locis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Sanctæ Sedi Apostolicæ, & tam mediate, quam immediate subjectis, tunc videlicet de tempore dictarum Infeudationum, Investiturarum, gratiarum, & concessionum nondum devolutis, necnon quascumque prorogationes, & extensiones quarumcumque Infeudationum, Investiturarum, gratiarum, & concessionum de dictis Civitatibus, Terris, Oppidis, Castris, Arcibus & locis, tunc videlicet de tempore dictarum prorogationum, & extensionum nondum finitarum quibusvis personis cujuscumque gradus, status, conditionis & præeminentiæ, etiamsi Imperiali, Regali, Ducali, aut alia quavis præfulgeant dignitate, etiam in vim contractus, & ex quocumque titulo, etiam oneroso, & per quascumque tam sub Plumbo, quam in forma Brevis sub Annulo Piscatoris, aut etiam alias quomodocumque, & qualitercumque expeditas literas, ac sub quavis verborum forma, quam, & præmissorum omnium tenores Sanctitas Sua pro expressis haberi voluit, latissime extendendos.

Quod fructus in tertia parte augeri possint vigore clausulæ.

65. Item, cum nonnulli in impetrationibus Beneficiorum Ecclesiasticorum pro tempore vacantium, & certo modo vacaturorum, asserendo illorum fructus &c. certum per eos expressum annuum valorem non excedere, nonnunquam obtineant a Sanctitate Sua, ut hujusmodi valorem annuum augere possint, ut verius possint in confectione literarum super hujusmodi impetrationibus summa aut valor annuus exprimi, aliter desuper non specificato, ne de veritate hujusmodi concessionis imposterum hæsitari contingat, declaravit prætextu concessionis hujusmodi valorem ipsum usque ad tertiam partem valoris expressi, & in prima, quæ desuper fiet literarum expeditione, dumtaxat augeri posse, & eas, quas literis jam expeditis cum expressione valoris specificati, aut non integro augmento prædicto, denuo desuper expediri contigerit literas cum aliquo augmento valoris hujusmodi, nullius esse roboris vel momenti, etiamsi Motu proprio beneficiales gratiæ & dispositiones quæcumque a Sanctitate Sua emanaverint.

De insordescentibus.

66. Item ne personis, pro quibus literæ Suæ Sanctitatis emanabunt ob generalem absolutionem a Censuris Ecclesiasticis, quibus ligati forent, ad eorum effectum indifferenter concedi, & in literis Apostolicis apponi solita, præsletur occasio censuras ipsas vilipendendi, & insordescendi in illis, statuit & ordinavit hujusmodi absolutionem, & clausulam in literis, quas in futurum cum illa concedi contingent, non suffragari non parentibus rei judicatæ, Incendiariis, Violatoribus Ecclesiarum, Falsificatoribus, & falsificari procurantibus literas, & supplicationes Apostolicas, & illis utentibus, Receptatoribus, & Fautoribus eorum, ac res vetitas ad Infideles deferentibus, Violatoribus Ecclesiasticæ libertatis, via facti ausu temerario Apostolicis mandatis non obtemperantibus, & Nuncios, vel Executores Apostolicæ Sedis, & ejus Officialium, ejus commissa exequentes, impedientibus, qui propter præmissa, vel aliquod eorum excommunicati a jure vel ab homine per quatuor menses scienter excommunicationis sententiam hujusmodi substinuerint. Et generaliter quibuscumque aliis, qui Censuris aliquibus etiam alias quam, ut præfertur, quomodolibet ligati in illis per annum continuum insorduerint.

Officiales nihil exigant ultra debitum.

67. Item idem D. N. exactionibus, quas Sanctitas Sua non sine displicentia plerumque fieri intellexit per Officiales Romanæ Curiæ, qui constitutis sibi emolumentis pro exercitio officiorum, quæ obtinent, non contenti, ultra a prosequentibus negotiorum quorumdam expeditionem in eadem Curia exigere non verentur, obviare volens, districte præcipiendo inhibuit omnibus & singulis quævis officia in eadem Curia obtinentibus, ne de cætero quidquam prætextu officiorum, quæ obtinerent, quovis colore, etiam celeriorис expeditionis, ultra emolumenta hujusmodi exigere, seu ad hunc effectum expeditionem eorum, quæ eis incumbunt; malitiose differre sub excommunicationis, & præter illam suspensionis a perceptione emolumentorum hujusmodi pro prima ad semestre, & pro

secunda ad annum, & pro tertia vicibus, quibus sic excederent, privationis officiorum per eos obtentorum, in quibus sic excesserint, pœnis. Ac voluit, quod S. R. E. Vice-Cancellarius & Camerarius excedentes ipsos respective prout eis subsunt, per subtractionem emolumentorum eorumdem, ac alias, ut præfertur, compellant ab hujusmodi illicitis exactionibus abstinere, ac contra eos per prædictas pœnas, & alias prout melius expedire viderint, procedant.

Reservatio Beneficiorum vacantium Sede Apostolica vacante.

68. Item S. D. N. provide considerans consuevisse quandoque Romanos Pontifices Prædecessores suos Beneficia, quæ vacante Sede Apostolica vacare contigerant, dispositioni suæ reservare, intendens de Beneficiis hujusmodi tam Conclavistis, quam pauperibus Clericis, & aliis benemeritis personis providere, omnia & singula Beneficia per Regulas Cancellariæ Apostolicæ, aut quaslibet alias Apostolicas Constitutiones temporales Romani Pontificis pro tempore existentis dispositioni quomodolibet, & ex quavis causa reservari solita, quæ a die obitus fe. re. Benedicti XIII. Prædecessoris sui usque ad diem duodecimam Julii currentis vacaverunt, & de quibus per quoscumque Ordinarios Collatores tunc dispositum non fuerat, seu minus valide dispositum fuerat, suæ provisioni, ac dispositioni reservavit. Decernens irritum &c.

Revocatio Indultorum superviventiæ.

69. Item, quia ad opportunam nonnullorum suggestionem quandoque contigit, Prædecessores suos Romanos Pontifices pro tempore existentes, sub contractorum debitorum, vel diversis aliis prætextibus concessisse, & indulsisse Beneficiatis, ut fructus suorum Beneficiorum, aut partem eorum anticipatis solutionibus ad tempus elocare, vel erga creditores, aut quascumque alias personas obligare vel hypothecare, in solutum dare, aut alias quomodolibet de eis disponere liceret, ad tempus minime restrictum, ad vitam supplicantium cum gravi Successorum præjudicio, & Ecclesiarum detrimento. Ideo indemnitati Ecclesiarum, & Successorum in Beneficiis hujusmodi salubriter consulere volens, revocavit, cassavit & annullavit omnia & singula indulta & facultates in ea parte, qua nec dum vere & realiter suum sortita sunt effectum, per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores suos hactenus ad favorem quarumcumque personarum concessas, quibus eis, vel eorum singulis ullo modo, & ex quavis causa vel prætextu permittitur fructus certos vel incertos, jura, obventiones, & emolumenta quæcumque quorumlibet Beneficiorum per eos obtentorum, anticipatis solutionibus ultra unicum annum elocare, arrendare ad firmam, vel responsionem concedere, vel eos ad favorem quarumcumque personarum quomodolibet obligare, vel hypothecare, in solutum dare, aut de eis quomodolibet & ex quavis causa disponere pro tempore, ad vitam Beneficiatorum, & tempus, quo Beneficia hujusmodi obtinuerint minime restricto, & coarctato, illorum tenores &c. Decernens irritum &c.

Quod Cardinales non comprehendantur sub Regulis faciendis.

70. Item, cum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales SS. D. N. assistant, ac propterea debeant specialibus prærogativis & privilegiis gaudere, idem D. N. statuit, ordinavit, decrevit & declaravit, quod in quibuscumque Constitutionibus & Regulis per Sanctitatem Suam edendis non comprehendantur, neque comprehensi censeantur ipsi Cardinales, nisi illæ eorumdem Cardinalium favorem concernant, vel Constitutiones edendæ de eorumdem Cardinalium, vel majoris partis eorum consilio editæ fuerint, seu in eisdem Regulis & Constitutionibus facta fuerit ipsorum Cardinalium expressa mentio.

Quod Regulæ Cancellariæ non comprehendantur sub generalibus derogationibus.

71. Item Sanctitas Sua statuit & declaravit, quod præmissis, & quibusvis aliis Regulis Cancellariæ suo tempore edendis & publicandis nunquam censeatur derogatum in quibuscumque Constitutionibus, Literis, Brevibus, Indultis, & aliis ordinationibus Apostolicis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia emanatis, per quæcumque verba & Decreta derogatoria, irritantia, universalia, & amplissima, & clausulas quantumvis efficacissimas, etiam derogatoriarum derogatorias, atque specialis & individuæ expressionis vim habentes, & habentia, nisi facta fuerit de illis expressa mentio; & non aliter, nec alio modo.

De potestate Rmi D. Vice-Cancellarii, & Cancellariam Regentis.

72. Primo, quod possit committere absolutionem illorum, qui ignoranter in supplicationibus vel in literis Apostolicis aliquid scriberent, corrigerent vel delerent.

Item, quod possit corrigere Nomina & Cognomina Personarum (non tamen eorum, quibus gratia & concessiones fiunt, ac Beneficiorum, dum tamen de corpore constet.

Item, quod possit omnes causas Beneficiales, etiam non devolutas committere in Curia, cum potestate citandi ad partes.

Item, quod Processus Apostolica auctoritate decretos aggravare possit cum invocatione Brachii sæcularis, & sententias executioni demandari facere contra intrusos & intrudendos, per literas Apostolicas desuper conficiendas, & non alias.

Item, quod possit signare supplicationes manibus duorum Referendariorum signatas de Beneficiis Ecclesiasticis Sæcularibus & Regularibus dispositioni Apostolicæ generaliter non reservatis, quorum cujuslibet valor centum florenorum auri de Camera, vel totidem librarum Turonen. parvorum, seu totidem in alia moneta secundum communem æstimationem, valorem annuum non excedet.

Item, quod possit signare supplicationes, etiam duorum Referendariorum manibus signatas, de novis provisionibus, si neutri, & subrogationibus pro collitigantibus, in quibus non detur clausula generalem reservationem importans.

Item, quod possit ad Ordines suscipiendos arctatis prærogare terminos de dictis suscipiendis Ordinibus, usque ad proxima tunt a jure statuta tempora, in quibus sic arctati successive ad ipsos ordines promoveantur.

Placet;

Placet, publicentur, & describantur L.

Lectæ & publicatæ fuerunt supradictæ Regulæ, Ordinationes & Constitutiones in Cancellaria Apostolica ab uno ex RR. PP. DD. majoris Præsidentiæ Abbreviatoribus Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo trigesimo, die vero 24. mensis Julii, Pontificatus prælibati SS. D. N. CLEMENTIS XII. Anno Primo.

Joseph Maria Minicotius Procustos.

II. Gratiæ & Privilegia Conclavistis postremi Conclavis conceduntur.

Eadem Privilegia concessere singuli Romani Pontifices post Clementem VIII. Constit. Æquitati consentaneum &c. *Dat. anno* 1592. *Morem vero hujusmodi antiquiorem fuisse Antecessoribus ibidem fatetur Cherubinus.*

Dat. 16. Julii 1730. An. 1.

CLEMENS PAPA XII.

URBIS.

Motu proprio, &c.

Causa concessionis.

§. 1. NOs volentes dilectos filios Conclavistas, qui Conclavi, in quo Nos Divina favente clementia ad summi Apostolatus apicem assumpti fuimus, Nobis, & Venerabilibus fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus uti familiares continui Commensales inservientes, interfuerunt, quique ea de causa labores, vigilias, & incommoda plura subierunt, habita ratione obsequiorum hujusmodi, favoribus, gratiis & privilegiis pro cujusque meritis exornare, ipsosque Conclavistas, quibus hodie, ac aliis participantibus descriptis in Rolo, seu divisione subscripto, seu subscripta per Venerabilem fratrem Nostrum Antonium Franciscum de Valentibus Archiepiscopum Theodosien. nuncupatum Datarium Nostrum, summam decem millium scutorum auri in auro stamparum ex pretio tot Officiorum Vacabilium ad Nos spectantium gratiose donavimus, in veros, indubitatos & non fictos familiares continuos Commensales Nostros, ac eos, qui ex illis Clerici exiſtunt, seu militiæ Clericali adscribi desiderant, quosque tres præfatæ S. R. E. Cardinales singulatim in quolibet ordine antiquiores gradu, nobilitate, & aliis meritis dignos tali dignitate judicaverint, in Nostros, & Sedis Apostolicæ Notarios sine tamen præjudicio dilectorum filiorum de numero participantium Notariorum recipimus, & tam illos, quam alios Conclavistas singulos, qui singulatim ab iisdem tribus Cardinalibus digni tali honore reputati fuerint, Sacri Palatii, & Aulæ Lateranen. Comites, & Milites, & tam illos, quam omnes, etiam quoscumque alios Conclavistas indistincte, qui Nobiles non sunt, Nobiles quique Urbis, vel alicujus alterius ex Civitatibus temporali dominio eidem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ mediate vel immediate subjectis, cives esse voluerint, singulos in ea ipsa Civitate, quam sigillatim quisque eorum elegerit, & ad quam ab eisdem tribus Cardinalibus se admitti petierit, veros Cives, & ad instar, & sine ulla prorsus differentia inter eos, & singulos alios veros originarios, & antiquissimos, etiam Nobiles, & participantes Cives ipsius Urbis, vel Civitatis, itaut ipsum jus Civilitatis ad quoscumque illorum hæredes eodem modo transeat, creamus, constituimus & deputamus, ac Nobilitatis & Civilitatis titulo honore & insigniis decoramus, aliorumque familiarium & continuorum Commensalium Nobis actu in Palatio nostro Apostolico inservientium, ac in illius Tinello comedentium & bibentium, ac Nostrorum, & Sedis præfatæ Notariorum Palatii, & Aulæ prædictorum Comitum, Militum, & Nobilium, ac Civium hujusmodi originariorum numero & consortio favorabiliter aggregamus, & pro veris, indubitatis & non fictis Familiaribus continuis Commensalibus, ac Notariis Nostris, Comitibus, Nobilibus, Militibus, & Civibus deinceps haberi volumus, & reputari mandamus; eisque ut in quibuscumque impetrationibus, concessionibus, & literis tam gratiam, quam justitiam separatim, seu utramque mixtim concernentibus se Familiares, continuos Commensales, nostrosque Comites, Milites, Nobiles, & Cives etiam Originarios nominare possint, nec propterea impetrationes, concessiones & literæ hujusmodi subreptionis vitio subjaceant. Sed validæ & efficaces existant, ac ex nunc deinceps in perpetuum omnibus & quibuscumque, ac prorsus similibus antelationibus, prærogativis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, mandatis, suspensionibus, favoribus, gratiis, privilegiis, indultis, ac juribus, quibus alii nostri Familiares tempore dictæ assumptionis nostræ ad Summi Apostolatus apicem, ac quibus alii ejusdem Sedis Notarii, etiam de numero participantium existentes, etiamsi habitum & Rocchettum Notariorum ipsius Sedis non deferant, Palatiique & Aulæ præfatorum Comites, Milites, Nobiles, etiam originarii, ac antiquissimi Cives ejusdem Urbis, vel Civitatis, quam, ut præfertur, elegerint, quique ex utroque parente vere Nobili, & Cive originario & antiquissimo procreati de jure, statuto, consuetudine, vel alias ex aliquo speciali privilegio, seu alias quomodolibet, etiam quoad assequutionem quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum, etiam per quascumque literas seu Constitutiones Apostolicas pro tempore editas, utuntur, fruuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, ubique locorum in judicio & extra, sine tamen eorumdem Notariorum de numero participantium præjudicio, uti, frui, potiri & gaudere, libere & licite valeant realiter, & integre in omnibus, & per omnia, etiamsi in Urbe & Civitate hujusmodi non habitaverint, perinde acsi de vere Nobili genere, & ex utroque Parente Nobili Originario, ac antiquissimo Cive procreati forent, & hujusmodi prærogativæ, privilegia, exemptiones, gratiæ, favores, concessiones, Indulta, & jura, quæ pro aliis Nobilibus, & Civibus originariis emanarunt, & quæ ratione Nobilitatis, & Civilitatis naturalis & originariæ aliis competant, pro eisdem Conclavistis in specie emanassent seu emanarent, & eis naturaliter de jure, statuto, consuetudine, fundatione, vel alias competerent, auctoritate & tenore similibus indulgemus.

Donat eis rom. aurea.

Ex iisdem Laicos in Familiares,

Clericos in Notarios,

Omnes in Comites S. Palatii,

Ac Nobiles creat.

Ac privilegiis iisdem frui concedit, quibus cæteri Palatini Comites, & Familiares fruuntur.

§. 2. Ac Conclavistas præfatos a solutione & exactione quarumcumque Decimarum, non tamen Decimarum, subsidiorum & onerum in subsidium expeditionis contra Turcas, & Orthodoxæ Fidei hostes impositarum & imposito-rum, & cujuscumque pedagii, & subsidii, gabellæ, & cujuscumque oneris, ordinarii, & extraordinarii ubique locorum, & ex quacumque quantumvis urgentissima & inexcogitabili causa, & occasione, etiam ad instantiam Imperatoris, Regum, & Rerumpublicarum, etiam Venetæ, & aliorum quorumcumque

Exemptio a solutione Decimarum, & impositionum &c.

Principum

Principum impositorum & imponendorum pro tempore ex nunc, prout ex tunc, & e contra ; & postquam casus hujusmodi impositionis & solutionis evenerit, liberamus & eximimus, liberosque & exemptos fore & esse decernimus, districtius inhibentes dilectis filiis nunc, & pro tempore existentibus ejusdem S. R. E. Camerario, Thesaurario, Præsidentibus, Clericis, ac quibuscumque aliis Officialibus Cameræ nostræ Apostolicæ, ac Executoribus Decimarum, præterquam Decimarum, Subsidiorum & onerum in subsidium expeditionis contra Turcas, & Orthodoxæ Fidei hostes, ut præfertur, impositarum & impositorum ; necnon cujuscumque pedagii, subsidii, gabellæ, & aliorum, ut præfertur, impositorum onerum hujusmodi, ac aliis personis cujuscumque Ecclesiasticæ vel Sæcularis Dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis existentibus, ne eos ad aliquam solutionem cogere seu compellere, aut super præmissis, eorumque usu, possessione, vel quasi directe vel indirecte quovis quæsito colore vel ingenio molestare, vel alias quomodolibet impedire quoquo modo præsumant ; necnon eisdem Conclavistis, quod bona quæcumque ad ipsos, & eorum quemlibet spectantia, & per eos etiam ratione quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, & sine, Sæcularium, & quorumvis Ordinum, & Militiarum, atque Hospitalium quorumcumque Regularium ; necnon Canonicatuum, & Præbendarum, ac Dignitatum quorumlibet per eos alias obtentorum & obtinendorum, aut alias quomodolibet, & quovis quæsito colore vel ingenio seu eorum industria, legitime tamen, & alias licite acquisita & acquirenda, etiam in dicta Urbe, ejusque districtu, ac ubique existentia, spoliis minime subjaceant.

Facultas testandi etiamsi Religioni alicui, aut Militiæ nomen dederint, excepta Militia S. Joannis Hierosolymitani.

§. 3. Sed Conclavistæ præfati etiamsi Religioni alicujus Militiæ (non tamen S. Joannis Hierosolymitani) adscripti, & in ea expresse professi fuerint, de illis in favorem quarumcumque personarum de jure tamen capacium, etiamsi Curiales esse desierint, & in quocumque loco quantumvis remoto, etiam extra eorum propriam residentiam eos decedere contigerit, testari vel alias disponere, iisque ab intestato decedentibus, legitimi eorum hæredes quicumque succedere libere & licite valeant, simili modo concedimus & indulgemus: Præcipientes & mandantes eisdem præfatæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerario, Thesaurario, Præsidentibus, Clericis, & quibusvis aliis spoliorum hujusmodi Collectoribus & Sub-collectoribus, ac Militiarum (non tamen dicti Sancti Joannis Hierosolymitani) prædictarum Receptoribus, Officialibus, aut Prioribus, & quibusvis aliis personis tam Sæcularibus, quam Regularibus, etiam cujusvis Militiæ, & cujusvis gradus, status, ordinis, & præeminentiæ, etiamsi speciali nota digni existant, ne in hujusmodi bonis manus apponant, neque hæredes præfatorum Conclavistarum desuper molestare audeant, seu præsumant ; ac etiam decernentes donationes, etiam per viam Testamenti & Codicillorum per ipsos Conclavistas de eorum bonis hujusmodi faciendas, semper & perpetuo validas & efficaces fore.

Dispensatio circa delationem Habitus & Tonsuræ pro habentibus pensionē, vel pensiones 200. ducat. auri cujuscumque generis illa, vel illæ sint.

§. 4. Ac cum eisdem Conclavistis etiam in Militia Sancti Joannis Hierosolymitani, & in quavis alia Militia expresse professis, quod ratione quarumcumque pensionum annuarum eis, & eorum cuilibet super quorumvis Beneficiorum Ecclesiasticorum, ac etiam Mensarum Episcopalium, Archiepiscopalium, Abbatialium, nec non Dignitatum quarumcumque, ac Monasteriorum, etiam per ejusdem S. R. E. Cardinales ad præsens obtentorum, & imposterum quomodolibet obtinendorum, fructibus &c. ac etiam distributionibus quotidianis, non tamen ultra summam ducentorum ducatorum auri de Camera, pro quolibet eorum nunc & pro tempore reservatarum & assignatarum, ac reservandarum & assignandarum, habitum & tonsuram Clericalem gestare, & in illis, dummodo alias ipsi habitum decentem & honestum, ac per Milites præfatos gestari solitum deferant, incedere minime debeant, nec ad id a quoquam desuper cogi, seu compelli, minusque aliquas Sententias, Censuras, nec etiam privationis seu cessationis ipsarum pensionum pœnas occasione præmissorum incurrere possint, sed easdem pensiones usque ad præfatam summam ducentorum ducatorum hujusmodi ascendentes, & reservatas, & imposterum reservandas, ut præfertur, etiamsi matrimonium quoad Milites alicujus Militiæ, videlicet cum Militia compatibile, jam contraxerint, vel posthac contrahere voluerint cum unica & virgine tantum, recipere, & quoad vixerint, & quilibet eorum respective vixerit, retinere libere & licite valeant, de specialis dono gratiæ dispensamus.

Facultas resignandi pensiones ad summam 100. ducat.

§. 5. Et insuper Conclavistis præfatis, & eorum singulis, ut quicumque loci Ordinarii, vel Canonici Metropolitanarum, vel Cathedralium, seu duarum insignium Urbis Collegiatarum Ecclesiarum, aut personæ aliæ quæcumque Ecclesiasticæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, tam in Romana Curia, quam extra eam, ad id per eos & eorum singulos eligendi, seu eligendæ, quascumque pensiones annuas eis & eorum singulis super quibuscumque fructibus &c. juribus, obventionibus, & emolumentis universis certis & incertis quarumcumque Mensarum Episcopalium, Archiepiscopalium, & Abbatialium, ac etiam distributionibus quotidianis, etiam ratione servitii & mercedis, Dignitatum, Canonicatuum, & Præbendarum, cæterorumque aliorum quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura & sine cura Sæcularium, & quorumvis Ordinum Regularium (non tamen per S. R. E. Cardinales obtentorum) reservatas seu reservandas, seu fructus &c. hujusmodi beneficiorum reservatos seu reservandos, etiamsi semel vel pluries translatæ seu translati fuerint, usque ad summam centum ducatorum auri de Camera similium in toto vel in parte, ac in una seu pluribus vicibus, ac etiam in mortis articulo cassare & extinguere, ac postquam cassatæ, & extinctæ fuerint, alias similes pensiones annuas, seu fructus &c. hujusmodi usque ad summam præfatam centum ducatorum uni vel pluribus aliis personis Ecclesiasticis, vel etiam Clericali charactere tunc temporis nondum insignitis, cum clausula tamen ex tunc, prout postquam dicto charactere rite insigniti fuerint, seu alias pensionum seu fructuum hujusmodi capacibus per eosdem Conclavistas & illorum singulos nominandos, etiam quæcumque, quotcumque, & qualiacumque Beneficia Ecclesiastica obtinentibus & expectantibus, similiter eis quoad vixerint, vel eorum Procuratoribus legitimis, eisdem modo & forma, quibus eisdem Conclavistis reservatæ seu reservati erant, etiam absque Beneficia hujusmodi obtinentium consensu, integre persolvendas, & per eos propria auctoritate percipiendas, exigendas, & levandas, aut percipiendos, exigendos, & levandos, reservare, constituere, concedere & assignare possint, itaut præfati Translatarii in quasi possessione pensiones seu fructus &c. hujusmodi exigendi, in qua ipsi Conclavistæ tempore translationis per eos vigore præsentium faciendæ existebant, in omnibus & per omnia subrogati

esse censeantur, concedimus & indulgemus, etiamsi similem gratiam a Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris alias forsan obtinuerint, seu quilibet eorum obtinuerit, tam vigore aliorum Privilegiorum Conclavistarum, quam ex quocumque alio indulto & privilegio, quorum effectum per hanc novam gratiam & concessionem impedire nolumus, sed cumulative concessam & concessas esse volumus, itaut quilibet eorum cumulative & ampliative præfatis facultatibus præsentibus & præteritis privilegiis hac in re concessis uti, frui, & potiri possint. Decernentes novas reservationes, constitutiones, concessiones, assignationes, & translationes pensionum ac fructuum &c. hujusmodi, ut præfertur, faciendas, ex nunc, prout postquam facta fuerint, plenam roboris firmitatem obtinere, ipsaque Beneficia, super quorum fructibus &c. aliisque hujusmodi reservatæ fuerint, obtinentes ad illas persolvendas efficaciter obligatos fore.

Concessio antianitatis Equitibus Hierosolymitanis, seu alterius Militiæ.

§. 6. Necnon Conclavistis præfatis, qui Sancti Joannis Hierosolymitani, seu cujusvis alterius Militiæ Regularis, etiam expresse professi sunt, ut etiamsi ab eorum Conventu absentes existant, dummodo tamen quinquennalem, seu aliam debitam residentiam in Conventu fecerint, & consueta servitia præstiterint, quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum, ac quarumvis pensionum, & Commendarum eorum Militiæ, seu Religionis capaces existant, perinde acsi in eadem Militia, seu Religione antianitatem de justitia consequuti fuissent, similiter indulgemus.

Legitimatio illegitimorum, & ad Ecclesiastica Beneficia habilitatio.

§. 7. Præterea eosdem Conclavistas, si qui eorum defectum natalium patiantur, ex quocumque damnato & illicito coitu, etiamsi ex nobilibus parentibus, & vilibus fœminis procreati existant, etiamsi alias legitimati existant, legitimamus, omnemque ab illis genituræ hujusmodi maculam sive notam abstergimus & abolemus, ac legitimis natalibus restituimus, & cum eorum singulis, ut in quibuscumque bonis paternis & maternis ac aliorum consanguineorum seu cognatorum vel aliorum quorumcumque, sine tamen præjudicio venientium ab intestato vel fideicommisso, seu alias de jure, valida dispositione, & præterquam in Bonis Ecclesiasticis, & ab Ecclesia provenientibus, succedere, & illa donationis vel alio quovis titulo consequi & habere, ac ad æquales portiones cum legitimis succedere, eos ad omnia jura, legitimas successiones ex testamento, vel ab intestato hæreditates, legata, libertates, restituendo realiter & cum effectu ac ad dignitates, honores & quæcumque alia officia sæcularia publica vel privata etiam assumi, illaque gerere & exercere in omnibus & per omnia, acsi de legitimo Matrimonio procreati forent, ac eodem defectu non obstante, si aliud canonicum eis non obstet impedimentum, ut Clericali Charactere, qui illo nondum insigniti sunt, insigniri, & ad omnes etiam Sacros & Presbyteratus Ordines, si nondum ad illos promoti sint promoveri, ac postmodum Charactere, & Ordinibus hujusmodi, ac illorum privilegiis uti, ac in eisdem Ordinibus, etiam in Altaris ministerio ministrare, & quæcumque, & qualiacumque cum cura & sine cura Beneficia Ecclesiastica, etiamsi personatus administrationes & officia etiam curata, & electiva in Cathedralibus, & Metropolitanis, vel Collegiatis Ecclesiis, seu si Parochiales Ecclesiæ, vel earum perpetuæ Vicariæ, ac Canonicatus, & Præbendæ, ac Dignitates, non tamen Majores post Pontificalem in Cathedralibus, nec principales in Collegiatis Ecclesiis hujusmodi fuerint, si eis alias canonice conferantur, aut ipsi eligantur, præsententur, vel alias assumantur ad illa, & instituantur in eisdem, recipere, & dummodo plura simul non sint, quam quæ a Concilio Tridentino permittuntur, quoad vixerint, retinere libere & licite valeant, similiter dispensamus.

Dispensatio a defectibus, qui in collationibus, vel acquisitione Beneficiorum, Pensionum &c. præter Simoniam incesserint.

§. 8. Ac omnes & quoscumque defectus, si qui forsan sint, in omnibus & quibuscumque provisionibus ac permutationibus Beneficiorum quorumcumque eorumdem Conclavistarum, tam ob multiplicitatem Titulorum, ac ob incursionem quarumcumque censurarum, etiam irregularitatis, & similiter in expeditionibus literarum Apostolicarum super illis, quam alias ex quavis causa provenientes, quoad præteritum tantum, ac sine præjudicio juris alicui quæsiti, & dummodo non intercesserit simoniæ labes, nec aliqua lis desuper pendeat, sanamus: ac provisiones hujusmodi vigore præsentium in utroque Foro, perinde acsi novas provisiones hujusmodi obtinuissent, revalidamus, & quatenus opus sit, omnibus & singulis Dignitatibus, & aliis cum cura & sine cura Beneficiis Ecclesiasticis quomodolibet qualificatis & nuncupatis, etiam cujusvis Ordinis Regularibus, per eos respective obtentis, de novo etiam respective providemus: ac omnes & singulas pensiones eis & eorum singulis, super quorumvis Beneficiorum Ecclesiasticorum quomodolibet qualificatorum & nuncupatorum, etiam alicujus Ordinis Regularium, fructibus &c. ac etiam distributionibus quotidianis respective reservatas, similiter de novo reservamus; ipsisque Conclavistis eorumque singulis quoscumque fructus &c. Ecclesiasticos occasione quarumcumque Dignitatum, Canonicatuum, & Præbendarum, aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcumque, & quarumcumque pensionum annuarum, ipsis & eorum cuilibet respective collatorum & reservatorum, tam ex antedictis quam ex aliis defectibus & occasionibus, etiam ratione omissionis recitationis horarum Canonicarum, vel eorum non promotionis ad omnes etiam Sacros & Presbyteratus Ordines, vel non susceptionis gradus Doctoratus indebite perceptos, cujuscumque quantitatis fuerint, gratiose remittimus & condonamus; ac cum eis super inhabilitate & irregularitate per eos propterea quomodolibet contracta, vel etiam ex eo, quod Censuris hujusmodi ligati Missas & alia Divina Officia (dummodo tamen non in contemptum Clavium) celebraverint, aut alias in Divinis se immiscuerint: quòdque illa & præmissis eisdem non obstantibus, ad omnes, etiam Sacros & Presbyteratus Ordines alias rite, & dummodo nullum aliud alicui eorum obstet Canonicum impedimentum, promoveri, & in illis & in susceptis per eos alias rite Ordinibus etiam in Altaris Ministerio ministrare libere & licite valeant, dispensamus.

Condonatio fructuum Ecclesiast. male vel indebite perceptorum.

§. 9. Quodque omnes & quæcumque gratiæ, provisiones, commendæ, & quævis aliæ literæ Apostolicæ provisionum quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum hujusmodi, prout nostris Familiaribus continuis Commensalibus, eisdem Conclavistis & eorum cuilibet gratis dentur, concedantur & expediantur: ac etiam literæ ipsæ in forma Brevis tam de capienda possessione nomine dictæ Cameræ Apostolicæ, quam alias uti illis super provisionibus quorumvis Beneficiorum Ecclesiasticorum dari poterunt, similiter gratis dentur concedantur & expediantur, ac dari, concedi & expediri omnino debeant, etiam præcipimus & mandamus.

Literæ Apostolicæ pro Beneficiis, Pensionibus &c. gratis eis dandæ.

§. 10. Ac eisdem Conclavistis & eorum cuilibet, ut alia similia vel dissimilia indulta,

Validatio horum Pri-

privile-

vilegiorum, ac cæterorum a Summis Pontificibus cuilibet illorum conceſſorum.

privilegia, facultates, & gratias, hactenus eis & eorum cuilibet per Nos & Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros & Sedem præfatam conceſſa, in ſuo robore & firmitate cum præſentibus ſtare, ac illorum omnium & ſingulorum tenores, perinde acſi de verbo ad verbum inſerti forent, præſentibus haberi volumus pro expreſſis, quam impoſterum concedenda ſpecialia vel generalia, quibus per præſentes ac præſentibus per illa minime in aliquo præjudicare intendimus; itaut quodcumque & qualiacumque fuerint, unum alteri derogare non cenſeantur, ſed eos & eorum quemlibet illis ſimul ac cum præſentibus prædictis cumulative vel ſingulariter, prout eiſdem Conclaviſtis & eorum cuilibet magis expediens videbitur, frui & gaudere poſſe decernimus (dummodo tamen præſentibus non adverſentur) ſimiliter concedimus & indulgemus.

Exemptio ab inſinuatione, ſeu a regiſtrando in Camera.

§. 11. Poſtremo eoſdem Conclaviſtas eorumque aliquem ad præſentem Motum proprium, ſeu literas ſuper præſentibus, ſi videbitur, conficiendas, in dicta Camera inſinuandum, aut admitti & regiſtrari petendum minime teneri; nec illum ſeu illas, etiamſi Motus proprius & literæ hujuſmodi infra legitimum tempus inſinuatus admiſſus & regiſtratus non fuerit, ſeu illæ inſinuatæ admiſſæ ſeu regiſtratæ non fuerint, propterea minus validum ſeu validas cenſeri; ſed ſuos plenarios effectus ſortiri debere, ac Motum proprium & literas hujuſmodi & in eis contenta quæcumque, ſub quibuſvis revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, modificationibus, Decretis, & Conſtitutionibus Apoſtolicis ſimilium gratiarum revocatoriis, vel quæ eas limitarent vel moderarentur, quæ a Nobis & dicta Sede pro tempore & ex quibuſvis cauſis, etiam urgentiſſimis, etiam in favorem Fidei, ac Divini Cultus augmentum, etiam Conſiſtorialiter, vel alia quavis auctoritate hactenus vel impoſterum emanaverint, minime comprehenſum & comprehenſas eſſe; & quoties illæ emanabunt, toties eum & eas in priſtinum ſtatum reſtitutum, repoſitum & plenarie reintegratum, & reſtitutas, repoſitas & plenarie reintegratas, ſeu reſtituendum, reponendum & plenarie reintegrandum, & reſtituendas, reponendas & plenarie reintegrandas eſſe cenſeri.

Extenſio horum Privilegiorum ad Procuratorem Conclaviſtarum.

§. 12. Et inſuper cum dilectus filius Joſephus Ferrettus Romanus literarum Apoſtolicarum Expeditor, tanquam dictorum Conclaviſtarum Procurator, in præmiſſis ſedulam pro eis operam navaverit, propterea & aliorum meritorum ſuorum, & obſequiorum Nobis & dictæ Sedi impenſorum intuitu, volentes ipſum ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi, eidem Joſepho, licet ipſe in Conclavi prædicto non intervenerit, nihilominus omnibus & ſingulis ſupradictis gratiis, privilegiis & facultatibus, immunitatibus, libertatibus, honoribus, prærogativis, præeminentiis, indultis, exemptionibus, cæteriſque præmiſſis (non tamen quoad participationem decem millium ſcutorum auri hujuſmodi per Nos, ut ſupradictis Conclaviſtis donatorum, & inter eos, ut præfertur, diſtributorum, ſeu diſtribuendorum) tanquam Conclaviſta frui & gaudere libere & licite poſſit & valeat, perinde ac Conclavi hujuſmodi vere & realiter interfuiſſet: Conſtitutionibus, Ordinationibus, cæteriſque ſupradictis, & aliis contrariis nequaquam obſtantibus, motu, ſcientia, & auctoritate ſimilibus, de ſpeciali gratia indulgemus; Sicque per quoſcumque Judices, etiam Commiſſarios, quavis auctoritate fungentes, ſublata eis & eorum cuilibet in quavis inſtantia aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere; irritum quoque & inane, quidquid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Expeditio gratioſa per viam ſecretam.

§. 13. Et inſuper dilecto filio Noſtro Petro Sancti Laurentii in Damaſo nuncupati prædictæ S. R. E. Cardinali Otthobono nuncupato, ejuſdem S. R. E. Vice-Cancellario, & literarum Apoſtolicarum Summatori, ac dilectis filiis Cameræ Apoſtolicæ Miniſtris loco Secretariorum Apoſtolicorum ſuppreſſorum; Præſidenti Plumbi, aliiſque Officialibus, ad quos literarum præfatarum deſuper conficiendarum expeditio per viam ſecretam quomodolibet ſpectat & pertinet, ſub pœna indignationis noſtræ Motu ſimili & ex certa ſcientia ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine paribus, etiam mandamus, ut præfatas literas ſuper prædictis omnibus & ſingulis, tam conjunctim quam ſeparatim pro ſingulis, quibus conceſſa fuerunt, ac ſeorſim & ſeparatim, cum omnibus & quibuſcumque derogationibus, decretis, & clauſulis in eis conceſſis, gratis, etiam quoad compoſitionem in Dataria Noſtra, & per eamdem viam ſecretam abſque alio mandato expediant, & expediri faciant.

Derogatio contrariorum.

§. 14. Inſuper omnia & ſingula privilegia, gratias, & conceſſiones, eiſdem Conclaviſtis & eorum cuilibet a diverſis Summis Romanis Pontificibus prædeceſſoribus Noſtris hucuſque conceſſa, Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus confirmamus & approbamus, ac de novo liberaliſſime concedimus. Non obſtantibus præmiſſis, ac de certo eorumdem Notariorum numero, etiamſi ad illum non ſit deventum, ac Noſtra & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula de præſtando conſenſu in penſionibus, & fe. re. Pii PP. IV. de ſimilibus & diſſimilibus gratiis in dicta Camera infra tres menſes præſentandis & regiſtrandis, ac Pii V., Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum, contra illegitimos, necnon Pictaven. Concilii, ac Noſtris & Cancellariæ præfatæ Regulis, etiam in craſtinum dictæ aſſumptionis Noſtræ ad Summi Apoſtolatus apicem editis & in dicta Cancellaria publicatis, ac etiam in Univerſalibus, & Provincialibus Conciliis editis ſpecialibus vel generalibus Conſtitutionibus & Ordinationibus, ac Eccleſiarum Monaſteriorum Ordinum, etiam S. Joannis Hieroſolymitani, ac etiam Urbis Romæ ac aliarum Civitatum Oppidorum & Terrarum Cameræ prædictæ, & quarumvis Univerſitatum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ſtabilimentis, uſibus, naturis, decretis, & novis reformationibus, etiam legibus tam Pontificiis, quam Imperialibus, Regiis, & Ducalibus, & Sacris Canonibus, Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apoſtolicis, illis eorumque Superioribus & Perſonis ac locis quibuſcumque in genere vel in ſpecie, ac cum quibuſvis derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis & inſolitis clauſulis; irritantibuſque & aliis decretis, etiam vim contractus & ſtatuti perpetui continentibus, ac etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, & conſiſtorialiter, ac aliàs in contrarium conceſſis, confirmatis, approbatis & innovatis: Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque tenores, acſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, exprimerentur & inſererentur, iiſdem præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis, ac ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe motu pari derogamus: Cæteriſque contrariis quibuſcumque cum clauſulis opportunis.

Derogatio quoque Regularum Cancellariæ, Conſtitut. Apoſtolicarum &c.

Fiat Motu proprio L.

Et cum abſolutione a Cenſuris ad effectum &c., & quod obſtantiæ etiam Beneficiales Conclaviſtarum, & ab eis ſubrogatæ hujuſmodi, ac diſpenſationes, ac Indulta habeantur pro expreſſis, ſeu in toto vel parte exprimi poſſint in literis, & in caſibus regulæ de inſordeſcentibus, cum opportuna illius, necnon alterius regulæ de non tollendo jure quæſito derogatione: & quarumcumque aliarum Conſtitutionum Apoſtolicarum & Conciliorum etiam generalium, & ſtatutorum, & ſtabilimentorum, uſuum, naturarum, Conſtitutionum Synodalium, Statutorum, & Privilegiorum Populi Romani, & Cluniacen., Ciſtercien., Sancti Benedicti, Sancti Auguſtini, & aliorum Ordinum & Militiarum, etiam Sancti Joannis Hieroſolymitani, & Eccleſiis & Monaſteriis, Civitatibus & locis & perſonis & dominiis temporalibus, ſub quibuſcumque verborum formis, & cum quibuſvis efficacioribus & efficaciſſimis & inſolitis clauſulis & decretis, etiam Conſiſtorialibus, etiam contra alienigenas & alias perſonas, certis modis non qualificatas, aut alias quomodolibet conceſſis: quorum tenores præſentibus pro plene ſufficienter & latiſſime, ac de verbo ad verbum, prout ipſis Conclaviſtis magis placuerit, exprimi poſſint, etiam cum ſuſpenſione quarumcumque gratiarum, indultorum quibuſvis Ordinariis Collatoribus conferendi Beneficia Eccleſiaſtica etiam reſervata, ad eorum collationem &c. pertinentia, & in omnibus aut certis expreſſis cauſis, quomodolibet conceſſis, latiſſime extendendis, itaut omnia tollantur: Et quod ſola præſentis Motus proprii noſtri Signatura ſufficiat, & ubique fidem faciat in Judicio & extra, Regula quacumque contraria non obſtante: Et quod præmiſſorum omnium & ſingulorum indultorum, conceſſionum, gratiarum, & derogationum major & verior ſpecificatio & expreſſio fieri poſſit in literis, ſi videbitur, in quibus ſingulorum Conclaviſtarum nomina & cognomina, qualitates, ordines, gradus, Diœceſis, Patriæ, & cætera requiſita exprimi & deſcribi, ſeu pro expreſſis & deſcriptis haberi poſſint: inter eos Sacriſta & Magiſtri Cœremoniarum Cappellæ noſtræ, necnon Secretarius Collegii eorumdem Cardinalium, & cæteri alii in notula per ipſos Magiſtros Cæremoniarum facta & deſcripta adnotati & deſcripti (ſi alias ad penſiones & Beneficia hujuſmodi habiles & capaces fuerint) comprehendantur & adnotentur, ſimul vel ad partem, etiam in una non facta mentione de alia vel aliis, prout videbitur, expedien.

Extenſio gratiarum hujuſmodi favore Sacriſtæ, Magiſtri Cæremoniarum, & Secretarii S. C.

§. 15. Volumus autem, quod literarum ſuper præſentibus conficiendarum, ſeu præſentis Motus proprii noſtri tranſumptis, impreſſis & ſigillo ac manu alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis & etiam ſubſcriptis, eadem fides tam in Judicio quam extra illud adhibeatur, quæ originalibus literis, ſeu præſenti Motui proprio noſtro Originali adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ, aut exhibitus vel oſtenſus foret.

Tranſumptorum fides.

FIAT L.

Datum Romæ apud S. Petrum decimo ſeptimo Kal. Auguſti Anno Primo.

Nihil, quia factum Principis.

Dominus Mantuanus.

Reg. lit 1. *Secretorum fol.* 101.

Sſmi D. N. ſubſcriptio.

Nomina autem ipſorum Conclaviſtarum ſunt hæc, quæ ſequuntur.

REverendiſſimus D. Joannes Baptiſta Gamburucci Romanus, Archiepiſcopus Amaſenus, Baſilicæ S. Mariæ Majoris de Urbe Canonicus, & Apoſtolicarum Cæremoniarum Præfectus.

Reverendiſſimus D. Fr. Auguſtinus Nicolaus de Abbatibus Oliverius Piſaurenſis, Epiſcopus Porphirien., Baſilicæ S. Joannis in Laterano de Urbe Canonicus, Sacriſta.

R. P. D. Dominicus Rivera Urbinas, Protonotarius Apoſtolicus de numero Participantium Supranumerarius, Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe Canonicus, ac Sacri Collegii Secretarius.

R. P. D. Ignatius Reali Romanus, utriuſque Signaturæ Referendarius, ac ejuſdem Baſilicæ Canonicus.

Venantius Philippus Pierſanti Presbyter Camerinen. laudatæ Baſilicæ perpetuus Beneficiatus.

Placidus Euſtachius Ghezzius Presbyter Romanus, ejuſdem Baſilicæ Clericus Beneficiatus.

Nuntius Sperandio Presbyter Aquilanus præfatæ Baſilicæ perpetuus Beneficiatus.

Franciſcus Diverſinus Presbyter Romanus.

Joannes Philippus Farnia Presbyter, e Civitate Plebis, Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe Beneficiatus Coadjutor.

Joannes Lucca Subdiaconus Romanus ejuſdem Baſilicæ Clericus Beneficiatus: Magiſtri Cæremoniarum.

Abbas Marcellus Paſſari Presbyter Patritius Arianenſis. Joſeph Maria Cardoni Laicus Lucan. Joannes Giandotti Laicus Romanus: Noſtri dum Cardinalatus honore fungebamur.

Jacobus Collez Clericus Leodien. Simon Ruggieri Presbyter Neapolitanæ Diœceſis. Angelus Antonius Mattioli Laicus Spoletanæ Diœceſis: Franciſci Epiſcopi Portuen., Pignatelli.

Franciſcus Velli Presbyter Præneſtinus, Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe Clericus Beneficiatus. Petrus Cheller Clericus Amburgenſis: Franciſci Epiſcopi Oſtienſis Barberini.

Abbas Martinus Xaverius Viſcardi Presbyter Aretin. Diœceſis. Joannes Baptiſta Scarſelli Sacræ Theologiæ Doctor Presbyter Bononien. Marcus Mittarelli Civis Bononien. Clericus Conjugatus: Jacobi Epiſcopi Albanen., Boncompagni.

Joannes Cæſar Felucchius Clericus Romanus J. U. D. Propertius Galeotti Presbyter Nepeſinus. Jacobus Cæſari Laicus Recanaten. Diœc., ac Dominicus Mandelli Clericus Conjugatus Romanus ſubrogatus præfato Galeotti, qui exivit e Conclavi infirmus: Petri Epiſcopi Sabinen., Otthoboni.

Bartholomæus Catenacci Eques Hieroſolymitanus, Presbyter Amerinus. Canonicus Philippus Zuffi Presbyter Ferrarien. Joannes Baptiſta Angelici Clericus Cæſenaten. Thomæ Epiſcopi Præneſtini, Ruffi: Ven. Fratrum Noſtrorum Epiſcoporum S. R. E. Cardinalium.

Abbas Lucas Nicolaus Recchi Clericus Ripanus. Joannes Argenti Laicus Romanus: Joſephi Renati Tit. S. Laurentii in Lucina, Imperialis.

Abbas Petrus Polidorus Presbyter Auxanen. Franciſcus Bacci Laicus Urbevetanus: Annibalis Tituli Sancti Clementis, Albani.

Joſeph Caſtellucci Presbyter Potentinus. Joſeph Maria Cardini Laicus Aretinus. Joannes Baptiſta de Innocentibus Clericus Sabinen. Diœceſis: Ludovici Tit. S. Praxedis, Pici.

Antonius Leprotti Phyſicæ & Medicinæ Doctor, Laicus Mutinen. Diœceſis. Joannes Andreas Stacchini Laicus Januen. Diœceſis. Antonius Maria Preti Presbyter Bononien. Joannis Antonii Tit. S. Petri in Vincula, De Via.

Marianus Soccinus Clericus Senen. Abbas Angelus Ginannesky Presbyter Clusinæ Diœcesis: Antonii Felicis Tit. S. Balbinæ, Zondadarii.

Thomas de Ceccottis Clericus Reatinus, Canonicus Insignis Collegiatæ Sanctæ Mariæ ad Martyres de Urbe. Franciscus Maria Lucca Laicus Romanus: Petri Marcellini Tit. Sanctæ Mariæ Transtyberim, Corradini.

Michael Neel Presbyter Bajocen. Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor, Socius Sorbonicus, & Abbas Commendatarius B. M. V. de Lungo Vado. Basilius Laurentius Barbier Clericus Parisien. Abbas Commendatarius S. Joannis Baptistæ Monasterii Novi. Franciscus Soldini Laicus Florentinus: Armandi Gastonis Tit. SS. Trinitatis in Monte Pincio, de Rohan.

Ubaldus Monacelli Presbyter Eugubinus, Canonicus Insignis Collegiatæ S. Eustachii de Urbe. Carolus Gessi Laicus Urbinaten. Curtii Tituli Sancti Eustachii, Orighi.

Alexander Flavianus de Taulignan. Subdiaconus Carpentoraten, Joannes Hugo de Morgues de Saint Germain Presbyter Anicien. Archidiaconus Major Ecclesiæ Metropolitanæ Cameracen. Franciscus Bassius Laicus Camerinen. Melchioris Tituli S. Mariæ Angelorum de Thermis, de Polignac.

Abbas Antonius Sartoni Clericus, Patritius Ariminen. Cajetanus Bononi Laicus Comen. Benedicti Tituli SS. Duodecim Apostolorum, Odescalchi.

Georgius Udalricus Kellerman. Presbyter Bambergen. Sacræ Theologiæ Doctor. Bernardus Pirlò Laicus Mechlinien. Josephus Kramer Laicus Badensis: Damiani Hugonis Tit. S. Mariæ de Pace, Schonborn.

Abbas Guidus de Guerapin de Vaureal Presbyter Meldensis, Doctor Sorbonicus, Abbas Sanctæ Mariæ de Molesmeu, Magister Oratorii Regis Christianissimi. Georgius Lasarus Berger de Charancy Presbyter Æduus, Doctor Sorbonicus, Archidiaconus & Canonicus Melden. Franciscus Rivet Laicus Parisien. Henrici Tituli Sanctorum Quirici & Julitæ, de Bissy.

Jacobus Verdè Presbyter Albinganen. Diœcesis. Bernardinus Benedetti Clericus Conjugatus Spoletanus, Jo. Angiolini Laicus Alexandrinus: Innici Tit. S. Thomæ in Parione, Carraccioli.

Comes Joannes Fabius de Braschis, Juris Utriusque Doctor, Clericus Cæsenaten. Ludovicus Mosconi Clericus Conjugatus Perusinæ Diœcesis. Nicolai Tituli Sanctorum Nerei & Achillei, Spinulæ.

Abbas Cæsar Vicecomes de Aragonia, Presbyter ac Patritius Mediolanen. J. U. D. Angelus Dominicus Federici Presbyter Novarien. Sacræ Theologiæ Doctor, Præpositus S. Julii in Insula ejusdem S. Julii. Franciscus Montius Laicus Mediolanen. Giberti Tituli S. Alexii, Borromei.

Baro Georgius de Redegeltt Clericus e Dania. Petrus Silva Laicus Fulginas: Julii Tit. S. Chrysogoni, Alberoni.

Franciscus Polioni Presbyter Diœcesis Civitatis Castellanæ. Vincentius Sansoni Laicus Ariminen. Georgii Tituli S. Agnetis extra Mœnia, Spinulæ.

Abbas Didacus Mauri Clericus Neapolitanus, in Romana Curia Advocatus. Cajetanus Tesori Clericus Conjugatus Diœcesis Alatrinæ. Prosper Beretta Laicus Romanus: Cornelii Tit. S. Ceciliæ, Bentivoli.

Cosma Torretti Presbyter Senen. Diœcesis. Joannes Baptista Lucatti Clericus Conjugatus Senen. Ludovici Tit. Sanctæ Priscæ, Belluga.

Antonius Thomas Lazzaretti Presbyter Senen. Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Grossetanæ. Joannes Georgius Grau Laicus Hungarus: Michaelis Friderici Tituli S. Sabinæ, de Althan.

Abbas Joannes dell'Aquila Clericus Beneventanus. Abbas Franciscus Galante Presbyter Toletanæ Diœcesis, Archidiaconus Major Ecclesiæ Metropolitanæ Montis Regalis. Hieronymus Ramonelli Laicus Gerunden. Diœcesis: Alvari Tit. S. Bartholomæi in Insula, Cienfuegos.

Angelus Pattumi Presbyter Senen. Franciscus Maria de Fabiis Laicus Romanus. Bernardinus Tarotius Laicus Romanus: D. Bernardi Mariæ Tituli S. Bernardi ad Thermas, de Comitibus.

Abbas Faustus Cosatti Presbyter Senen. Dominicus Cencianus Laicus Florentinus: Joannis Baptistæ Tit. S. Matthæi in Merulana, de Alteriis.

Abbas Sanctes Lanucci Presbyter ex Oppido Mondavii Fanen. Diœcesis, J. U. D., & in Romanæ Sapientiæ Archigymnasio pub. Sac. Canonum & Legum Professor. Stephanus Felici Clericus Spoletan. Vincentii Tit. S. Honuphrii, Petra.

Abbas Carolus Guezzugli Clericus Camerinen. Diœcesis. Severinus Vagnarolus Presbyter Sancti Severini, Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe Clericus Beneficiatus: Prosperi Tituli Sancti Silvestri in Capite, Marefuschi.

Abbas Cæsar Maria Testa Presbyter Neapolitanus. Bernardus Liguori Presbyter Beneventanus. Antonius Garavina Laicus Faventin. Nicolai Tit. S. Mariæ in Domnica, Coscia.

Abbas Antonius Sambuco Presbyter Brixien. Joannes Antonius Ceccarinus Laicus Pisauren. D. Angeli Tituli Sancti Marci, Quirini.

Abbas Cornelius Ercolani Clericus Forolivien. Felix Molini Presbyter Romanus: Nicolai Mariæ Tituli Sanctorum Joannis & Pauli, Lercarii.

Abbas Joannes Jacobus ex Marchionibus Millo, Presbyter ac Patritius Casalen. Antonius Pace Laicus Forosempronien. Prosperi Tituli Sanctæ Crucis in Hierusalem, Lambertini.

Abbas Ægidius Isabelli Presbyter Potentinus, Michael Seraphini Laicus Bituntinus: Francisci Antonii Tituli Sancti Sixti, Finy.

Joannes Baptista Ruele Presbyter Tridentinæ Diœcesis. Franciscus Antonius Giovanelli Laicus Jerspurgen. S. R. I. Eques. Joseph Pigler Laicus Bavarus: Sigismundi Cardinalis de Kollonitz.

Leopoldus ex Baronibus Pilati, Clericus Viennen. in Austria, Canonicus Cathedralium Tridentin. & Jaurien., ac Præpositus Sancti Adalberti. Felix Lasena Caramici Clericus Conjugatus Romanus. Henricus Premsel Laicus Prussianus: Philippi Ludovici Cardinalis de Sinzendorf.

Joannes Pelagalli Clericus Firmanus. Jacobus Philippus Lazzari Laicus Bononien. Fr. Vincentii Ludovici Tituli S. Pancratii, Gotti.

Joannes Baptista Masi Presbyter Ravennaten. Dominicus Cappia Presbyter Aquilejen. D. Leandri Tituli Sancti Calixti, de Porzia.

Victorius de Martinis Clericus Pistorien sis, in Romana Curia Advocatus. Canonicus Bernardus Sitelli Presbyter Soranus: Petri Aloysii Tituli Sancti Laurentii in Pane & Perna, Carafa.

Abbas Franciscus Cotogni Clericus Neapolitanus. Ubertus Limburgo Laicus Leodien. Josephi Tit. Sanctæ Mariæ Transpontinæ, Accoramboni.

Abbas Joannes Sotii Presbyter Romanus. Ferdinandus Pasqualini Laicus Mantuanus: Camilli Tit. S. Stephani in Monte Cælio, Cybo.

Comes Cæsar Merendi Clericus Forolivien. Joannes Petrus Salvetti Laicus Comen. Franciſci Tituli S. Petri in Monte Aureo, Burgheſii.

Comes Joannes Baptiſta Corderius, Clericus Montis Regalis Provinciæ Taurinen. Franciſcus Spondonarius Laicus Alexandrin. ac Petrus Martini Laicus Nicien. ſubrogatus præfato Spondonario, qui exivit e Conclavi infirmus: Fr. Vincentii Tituli S. Mariæ in Via, Ferrerii.

Paulus Antonius Freſcobaldi Clericus Florentinus, in Romana Curia Advocatus. Abbas Franciſcus Taddei Clericus Urbeveten. Thomas Dardini Laicus Florentinus, ac Joannes Nicolaus Checconi Presbyter Florentinus J. U. D. ſubrogatus præfato Taddei, qui exivit e Conclavi infirmus: Alamani Cardinalis Salviati: Presbyterorum S. R. E. Cardinalium.

Andreas Janneſe Laicus Prænestinus. Aloyſius Roſſi Laicus Bononien. Laurentii S. Agathæ in Suburra, de Alteriis.

Abbas Chriſtophorus Venturelli Clericus Amerinus. Joannes Labuſiera Laicus Romanus: Caroli Sancti Angeli in Foro Piſcium, Columna.

Darius Guicciardi Presbyter Comen. Diœceſis, Canonicus Inſignis Collegiatæ Sancti Sirii J. U. D. Urbanus Bizzarri Clericus Romanus: Fabii SS. Viti & Modeſti, Oliverii.

Abbas Thomas Barbucchelli Clericus Ravennaten. Philippus Caſſi Laicus Romanus: Caroli S. Mariæ in Aquiro, de Marinis.

Abbas Franciſcus Juſtiniani Clericus Januenſis. Antonius Baldani Clericus Romanus, Canonicus Inſignis Collegiatæ Sanctæ Mariæ ad Martyres de Urbe: Alexandri S. Mariæ in Coſmedin, Albani.

Livius Guarinus Laicus Forolivien. Philippus Rubbioli Laicus Romanus. Hieronymus Scalzi Laicus Romanus, ac Vincentius Raymundus Cappelletti Laicus Lucan. Diœceſis, ſubrogatus præfato Rubbioli, qui exivit e Conclavi infirmus: Alexandri S. Mariæ de Scala, Falconerii.

Abbas Dominicus Volpi Clericus Barenſis. Nicolaus Paſſerini Laicus Auximanus. Dominicus Georgii Laicus Piſanus: Nicolai S. Mariæ ad Martyres, Judice.

Abbas Laurentius Pius Bonſius Clericus Florentinus. Franciſcus Maria Striſciamonti Laicus Piſtorien. Antonii S. Nicolai in Carcere Tulliano, Bancherii.

Abbas Michael Angelus Giacomelli Presbyter Piſtorien. Nicolaus Pacini Presbyter Piſtorien. Joſeph Bazzi Laicus Romanus: Caroli S. Mariæ in Portica, Collicola: Diaconorum S. R. E. Cardinalium.

P. Gaſpar Cerati Parmenſis, Presbyter Congregationis Oratorii de Urbe.

Fr. Magiſter Fridericus Amadeus Lucanus Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini, Subſacriſta.

Vincentius Telonus Laicus Viterbienſis, Phyſicæ & Medicinæ Doctor, Cuſtos Fontium & Aquarum Conclavis.

Joannes Baptiſta Lizzani Presbyter Romanus, Sacræ Theologiæ Doctor, cum præfato Rmo Archiepiſcopo Amaſeno Cæremoniarum Præfecto.

Joannes Franciſcus Valentini Presbyter Verulanus, Pontificiæ Cappellæ Ceroferarius, cum dicto Rmo Epiſcopo Porphyrienſi Sacriſta.

Joſeph ex Comitibus Livizzani Clericus Mutinen. cum prædicto R. P. D. Rivera Sacri Collegii Secretario.

Franciſcus Fracaſſi Presbyter Romanus Sacri Collegii Pro-Ratiocinator cum eodem R. P. D. Rivera.

Jacobus Curtius Laicus Urbinas cum dicto Fr. Magiſtro Amadeo Subſacriſta.

Alexander Paſcoli Perufinus, Franciſcus Soldati Romanus: Medici Phyſici.

Victorius Maſſinus Florentinus.

Jacobus Manſuetus Romanus, Aromatarius. Jacobus Antonius Baſſius Mantuanus. Patritius de Henricis Arpinas: ejus Auxiliatores. Nicolaus Maria Baffi Eugubin. Diœceſis, ſubrogatus prædicto de Henricis, qui exivit e Conclavi infirmus.

Joannes Dominicus Barili Romanus Clericus Conjugatus. Dominicus Arduiti Urbinas. Jacobus Poleti Parmeſan. Mattheus Diottallevi Urbinas: eorum Auxiliatores.

Albertus Peppoli, Faber Lignarius. Mattheus Mili, Faber Cæmentarius.

Franciſcus Moiſius a Morbegno Novocomen. Diœceſis, Famulus Magiſtrorum Cæremoniarum.

Franciſcus Contiliani. Franciſcus Ridolphi. Joſeph Bazzotti. Iſidorus Guardi. Joannes Ferrini. Petrus Roſſi. Petrus Valfre. Proſper Lippi. Philippus Mezzarota. Joſeph Albonetti. Franciſcus Fuſi. Carolus Galli. Joannes Montanari. Joannes Pianeto. Joſeph Cavillas. Joannes Moretti. Joannes Ranieri. Bernardinus Ponzani. Joſeph Morgani. Thomas Melchiorre. Antonius Cannettoli. Joſeph Majocchi. Paulus Bettoli. Dominicus Canobi. Joſeph Paſſi. Jacobus Lozzi. Joſeph Marini. Joſeph Giuſti. Jacobus Ceccherini. Franciſcus Maria Almerigi. Georgeus Remigius de Bernardo. Leonardus Galli. Sebaſtianus Fritelli. Alexius Dragoni. Simon Savellini. Carolus Pozzi. Gregorius Ulyſſi. Thomas Raggi: Scopatores Conclavis.

III.

Privilegia, Exemptiones, & Indulta conceſſa Dapiferis, qui in Conclavi ſuæ Aſſumptionis S. R. E. Cardinalibus inſervierunt.

Hæc quoque Privilegia a Summis Pontificibus recens creatis concedi ſolent.

CLEMENS PAPA XII.

Dat. 16. Julii 1730. An. 1.

URBIS.

Exordium.

MOtu Proprio &c. Romanum decet Pontificem, divinarum ac humanarum rerum diſpenſatorum, ſumma diſpoſitione illius, qui dat gratiam & largitur præmia, conſtitutum in terris, æqua lance illarum perpendere merita Perſonarum, quæ ſe Apoſtolicæ Sedi obſequentiores exhibuerunt, eaſque potioribus proſequi favoribus, ac majoribus decorare prærogativis, ut ſciant, quam liberali benignæque Matri earum aſſiduas vigilias, & indefeſſos impenderint labores: ac in favoribus & prærogativis ſic eis elargitis Matris venerentur liberalitatem.

Dapiferos hujuſmodi familiares ſuos.

§. 1. Hinc eſt, quod Nos volentes dilectos filios, noſtros dum Cardinalatus honore fungebamur, ac Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium Dapiferos, qui Conclavi, in quo Divina favente Clementia ad Summi Apoſtolatus apicem aſſumpti fuimus, inſervierunt, quique ea de cauſa labores, vigilias & incommoda plura ſubierunt, habita ratione obſequiorum hujuſmodi, favoribus, gratiis & privilegiis pro cujuſcumque meritis exornare: ac eoſdem Dapiferos & eorum ſingulos Motu proprio, non ad ipſorum Dapiferorum vel alterius pro ipſis, Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de mera liberalitate, certaque ſcientia noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine in veros, indubitatos & non fictos Familiares continuos Commenſales noſtros, & eos, qui ex illis Clerici exiſtunt, ſeu Militiæ Clericali

adſcri-

adscribi desiderant, quousque tres ex præfatis Cardinalibus in quolibet Ordine antiquiores, gradu, nobilitate & aliis meritis dignos tali dignitate judicaverint, in nostros & Apostolicæ Sedis Notarios, sine tamen præjudicio dilectorum filiorum de numero Participantium, tenore præsentium recipimus: & tam illos quam alios Dapiferos singulos, qui sigillatim ab eisdem tribus Cardinalibus digni tali honore approbati fuerint, Sacri Palatii & Aulæ Lateranen. Comites & Milites: ac tam illos quam alios omnes quoscumque Dapiferos indistincte, qui Nobiles non sunt, Nobiles quoque Urbis & alicujus alterius ex Civitatibus temporali Dominio dictæ Romanæ Ecclesiæ mediate vel immediate subjectis cives esse voluerint, singulos in ea ipsa Civitate, quam sigillatim quisque eorum elegerit, & ad quam ab eisdem Cardinalibus se admitti petierit, veros Cives adinstar & nulla prorsus differentia inter eos & singulos alios veros originarios & antiquissimos, & Nobiles participantes Cives ipsius Urbis vel Civitatis:

Et ex iis, qui Clerici sint, Sedis Apostolicæ Notarios creat: Singulos vero S. Palatii Comites cum nonnullis Privilegiis.

§. 2. Itaut ipsum jus Civilitatis ad quoscumque eorum hæredes eodem modo transeat, creamus, constituimus & deputamus, ac Nobilitatis & Civilitatis titulo & honore & insigniis decoramus: aliorumque Familiarium continuorum Commensalium Nobis actu in Palatio nostro Apostolico servientium, & in illius Tinello comedentium & bibentium, nostrorum & Sedis Apostolicæ Notariorum, Palatiique & Aulæ præfatæ Comitum, Militum, & Nobilium, & Civium hujusmodi originariorum numero & consortio favorabiliter aggregamus, & pro veris, indubitatis & non fictis Familiaribus continuis Commensalibus, ac Notariis nostris, Comitibusque, Militibus, Nobilibusque, ac Civibus deinceps haberi & reputari volumus & mandamus: eisque in quibuscumque impetrationibus ac concessionibus & literis tam gratiam quam justitiam separatim, seu utramque mixtim concernentibus se Familiares continuos Commensales nostros, & Comites, Milites, Nobiles, ac Cives, & Originarios nominari; nec propterea impetrationes, concessiones & literæ ipsæ subreptionis vitio subjaceant, sed validæ & efficaces existant, ac ex nunc deinceps & in perpetuum omnibus & quibuscumque prorsus similibus antelationibus, antelationum prærogativis, privilegiis, libertatibus, Immunitatibus, exemptionibus, decretis, & declarationibus, derogationibus, mandatis, suspensionibus, favoribus, gratiis, privilegiis, indultis, ac juribus, quibus alii nostri Familiares tempore dictæ assumptionis nostræ ad Summi Apostolatus apicem, ac quibus alii ejusdem Sedis Notarii, etiam de numero participantium existentes, etiamsi habitum & rochettum Notariorum ipsius Sedis non deferant, Palatiique & Aulæ præfatæ Comites, & Milites, ac Nobiles originarii, & antiquissimi Cives ejusdem Urbis vel Civitatis, quam, ut præfertur, elegerint, quicumque ex utroque Parente vere Nobili, ac Cive Originario & antiquissimo procreati de jure, statuto, consuetudine, vel alias ex aliquo speciali privilegio, seu alias etiam per quascumque literas seu Constitutiones Apostolicas pro tempore editas utuntur, fruuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possint & poterunt quomodolibet in futurum, ubique locorum in judicio & extra, sine tamen eorumdem Notariorum de numero Participantium præjudicio uti, frui, potiri, & gaudere libere & licite valeant realiter & integre in omnibus & per omnia, etiamsi in Urbe, & Civitate hujusmodi non habitaverint, perinde ac si de vero Nobili genere ex utroque Parente originario & antiquissimo Cive procreati forent: & hujusmodi prærogativæ, privilegia, exemptiones, gratiæ, favores, concessiones, indulta, & jura, quæ pro aliis Nobilibus & Civibus originariis emanarunt, & quæ ratione Nobilitatis, & Civilitatis naturalis & originariæ aliis competunt, pro eisdem Dapiferis in specie emanassent seu emanarent, & eis naturaliter de jure, usu, consuetudine, fundatione, vel alias competerent, vigore præsentium indulgemus.

Jus Civilitatis concessum in hæredes transire declarat.

§. 3. Ac singulos Dapiferos præfatos a solutione & exactione Decimarum Ecclesiasticarum ubique locorum & ex quacumque quantumvis urgentissima & inexcogitabili causa & occasione, etiam ad instantiam Imperatoris, Regum, Rerumpublicarum, etiam Venetorum, & quorumcumque aliorum Principum impositarum, & pro tempore imponendarum (non tamen Decimarum, Subsidiorum & Onerum impositorum in subsidium expeditionis contra Turcas, & Orthodoxæ Fidei Hostes) liberamus & eximimus, liberosque & exemptos fore & esse decernimus.

A solutione Decimarum eximit.

§. 4. Necnon ipsis Dapiferis eorumque singulis quoscumque fructus & proventus Ecclesiasticos, tam occasione Pensionum annuatim ipsis vel eorum alicui reservatarum, quam ratione omissionis recitationis horarum Canonicarum indebite perceptos, cujuscumque quantitatis fuerint, gratiose remittimus & condonamus: ac cum eis super inhabilitate per eos propterea quomodolibet contracta, vel etiam ex eo, quod censuris ligati Missas & alia Divina Officia (non tamen in contemptum Clavium) celebraverint, aut alias in Divinis se immiscuerint, ut illa & eisdem præmissis non obstantibus, ad omnes etiam Sacros & Presbyteratus Ordines, alias tamen rite, promoveri, & in illis etiam susceptis alias rite per eos Ordinibus, & in Altaris Ministerio ministrare, etiam libere & licite valeant, dispensamus.

Exceptis decimis & subsidiis pro expeditionibus contra Hetero-doxos.

Proventus Ecclesiasticos quavis occasione male perceptos eis remittit.

Ac super inhabilitatibus dispensat.

§. 5. Ac eosdem Dapiferos, si qui eorum defectum natalium patiuntur ex quocumque damnato & illicito coitu, etiamsi ex nobilissimis Parentibus, ac vilibus Fœminis forsan procreati sint, etiamsi legitimati alias existant, legitimamus, omnemque ab illis genituræ hujusmodi maculam sive notam abstergimus & abolemus, ac legitimis natalibus restituimus: ac cum eorum singulis, ut in quibuscumque bonis paternis & maternis & aliorum consanguineorum, seu cognatorum, vel aliorum quorumcumque (non tamen feudalibus & emphiteuticis aut Ecclesiasticis vel ab Ecclesia acquisitis, ac sine præjudicio venientium ab intestato, vel ex fideicommisso, seu alias de jure valida dispositione) succedere, & illa donationis seu alio quovis titulo consequi & habere, ac ad æquales portiones cum legitimis succedere, eos ad omnia jura legitima, & successiones ex testamento vel ab intestato hæreditates, legata, libertates restituendo & reintegrando realiter & cum effectu: necnon ad dignitates, honores, & quæcumque alia officia sæcularia publica vel privata etiam assumi, illaque gerere & exercere in omnibus & per omnia, acsi de legitimo matrimonio procreati forent: ac eodem defectu non obstante, si aliud canonicum eis non obsistat impedimentum, ac Clericali Caractere, qui illo nondum insigniti sunt, insigniri, & ad omnes etiam sacros & Presbyteratus Ordines, si ad illud nondum promoti sunt, promoveri, & postmodum Caractere & Ordinibus hujusmodi, illorumque privilegiis uti, ac in eisdem Ordinibus, etiam in Altaris ministerio ministrare, ac quæcumque & qualitercumque cum cura & sine cura Beneficia

Illegitimos legitimis restituit natalibus.

Ecclesiastica, etiamsi personatus, administrationes, & officia etiam curata & electiva in Cathedralibus & Metropolitanis vel Collegiatis Ecclesiis, seu si Parochiales Ecclesiæ, vel eorum perpetuæ Vicariæ, ac Canonicatus & Præbendæ (non tamen in Cathedralibus, ac dignitates, non tamen in eisdem Cathedralibus post Pontificalem majores, nec principales in Collegiatis Ecclesiis hujusmodi fuerint) si sibi aliàs canonice conferantur, aut ipsi eligantur, præsententur, vel aliàs assumantur ad illa, & instituantur in illis, recipere, & dummodo plures simul non sint, quam quæ a Concilio Tridentino permittuntur, quoad vixerint, retinere libere & licite valeant, similiter dispensamus.

Expeditionem Literarum Apostolicarum pro iis gratis fieri mandat.

§. 6. Quodque omnes & quæcumque gratiæ, provisiones, commendæ, ac præsentes, & quævis aliæ literæ Apostolicæ, ac etiam in forma Brevis pro illis expediendis, gratis ubique expediantur; non tamen de capienda possessione nomine Cameræ Apostolicæ, quam in favorem literarum Apostolicarum, ubi illis super provisionibus quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum dari poterunt, prout in nostris Familiaribus & continuis Commensalibus etiam gratis dantur ac conceduntur, ac dari & concedi debent, præcipimus & mandamus.

Facultatem concedit resignandi pensiones usque ad sum. 100. ducat.

§. 7. Ac Dapiferis præfatis & eorum singulis, ut quicumque loci Ordinarii vel Canonici Metropolitanarum aut aliarum insignium Ecclesiarum, aut personæ quæcumque Ecclesiasticæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ tam in Romana Curia quam extra eam, ad id per eos & eorum singulos eligendi seu eligendæ, quascumque pensiones omnes eis eorumque singulis super fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & emolumentis universis, certis & incertis, ac distributionibus quotidianis quarumcumque Mensarum Episcopalium, Archiepiscopalium, & Abbatialium, & Dignitatum, Canonicatuum & Præbendarum, cæterorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum (non tamen per Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales obtentorum, & imposterum obtinendorum) cum cura & sine cura sæcularium aut quorumcumque Ordinum Regularium, seu fructus, redditus & proventus, aliaque emolumenta, & distributiones hujusmodi reservatas seu reservatos, ac reservandas seu reservandos, etiamsi aliàs semel vel pluries translata seu translati fuerint, usque ad summam centum ducatorum in toto vel in parte, ac etiam in mortis articulo, cassare & extinguere, ac postquam cassatæ & extinctæ fuerint, alias similes pensiones annuas, seu fructus, redditus, & proventus, & alia emolumenta, & distributiones hujusmodi usque ad summam prædictam uni vel pluribus aliis personis Ecclesiasticis, per eosdem Dapiferos & eorum singulos nominandis, quotcumque, quæcumque & qualiacumque Beneficia Ecclesiastica obtinentibus & expectantibus, alias tamen pensionum hujusmodi capacibus, similiter eis, quoad vixerint, vel eorum Procuratoribus legitimis eisdem modo & forma, quibus eisdem Dapiferis reservatæ seu reservati erant, etiam absque Beneficia hujusmodi obtinentium consensu, integre persolvendas seu persolvendos, & per eos percipiendas, exigendas, levandas, ac percipiendos, exigendos, levandos, reservare, constituere & assignare valeant: ipsique translatarii in possessionem dictas pensiones exigendi, in qua ipsi Dapiferi tempore translationis per eos vigore præsentium faciendæ existebant, in omnibus & per omnia subrogati esse censeantur, etiam concedimus & indulgemus, etiamsi similem gratiam a Prædecessoribus Nostris alias forsan obtinuerint, seu quilibet eorum obtinuerit, cujus effectu cumulative eos gaudere & potiri volumus; decernentes ipsas translationes, & novas reservationes, constitutiones & assignationes pensionum, seu fructuum, reddituum, proventuum, aliorumque hujusmodi plenam roboris firmitatem obtinere, ipsosque Beneficia, super quarum fructibus, redditibus, & proventibus reservatæ fuerint, obtinentes ad illas persolvendas efficaciter obligatos fore.

Cum eis super delatione habitus Clericalis dispensat.

§. 8. Ac eisdem Dapiferis, ut ratione quarumcumque Pensionum eis & eorum cuilibet super quibuscumque Beneficiis Ecclesiasticis, ut præfertur, vel alias quomodolibet qualificatis, (non tamen ultra summam ducentorum ducatorum auri de Camera pro quolibet, nunc & pro tempore reservatarum & reservandarum) habitum & tonsuram Clericales gestare, & in illis, dummodo ipsi habitum decentem & honestum deferant, incedere minime debeant, nec ad id a quoquam cogi seu compelli: minusque aliquas sententias aut censuras, etiam privationis seu cessationis ipsarum pensionum incurrere possint: ipsasque pensiones ad præfatam summam ducentorum ducatorum ascendentes & reservatas, ut præfertur, etiamsi Matrimonium contraxerint cum unica tantum virgine, recipere & retinere.

Eorum bona a Spoliis exempta fore declarat.

§. 9. Postremo, quod Bona quæcumque ad dictos Dapiferos & eorum quemlibet spectantia, & per eos, etiam ratione quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum, etiam Canonicatuum, & Præbendarum, & Dignitatum quarumcumque per eos alias obtentorum & obtinendorum, aut alias quomodolibet & quovis quæsito colore vel ingenio seu eorum industria, legitime tamen & licite acquisita & acquirenda, etiam in Urbe ejusque districtu, & ubicumque existentia, Spoliis minime subjaceant; sed ipsi Dapiferi, etiamsi Religioni alicui jus Militiæ, non tamen Sancti Joannis Hierosolymitani, adscripti fuerint, de illis in favorem quarumcumque personarum, de jure tamen capacium, etiamsi Curiales esse desierint, & in quocumque loco quantumvis remoto eos decedere contigerit, testari, & aliàs disponere, eisque ab intestato decedentibus eorum hæredes quicumque succedere libere & licite valeant, simili modo concedimus & indulgemus: præcipientes & mandantes dilectis Filiis, nunc & pro tempore existentibus S. R. E. Camerario, Thesaurario, Præsidentibus, Clericis Cameræ Nostræ Apostolicæ, ac quibuscumque aliis Spoliorum hujusmodi Collectoribus, ac Militiarum præfatarum Officialibus, aut Procuratoribus, ne in hujusmodi bonis manus apponant, neque hæredes dictorum Dapiferorum desuper molestare audeant seu præsumant: ac etiam decernentes donationes, etiam per viam testamenti & codicillorum per ipsos Dapiferos de eorum bonis hujusmodi, servatis de jure servandis, faciendas, semper & perpetuo validas & efficaces fore; nec eosdem Dapiferos eorumque aliquem ad literas super præsentibus conficiendas in dicta Camera insinuandum, aut admitti & registrari faciendum teneri; nec illas, etiamsi intra tempus legitimum insinuatæ, admissæ seu registratæ non fuerint, propterea minus validas censeri, sed suos plenarios effectus sortiri debere, easdemque præsentes, & in ea contenta quæcumque sub quibusvis limitationibus, revocationibus, suspensionibus, modificationibus, decretis, constitutionibus Apostolicis similium gratiarum revocatoriis, vel quæ eas limitarent, aut moderarent, quæ Nobis & dicta Sede pro tempore & de quibusvis causis etiam urgentissimis

mis etiam in Divini cultus augmentum, etiam consistorialiter, vel alias quavis auctoritate hactenus vel imposterum emanaverint, minime comprehendi; sed quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum repositas & reintegratas esse & censeri; sicque per quoscumque Judices, etiam Commissarios quavis auctoritate fungentes, in quavis causa & instantia, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, ubique judicari & definiri debere; irritum quoque & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Expeditionem harum, & quarumcumque literarum eorum favore gratis fieri mandat.

§. 10. Et insuper dilectis Filiis Rescribendario, & Computatori Collegii Scriptorum literarum Apostolicarum, aliisque, ad quos earumdem literarum expeditio spectat, in virtute sanctæ obedientiæ & sub pœna indignationis nostræ, motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus mandamus, ut easdem præsentes, & forsan alias literas, super præmissis omnibus tam conjunctim quam divisim, ac pro singulis quibuscumque derogationibus, Decretis, & clausulis in eis contentis gratis de mandato Nostro ubique in omnibus Officiis, etiam Abbreviatorum, Sollicitatorum, Secretariorum, seu illorum Suppressorum loco Ministrorum Cameræ Apostolicæ Plumbi, & Registri, absque aliqua pecuniarum exactione, etiam per viam compositionis facien. omni contradictione & dilatione cessantibus, signent, expediant & expediri faciant.

Clausulæ derogatoriæ.

§. 11. Non obstantibus eisdem præmissis, ac de certo Notariorum numero, etiamsi ad illum non sit deventum, quibus alias per præsentes non intendimus derogare: ac Regula nostra de præstando consensu in pensionibus: ac felicis record. Pii PP. IV. Prædecessoris Nostri de similibus vel dissimilibus gratiis in Camera Apostolica infra tres menses præsentandis ac registrandis, ac ven. me. Sancti Pii PP. V. etiam Prædecessoris Nostri contra illegitimos: ac Pictavien. Concilii, & aliis Apostolicis, ac etiam in Universalibus, Provincialibusque Conciliis, editis specialibus vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus: & Monasteriorum, Ecclesiarum Ordinum, ac etiam Urbis Romæ, & aliarum Civitatum, Oppidorum, & Terrarum, aut Cameræ præfatæ, ac quarumvis Universitatum, etiam juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, stabilimentis, usibus, & Decretis, ac etiam novis reformationibus, ac etiam legibus tam Pontificiis quam Imperialibus, Regiis & Ducalibus, etiam Sacris Canonibus, Privilegiis quoque, Indultis & literis Apostolicis, Superioribus & personis & locis quibuscumque in genere vel in specie sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis & insolitis clausulis, irritantibus & aliis Decretis, etiam vim contractus & statuti perpetui continentibus, etiam motu, scientia & potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter alias forsan in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis & innovatis, inter alia disponentibus, quod Beneficia Urbis, non nisi personis certis modo & forma qualificatis, & oriundis ex certis locis, ac trium Ordinum Militarium expresse professis conferri & commendari soleant; Quibus omnibus etiamsi alias pro eorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro plene & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse, harum serie, motu pari derogamus; cæterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

Fiat Motu proprio L.

Et cum absolutione a censuris ad effectum &c.; & in casibus Regulæ de insordescentibus, cum opportuna illius, necnon alterius Regulæ de non tollendo jure quæsito, aliisque necessariis & opportunis derogationibus, quatenus opus sit, & quod Indultorum, concessionum, gratiarum, derogationum, aliorumque præmissorum omnium & singulorum major & verior specificatio & expressio fieri posset in literis, in quibus singulorum Dapiferorum nomina & cognomina, Ordines, qualitates, gradus, Diœceses, Patriæ, & alia requisita exprimi & describi, seu pro expressis & descriptis haberi possint, juxta notulam per ipsos, seu eorum Deputatos confectam, simul vel ad partem, etiam in una non facta mentione de alia vel aliis, prout videbitur expedire & expedien. &c.

Transumptorum fides.

§. 12. Volumus autem, quod literarum super præsentibus conficiendarum transumptis, etiam impressis & sigillo & manu alicujus personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis & subscriptis, eadem fides tam in judicio quam extra illud exhibeatur, quam originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Volumus præterea, quod sola præsentatio Motus proprii Signatura sufficiat, & ubique fidem faciat in judicio & extra illud, regula quacumque contraria non obstante.

FIAT L.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Decimo Septimo Kal. Augusti Anno Primo.

Reg. lib. 1. Sec. fol. 41.

Dat. die 16. Julii anno Domini 1730. Pontif. An. 1.

Nomina Eminentissimorum Dominorum Cardinalium, & Dapiferorum sunt hæc, quæ sequuntur:

LAURENTIUS CORSINUS *nunc* CLEMENS XII. *Florentinus.*

Alexander Gregorius Marchio Capponus Romanus.

EPISCOPI V.

Franciscus Episcopus Portuensis Sacri Collegii Decanus Cardinalis Pignatellus Archiepiscopus Neapolitanus.

Abbas Joannes Baptista Zolla Patritius Brixien. Præpositus Cathedralis Brixienſis.

Franciscus Episcopus Ostiensis & Veliternensis S. R. E. Cardinalis Barberinus, Romanus.

Pompejus Compagnoni Clericus Maceratensis.

Jacobus Episcopus Albanensis S. R. E. Cardinalis Boncompagnus Archiepiscopus Bononiensis.

Julius Gabriellius Romanus.

Petrus Episcopus Sabinensis S. R. E. Cardinalis Ottobonus S. R. E. Vice-Cancellarius, Venetus.

Joannes Carolus Marchio Molinari Mediolanensis. Abbas S. Mariæ de Claravalle, & Sancti Dominici de Garugate Mediolanensis.

Thomas Episcopus Prænestinus S. R. E. Cardinalis Ruffus Episcopus Ferrarien., Neapolitanus.

Carolus Antonius Comes Longini Civitatis Castelli.

PRESBYTERI XL.

Joseph Renatus Tituli Sancti Laurentii in Lucina S. R. Eccl. Cardinalis Imperialis, Januensis.

Dominicus Georgius Rhodiginus Abbas S. Mariæ de Sacco Longo.

Annibal Tituli S. Clementis S. R. E. Cardinalis Albanus S. R. E. Camerarius, Urbinas.

Comes Hieronymus Bonarelli de Columna Patritius Anconitanus.

Ludovicus Tituli S. Praxedis S. R. E. Cardinalis Picus de Mirandula.

Comes Antonius Barberi Nobilis Vicentinus.

Joannes Antonius Tituli S. Petri ad Vincula S. R. E. Cardinalis de Via, Bononiensis.

Abbas Fabius Buccelli Montis Politianensis.

Antonius Felix Tituli S. Balbinæ S. R. E. Cardinalis Zondadarius, Senensis.

Pompeius Tomasi Nobilis Cortonensis, Eques & Commendator Ordinis Sancti Stephani PP.

Petrus Marcellinus Tituli Sanctæ Mariæ Transtyberim S. R. E. Cardinalis Corradinus, Setinus.

Comes Aloysius Hubertus Radicati de Cocconato.

Armandus Gasto Tituli SS. Trinitatis in Monte Pincio S. R. E. Cardinalis de Rohan de Soubize Episcopus Argentinensis, Gallus.

Claudius de S. Simon Parisiensis Abbas S. Petri Gemmeticensis.

Curtius Tituli S. Eustachii S. R. E. Card. Origus, Romanus.

Franciscus Maria Renzoli Nobilis Viterbien. Archipresbyter Cathedralis Viterbiensis.

Melchior Tituli Sanctæ Mariæ Angelorum ad Thermas S. R. E. Cardinalis de Polignac, Gallus.

Dionisius de Blond Gallus Abbas S. Romani de Blaja.

Benedictus Tituli Sanctorum XII. Apostolorum S. R. E. Cardinalis Odescalcus Mediolanensis Archiepiscopus, Mediolanensis.

Comes Joseph Maria Castelli Mediolanensis.

Damianus Hugo Tituli Sanctæ Mariæ de Pace S. R. E. Cardinalis de Schonborn Buchaim, Germanus, Episcopus Spirensis.

Philippus Ernestus de Bruggen ex liberis Nobilibus Curlandiæ.

Henricus Tituli SS. Chirici, & Julittæ S. R. E. Card. de Thiard de Bissy Episcopus Meldensis, Gallus.

Gilbertus de Drée de la Serrée Burgundus.

Innicus Tituli S. Thomæ in Parione S. R. E. Card. Caracciolus Episcopus Aversanus, Neapolitanus.

Abbas Franciscus Florellus Romanus.

Nicolaus Cajetanus Tituli Sanctorum Nerei & Achillei S. R. E. Card. Spinula, Januensis.

Comes Valentinus Canale Nobilis Interamnensis.

Gibertus Tituli S. Alexii S. R. E. Cardinalis Borromeus Episcopus Novariensis, Mediolanensis.

Abbas Camillus Rasponi Nobilis Ravennatensis.

Julius Tituli S. Chrysogoni S. R. E. Card. Alberonus, Placentinus.

Marchio Xaverius Matteucci Nobilis Firmanus.

Georgius Tituli S. Agnetis extra Mœnia S. R. E. Card. Spinula, Januensis.

Emanuel Calleja y Tapia Nobilis Burgensis, Canonicus Ecclesiæ Metropolitanæ Burgensis.

Cornelius Tituli S. Ceciliæ S. R. E. Card. Bentivolus, Ferrariensis.

Philippus Ascevolinus Romanus.

Ludovicus Tituli S. Priscæ S. R. E. Card. Belluga & Moncada, Hispanus.

Abbas Carolus Guido Forti Eques Ordinis S. Stephani PP. Pisciensis.

Michael Fridericus Tituli Sanctæ Sabinæ S. R. E. Card. de Althan. Episcopus Vaciensis, Germanus.

Abbas Adrianus Vincenti Mareri ex Comitibus de Ascrea Reatinus.

Alvarus Tituli Sancti Bartholomæi in Insula S. R. E. Cardinalis Cienfuegos Archiepiscopus Montis Regalis, Hispanus.

Joseph Saturnius Gonzales de Sepulveda y Pichinoti Nobilis Aragonensis Civitatis Cæsaraugustanæ.

D. Bernardus Maria Tituli Sancti Bernardi ad Thermas S. R. E. Card. de Comitibus, Romanus.

Joseph Isidorus Ferranti Clericus Æsinus.

Joannes Baptista Tit. S. Matthæi S. R. E. Card. de Alteriis, Romanus.

Joannes Vitellius Marchio Vitelleschi Nob. Fulginatensis.

Vincentius Tituli S. Onuphrii S. R. E. Card. Petra, Neapolitanus.

Comes Franciscus Maria Negroni Romanus.

Prosper Tituli Sancti Silvestri in Capite S. R. E. Cardinalis Marefuscus, Maceratensis.

Comes Gabriel Simonettus Nobilis Auximanus & Anconitanus.

Nicolaus Tituli Sanctæ Mariæ in Dominica S. R. E. Card. Coscia Beneventanus Archiepiscopus, Beneventanus.

Angelus Antonius Abbas Puppius Romanus.

D. Angelus Maria Tit. S. Marci S. R. E. Cardinalis Quirinus Episcopus Brixiensis, Venetus.

Comes Marcus Torre Patritius Veronensis.

Nicolaus Maria Tituli Sanctorum Joannis & Pauli S. R. E. Cardinalis Lercarius, Januensis.

Claudius de S. Simon Parisiensis Eques S. Joannis Hierosolymitani.

Prosper Tituli S. Crucis in Jerusalem S. R. E. Card. Lambertinus Bononien. Episcopus Anconitanus.

Joseph Maria Puoti Abbas Sanctorum Stephani & Viti Patritius Argentinus J. U. D.

Franciscus Antonius Tit. S. Sixti S. R. E. Card. Finy, Minerbinensis.

Abbas Cosmus Bernardinus Patritius Lucensis.

Sigismundus Tituli ..... S. R. E. Cardinalis de Kollonitz Archiepiscopus Viennensis in Austria Germanus.

Joseph Christianus Salliet Nobilis Suecus Sacræ Theologiæ Doctor, & Canonicus.

Philippus Ludovicus Tituli .... S. R. E. Cardinalis de Sinzendorff Episcopus Jaurinensis, Germanus.

Antonius Raurador Nobilis Barchinonensis.

Frater Vincentius Ludovicus Tituli Sancti Panceratii S. R. E. Cardinalis Gotti, Bononiensis.

Carolus Franciscus Mattei Romanus.

D. Leander Tituli Sancti Calixti S. R. E. Cardinalis Porzia Episcopus Bergomensis, de Friulo.

Abbas Hieronymus Comes Leoni Nobilis Cenetensis ex antiquis Dominis Rocca de Ferro.

Petrus Aloysius Tituli Sancti Laurentii in Pane & Perna S. R. E. Card. Caraffa, Neapolitanus.

Abbas Philippus de Amato Patritius Civitatis Amarteæ.

Joseph Tituli Sanctæ Mariæ Transpontinæ S. R. E. Card. Accorambonus Episcopus Imolensis, Spoletanus.

Michael de Aste Patritius Romanus Commendator Ordinis SS. Mauritii & Lazari Sabaudiæ.

Camillus Tituli Sancti Stephani in Monte Celio S. R. E. Cardinalis Cybo, de Massa Carrariæ.

Philippus Marchio Vecchiarelli Nobilis Romanus.

Franciscus Tituli Sancti Petri in Monte Aureo S. R. E. Cardinalis Burghesius, Romanus.

Æneas Silvius Piccolomineus e Dominis Pononæ Patritius Senensis.

Frater Vincentius Tituli Sanctæ Mariæ in Via S. R. E. Card. Ferrerius Episcopus Vercellensis, Niciensis.

Carolus Franciscus Comes de Villanova Taurinensis.

Alamanus Tituli .... S. R. E. Cardinalis Salviatus, Florentinus.

Chiappinus Vitelli Florentinus.

DIACONI IX.

Laurentius Tituli Sanctæ Agathæ in Suburra S. R. E. Cardinalis de Alteriis, Romanus.

Hieronymus Asdruhal Fagnani.

Carolus Tituli S. Angeli in Foro Piscium S. R. E. Card. Columna, Romanus.

Comes Bruttus Marcellus Porta Comensis.

Fabius Tit. SS. Viti & Modesti S. R. E. Cardinalis de Abbatibus Oliverius, Pisaurensis.

Abbas Alexander Baviera Senogalliensis.

Carolus Tituli Sanctæ Mariæ in Aquiro S. R. E. Card. de Marinis, Januensis.

Guidobaldus Comes Juliani Bononiensis, Abbas S. Nicolai de Mantua.

Alexander Tituli Sanctæ Mariæ in Cosmedin S. R. E. Cardinalis Albanus, Urbinas.

Abbas Franciscus Dominicus Clementi Romanus.

Alexander Tituli S. Mariæ in Scala S. R. E. Card. Falconerius, Romanus.

Oratius Falconerius Nobilis Romanus.

Nicolaus Tituli Sanctæ Mariæ ad Martyres S. R. E. Cardinalis de Judice, Neapolitanus.

Antonius David Abbas Porro Nobilis Mediolanensis.

Antonius Tituli Sancti Nicolai in Carcere S. R. E. Cardinalis Bancherius, Pistorienſis.

D. Michael Benedet & Luessia Nobilis Oscen. J. U. D.

Carolus Tituli S. Mariæ in Portico S. R. E. Card. Collicola, Spoletanus.

Marchio Gaspar Orsinus de Cavaleriis Patritius Romanus.

IV. Confirmatio Decreti Congregationis Rituum pro Ordine Fratrum B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum circa recitationem Officii B. M. V. sub titulo de Remedio.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. 29. Julii 1730. P. An. I.

§. 1. EManavit nuper a Congregatione Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum. Cum sub die 12. Julii 1727. Sacra Rituum Congregatio ad instantiam Patrum Calceatorum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum indulserit, ut ab ipsis quotannis Dominica secunda Octobris recitari possit Officium Beatæ Mariæ Virginis sub titulo de Remedio cum antiphonis & lectionibus, ut in Festo S. Mariæ ad Nives, sumptis ex Breviario Romano lectionibus secundi Nocturni, cumque ratione concessionis prædicti Officii, tum approbationis Lectionum propriarum secundi Nocturni, quæ a Patribus Trinitariis prætendebatur, variæ contentiones & lites exortæ fuerint inter ipsos Trinitarios & Patres Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, habitoque per Patrem Magistrum Fratrem Alexandrum Illomei prædicti Ordinis de Mercede Procuratorem Generalem ad eamdem Sac. Rituum Congregationem recursu, accedentibus etiam particularibus instantiis Patris Procuratoris Generalis Ordinis Prædicatorum, necnon Patris Procuratoris Generalis Ordinis Carmelitarum, Emus & Rmus Dominus Card. Belluga in Ponentem, seu Relatorem deputatus infrascriptum Dubium inter Partes concordatum examinandum proposuit, videlicet -- An sit revocandum Decretum diei 12. Julii 1727. concedens Patribus Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Officium Beatæ Mariæ Virginis sub titulo de Remedio, uti Patronæ minus principalis in casu &c. Et Sacra eadem Congregatio, utraque parte tam in scriptis quam in voce informante audita, discussisque juribus hinc inde deductis, variisque circumstantiis consideratis, rescribendum censuit -- Affirmative die 21. Januarii 1730. factaque de his per me Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Benedicto XIII. relatione, Sanctitas Sua Decretum Sacræ Congregationis approbavit; necnon PP. Trinitariis quoad prædictum Officium Beatæ Mariæ Virginis de Remedio perpetuum silentium imposuit die 23. ejusdem mensis, & anni 1730. N. M. Tedeschi Archiepiscopus Apamenus Secretarius. Loco ✠ sigilli.

Procuratoris Ord. B. Mariæ Redempt. Capt. postulatio pro confirmatione hujusmodi Decreti.

§. 2. Cum autem, sicut pro parte dilecti filii Josephi Mezquia Procuratoris Generalis prædicti Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum nobis subinde expositum fuit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret.

Quæ præmissis solitis absolutionibus &c. ei conceditur.

§. 3. Nos specialem ipsi Josepho gratiam facere volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium.

Validatio præsentium Literarum.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 29. Julii 1730. Pontificatus Nostri Anno Primo.

F. Cardinalis Oliverius.

Tenor Decreti S. Congreg. Rituum.

Circa

V.

Circa continuationem Visitationis Apostolicæ Ecclesiarum & Locorum Piorum Urbis.

Visitationem hujusmodi indixit Innoc. PP. XII. anno 1693. Constit. Agrum universalis Ecclesiæ &c. *Sequentes vero Pontifices Clemens XI. an. 1701. Innocentius XIII. anno 1721., ac Benedictus XIII. anno 1724. eam persequi suis Constitutionibus mandarunt.*

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. die 2. Augusti 1730. P. An. 1.

Visitatio ab Innocen. XII. instituta.

§. 1. CUm sc. re. Innocentius Papa XII. prædecessor Noster circa Pontificatus sui primordia pastoralem Cleri Romani omniumque almæ hujus Urbis Ecclesiarum, piorumque Locorum & operum Visitationem instituerit, eamque ipsemet in Patriarchalibus ejusdem Urbis Ecclesiis inchoaverit, ac sibi in eo munere adjutores nonnullos ex Sacro Venerabilium Fratrum Nostrorum tunc suorum S. R. E. Cardinalium Collegio delegerit & assumpserit, eisque quosdam Romanæ Curiæ Prælatos, & alios subinde Cardinales adjunxerit, qui Visitationem ipsam peragerent, & negotia illam concernentia expedirent, ac Secretarium, Judicem, Cancellarium, seu Actuarium Commissarium, & Fiscalem, aliosque forsan Officiales & Ministros Sacræ Visitationis hujusmodi deputaverit, variasque eisdem Cardinalibus, ac eorum & dictorum Prælatorum Congregationi, necnon Officialibus & Ministris prædictis facultates, præeminentias, & indulta concesserit & impartitus fuerit, & alias prout in diversis ipsius Innocentii prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis expeditis, quarum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur; & sicut accepimus, memorati quidem Cardinales Visitatores una cum Prælatis Coadjutoribus, etiam piæ mem. Clementis XI., Innocentii XIII., ac Benedicti etiam XIII. Romanorum Pontificum prædecessorum pariter Nostrorum jussu, Visitationem hujusmodi tam in eisdem Patriarchalibus quam in aliis Collegiatis, & fere omnibus Parochialibus Ecclesiis, ac in multis Monasteriis Regularium tam Virorum quam Mulierum, necnon Collegiis, Hospitalibus, Confraternitatibus & aliis Locis piis dictæ Urbis postea prosecuti fuerint, salutaribusque monitis & decretis, ubi opus fuerit, providerint;

A Successoribus confirmata, & continuata.

Nondum tamen in integrum peracta.

§. 2. Visitatio tamen ipsa in omnibus Ecclesiis, ac Locis & operibus piis prædictis nondum sit peracta, sed multa negotia eam concernentia adhuc pendeant indecisa; Hinc est, quod Nos pastorali studio considerantes quantopere Visitatio hujusmodi utilis & necessaria sit non modo ad tollendos abusus, sed etiam ad præcavendum, ne deinceps introducantur, quantumcumque boni ex illa hactenus provenerit, & benedicente Domino proventurum sit, si Visitatio ipsa continuetur & absolvatur, ac in ea, quæ ad Dei cultum & gloriam, animarumque salutem opportuna & conducibilia sunt, sicut hactenus factum est, imposterum quoque pie prudenterque statuantur:

Quam necessaria ad tollendos, & præoccupandos abusus.

Continuari præcipitur.

§. 3. Motu proprio & ex certa scientia & mera deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, memoratam Visitationem continuari absolvi: causasque indecisas in Congregatione prædicta pendentes, prout æquitatis atque justitiæ ratio suaserit, terminari: Visitationes particularium Ecclesiarum, ac Locorum & operum piorum jam inchoatas absolvi: necnon Ecclesias, ac Loca & opera pia tam hucusque visitata, quæ iteratam Visitationem exposcere videbuntur, quam nondum visitata, visitari: cæteraque omnia & singula Visitationem hujusmodi concernentia fieri, geri, statui, & ordinari, ac executioni demandari debere, tenore præsentium decernimus & mandamus.

Singula privilegia Congregationem Visitationis componentibus confirmat, & renovat.

§. 4. Ac omnes & singulas facultates, privilegia, gratias, præeminentias, prærogativas, & indulta quæcumque prædictis Cardinalibus & Prælatis, eorumque Congregationi, necnon omnibus, & singulis Officialibus & Ministris supradictis a memoratis Innocentio XII., Clemente XI., Innocentio XIII., ac Benedicto etiam XIII. prædecessoribus per suas respective literas desuper emanatas, quovis modo respective concessa & attributa, per obitum eorumdem Prædecessorum minime cessasse, nec cessare, sed in suis robore & firmitate permanere, omnibus, & singulis prædictis respective adhuc competere & suffragari debere, decernimus pariter & declaramus; & quatenus opus sit facultates, privilegia, gratias, præeminentias, prærogativas, & indulta hujusmodi eisdem Cardinalibus & Prælatis, eorumque Congregationi, ac Officialibus & Ministris prædictis in omnibus & per omnia, prout eis respective a supradictis Innocentio XII., Clemente XI., Innocentio XIII., ac Benedicto XIII. Prædecessoribus concessa & attributa fuerunt, motu, scientia, deliberatione & potestatis plenitudine paribus denuo concedimus, tribuimus & impartimur.

Legalitas præsentium literarum.

§. 5. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis, seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujuscumque gradus, ordinis, præeminentiæ & dignitatis existant, etiam Cardinalatus honore fulgentes, aut aliàs specifica & individua mentione & expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati & auditi, neque causæ, propter quas præsentes emanarunt, adductæ, verificatæ vel justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis justa, pia & privilegiata causa, colore, prætextu & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno & substantiali ac individuam expressionem requirente, defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, ad terminos juris reduci, seu in controversiam revocari, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari vel intentari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in judicio vel extra illud uti, seu se juvare posse; sed ipsas præsentes literas firmas, validas & efficaces existere, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac illis, ad quos spectat & spectabit in futurum, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; Sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam &c. Causarum Palatii Apostolici Auditores; necnon ejusdem S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & alios quoslibet quacumque præminentia & potestate fungentes & functuros, sublata eis & eo-

rum

rum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac omnibus & singulis illis, quæ memoratus Innocentius XII. prædecessor in suis literis supradictis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 7. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 2. Augusti 1730. Anno Primo.

F. Card. Oliverius.

VI. Confirmatio Indulti & usus celebrandi Missas & Officia Sanctorum Ordinis Canonicorum Regularium Sancti Augustini pro Congregatione S. Antonii Viennen. ejusdem Ordinis.

Facultatem celebrandi Festa nonnullorum Sanctorum sui Ordinis Canonicis Regularibus Sancti Augustini Congregationis Lateranen. concessit Pius PP. V. anno 1570. Constit. Licet Ecclesia Dei &c.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. die 12. Aug. 1730. Pont. An. 1.

Procuratoris Generalis S. Antonii Viennen. postulatio.

§. 1. EXponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Josephus Depluvii Procurator Generalis Congregationis S. Antonii Viennen. Ordinis Canonicorum Regularium Sancti Augustini, quod ipsa Congregatio vigore Indulti ei aliàs a Sede Apostolica concessi, quod (ut asseritur) in viridi observantia existit, reperitur in possessione seu quasi possessione recitandi ac celebrandi Missas & Officia Sanctorum dicti Ordinis Canonicorum Regularium Sancti Augustini ad instar similis concessionis dudum a san. mem. Pio PP. V. prædecessore nostro per suas in simili forma Brevis die 18. Decembris 1570. expeditas literas, quarum initium est: Licet Ecclesia &c. Congregationi Lateranen. ejusdem Ordinis factæ, quæ subinde ad alias passim Ordinis prædicti Congregationes, & nominatim S. Salvatoris in Italia, Sanctæ Genovefæ in Gallia, ac Reformatam a B. Petro Fourier in Lotharingia, Apostolica auctoritate extensa seu ampliata fuit.

Concessio aliàs a Sancto Pio V. facta; de qua supra.

Eam confirmat etiam pro Congreg. Sancti Antonii Viennen.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Josephus, præmissa quo firmius subsistant & serventur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret: Nos eumdem Josephum specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, memoratum Indultum ipsi Congregationi S. Antonii Viennen. a Sede præfata concessum, ac usum in ea vigentem recitandi & celebrandi Missas & Officia Sanctorum Ordinis Canonicorum Regularium Sancti Augustini ad instar enarratæ concessionis ab eodem Pio Prædecessore dictæ Congregationi Lateranen. factæ, ac ad alias supradicti Ordinis Congregationes extensæ & ampliatæ, sicut præmittitur, auctoritate præfata tenore præsentium confirmamus & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Præsentium Literarum auctoritas.

§. 3. Decernentes, easdem præsentes literas, firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac illis, ad quos spectat & pro tempore spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & dictæ Sedis Nuncios judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Congregationis S. Antonii Viennen. ac Ordinis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 12. Augusti 1730. Pontificatus nostri Anno Primo.

F. Card. Oliverius.

Ex lib. mensis Aug. Tass. 16.

VII. Confirmatio quorumdam Decretorum anno 1725. a SS. Domino Nostro uti ejusdem Ord. Protectore, & a Benedicto XIII. specialiter ad hoc Delegato, editorum pro bono Ordinis S. Francisci Provinciæ Romanæ, illiusque Fratrum regimine.

Alia nonnulla statuta edidit Benedictus XIII. anno 1724. die 16. Novembris Constit. Universalis Ecclesiæ &c.

CLEMENS PAPA XII.

Dat. die 31. Aug. 1730. Pont. An. 1.

Ad futuram rei memoriam.

SS. D. Noster in minoribus cum esset, Tertii Ordinis S. Francisci Protector.

ALiàs dum Cardinalatus honore fungebamur, emanarunt a Nobis uti tunc Tertii Ordinis S. Francisci apud Sedem Apostolicam Protectore, & a fe. re. Benedicto XIII. Prædecessore Nostro ad hoc specialiter delegato, nonnulla Decreta pro salubri ejusdem Ordinis, illiusque Fratrum gubernio ac directione, tenoris, qui sequitur, videlicet:

Series Decretorum ab eodem tunc temporis emanatorum.

§. 1. Laurentius Tit. S. Petri ad Vincula S. R. E. Presbyter Cardinalis Corsinus, Tertii Ordinis S. Francisci apud S. Sedem Protector, & ad infrascripta per SS. D. N. Benedictum Divina providentia Papam XIII. specialiter delegatus. Visis supplicibus libellis P. Magistri Ludovici Patriarchæ SS. D. Nostro porrectis, rimatisque statutis generalibus Fratrum Tertii Ordinis anno 1549. compilatis, & per cl. me.

Cardinalem Carpenſem dicti Ordinis Protectorem approbatis, necnon Conſtitutionibus ſan. me. Urbani VIII. anno 1639. emanatis, ac Brevi ſa. me. Innocentii XII. anni 1693., & pluries tam in voce quam in ſcriptis audito ſuper tenore dictorum ſupplicum libellorum P. Procuratore Generali dicti Ordinis, utendo facultatibus deſuper per eumdem SS. D. Noſtrum nobis tributis & communicatis, per hunc infraſcriptum modum decernimus, declaramus, & per capita ſeparata ſententiamus.

De electione Procuratoris Generalis Ordinis à Definitorio Generali, vel Capitulo intermedio.

§. 2. Et ſignanter quoad electionem Procuratoris Generalis Ordinis decernimus ac declaramus, impoſterum faciendam eſſe juxta formam dicti Brevis ſa. me. Innocentii XII., nimirum a Deffinitorio Generali tam Capituli Generalis quam Capituli Intermedii, ita tamen ut in electione ſervetur etiam diſpoſitio Cap. 1. n. 23. Statutorum generalium anno 1549. emanatorum, in quo præcipitur, ne quiſquam ultra triennium eodem fungatur officio, niſi uno nimirum anno ab eodem vacaverit; adeoque in futuris electionibus ille Religioſus, qui functus fuerit officio Procuratoris Generalis per triennium, nequeat ad idem Officium iterum eligi vel confirmari, niſi per annum vacaverit; non obſtante Cap. 5. de Elect. Conſt. Urban., in quo permittitur P. Generali quod confirmare poſſit ultra triennium Procuratorem Generalem, quod plane Cap. 5. revocatum fuiſſe & eſſe per dictum Breve ſa. me. Innocentii XII. decernimus & declaramus.

De hujuſmodi officio ultra triennium non prorogando.

§. 3. Et ad effectum, ut in hujuſmodi electione debitæ juſtitiæ diſtributivæ ſervetur ratio, præcipimus & mandamus, quod Procurator Generalis prædictus non ſolum eligi nequeat pro toto ſexennio ex illa Provincia, ex qua ſit Generalis actualis, prout diſpoſuit prædictum Breve ſa. me. Innocentii XII., ſed neque in primo cujuſlibet ſexennii triennio eligi valeat ex illa Provincia, ex qua ſit Generalis immediate Anteceſſor.

De Procuratore hujuſmodi non eligendo ex Provincia, ex qua ſit Generalis Actualis, aut fuerit anteceſſor.

§. 4. Ut autem d. Cap. 1. n. 23. Statutorum generalium ſervetur etiam quoad electionem Priorum, ad eliminandum abuſum introductum eligendi Religioſum illum, qui tribus annis officium Prioris exercuit, in Præſidentem ejuſdem vel alterius Conventus, decernimus & declaramus, quod Prior ille, qui per tres annos officio prædicto functus eſt, eligi non valeat neque in priorem neque in Præſidentem, niſi tranſacto anno, ille vero qui Præſidens fuit alicujus Conventus pro majori parte anni, non poſſit ad officium Prioris eligi niſi ad biennium, itaut tempus Præſidentatus prædicti ſupra annum in triennio computetur ad effectum vacationis.

Prior, qui per tres annos officio Prioris functus fuerit, in Priorem, aut Præſidentem alicujus Conventus non niſi tranſacto anno eligi poſſit. Præſidens vero, qui fuerit, non niſi ad biennium eligi poſſit in Priorem.

§. 5. Ad abolendum pariter alterum abuſum, quo filii unius Provinciæ eliguntur in Priores, Deffinitores, & aliquando etiam in Provinciales alterius Provinciæ, decernimus, declaramus & ſententiamus, quod in futurum quacumque prætenſa conſuetudine non obſtante, quod ad officia quæcumque cujuſlibet Provinciæ admittantur filii ejuſdem Provinciæ tantum ſub pœna nullitatis electionis: In caſu vero deficientiæ Religioſorum in Provinciis parvis, ſervandum eſſe Cap. 5. de elect. Conſtitutionum Urbanarum, quo decernitur, quod in ſitis Provinciis parvis, ſi neceſſitas urgeat, Deffinitores & Diſcreti Provinciales admitti poſſint etiam ad alia officia Provinciæ.

Ad officia quæcumque nonniſi filii illius Provinciæ admittendi.

Caſus derogationis.

§. 6. Declaramus inſuper & decernimus, quod Provincialis Provinciæ Romanæ in executionem Cap. 4. Statutorum generalium ultra Viſitationem Patris Generalis ſemel in anno vel ſæpius pro rei neceſſitate poſſit & debeat auctoritate ſua Provinciali viſitare Cænobium SS. Coſmæ & Damiani Urbis. Volumus tamen, quod per præſens Decretum nullum inferatur præjudicium prætenſis juribus P. Generalis quoad pertinentiam dicti Cænobii, quæ jura unicuique ex partibus ſalva eſſe decernimus.

Provincialis Provinciæ Romanæ ſingulis annis vel pluries Cænobium SS. Coſmæ, & Damiani viſitare teneatur.

Salvo tamen quocumque jure.

§. 7. Quamvis autem P. Generalis in caſu quo fuerit aliis occupationibus detentus, curam Viſitationis Provinciarum poſſit alteri demandare; attamen Viſitationem alicujus Provinciæ vel Conventus extra Urbem Romanam P. Procuratori Generali committere non poſſe decernimus & declaramus, attenta incompatibilitate inter unum & alterum officium; ac ita impoſterum ſervari præcipimus.

Quod viſitatio alicujus Conventus extra Urbem Procuratori Generali committi non poſſit.

§. 8. Quo vero ad electionem Diſcreti Conventualis decernimus ac mandamus, ut in proximo futuro Capitulo Generali proponatur omnibus Vocalibus, num expediat demandare, quod impoſterum P. Generalis pro tempore nequeat præeſſe & intereſſe hujuſmodi electionibus, vel ſaltem remanere debeat in arbitrio vel voluntate Capitulorum Conventualium, tempus, quoad electionem Diſcreti devenire placeat, itaut P. Generalis inhibire non poſſit, ut electio non perficiatur, niſi adveniente tempore ſuæ Viſitationis; præfatoque Capitulo Generali committimus & demandamus, ut Decreta & remedia ſuper his juxta ſenſum majoris partis Vocalium conficiat ac exhibeat.

De electione Diſcreti Conventualis.

§. 9. Cui quidem Capitulo Generali, ut præfertur, proxime futuro pariter committimus & demandamus, quod examinare debeat & definire, an expediat devenire ad compilationem omnium Decretorum uſque modo a Capitulis Generalibus & Congregationibus intermediis confectorum; & quatenus major pars in partem devenerit affirmativam, deputandos eſſe per dictum Capitulum unum vel plures Patres ad prædictam compilationem perficiendam intra determinatum tempus ab eodem Capitulo præfiniendum; Si vero compilationem prædictam non eſſe faciendam Capitulum decreverit, imprimendas eſſe Conſtitutiones Urbanas decernimus & mandamus, ſumptibus omnium Provinciarum intra terminum trium menſium poſt expletum Capitulum Generale.

De compilatione omnium Decretorum a Capitulis Generalibus, vel aliis Capitulis editorum.

§. 10. Verum circa reliqua expoſita & prætenſa per Patrem Ludovicum Patriarcham quantum ad Magiſtros admittendos in Definitorio Provinciali, & ad prætenſa vota Magiſtrorum Provinciæ Romanæ in Capitulis Provincialibus, & Ex-Provincialium in Congregationibus intermediis, nihil innovandum, & reſpective ſervandas eſſe Conſtitutiones Urbanas, ſtatuta generalia, & Breve Innocentii XII. decernimus & mandamus.

Pro Magiſtris admittendis in Definitorio Generali nihil innovandum.

§. 11. Attamen quia ex intereſſentia plurium Superiorum & Officialium Generalium in Congregationibus & Capitulis Provinciæ Romanæ maximum ex multiplicitate extraneorum ſuffragiorum oritur eidem Provinciæ præjudicium, ex ſpecialibus cauſis in hac Provincia concurrentibus, demandamus & præcipimus, quod, quibuſcumque non obſtantibus, in Capitulis & Congregationibus præfatæ Provinciæ Votum deciſivum & conſuetivum habere poſſit & debeat dumtaxat P. Generalis actualis excluſis aliis Superioribus & Officialibus generalibus, cujuſcumque Provinciæ ſint, & qualitatis; & ita præcipimus, mandamus & reſpective declaramus non ſolum iſto, ſed omni &c. Datum ex noſtris ædibus hac die 29. Martii 1725. L. Cardinalis Corſinus Protector & Delegatus Apoſtolicus. - Loco ✠ Sigilli.

Quod in Congregationibus & Capitulis Provincialibus Provinciæ Romanæ ex exteris ſolummodo Patris Generalis actualis votum deciſivum & conſultivum habere debeat.

§. 12. Cum autem ſicut pro parte dilecti Filii Joſephi Mariæ Ruccioli Fratris, expreſſe Profeſſi, ac Miniſtri Provincialis Provinciæ Romanæ dicti Ordinis Nobis nuper expoſitum fuit, ipſe, Decreta hujuſmodi quo firmius ſubſiſtant, & ſer-

Hujuſmodi Decretorum confirmatio per SS. D.N.

ventur

ventur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ præsidio communiri plurimum desideret: Nos ipsius Josephi Mariæ votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decreta præinserta auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus & confirmamus, illisque Apostolicæ firmitatis robur, vim & efficaciam adjicimus, ac omnes & singulos juris & facti defectus, qui desuper quomodolibet intervenisse dici, prætendi vel censeri possunt, amplissime supplemus & sanamus.

Præsentium literarum fides & observantia.

§. 13. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac illis, ad quos spectat & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter & inconcusse; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, aliosve quoslibet quacumque præeminentia & potestate fungentes & functuros, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantium in contrarium derogatio.

§. 14. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 31. Augusti 1730. Pontificatus nostri anno Primo.

F. Card. Oliverius.

VIII.

Jubileum Universale ad implorandum Divinum Auxilium initio sui Pontificatus pro salutari Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ regimine.

CLEMENS PAPA XII.

Universis Christifidelibus præsentes literas inspecturis Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Dat. die 9. Sept. 1730. Pont. An. 1.

Exordium a præsenti universalis Ecclesiæ statu petitum.

Ubi primum supernæ Vocis humilitatem Nostram ad Beati Petri Cathedram regendam evocantis sonitus auribus nostris intonuit, timor & tremor venerunt super Nos, & contexerunt Nos tenebræ, meritoque ad Dominum cum Propheta exclamavimus: Audivi auditum tuum & timui: consideravi opera tua & expavi: cum non ignoremus & muneris magnitudinem & virium nostrarum imbecillitatem; animoque prospiceremus miseram temporum conditionem & undique circumstantes difficultates angustias ac pericula; & (quod Nos maxime angebat) Sancta Dei Ecclesia tot hæresibus & in Religione dissidiis lacera, multorumque filiorum suorum, a salutari Christi norma graviter deviantium vitiis fœda oculis nostris obversaretur, facta quasi vidua plorans in nocte, & lacrymæ ejus in Maxillis ejus; ut illud jure conqueri possemus: quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides Sanctuarii in capite omnium platearum. Quæ in amaritudine animæ nostræ cogitantes; non aliter delatam Apostolicæ servitutis sarcinam, quam ut increbrescentis Divinæ vocis imperio, quemadmodum par erat, humiliter obsequeremur dolentes suscepimus. Cœlesti autem monito edocti, quod sicuti nemo de sua justitia præsumere, ita de Dei misericordia diffidere nemo debet, Patrem totius consolationis assidue deprecamur, ut qui tanti fuit Nobis honoris auctor, fore non dedignetur administrationis adjutor; ac ne sub oneris gravitate succumbamus, supponat manus suas; & virtutem largiatur, qui contulit dignitatem. Idipsum & vos, quibus pastoralem curam impendere cæpimus, & deinceps, quamdiu divinæ Bonitati placuerit, impensuri sumus, conjunctis Nobiscum precibus agatis. *Jerem.*

Adhortatio ad Christifideles, ut sanctis operibus S. S. suffragentur.

§. 1. Depositio itaque per veram pœnitentiam peccatorum pondere, precibus, jejuniis, aliisque pietatis operibus auxilium ex alto sinceris concordibusque suffragiis imploremus, ut a quo omne datum optimum, & omne donum perfectum descendit, det Nobis Spiritum Consilii & fortitudinis, quo commissum Nobis Dominicum Gregem feliciter regere, ac cum illo ad æternæ vitæ gloriam pervenire mereamur. Et quia præcipuæ pastorales muneris nostri partes sunt, omnibus Ecclesiis, quarum Nobis divinitus injuncta est sollicitudo, idoneos Præsules constituere, precemur æternum Pastorem, ut qui Vicariam suam in terris Potestatem humilitati Nostræ concedere dignatus est, tales Nobis tribuat, Ecclesiis universis Pastores præficere, qui & ipsi facti forma gregis populum curæ suæ creditum non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis prospere dirigant & Ecclesias sibi commissas uberius pietatis incrementis locupletent.

Quam necessarium idoneos Præsules minoribus Ecclesiis constituere.

Quodque ipsis incumbat munus selectos sibi ministros comparare.

§. 2. Antistites vero Catholici, in partem sollicitudinis nostræ vocati, in hoc serio incumbant, ut eos deligant Ordinis Ecclesiastici ministros, præsertim animarum Rectores, qui munia sua digne impleant, & vivos lapides in ædificium Cœlestis Jerusalem præparare adnitantur. Religiosi quoque & Sanctimoniales vota sua Domino in Sanctitate & Justitia reddant, ut suavis Christi odor de bona eorum conversatione fragrans Sanctam Matrem Ecclesiam recreat, ac omnes demum fideles, abjicientes opera tenebrarum, & induentes arma lucis, ita dirigant in conspectu Domini vias & gressus suos, ut Fidei, quam profitentur, finem & repromissionem, salutem scilicet animarum suarum, reportare valeant, jugiter memores, oportere Nos, quotquot & qualescumque tandem sumus, post emensum hujus mortalis ævi stadium, manifestari ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque, prout gessit, sive bonum sive malum. Oremus unanimiter, ut Deus pacis, qui Reges in thronos collocat, dies nostros in sua pace disponat, ac Principum Christianorum Animos vinciat in vinculo charitatis, Turcarum aliorumque Infidelium vires & consilia conterat. A magno Patrefamilias supplices petamus, ut vineam suam,

Cantic. Habacuc.

quam plantavit, electam custodiat; Hæreticos & Schismaticos ad Catholicæ fidei veritatem Ecclesiæque unitatem reducat: populumque suum protegat, & ab iracundiæ suæ flagellis ac terroribus misericorditer liberet. Hæc vero ut ferventiori spiritus ardore, uberiorique fructu fiant, priscum ac laudabilem Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum morem secuti, cælestium munerum Thesauros, quorum dispensationem fideî nostræ commisit divina dignatio, proferre, & liberali manu erogare decrevimus.

Indictio prædicti Jubilæi.

§. 3. Itaque de Omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa ligandi atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus licet indignis contulit, universis & singulis utriusque sexus Christifidelibus in Alma Urbe nostra degentibus, qui solemni processioni, quam Dominica tertia currentis mensis Septembris ab Ecclesia Sanctæ Mariæ Angelorum in Thermis ad Basilicam Sanctæ Mariæ Majoris nuncupatam de eadem Urbe una cum Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, necnon Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, quos in Romana Curia adesse contigerit, ac Christianorum Regum & Principum Oratoribus apud Nos existentibus, Prælatis quoque & Officialibus ejusdem Curiæ, universoque Clero & Populo benedicente Domino de more agemus, devote interfuerint; vel Sancti Joannis in Laterano Principis Apostolorum, & Sanctæ Mariæ Majoris dictæ Urbis Ecclesias seu Basilicas, vel earum aliquam, intra spatium illius vel alterius proxime subsequentis hebdomadæ, saltem semel devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium pias ad Deum preces, ut supra effuderint; ac quarta & sexta feria & Sabbato alterius ex præfatis hebdomadis jejunaverint & peccata sua confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Dominica die immediate sequenti, vel alia die intra eamdem hebdomadam reverenter sumpserint, ac Pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique suggerit devotio, erogaverint.

Conditiones requisitæ ad consecutionem hujusmodi Indulgentiarum.

Existentibus extra Urbem, quo pacto Indulgentias hasce assequi possint.

§. 4. Cæteris vero extra Urbem prædictam ubicumque degentibus, qui Ecclesias ab Ordinariis locorum vel eorum Vicariis seu Officialibus, aut de eorum mandato, & ipsis deficientibus, per eos, qui ibi curam Animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hæ nostræ pervenerint, designandas, vel Ecclesiarum hujusmodi aliquam spatio duarum similiter hebdomadarum a publicatione designationis per Ordinarios vel eorum Vicarios seu Officiales vel alios, ut præfertur, faciendæ decursurarum, saltem semel visitaverint, ibique ut supra, oraverint, ac quarta & sexta feriis ac Sabbato alterius ex hebdomadis hujusmodi jejunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac in die Dominica immediate sequenti, vel alia die intra eamdem hebdomadam, Sanctissima Communione refecti fuerint, & pauperibus aliquam eleemosynam ut præmittitur, erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam & remissionem, sicut in anno Jubilei visitantibus certas Ecclesias intra & extra Urbem prædictam concedi consuevit, tenore præsentium concedimus & elargimur. Navigantes vero & iter agentes, ut cum primum ad sua sese domicilia receperint, suprascriptis peractis, & visitata Ecclesia Cathedrali vel majori aut Parochiali loci eorum domicilii, eamdem Indulgentiam consequi possint & valeant.

Pro Navigantibus.

Pro Regularibus in Claustris degentibus;

§. 5. Regularibus autem personis utriusque sexus etiam in Claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque tam laicis quam Ecclesiasticis, Sæcularibus vel Regularibus, etiam in Carcere aut in captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa Confessarius ex jam approbatis a locorum Ordinariis ante præsentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quæ ipsi pænitentes efficere poterunt, pariter concedimus & indulgemus.

Cæterisque legitime impeditis.

De Confessario eligendo, ejusque facultate.

§. 6. Insuper omnibus & singulis Christifidelibus utriusque sexus tam Laicis quam Ecclesiasticis Sæcularibus & Regularibus cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti tam in Urbe præfata quam extra eam ubique locorum, ut præfertur, degentibus, licentiam concedimus & facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium tam Sæcularem, quam cujusvis Ordinis & Instituti Regularem ex approbatis, ut præmittitur, a locorum Ordinariis, qui eos ab excommunicationis, suspensionis & aliis Ecclesiasticis sententiis & censuris, a jure vel ab homine quavis causa latis seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus & delictis quantumvis gravibus & enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive Nobis & Sedi Apostolicæ etiam in literis die Cœnæ Domini legi solitis contentis, & alias per quascumque Nostras aut Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum Constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiæ, & hac vice tantum absolvere & liberare valeant; & insuper vota quæcumque (Religionis & Castitatis exceptis) in alia pia & salutaria opera commutare, injuncta tamen eis & eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus pœnitentia salutari, aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis.

De hujusmodi Jubilæo ubique publicando.

§. 7. Quapropter tenore præsentium in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipimus atque mandamus omnibus & quibuscumque Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ac quibuscumque Ordinariis locorum ubicumque existentibus, eorumque Vicariis & Officialibus, vel iis deficientibus, illis qui curam Animarum exercent; non tamen, qui per dictos Prædecessores a Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Communione quomodolibet separati fuerint, ut cum præsentium literarum transumpta aut exempla, etiam impressa, acceperint, illa statim absque ulla mora, retardatione vel impedimento per suas Ecclesias & Diœceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, & loca publicent & publicari faciant, Ecclesiamque seu Ecclesias visitandas designent.

De casibus reservatis.

§. 8. Non intendimus autem, per præsentes super aliqua irregularitate publica vel occulta, nota, defectu, incapacitate seu inhabilitate, quoquo modo contracta, dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi seu habilitandi & in pristinum statum restituendi etiam in foro conscientiæ; neque pariter easdem præsentes iis, qui etiam eorum nomine speciatim non expresso a communione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ut præfertur, segregati, seu a Nobis & Apostolica Sede, vel ab aliquo Prælato vel Judice Ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in Sententias & Censuras incidisse declarati vel publice denunciati fuerint, nisi intra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum Partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere.

Clausulæ derogatoriæ.

§. 9. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, præsertim quibus

facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes vel dissimiles Indulgentiarum & Facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant; necnon Regula nostra de non concedendis Indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum & Congregationum sive Institutorum Regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis & literis Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus & Institutis illorumque personis, quomodolibet concessis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servata habentes, hac vice specialiter nominatim & expresse ad effectum præmissorum derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 10. Ut autem præsentes nostræ, quæ ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut earumdem præsentium transumptis vel exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, ubique locorum & gentium eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 9. Septembris 1730. Pontificatus Nostri anno Primo.

F. Card. Oliverius.

IX. Confirmatio Statutorum & Decretorum pro Congregatione Hispaniæ Fratrum Discalceatorum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, in Capitulo & Diffinitorio Generalibus dictæ Congregationis factorum.

Alia non absimilia Statuta pro regimine Provinciarum hujusce Congregationis, ac præcipue pro Congregatione Sancti Joachimi Polon. Confirmavit Benedictus XIII. Constit. Militantis Ecclesiæ &c. *num. CLIII. Constit. vero* Exponi Nobis &c. *num. CLXXI. Capitulo ac Diffinitorio Generalibus facultatem concessit Decreta & Statuta condendi pro regimine omnium Provinciarum suæ Congregationis; quæ hic a Sanctissimo Domino Nostro confirmantur.*

Dat. die 11. Septemb. An. 1730. P. 1.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

PAstoralis officii, quod authore Deo gerimus, solicitudo Nos urget, ut paternam Christifidelium Altissimi obsequiis sub arctioris vitæ regularis Instituto mancipatorum curam peculiari charitate gerentes ea, quæ pro felici prosperoque illorum regimine & gubernio provide constituta esse noscuntur, quo firma semper atque stabilia permaneant, Apostolici muniminis præsidio roboremus.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus Filius modernus Procurator Generalis Congregationis Hispaniæ Fratrum Discalceatorum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, quod alias postquam fel. rec. Benedictus Papa XIII. Prædecessor Noster per quasdam suas in simili forma Brevis die 4. Augusti 1727. expeditas literas, quædam Decreta Definitorii Generalis ejusdem Congregationis pro salubri Provinciæ Sancti Joachimi, non ita pridem in Regno Poloniæ institutæ, potissimum edita approbaverat, ac per alias suas in pari forma Brevis literas die 26. Februarii 1728. postmodum emanatas Capitulo Generali Congregationis præfatæ tunc proxime celebrando, ac deinde eidem Definitorio Generali facultatem concesserat novas condendi leges seu constitutiones ad uniforme gubernium, in omnibus ipsius Congregationis Provinciis, tam eatenus intra & extra Hispaniarum Regna & dominio erectis, quam ubicumque imposterum erigendis, stabiliendum; necnon ad Capitulorum Generalium & Provincialium celebrationem spectantes, habendo tamen præ oculis decreta Definitorii Generalis pro dicta Provincia Sancti Joachimi, sic, ut præmittitur, edita & approbata, quæ nihilominus explicare, extendere, moderari, & ad uniformitatem dicti Gubernii accommodare possent, itaut novæ leges seu constitutiones sic condendæ ab hac Sancta Sede approbarentur, & alias, prout in binis memorati Benedicti prædecessoris literis, quarum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, & ad verbum insertis haberi volumus, plenius continetur; Nuperum Capitulum ac successive Deffinitorium generalia prædicta, facultati & literis præfatis inhærendo, diversa statuta ac nova Decreta pro uniformi omnium Provinciarum dicti Ordinis regimine ediderunt, & ad hanc Sanctam Sedem transmitti curarunt, ut nostro & ejusdem Sedis patrocinio munirentur.

Juxta facultatem Congregationi hujc a Bened. XIII. (*de qua superius*) concessam.

Edita Decreta pro universi Ordinis Provinciis.

§. 2. Nos vero eadem statuta & nova decreta Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præpositis discutienda commisimus, qui audita desuper dilecti filii nostri Ludovici ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis Bellugæ & Muncada nuncupati, ad ejusmodi negotium examinandum a dictis Cardinalibus deputati, relatione, illa per eumdem Ludovicum Cardinalem corrigi, ac modificari mandarunt, prout re ipsa ab ipso Ludovico Cardinale correcta, modificata, ac in unum volumen redacta fuerunt tenoris, qui sequitur videlicet.

Confirmantur.

Statuta ac Decreta a Capitulo generali, ac generali Diffinitorio Ordinis Discalceatorum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum stabilita ac ordinata pro uniformi gubernio omnium Provinciarum tam hactenus intra & extra Hispaniarum Regna erectarum, quam ubicumque imposterum erigendarum.

§. 3. Sanctissimus Dominus Noster fel. rec. Benedictus XIII. per suas literas sub forma Brevis expeditas die 4. Augusti anni 1727. auctoritate Apostolica approbavit & confirmavit omnia & singula decreta, quæ Diffinitorium generale Ordinis Discalceatorum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Congregationis Hispaniæ statuerat pro bono regimine Provinciæ Sancti Joachimi auctoritate Apostolica in Regno Poloniæ erectæ, & per alias literas etiam in forma Brevis expeditas die 26. Februarii anni 1728. Sanctitas Sua benigne indulsit, & amplam facultatem concessit Capitulo generali tunc proxime eodem anno celebrando & post ipsius Capituli

Benedict. XIII. pro hujusmodi Decretorum confectione concessiones.

celebrationem Diffinitorio generali tunc futuro & nunc existenti, ad effectum statuendi uniforme gubernium omnium Provinciarum tam hactenus intra & extra Hispaniarum Regna erectarum, quam ubicumque in posterum erigendarum, ac condendi & statuendi novas leges & ordinationes non solum pro dicto uniformi regimine, sed spectantes etiam ad Capitulorum generalium & provincialium celebrationem, habendo tamen præ oculis prædictas literas pro regimine Provinciæ Sancti Joachimi expeditas, quas similiter concessit posse explicari, extendi, moderari, & accommodari ad prædictum regimen uniforme; ideoque prædictum Capitulum generale, proxime præteritum, & post ipsum subsequens, præsensque Diffinitorium generale, supradictis facultatibus & concessionibus innitendo, sequentia decreta, & ad uniforme omnium Provinciarum Ordinis statuta ordinarunt & statuerunt.

Quod Breve Bened. XIII. pro Provincia S. Joachimi in Polonia extendatur ad reliquas totius Ordinis Provincias.

§. 4. Primo, quod prædictum Breve pro bono regimine Provinciæ Sancti Joachimi, & in eo gubernium illius Provinciæ Sanctissimo Domino Nostro fel. rec. Benedicto XIII. confirmatum, extendatur ad omnes totius Religionis Provincias modo erectas, & imposterum erigendas tenore sequenti, quo Decreta illa explicata, extensa, & accommodata sunt vi facultatis Capitulo & Diffinitorio generali concessæ per literas supracitatas, & ultimo expeditas ab eodem Sanctissimo Domino: scilicet quod Capitulum Provinciale in singulis Ordinis Provinciis celebretur de triennio in triennium sabbato, si fieri possit, ante quartam Dominicam post Pascha, itaut in duabus Provinciis, vel in tribus, si creverit numerus Provinciarum cujuscumque familiæ, celebretur anno præcedenti ad Capitulum generale; in alia aut aliis Provinciis anno post Capitulum generale, nisi justa de causa Superior generalis ex familia assumptus aliquod Capitulum anteponat vel postponat, quod facere poterit per tres tantum menses; tunc enim celebrabitur tempore & die designando ab ipso Superiore generali, & semper extra Curias Principum in Domo ad arbitrium prædicti Superioris, consulto tamen Diffinitorio Provinciali, destinanda.

De tempore celebrandi Capitula Provincialia.

Quod Diffinitores Provinciales jurisdictionem suam exercere possint post confirmationem Apostol. &c.

§. 5. Secundo, quod Diffinitores Provinciales, quos pro efformatione Provinciarum Diffinitorium generale vi prædictarum facultatum elegit, post Capitulum generale proxime præteritum, quatuor scilicet pro unaquaque Provincia, quique modo nullam jurisdictionem exercent ex defectu confirmationis Apostolicæ, immediate post confirmationem prædictæ Sedis Diffinitoria celebrare, aliaque sui muneris facere possint.

Quod Vocales a Diffinitorio electi pro unaquaque Provincia vocem activam habeant in Capit. Provincialibus suarum Provinciarum.

§. 6. Tertio, quod cæteri Vocales similiter electi a Diffinitorio generali juxta prædictam facultatem, ipsique Diffinitores Provinciales vocem activam habeant, & exercere possint in Capitulo Provinciali suæ respective Provinciæ, & respective in suo Diffinitorio ipsi Diffinitores, si ante primum Capitulum aliquo Diffinitorio competat electio.

De concurrentia Capituli Provincialis cum Generali.

§. 7. Quarto, quod ut futuris temporibus nullum Capitulum Provinciale concurrat ipso die & anno cum Capitulo generali, ad quod concurrere debent Provinciales, omnia Capitula sex Provinciarum, quæ prima & immediata erunt, celebrentur a sabbato ante quartam Dominicam post Pascha anni proxime venturi 1731. usque ad Sabbatum quartam Dominicam post Pascha anni immediate sequentis 1732. tempore & diebus intra prædictum annum, designandis a Diffinitorio generali pro commodiore cujuscumque Capituli celebratione.

De tempore celebrandi sequentia Capitula Provincialia, quæ secunda erunt cujuscumque Provinciæ, celebrentur ante & post Capitulum generale modo supradicto, itaut in Provinciis, in quibus hæc priora Capitula prius celebrata fuerint, secunda celebrentur Sabbato ante quartam Dominicam post Pascha anni 1735., & in aliis in quibus posterius hæc prima celebrata fuerint eodem Sabbato celebrentur anni 1736., sic enim futuris temporibus de triennio in triennium sine concurrentia Capituli generalis celebrabuntur.

De convocatione Gremialium ad Capitula Provincialia, & Literis convocatoriis.

§. 9. Sexto, quod ad Capitulum Provinciale Superior provincialis per suas literas convocet Gremiales juxta instructionem Superioris generalis, qui per sex menses ante Capitulum tenebitur illi notam facere designationem Domus, temporisque & diei, ut ea omnia denunciet in literis convocatoriis eis, qui concurrere debent & possunt. De his autem convocatoriis idem intelligatur, quod dictum est circa Capitulum generale Ordinis, ut earum vi Gremiales reputentur vocati. At vero de illis Superior Provincialis certiorem faciat Præsidem Capituli illico ac in Domum Capitularem accedat Præses.

De Præside Capituli Provincialis.

§. 10. Septimo, quod in quocumque Capitulo Provinciali cujuscumque familiæ, scilicet intra & extra Hispaniam, Præses erit Superior generalis Ordinis, si adfuerit intra illam; si vero extra illam fuerit, Præses erit, in altera familia Superior generalis illius, sive sit Commissarius sive Vice-Commissarius sit: In propria vero familia Superioris generalis Ordinis, si prædictus Superior generalis fuerit extra illam, Præses erit ille, quem pro tempore suæ absentiæ elegerit in Præsidem totius familiæ; Si autem ob justas causas, vel quia duo Capitula eodem anno concurrant in Provinciis longe inter se distantibus, Superior generalis, nisi magno labore ad aliquod Capitulum Provinciale concurrere nequeat, tunc & eo casu poterit designare Præsidem pro Capitulo Provinciali, cujus præsidentiam pro se non selegerit; Cæterum semper tenebitur eligere Præsidem ex Provincia, intra quam celebrabitur Capitulum, & nisi instante Diffinitorio Provinciali concurrentibusque omnibus suffragiis præter unum, designare non poterit, Præsidem ex altera ejusdem familiæ Provincia assumptum.

De modo eligendi Præsidem Capitulorum Provincialium, quæ primum Generale præcesserint.

§. 11. Octavo, quod in his primis Capitulis Provincialibus præcedentibus Capitulum generale, in quo Ministri generalis electio inciderit, cujuscumque Capituli Provincialis Præses sit Minister generalis, vel Diffinitor generalis filius illius Provinciæ, vel quem ipse Minister generalis ex eadem Provincia designet in Præsidem; quod intelligendum est intra & extra Hispaniam, & quatenus contingat fieri divisionem Familiarum in futuris Capitulis generalibus cum confirmatione Sanctæ Sedis ad instar illius divisionis, quæ habetur in Religione Sancti Francisci, tunc præsidentia vel Præsidis designatio fiet a Commissario generali respectu Provinciarum illius Familiæ, quam Commissarius generalis gubernabit.

De iis qui ad Capitula Provincialia concurrere debent etiam sub pœna utriusque vocis.

§. 12. Nono, quod ad Capitulum Provinciale, nisi detenti fuerint infirmitate vel impedimento inevitabili, concurrere debent sub pœna privationis vocis activæ & passivæ in perpetuum Superior Provincialis, Diffinitores Provinciales, duo Ministri socii Redemptor Captivorum, & Procurator Provinciæ; itaut si in aliqua familia fuerit aliquis Procurator plurium Provinciarum in alicujus Principis communi Curia, hic suffragium habere debeat in Capitulo suæ Provinciæ, de qua assumptus fuerit; & in eo casu licet sit alius Procurator particularis ejusdem Provinciæ, hic non

habeat

habeat suffragium. Deinde suffragium habere possunt, quin cogantur adesse Capitulo, qui aliquando fuerint Superiores generales aut Diffinitores generales Ordinis, vel Familiæ ex ea Provincia assumpti, vel qui fuerint Provinciales illius; demum ad Capitulum, & extra Domum Capitularem sub prædicta pœna privationis accedere tenentur duo socii in defectum.

De præcedentiis.

§. 13. Decimo, quod in aula Capitulari & extra illam tempore Capituli sedeant, præcedant & præsideant Capitulares eo modo & forma, quibus dictum est de vocalibus Capituli generalis. Monemus autem Patres Diffinitores generales actuales, ut tempore hujusmodi Capituli extra Domum Capitularem in alio Conventu commorentur, nisi actuali infirmitate impediantur a prædicta Domo Capitulari ad alium Conventum pergere, vel nisi aliquis ipsorum sit Præses Capituli.

Diffinitores Generales tempore Capituli Provincialis extra Domum Capitularem commorari debent.

§. 14. Undecimo, quod Capitulares solum ingredi poterunt Domum Capitularem feria quinta immediate ante celebrationem Capituli, exceptis illis, qui excipiuntur respectu Capituli generalis, & ademptis sociis secundis, qui nisi vocati, accedere non poterunt. Studentes autem, qui examinandi fuerint post electiones, accedere poterunt. De cætero autem circa præambula ante electiones similiter observanda sunt omnia, quæ statuta sunt circa Capitulum generale in Constitutionibus Ordinis; eligibilitatis vero scrutinia pariter fiant, hoc nimirum modo: Eadem feria quinta Præses Capituli omnibus Gremialibus manifestet catalogum, a Diffinitorio provinciali ipsi traditum, omnium Religiosorum, qui intra Provinciam juxta nostras Constitutiones, inspectis graduatione & interstitiis, apti sint, ut ex illis fiat eligibilitatis scrutinium.

De tempore, quo Capitulares Domũ Capitularem ingredi debent.

De modo faciendi scrutinia eligibilitatis.

§. 15. Duodecimo, quod feria sexta congregentur in aula Capitulari, ut ex aptis juxta catalogum illis creditum a Præside ad officium Provincialis, unusquisque gremialium in schedula una scribat nomina quinque eorum, quos juxta suam conscientiam selegerit inter omnes ad tale munus. Postea omnium schedulæ extrahantur ab urna aut vase destinato, & a Præside duobusque immediate Vocalibus secrete regulentur, itaut selectis illis, qui plures voces habuerint, juxta dicta de hoc scrutinio in Capitulo generali faciendo, eorum nomina scribantur ab uno trium, & facto juxta ibidem dicta scrutinio usque ad numerum quintum eligibilium, eligibiles declarentur & publicentur, ut Gremialibus omnibus constet ipsos eligibiles esse, ut ex illis suo tempore eligant in Provincialem illum, quem omnibus inspectis quisque judicet eligendum.

De modo eligendi Provincialem per Gremiales.

§. 16. Tertiodecimo, quod post hoc scrutinium fiat secundum ad Diffinitorum Provincialium selectionem; & quia inter Diffinitores nulla inæqualitas est officii, quisque Gremialium in sua schedula nominare debet octo ex aptis ad munus Diffinitoris, & scrutinium fieri debet octo ex illis, qui plures voces habeant, itaut solum nominentur proxime eligiles in Diffinitores octo ex omnibus aptis, ut ex eis tempore suo eligant Vocales quatuor Diffinitores Provinciæ. Similiter tertium fiat scrutinium ad Ministrorum selectionem, & ad illud ex aptis, ut dictum est, unusquisque Vocalium in sua schedula scribat talem numerum Religiosorum aptorum, ut in medietate excedat numerum Domorum Provinciæ, pro quibus eligendi sunt Ministri: Hoc enim more fit inter Carmelitas Excalceatos: & facto scrutinio, regulatisque vocibus modo dicto, seligantur eligibiles in Ministros usque ad ministeriorum duplicatum numerum, ut ex his omnibus Ministri eligi possint, quin Vocales teneantur eligere in Ministrum alicujus Domus unum ex duobus determinate sumptis, sed valeant eligere, quem maluerint ex contentis in supradicto numero: Denique ad Sociorum omnium selectionem fiat scrutinium, sicuti ad seligibilitatem Diffinitorum.

De electione similiter Diffinitorum Provincialium per Gremiales.

§. 17. Quartodecimo, quod Præses Capituli manifestet Vocalibus graduationem Domorum a se factam præcise ad eligendos Ministros pro illis ut habetur in Clementinis Constitutionibus Nostris, & statim separentur Capitulares a Diffinitorio, quod solum deputare debet dictos Vocales ad legendas epistolas missas ad Capitulum juxta dicta de Capitulo generali.

De Domorum graduatione ad Ministros eligendos, a Capituli Præside facienda & publicanda.

§. 18. Quintodecimo, quod sequenti die sabbato, nempe factis omnibus, quæ fieri debent in Capitulo generali, congregentur in aula Capitulari, & facta a Præside exhortatione lingua omnibus communi fiant absolutio, electorum juramentum, electio Secretarii Capituli, Scrutatorum, Secretarii Scrutinii, & Pronunciatoris, eadem forma eisdemque factis juramentis, sicut dictum est de Capitulo generali in Constitutionibus Ordinis, & his omnibus finitis ad electiones procedant Vocales.

De juramento a Vocalibus præstando.

§. 19. Decimo-sexto, quod ante prandium fiat semper, & sola fiat electio Ministri Provincialis; qua facta, omnes Vocales præter Præsidem & Superiorem Provincialem, cujus officium expirat, pergant processionaliter in Ecclesiam cantantes Hymnum *Te Deum &c.* & ibi ab eo benedictionem accipiant eo modo & forma, quibus juxta nostras Constitutiones Clementinas fit in electione Ministri generalis. Vespere autem congregetur Capitulum, & si Provincialis electus præsens fuerit, sedeat immediate ad Præsidis sinistram; non tamen præsideat aliis Vocalibus, quamvis eos præcedat, nec officium exerceat, usquequo finiatur Capitulum, nec si absens sit, illum Capitulum expectet, sed prosequatur, & fiant electiones quatuor Diffinitorum Provincialium, quorum præcedentia post confirmationem juxta Ordinem electionis regulanda erit.

De prælimi naribus ad electionem Provincialis.

§. 20. Decimo septimo, quod sequentibus diebus, qui omnes pro celebratione Capituli ad summum erunt novem, fiant electiones Ministrorum Conventualium, secundum graduationem Domorum antea dictam, & post omnium Prælatorum electiones eligantur canonice duo Socii ex Ministris noviter electis, qui ad Capitulum Provinciale futurum concurrere debeant, ut Socii primi. Præterea eligantur alii duo, qui fuerint aliquando Ministri, quamvis in eo Capitulo in Ministros non sint electi, ut ad Capitulum futurum accedant vocati tanquam Socii secundi, quorum primus, deficiente aliquo gremiali, cui concurrere non sit liberum, suffragium habeat pro eo, & secundus suffragium habeat, si deficiat alter, quique ambo in loco proximo extra Domum Capitularem manere debent tempore Capituli, ut præsto sint concurrere, si vocentur; non autem eligi poterit in Socium primum aut secundum, qui in eo Capitulo Socius fuerit, quamvis in eo eligatur in Ministrum.

De electione Ministrorum Conventualium, Vocalium pro futuro Capitulo Generali, &c.

§. 21. Decimo-octavo, quod in casu, quo post trinum scrutinium adhuc non fuerit electio canonica secuta, tunc omissis scrutiniis, eo ipso habeatur tanquam legitime electus vi hujus Constitutionis ille, pro quo fuerit major numerus suffragiorum, quam pro alio aut aliis: Si vero pro duobus fuerit æqualis numerus suffragiorum major, quam pro aliis, tunc antiquior in professione reputabitur & habebitur tanquam legitime electus.

§. 22. Decimo-nono, quod si per mor-

tem, aut aliam quamvis causam Socius aliquis pro suo munere non possit accedere ad Capitulum; tunc Diffinitorium Provinciale tempore apto eligat Socium loco illius.

§. 23. Vigesimo, quod si aliquis Prælatus vel particularis Religiosus aliquid animadvertendum vel nota dignum habuerit, id credat Provinciali suo, vel alicui Socio ex primis suæ Provinciæ, ut ipse tradat destinatis a Diffinitorio Provinciali ad legendum epistolas.

§. 24. Vigesimo primo, quod factis canonice electionibus fiant omnia, ut habentur in Constitutionibus nostris Clementinis numero 16. fol. 168. usque ad verbum Captivorum; & postea addatur Capitulum Provinciale, quamvis non possit novas Constitutiones statuere, poterit ordinationes facere ad melius regimen suæ Provinciæ, dummodo nihilo sint contrariæ ordinationibus factis a Capitulis generalibus, vel generalibus Diffinitoriis.

Facultas Capitulis Provincialibus condendi novas Ordinationes ad regimen suæ Provinciæ.

§. 25. Vigesimo secundo, quod Ordinationibus factis, extra Aulam Capitularem fiat examen Studentium, qui concurrere debent, ut ex illis eligantur Lectores juxta dicta de Capitulo generali.

De examine Studentium ad gradum Lectoris promovendorũ.

§. 26. Vigesimo tertio, quod Capitulum eligat sex Patres ex gravioribus Provinciæ, quorum consilio & assensu Pater Provincialis, quando casus occurrerit, ejiciat ab Ordine aliquem instructo processu, & plene probatis causis expulsionis, servatisque Decretis Congregationum, & Summorum Pontificum; & præterea eligat ad eumdem effectum alios quatuor vel sex Patres subrogando ordine suæ electionis in defectum alicujus vel aliquorum ex sex prius electis.

Sex graviores Patres eligendi Provinciali a consiliis in causis examinandis.

§. 27. Vigesimo quarto, quod his factis legantur coram toto Capitulo decreta Sacræ Romanæ & generalis Inquisitionis; & Præses Capituli hortetur Gremiales ad strictam observantiam illorum.

§. 28. Vigesimo quinto, quod decretis lectis, Præses Capituli imponat præceptum, ut habetur in nostris Constitutionibus Clementinis numero 19. fol. 170., & si aliquod impedimentum inventum fuerit, ad Præfidem Capituli & Diffinitorium cum suo Provinciali spectet judicium; nullo autem invento, vel si inventum fuerit, judicio facto, Capitulum albis nigrisque lapillis eligat Redemptorem Captivorum pro sua Provincia, & Procuratorem Provinciæ pro ea: Quod si in aliqua Familia fuerit Curia communis plurium Provinciarum Ordinis & Provinciæ alternatim elegerint Procuratorem omnium illarum, Provincia illa, cui secundam dictam alternativam competit electio hujusmodi Procuratoris, prius eligat illum in suo Capitulo Provinciali, & postea eligat Procuratorem particularem ejusdem Provinciæ.

De electione Redemptoris Captivorum pro unaquaque Provincia; Et Procuratoris Provinciæ.

§. 29. Vigesimo sexto, quod totum Capitulum confirmet electionem Patris Provincialis; Præsesque, necnon Provincialis, cujus officium expirat; ac Diffinitorium Provinciale confirmet omnes alias electiones.

De confirmatione electionum.

§. 30. Vigesimo septimo, quod his omnibus expeditis, Socius primus surgat, & coram Capitulo legat Catalogum Religiosorum, qui in illo triennio decesserunt in sua Provincia. Deinde si aliqui Religiosi petierint aliquod sublevamen propter ipsorum fractam valetudinem, aut aliam justam ac rationabilem causam, Capitulum tale sublevamen indulgeat quatuor vel quinque magis indigentibus: Ac demum surgat Secretarius Capituli, & legat electiones omnes, statuta, cæteraque omnia acta & disposita in ipso Capitulo, quæ cuncta & scribenda & subscribenda sunt, sicuti dicitur de Capitulo generali in Constitutionibus nostris num. 20. fol. 71. & statim dissolvatur Capitulum.

De legendo Catalogo Mortuorum.

Levamine valetudinariis præstando:

Ac Capituli Decretis subscribendis.

§. 31. Vigesimo octavo, quod postea immediate Præses Capituli imponat præceptum omnibus Capitularibus, ut intra 24. horas coram ipso manifestent, quidquid notarunt circa mores, regimen, & observantiam durante triennio in Patre Provinciali præterito; necnon circa regimen, & suorum officiorum executionem in Diffinitoribus Provincialibus antecedentibus (Diffinitorum enim Visitatio circa mores in quacumque Visitatione Provinciæ facta supponitur, quia a Visitatore visitari debent etiam Diffinitores Provinciæ) Visitatione concluſa si aliquid dignum pœna vel reprehensione fuerit inventum, Præses ipse, si Superior sit, reos puniat vel reprehendat; Si autem non fuerit Superior, Visitationem mittat Superiori generali familiæ, ut ipse judicet reum aut reos.

De examinandis moribus Provincialis, & Diffinitorum Provinciæ.

§. 32. Vigesimo nono, quod die sequenti ultimoque Capituli Missa solemnis *de Requiem* pro Religiosis Nostris defunctis & Benefactoribus Nostris, concioque & solemne Responsorium habeatur, qua functione peracta, Capitulares fraterna charitate amplexentur, & in suos Conventus proficiscantur.

Missa solemnis *de Requiem* pro Fratribus, ac Benefactoribus dicenda ultimo Capituli die.

§. 33. Trigesimo, quod pro hac unica prima vice Capitulum Provinciale cujuscumque Provinciæ possit reeligere & providere in eisdem officiis Diffinitorum Provincialium Sociorumque, prout melius expedire ipsi videatur, illos, qui ex defectu confirmationis Apostolicæ, quamvis electi fuerint, sua officia non exercuerint.

Facultas pro hac vice tantum reeligendi Diffinitores, Socios que, quamvis ex defectu confirmationis Apostolicæ officium nondũ exercuerint.

§. 34. Trigesimo primo, quod in casu, quo Minister generalis designet in Præsidem Capituli Provincialis aliquem ex alio quovis titulo Vocalem, tunc Minister Domus Capitularis habeat votum in Capitulo Provinciali; & si ipse Minister fuerit Socius actualis, suffragium habeat Socius primus in defectum.

De suffragio Ministri Domus Capitularis.

§. 35. Trigesimo secundo, quod Diffinitorium Provinciale congregetur immediate post Capitulum Provinciale, & postea de semestre in semestre in Domo, quam designabit de una in aliam Congregationem, quodque congregetur etiam quoties Provinciali benevisum fuerit.

De Congregando super singula semestria Diffinitorio Generali.

§. 36. Trigesimo tertio, quod Diffinitorium Provinciale consurgere debet ex Patre Provinciali uti Præsidente, & ex quatuor Diffinitoribus Provincialibus, qui omnes decisivum suffragium habebunt, & insimul poterunt admittere renunciationes, eligere Diffinitores novosque Ministros, Redemptores & Procuratores suæ Provinciæ, quotiescumque vacaverint, eorum officia quocumque titulo vacent; poterunt etiam eligere Chronistam Provinciæ: necnon præbere consensum, ut libri typis mandentur, & cum informatione Patris Provincialis concedere juxta nostras Constitutiones Religiosis eas prævias licentias audiendi confessiones mulierum, cum quibus præsentari se debeant ordinariis locorum, ut ab eis approbationem obtineant: & facere ordinationes ad melius esse suæ Provinciæ: aliaque faciendi facultatem exercere, quæ per delegationem Diffinitorii generalis, vel per novas constitutiones ad universale regimen Ordinis spectantes, pertineant ad ipsum.

De facultatibus Diffinitorii Provincialis.

Præterea ad ipsum pertinet de consensu Superioris generalis seligere studentem Theologiæ, ut nominetur & sit collega nostri Collegii Romani.

§. 37. Trigesimo quarto, quod in casu discordiæ suffragiorum observetur in Diffinitorio, quod stabilitum est pro Capitulo.

§. 38. Trigesimo quinto, quod si Provincialis deficiat, & illius officium quocumque titulo vacet, Diffinitorium Provinciale (Præside designando vel potius designato, pro casu a Superiore generali) & Socii actuales novum

Facultas quoque eligendi Provinciale quocumque titulo eo vacante officio.

eligant

eligant Superiorem Provinciæ, qui Minister Provincialis nominetur, & illius officium solum duret usque ad immediatum Capitulum Provinciale.

De loco Diffinitoribus Provincialibus competenti.

§. 39. Trigesimo sexto, quod Diffinitores Provinciales habitent in Conventibus suæ Provinciæ a Provincialibus designatis; nunquam tamen poterunt esse plures, quam duo in eodem Conventu vel Collegio, nisi per breve tempus; & ubicumque fuerint, sedeant post Ministrum, nisi præsens fuerit Diffinitor generalis, qui eisdem Diffinitoribus Provincialibus præsidere debet.

§. 40. Trigesimo septimo, quod si in Conventu non fuerit Minister, fuerit tamen Præses designatus per Superiorem generalem, vel ejus Diffinitorium, ipse Præses omnes Diffinitores præcedere debet, sicut Minister; neuter tamen præsidere eisdem Diffinitoribus.

§. 41. Trigesimo octavo, quod prædicti Diffinitores Provinciales nunquam se intromittant in regimine Domus, nisi absentibus Ministro, Præside jam dicto, & Vicario; tunc enim quamvis ibidem sit aliquis Diffinitor generalis, Præsides erunt Domus Diffinitores Provinciales, sed Diffinitorem generalem non præcedent, nec in actibus, quibus ipse adfuerit illi præsidentiam habebunt.

Quibus subjecti esse debeant.

§. 42. Trigesimo nono, quod ubicumque fuerint Diffinitores Provinciales, immediate subjiciantur Superiori Provinciæ seu Provinciali, non vero præcedant Ministrum Domus, nec Præsidem numero 37. dictum, nisi tempore actualis Diffinitorii Provincialis.

§. 43. Quadragesimo, quod in aliis Domibus, in quibus Provincialis non fuerit, Diffinitores Provinciales licentiam & benedictionem accipiant a Diffinitore generali in eisdem existenti ad exeundum a Domo, & a Patre Ministro Socium petant, non tamen ipsi sed Socii tantum benedictionem accipiant a Ministro, aut a Præside per Superiorem generalem aut per Diffinitorium generale designato.

§. 44. Quadragesimo primo, quod si Diffinitor generalis non fuerit Domi, ipsi Diffinitores Provinciales petant Patri Ministro licentiam ad exeundum e Domo, ab eodemque Ministro socium & benedictionem accipiant.

§. 45. Quadragesimo secundo, quod liceat Diffinitoribus Provincialibus sine alicujus etiam Superioris impedimento aut examine scribere, aut recipere Epistolas ad illos missas, & similiter alloqui quascumque personas, dummodo observent Regulam & Constitutiones quoad loca & tempora.

De suffragiis.

§. 46. Quadragesimo tertio, quod in faciendis Suffragiis pro Religiosis & Superioribus observetur regimen totius Religionis.

De filiationibus.

§. 47. Quadragesimo quarto, quod ut possint obtinere officia Provinciæ, reputentur filii illius omnes in ea professi, & etiam omnes illi, qui ante ejus erectionem intra eamdem functi fuerunt aliquo officio, aut fuerant Conventuales in illa, necnon illi quos Superior generalis incorporaverit, juxta nostras Constitutiones.

De electionibus in Capitulis Provincialibus factis a Generali non reiterandis.

§. 48. Quadragesimo quinto, quod cum omnes electiones, quæ fieri debent in prædictis Capitulis Provincialibus, antea factæ fuerint in Capitulis generalibus, deinceps Capitulum generale nullam ex his electionibus faciat.

De Capitulo Generali Ministri Generalis electivo quolibet sexennio faciendo.

§. 49. Quadragesimo sexto, quod cum inter Capitula generalia alia huc usque fuerint intermedia, scilicet post triennium electionis Ministri generalis, & alia hujusmodi Capitula fuerint electiva Ministri generalis, deinceps futuris temporibus universus Ordo, omnesque Provinciæ unice congregentur ad Capitulum generale electivum Ministri generalis, quod juxta nostram regulam celebrari debet de sexennio in sexennium.

Pari modo Diffinitorum Generalium faciendæ electio.

§. 50. Quadragesimo septimo, quod in prædicto Capitulo generali simul cum Ministro generali eligantur Diffinitores generales Ordinis de sexennio in sexennium; & quod ut in futuris temporibus id ita fiat, præsentes Diffinitores generales Ordinis, qui in Capitulo generali Ministri generalis electivo electi fuerunt, unus videlicet de qualibet ex sex Ordinis Provinciis, confirmentur & prorogentur usque ad Capitulum generale Ordinis electivum Ministri generalis, sicut Capitulum generale præcedens sibi statuit vi facultatis prædicti Brevis Apostolici ultimo expediti, ultimoque antea expressi.

§. 51. Hæc statuta & determinata sunt, quædam a Capitulo generali, alia vero a Diffinitorio generali post Capitulum, quod per annum integrum in discutiendis, & his determinandis studio quotidiano, omnique meditatione incumbens, hæc proponenda Sanctissimo Domino pro tempore, & illorum confirmationem petendam decrevit, ordinando, imo & præcipiendo Procuratori generali pro tempore, ut quamprimum confirmanda procuret. In quorum fidem præsentes fieri jussimus manu nostra, & Secretarii nostri Chirographo subscriptas, sigilloque nostri Diffinitorii impressione munitas in hoc nostro Matritensi Conventu die 27. mensis Maji anno Domini 1730. Fr. Alexander a Conceptione Minister Generalis -- Loco ✠ sigilli -- De mandato P. N. Ministri Generalis. Fr. Bernardinus a Conceptione Secretarius.

Confirmatio Statutorum hujusmodi per SS. D.N.

§. 52. Quare prædictus Procurator generalis Nobis humiliter supplicari fecit, ut statuta & decreta hujusmodi Apostolicæ confirmationis patrocinio communire de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsius Procuratoris generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum Cardinalium, qui rem universam mature per binas vices discusserunt, consilio, statuta & decreta præinserta, ac omnia & singula in eis contenta auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos juris & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus: Salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac illis, ad quos spectat & pro tempore spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari & diffiniri debere, ac irritum & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§. 53. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apostolicis in con-

trarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides Transumptorum.

§. 54. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 11. Septembris 1730. Pontificatus Nostri Anno Primo.

F. Card. Oliverius.

X. Confirmatio Brevis Urbani VIII. super subjectione Provinciæ Romanæ Ordinis Min. S. Francisci Cappuccinorum nuncupatorum pro tempore existentibus Ministro Generali, & in ejus absentia Procuratori & Commissario generali ejusdem Ordinis.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. die 10. Octobris 1730. P. An. I.

Dudum a fe. re. Urbano PP. VIII. prædecessore Nostro ad favorem tunc existentium Ministri Generalis, & Procuratoris, ac Commissarii Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum emanarunt literæ in simili forma Brevis, tenoris, qui sequitur videlicet.

Breve Urbani VIII.

Exordium.

§. 1. URBANUS PP. VIII. *Ad perpetuam rei memoriam.* Injuncti Nobis a Domino Apostolici muneris ratio postulat, ut Religiosorum virorum, qui spretis hujus sæculi vanitatibus divini Numinis obsequiis sub suavi Religionis jugo, & strictioris observantiæ regulis se manciparunt, paternam curam gerentes, in his ejusdem muneris partes sedulo intendamus, per quæ prospero felicique eorum statui & directioni opportune consulatur, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Provinciam Romanam Ministro Generali, eoque absente Procuratori Generali subjicit.

§. 2. Hinc est, quod Nos quo difficultates, quæ, ut accepimus, Ordini Fratrum Minorum Sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum aliquid molestiæ adferunt, e medio tollantur, quantum cum Domino possumus, providere volentes, Ministrum Provincialem Provinciæ Romanæ dicti Ordinis, ipsamque Provinciam cum omnibus & singulis ejus Domibus, locisque Regularibus, & Conventibus, dilectis filiis modernis & pro tempore existentibus Ministro Generali, & Procuratori Generali ejusdem Ordinis, dum hic vices ipsius Ministri Generalis sustinet, Commissariusque Generalis appellatur & est, iis legibus eoque modo, quo cæteræ Provinciæ cæterique Ministri Provinciales Ordinis hujusmodi juxta ejus Constitutiones Apostolica authoritate confirmatas subjectæ & subjecti sunt, Apostolica auctoritate tenore præsentium subjicimus, ac præsentibus nostris literis alias a nobis die 16. Martii anno 1626. emanatas minime obstare, nosque per secundo dictas literas auctoritate Commissarii generalis dicti Ordinis, cui Minister Provincialis Romanæ Provinciæ prædictæ, ipsaque Provincia more cæterarum Provinciarum, cæterorumque Ordinum parere debent, eo maxime tempore, quo dictus Minister generalis transmarinas & ultramarinas Provincias incolit, invisitque, noluisse nec intendisse derogare declaramus.

Declaratio super hoc capite Literarum alias ab eodem PP. emanatarum.

§. 3. Mandantes propterea dilecto filio moderno & pro tempore existenti Ministro Provinciali, aliisque Officialibus & Fratribus dictæ Provinciæ Romanæ quomodolibet nuncuparis, nunc & pro tempore existen. in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac sub suspensionis & irregularitatis, depositionisque ab eorum officiis & muneribus, perpetuæque privationis vocis activæ & passivæ ipso facto incurren., aliisque arbitrio dilecti filii nostri Antonii videlicet Sancti Petri ad Vincula Presbyteri Cardinalis Sancti Onuphrii nuncupati, nostri secundum carnem fratris germani, moderni, & pro tempore existentis Ordinis prædicti apud Nos & Sedem Apostolicam Protectoris pœnis, ut Ministrum Generalem ac Procuratorem Generalem, dum vices ipsius Ministri Generalis sustinet, estque Commissarius generalis præfatorum, in suos Superiores recipiant & agnoscant, eorumque salubria monita & jussa suscipiant humiliter, & efficaciter adimplere procurent.

Provinciali, Officialibus, ac singulis Fratribus ejusdem Provinciæ subjectionem hujusmodi præcipit sub pœna privationis utriusque vocis &c.

Obstantium derogatio.

§. 4. Non obstantibus, quatenus opus sit, prædictis nostris literis, ac quibusvis Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis & Provinciæ hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, eisdem Ordini & Provinciæ, ac Ministro Provinciali, aliisque Fratribus prædictis, & quibusvis aliis sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam Motu proprio & ex certa scientia & de Apostolicæ potestatis plenitudine, in genere vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio facienda esset, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 13. Maji 1639. Pontificatus nostri anno decimo sexto. M. A. Maraldus.

Dat. die 13. Maji An. Domini 1639. Pontif. Urbani XVI.

Procuratoris Generalis pro hujusmodi concessionis confirmatione preces.

§. 5. Cum autem, sicut modernus Procurator & Commissarius Generalis dicti Ordinis Nobis nuper exponi fecit, ipse ad tollenda quæcumque impedimenta & dubia, quæ super præmissis oriri possent, præmissa, quo firmius subsistant & serventur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Quæ eidem a SS. D.N. benigne indulgetur.

§. 6. Nos igitur ipsius Procuratoris & Commissarii Generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, præinsertas Urbani prædecessoris literas cum omni-

bus & singulis in eis contentis & expressis auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus & approbamus ac innovamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac illas ab omnibus & singulis, ad quos spectat, & in futurum quandocumque spectabit, exacte & accurate observari præcipimus & mandamus.

Præsentium Literarum validatio.

§. 7. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac illis, ad quos spectat & spectabit in futurum, pleniſſime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Et contrariorum quorumcumque derogatio.

§. 8. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, præinsertis literis, necnon omnibus & singulis illis, quæ dictus Urbanus Prædecessor in illis concessit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 10. Octobris 1730. Pontificatus nostri anno Primo.

F. Card. Oliverius.

XI.

Confirmatio Constitutionum Ordinis Monachorum Sancti Hieronymi in Hispania.

Dat. die 11. Octob. 1730. Pont. An. I.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ecclesiæ Catholicæ regimini, meritis licet imparibus, per ineffabilem Divinæ Sapientiæ atque Bonitatis abundantiam præsidentes, ea, quæ pro felici prosperoque Monasticorum Ordinum, in Ecclesia Dei pie sancteque institutorum, ac bonorum operum fructus assidue proferre satagentium, statu ac gubernio provide prudenterque constituta & ordinata esse noscuntur, ut firma semper atque inviolata persistant, & sub illorum directione Christifideles, divinis obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipati, vota sua Altissimo in sanctitate & justitia reddere, populumque Christianum bono vitæ suæ exemplo fructuosius ædificare, & spiritualium aromatum odore perfundere valeant, Apostolici muniminis Nostri præsidio, cum id a Nobis petitur, libenter constabilimus.

Procuratoris postulatio.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Petrus Reinoso Monachus expresse professus Ordinis Sancti Hieronymi in Hispania, Sacræ Theologiæ Magister, ac Beatæ Mariæ de Guadalupe, Sancti Laurentii de Escorial, nonnullorumque aliorum dicti Ordinis Monasteriorum in Romana Curia Procurator: quod diversæ Constitutiones ac leges, quas Extravagantes appellant, cum earum Prologo pro salubri ejusdem Ordinis illiusque Monasteriorum ac Monachorum regimine gubernio & progressu, de mandato Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præpositorum, per dilectum filium Nostrum Vincentium Tituli Sancti Onuphrii ejusdem S. R. E. Presbyterum Cardinalem Petra nuncupat. compilatæ, ac in unum Volumen redactæ fuerunt, tenoris, qui sequitur, videlicet -

Incipiunt Constitutiones Monachorum Ordinis Sancti Patris Hieronymi Ecclesiæ Doctoris.

PROLOGUS.

Constitutiones Ordinis.

§. 2. Ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei, Patris & Filii & Spiritus Sancti, qui est unus in essentia, trinus in personis, Alpha & Omega, principium & finis omnium: & ad salutem universorum & singulorum modernorum futurorumque Ordinis Sancti Patris Hieronymi Monachorum, ac bonum statum & firmam dicti Ordinis conservationem. Infrascriptæ sunt Constitutiones & leges Extravagantes, quæ ab universis & singulis præfati Ordinis Monachis perpetuo, inviolabiliter & religiose observari debent: Ordinationibus & usibus quibuscumque quorumlibet Monasteriorum in contrarium penitus abrogatis. Ex hujusmodi tamen Constitutionibus & legibus Extravagantibus, aut ex quibuscumque aliis, quæ in posterum fuerint legitime ordinatæ & promulgatæ, etiamsi Monachi universi Ordinis, vel eorum aliqui ignorantia, negligentia, vel ex certa scientia, seu quavis alia causa ipsis non obtemperaverint, vel contravenerint in totum vel in parte, nullum peccatum mortale seu veniale, vel culpam aliquam, animam pertingentem, incurrant; sed tantummodo pœnæ corporali subjiciantur, si quæ propter præmissam inobservantiam vel contraventionem fuerit cuiquam imposita: nisi expresse in aliqua, vel aliquibus Constitutionibus & legibus Extravagantibus aliter caveatur.

Quod inobservantes hasce Extravagantes nullum peccatum incurrant.

§. 3. Antequam vero singulæ exponantur Constitutiones & leges Extravagantes, plurimum ad posterorum eruditionem conferet, breviter explicasse Constitutionum ipsarum & legum Extravagantium nomen & originem; Deinde compilationum seriem, atque tandem hujusce modernæ sive postremæ compilationis causam, maturitatem, & auctoritatem.

Quæ sint Constitutiones, earumque origo.

§. 4. Quæ Constitutiones dicuntur, sunt antiquæ leges fundamentales, cum quibus Ordo Sancti P. Hieronymi a Gregorio XI. S. M. institutus, Deo bene juvante, adolevit, & prima rudimenta habuit. Quantæ igitur sint auctoritatis & venerationis, ipsa antiquitatis reverenda dignitas, quæ immota & firma in tot sæculorum revolutionibus stetit; primorum Patrum sapientia & prudentia, quæ in ipsis Constitutionibus & in singulis earum apicibus elucet; ac tutissimum Ordinis experimentum, suadet & comprobat. Hujusmodi primitivæ Constitutiones ordinari & disponi cæperunt anno a Nativitate Salvatoris Nostri 1415., quæ deinde in Capitulis Generalibus Ordinis, celebratis in Monasterio S. Bartholomæi de Lupiana, jugibus, laboribus & vigiliis discussæ & examinatæ, tandem anno decurrente 1434. in uno Codice promulgatæ fuerunt; quilibet Constitutionum Monachorum Ordinis Sanctissimi Patris Hieronymi nuncupabatur.

§. 5. Quoniam vero humanarum rerum singulares vicissitudines, & ea suis innumeri, nec prævideri, neque provideri universim possunt ab hominibus, quantavis sapientia & prudentia præditis; temporum successu necesse fuit, alias in Capitulis Generalibus perpetuas condere leges juxta methodum & formam præscriptam in antiqua Constitutione VIII., & Ordinis stylum & morem: quæ posteriores leges, ne divisæ dispersæque in foliis a Monachorum manu & memoria facile exciderent, in uno collectæ libro Constitutionum fuerunt insertæ, ut quisque faciliter noscret, quo jure uti, quibusque legibus vivere in Ordine oporteret. Ab earum origine sub nomine

Extra-

Constitut. Extravagantium historia, earumque nominis origo.

Extravagantium hæ posteriores leges nuncupari cæperunt eo, quia extra corpus antiquarum Constitutionum vagarentur: quod proinde nomen distinctionem ab antiquis ipsis Constitutionibus indicat; nihil vero legislativæ auctoritatis imminuit: Cum ipsæ Extravagantes leges sint Ordinis perpetuæ & obligatoriæ. Harum Extravagantium Compilationes plures editæ fuerunt, sicuti necessitas & utilitas postulavit, vel ex earum numero, qui augebatur, vel ex ordinis sive dispositionis perfectiori methodo; nam in fine libri antiquarum Constitutionum quondam inferebantur, deinde in calce singularum Constitutionum juxta propriam materiam divisæ & applicatæ fuerunt. Prima igitur Extravagantium Compilatio ordinata & edita habetur in Capitulo Generali anni 1480. Secunda prodiit anno 1513. Tertia supervenit anno 1582. Quarta accessit anno 1597. Quinta successit anno 1613. Sexta tandem in lucem venit anno 1716.

§. 6. Collatis Monachorum studiis in hac Compilatione anni 1716., non eadem omnium fuit opinio, neque idem judicium; cum tamen omnium eadem esset voluntas, idemque zelus erga Ordinis decorem & utilitatem. Etenim aliqua Religionis insignia Monasteria eorumque Monachi Compilationem anni 1613. propugnantia, hanc Compilationem 1716. impugnare cæperunt: alia vero non minus digna Monasteria, illorumque Monachi e converso pro eadem ultima Compilatione insurrexerunt adversus antiquam anni 1613. In hujusmodi opinionum non animorum dissentione & conflictu, Monasteria illa, Compilationem ultimam impugnantia, ad Tribunal Legationis Apostolicæ in Regnis Hispaniarum processerunt; gravemque hujusmodi controversiam in Capitulo Generali anni 1726., cui præesse Nuncius Apostolicus debebat, examinari, resolvi, & omnino extingui suppliciter postularunt.

De mandato Nuncii Apost. in Hispan. facta compilatio Extravag.

§. 7. Apostolicus Nuncius, quo omnibus maturius & consultius provideret, in dicto Generali Capitulo, cui præfuit, quatuor Monachos ex qualibet parte, scientia, prudentia, Ordinisque Constitutionum & Legum cognitione pollentes, eodem assistente Generali Capitulo, deputavit & designavit, ipsis injungens, ut intra sex mensium spatium congregati utramque Compilationem mature examinarent, omniaque dubia & difficultates summo studio inter se conferrent, ut eorum relatione audita, omnibusque rationibus utrinque perpensis, ipse Nuncius Apostolicus, quid in Domino justum & expediens sibi videretur, resolvere & definire posset.

Ab eodem recepta Compilatio an. 1613.

§. 8. Collationibus inter se factis, Monachi deputati in contrarias iverunt sententias: quatuor antiquam anni 1613., quatuor modernam anni 1716. Compilationem propugnantes tam verbo quam scriptis coram eodem Nuncio Apostolico; qui tandem omnibus utrinque circumspectis, sub die 17. Octobris 1726. definitive pronunciavit, ut abrogata Compilatione anni 1716., observarentur in Ordine Leges, Constitutiones, & Extravagantes in Compilatione anni 1613., exceptis iis, quæ Sac. Concilio Tridentino, decretis S. M. Clementis VIII., & aliis Constitutionibus Apostolicis, necnon resolutionibus Sacræ Congregationis forent contrariæ; præterea observaverunt decem & novem Capitula, nempe Extravagantes, quæ in Generali abrogatione aliarum reservatæ fuerunt in Capitulis Generalibus anni 1705. 1708. & 1711.: tandem servarentur aliæ omnes Extravagantes, quæ ab anno 1613. legitime & canonice in nostro Ordine editæ & promulgatæ fuerunt.

Appellatum hinc ad S. Sedem.

§. 9. Decreto Nuncii Apostolici Partes non acquieverunt, sed appellatione interposita ad Sanctam Sedem, controversia cum omnibus actis delata fuit ad Sacram Congregationem EE. & RR. S. R. E. Cardinalium, negotiis Episcoporum & Regularium præpositam. Itaque in supremo eodem Tribunali diu inter Partes concertatum fuit; sed tandem informationibus tam voce quam scriptis auditis, pleneque discussis; Ponente Eminentissimo & Reverendissimo Domino Vincentio Tituli Sancti Onuphrii Cardinali Petra, sub die 7. Aprilis 1729. hæc fuit Eminentiss. & Reverendiss. Patrum resolutio -- *Dilata, & ad mentem Eminentissimi Ponentis; ac interim servetur Decretum Nuncii Apostolici.* Mens est, ut fiat nova Compilatio Constitutionum per Eminentissimum Ponentem juxta ipsius votum in sequenti modo expressum. In nova Compilatione ponantur Constitutiones omnes fundamentales, quæ non sint revocatæ, sive oppositæ Sac. Conc. Trid., Constitutionibus Apostolicis, & Resolutionibus Sac. Congregationis; Quæ vero sunt revocatæ, ita noviter suppleantur, quatenus revocatio fit in aliqua particula, seu parte, addendo vel minuendo emendetur; quatenus vero revocatio destruat integram Constitutionem, enunciative fiat mentio antiquarum legum in his tantum, quæ sunt decoris Ordinis, sive Monasteriorum; dispositive autem circa eandem materiam fiat Constitutio observanda: Apponantur Extravagantes, quæ continentur in Compilatione anni 1613. in suis locis, dummodo non sint revocatæ. Addantur Extravagantes post dictam Compilationem usque ad moderna tempora in locis opportunis, dummodo non sint revocatæ, ut supra: Adjungantur etiam in suis locis opportunis Capitula 19. publicata sub anno 1705., dummodo non sint contraria Sac. Conc. Trid., & Apostolicis Constitutionibus: Ex Capitulis, Privatis, Rotulis, Actis, aliisque, quæ habentur in annotationibus Compilationis 1613., & in ordinationibus compilationis anni 1716. sumantur aliquæ leges, quatenus necessariæ, sive plurimum utiles videantur pro recto gubernio Ordinis, in minori tamen numero possibili juxta arbitrium Eminentissimi Ponentis, & suis locis collocentur; reliquæ vero Annotationes, Rotuli, sive Ordinationes, ut supra, separentur a Codice Constitutionum, & quatenus Capitulum Generale expediens judicaverit, Typis imprimantur in Codice particulari, sub titulo eidem beneviso; cum expressa tamen declaratione in principio libri, quod in eodem contenta vim legis obligativam non habent, sed tantum instructivam & doctrinalem; dummodo tamen non sint contraria Sac. Conc. Trid., Sac. Canonibus, Constitutionibus Apostolicis, resolutionibus Sac. Congregationis, & Legibus contentis in novissima hac Compilatione: Post factam vero novam Compilationem ipsa referatur in Sacra Congregatione.

Decretum Sac. Congreg. Episc. & Regular.

Nova facta Compilatio.

§. 10. Mandatis igitur Sac. Congregationis obsequendo, grande hujusmodi opus novæ Compilationis assumptum fuit ab prælaudato Eminentissimo & Reverendissimo Domino Cardinali Petra; atque singulis fere apicibus antiquæ Compilationis anni 1613., alteriusque novæ anni 1716. jugi contentoque studio examinatis & discussis, duobus Monachis Hispanis, qui utrinque jura propugnaturi ad Urbem accesserant, pluries pleneque auditis, atque difficultatibus non paucis ad regulam juris & rationis examinatis; hæc novissima prodiit Compilatio Constitutionum & legum Extravagantium.

Quid de Extravagantibus actum.

§. 11. In hac Compilatione, ut numeris omnibus consurgeret absolutissimum opus, consilium fuit, circa aliquas præsertim Extravagantes, declinandi & respective declarandi in sensu vel in verbis implexam obscuritatem, supervacuam similitudinem, molestam prolixitatem, apparentem contrarietatem, paucis additis vel respective sublatis. Ordo sive locatio Constitutionum, prout in antiquis Compilationibus disponebatur, servatus fuit; Leges vero Extravagantes, ut potuit, juxta, materias sub ipsis Constitutionibus contentas collocatæ fuerunt ex antiquo more. Et quidem antiquæ Constitutiones desumptæ fuerunt ex prima latina editione anni 1437., ut ex textu originali Monachi audirent vocem primorum Patrum, qua cum ipsis locuti sunt; Leges vero Extravagantes ex actis idiomate Hispanico juxta latinam translationem, Partium consensu approbatam, expositæ fuerunt.

Nova Compilatio a dicta S. Congr. approbata.

§. 12. Hæc igitur novissima Compilatio, quæ ex privato studio ejusdem Eminentissimi & Reverendissimi Domini Cardinalis Petra processit; deinde eodem referente sedulo examinata & plene approbata fuit a Sacra Congregatione sub die 16. Decembris 1729. cum hoc sequenti Decreto -- Sac. Congregatio EE. & RR. S. R. E. Cardinalium, negotiis Episcoporum & Regularium præposita, Ponente Eminentissimo & Reverendissimo Domino Cardinali Vincentio Petra Tituli Sancti Honuphrii, censuit & decrevit: Supplicandum Sanctissimo Domino Nostro pro expeditione literarum in forma Brevis super approbatione Apostolica Compilationis Constitutionum Ordinis Sancti Hieronymi cum suo Prologo, factæ ab Eminentissimo & Reverendissimo Cardinali Petra Ponente de mandato Sacræ Congregationis; itaut Capitulum Generale ipsum Prologum, Constitutiones Extravagantes, aliaque contenta & disposita in eadem Compilatione, mature corrigere & derogare non valeat -- Cæterum ad omnem ambiguitatem tollendam, tam Constitutiones quam leges Extravagantes cum omnibus additionibus & correctionibus suis, sicuti in præsenti Compilatione, pro originalibus habeantur; etiamsi non concordent cum aliis Compilationibus vel actis Ordinis, ex quibus desumptæ fuerunt; proindeque ad perpetuam rei memoriam hæc ipsa Compilatio in Archivio Religionis reponatur & caute custodiatur -- Cæteræ autem omnes & singulæ Compilationes usque nunc factæ nullius imposterum sint auctoritatis legislativæ.

Omnes igitur præclari Ordinis S. P. Hieronymi Monachi enixe animum intendant ad observantiam Constitutionum & Legum Extravagantium, quæ in hujusmodi opere tam provide quam salubriter sunt compilatæ; ut per bona opera certam eorum vocationem faciant, atque Deo propitio, Ordo ipse, ne dum incolumis in Spiritualibus & Temporalibus servetur, sed in melius semper usque in finem Sæculorum procedat.

CONSTITUTIO I.

De electione Patris Generalis Nostri Ordinis, & ad quos dicta Electio pertineat.

§. 13. Antiqua statutum erat Constitutione, ut Prior pro tempore Monasterii Sancti Bartholomæi de Lupiana, Ordinis Nostri Prior, Major, Generalis, & Caput totius Ordinis esset; ejusque Electio ad Monachos Capitulares prædicti Monasterii, & non ad aliquos alios, in solidum, & solummodo pertineret; atque in eodem Monasterio continuo ipse Pater Generalis residentiam teneret, propterea quod jam dictum Monasterium primum olim fuit, in quo Ordo initium habuit; exindeque propagatus fuit, & quasi in medio aliorum Monasteriorum constitutum erat. Confirmatores autem Electionis prædictæ nequaquam consentirent eligi in Priorem majorem Monasterii Sancti Bartholomæi, qui infra duos menses non posset in eodem Monasterio personaliter interesse, & suo uti officio; itaut aliter facta Electio statim per eos cassaretur, & ad alterius Electionem procederetur.

Quoniam vero Procuratore Generali totius Ordinis, necnon Monasterio prædicto Sancti Bartholomæi de Lupiana auditis, ex Decretis a Sac. Congregatione EE. S. R. E. Cardinalium, negotiis Episcoporum & Regularium præposita, editis, & deinde confirmatis in forma specifica a Ven. Innocentio XI. cum literis Apostolicis in forma Brevis, præ cæteris definitum & resolutum est: ut imposterum Electio Patris Generalis sit facienda a tota Religione, non vero a solo Monasterio Sancti Bartholomæi Lupianæ: quodque idem Monasterium possit tantum in Electione concurrere cum ejusdem Priore & Procuratore, sicut concurrunt cætera alia Ordinis Monasteria. Idem autem Prior Sancti Bartholomæi, a Vocalibus ejusdem Monasterii juxta Generale Ordinis statutum eligendus, Definitor sit perpetuus cum præcedentia supra cæteros alios, & vacante Generalatu Vicarius Generalis usque ad novam P. Generalis Electionem remaneat. Præterea, attenta renunciatione a prædicto Monasterio Sancti Bartholomæi de Lupiana ex rationabilibus causis facta, & a Capitulo intermedio acceptata, etiam ex auctoritate Capituli Generalis Ordinis, super residentia Superioris Generalis in eodem Monasterio Sancti Bartholomæi, imposterum idem Pater Generalis in Collegio Abulensi ejusdem Ordinis resideat, ubi nimirum a Capitulo Generali anno 1684. ejus residentia statuta fuit; prout latius in prædictis literis Apostolicis in forma Brevis continetur.

Quæ Generalis esse debeat residentia.

§. 14. Hinc veteri penitus abrogata Constitutione, perpetuis futuris temporibus exequi & observari inviolabiliter præcipimus & mandamus omnia & singula, quæ in dicto Brevi Apostolico disponuntur. Superior autem Generalis nostri Ordinis non eligatur, nisi talis, de quo verisimiliter præsumatur, quod intra duos menses haberi poterit ejus in Monasterio suæ Residentiæ præsentia personalis ad residendum ibidem, & suo utendum Officio. Aliter vero facta electio statim cassetur, & ad electionem aliam procedatur.

Non eligendus Generalis, nisi qui ad duos menses in Monasterio suæ residentiæ commorari possit.

Electus vero canonice in Generalem nostri Ordinis, quicumque Prior vel Monachus ad acceptandum Officium Generalatus per Definitores possit compelli, de speciali tamen gratia libere ac irrevocabiliter cuilibet Priori Domus de Guadalupe, suorum immensitate arduorum negotiorum attenta, concedimus, quod si forte idem Prior in Generalem eligatur, ad acceptandum nullatenus compellatur.

Qui non cogendi ad acceptandam sui electionem.

Extravagans I.

§. 15. Obsequendo, ut par est Decretis a Sac. Congregatione Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium, Episcoporum & Regularium negotiis præposita, editis, & deinde in forma specifica confirmatis a san. mem. Innocentio XII. in literis Apostolicis in forma Brevis, statuimus & ordinamus: in casu vacationis Officii Patris Generalis durante triennio, quod inter unum & alterum Capitulum Generale intercedere debet, pro Electione novi

Vacante Generalatu non elapso triennio, ad quos Pro-Generalis specialis electio.

Superioris Generalis Capitulum Generale hoc tempore intermedio non convocetur; sed solum sexdecim Monachi ex octo designatis Monasteriis dicti Ordinis, Prior nempe & Procurator cujuslibet eorum, dictum novum Superiorem Generalem, qui vacantis Generalatus Officii tempus, quod usque ad proximum secuturum Capitulum Generale supereſt, compleat, uti Vocales seu Electores, ad id specialiter deputati, eligant; quodque jus eligendi hujusmodi, rursus eveniente alia simili vacatione, ad alios sexdecim Monachos, Priores pariter & Procuratores respective aliorum octo Monasteriorum Nostri Ordinis spectet: itaut quandocumque similis vacatio contingat, ista alternatio inter Priores & Procuratores quadraginta octo Monasteriorum, quibus noster Ordo constat, per statas vices seu turnos, in hujusmodi Electione intermedia servetur. Turni autem ita perpetuo constituantur.

Turnus Primus.

S. Bartholomæus de Lupiana.
S. Hieronymus Cordubæ.
S. Catharina de Monte Curban.
S. Hieronymus Hispalis.
S. Maria de Prado Vallis Oleti.
S. Maria Murtæ Barcinonæ.
S. Hieronymus Matriti.
S. Maria della Esperanza.

Turnus Secundus.

S. Maria de Guadalupe.
S. Hieronymus Vallis Hebron.
S. Maria de la Estrella.
S. Michael Regum.
S. Hieronymus Granatæ.
S. Maria Lucis.
S. Maria Victoriæ Salmanticæ.
S. Maria Pietatis de Benavente.

Turnus Tertius.

S. Laurentius Regius.
S. Hieronymus de Cotalva.
S. Maria de Frex del Val.
S. Anna de Tendilla.
S. Engratia Cæsaraugustæ.
S. Maria Rosarii de Bornos.
S. Isidorus del Campo.
S. Maria de Valdebusto.

Turnus Quartus.

S. Maria de la Sisla.
S. Blasius de Villavitiosa.
S. Hieronymus de Ynste.
S. Maria de la Murta Valentiæ.
S. Maria del Parral Segobiæ.
S. Maria Pietatis de Baza.
S. Maria Vallis de Ezya.
S. Hieronymus de Caravaca.

Turnus Quintus.

S. Hieronymus de Guisando.
S. Maria de la Mexorada.
S. Hieronymus de Espexa.
S. Hieronymus de Zamora.
S. Michael de Monte.
S. Antonius de Porta Cœli.
Collegium Salmanticense.
S. Petrus de la Nora.

Turnus Sextus.

S. Catharina de Talabera.
S. Maria de Armedilla.
S. Joannes de Ortega.
S. Leonardus de Alba.
S. Maria Remediorum de Barrameda.
S. Michael Angelorum de Alpechin.
S. Maria Gratiarum de Carmona.
S. Hieronymus a Jesu Abulæ.

§. 16. Pro hujusmodi vero Turnorum principio, & successiva serie ad regulam dirigenda; Primus Turnus incipiat a Capitulo Generali anni 1690. usque ad immediate sequens Generale Capitulum anni 1693., quo quidem tempore, cum forma Electionis intermediæ alterara fuerit; Secundus Turnus nequaquam ab ipso anno 1693. incipiat; sed quidem eodem triennio intermisso, a Capitulo Generali anni 1696., quo iterum reassumpta & confirmata eadem forma intermediæ Electionis extitit, usque ad Generale Capitulum anni 1699.; deinceps vero a Tertio Turno de triennio in triennium successive ordine perpetuo Turni prædicti sequantur: absolutis vero omnibus sex Turnis, iterum incipiat primus, & succedant quolibet triennio, ut præfertur, sequentes ordine circulari. Quod si in triennio, quod pertinet ad aliquod ex prædictis sex Turnis, non succedat vacatio Generalatus, & Capitulum Electionis intermediæ, nihilominus tamen pro triennio immediato hujusmodi jus eligendi pertranseat ad Turnum sequentem. Quod si vero vacatio Generalatus duplex succedat in unico triennio, tunc in prima vacatione procedat Turnus juxta ordinem, in altera vero succedat sequens Turnus; itaut unicus Turnus duplicem electionem intermediam nunquam faciat in eodem triennio.

Quid de Monasterio de Caravaca.

§. 17. Quoniam vero ex Generalium Capitulorum Decretis Monasterium S. Hieronymi de Caravaca, quod in quarto Turno comprehenditur, fuit redactum in Vicariam absolutam absque Priore, proindeque in eodem dicto Turno, deficiente Priore & Procuratore prædicti Monasterii, sexdecim vocales concurrere ad electionem non possunt, ut in Brevi Apostolico statuitur, sed tantum quatuordecim ex septem reliquis Monasteriis Vocales, duo nempe pro unoquoque, ut supra; obsequendo Decretis Sacræ Congregationis cum oraculo Sanctissimi Domini Nostri præcipimus & mandamus, quod in eodem quarto Turno electio intermedia fiat ex quatuordecim vocalibus septem Monasteriorum, donec & quousque idem Monasterium S. Hieronymi de Caravaca ad pristinum statum restituatur cum Priore.

Extravagans II.

Quid agendum, cum Vocales in electionibus inter se dissidere contingat.

§. 18. Si contingat Vocales in electione Patris Generalis, tam in generali quam in dicto intermedio Capitulo celebranda, inter se dissidere, aut electionem minus canonicam fieri, Electio hujusmodi ad sex dumtaxat scrutinia reducatur, hac forma videlicet, ut sit in primo, secundo, tertio, quarto & quinto scrutiniis hujusmodi Electio Canonica sequuta non fuerit, duo Monachi, qui plura quam cæteri suffragia sortiti erunt, eligantur, in quos Vocales in sexto scrutinio sua suffragia omnino dirigere teneantur. Quod si nec in hoc sexto & ultimo scrutinio ob paritatem suffragiorum Electio Canonica peracta fuerit; eorum duorum alter, qui prius ad habitum Regularem admissus fuerit, electus intelligi & declarari debet. Attamen si in quinto scrutinio suffragia in diversas personas collata fuerint, pluresque paria suffragia obtinuerint; tunc quoque duo, qui prius similiter quam cæteri ad habitum Regularem admissi fuerint, ex his eligantur. At si quis in hoc quinto superior, alii pares suffragiis extiterint; superiori suffragiis ex his, qui pares sunt, is pariter, qui priusquam cæteri ad habitum prædictum admissus

Inæqualitate suffragiorum præferendus, qui sit antiquior in Ordine.

missus fuerit, adjungatur: ut deinde in sexto scrutinio, primo quidem casu in duos ex iis, qui paria suffragia obtinuerunt, sicut præmittitur eligendos; Secundo vero in superiorem suffragiis, illique, ut præmissum est adjungendum, omnia electorum suffragia restringi & conferri debeant. Quæ pariter ab eadem Sacra Congregatione Episcoporum & Regularium approbata, & successivo Brevi Apostolico prædicto confirmata sunt.

Extravagans III.

Generalatus officium post triennium expiret, quo absoluto idem reeligi non possit.

§. 19. P. Generalis per triennium tantum duret in officio a tempore ejusdem electionis, ejusque expiret officium, statim ac electi & nominati fuerint Definitores in Capitulo Generali Præterea ordinamus, quod Generalis absolutus immediate & successive reeligi non possit, nisi post novennium vacationis ab eodem officio absoluto; etiamsi electus fuerit inter Capitulum & Capitulum, & quolibet brevi tempore Generalis fuerit: Quæ dispositiones ex auctoritate Apostolica firmitatem & robur habent.

Extravagans IV.

Duo successive Generales ex eodem Monasterio non eligendi.

§. 20. Non possit eligi in Generalem Monachus aliquis professus ejusdem Monasterii cujus erat professus Generalis immediate absolutus & vacans, nisi intercesserit novennium inter hujusmodi vacationem & dictam electionem: Quod etiam auctoritate Apostolica confirmatum est.

Extravagans V.

Assistentes in Scrutiniis, qui sint eligendi.

§. 21. In scrutinio ad regulanda suffragia electionis P. Generalis in Capitulo Generali simul cum PP. Definitoribus assistant tanquam scrutatores, singuli ex Visitatoribus Generalibus cujuscumque Territorii antiquiores habitu, & in horum absentia alter socius Convisitator. At vero in Capitulo intermedio duo scrutatores ex Vocalibus dicti Capituli eligantur, qui simul cum Patribus, privati Capituli Deputatis, scrutinio, & regulationi suffragiorum interfint, quorum antiquior electionem factam publicare debeat.

Extravagans VI.

Qui Præsides in Capitulis intermediis.

§. 22. Patres, privati Capituli Deputati, conveniant ad præsidendum simul per modum unius cum P. Vicario Generali Capitulis Generalibus intermediis cum jurisdictione Præsidum; absque tamen suffragio approbandi vel reprobandi, & quin ob dictum Præsidum titulum vocem activam habeant in dictis Capitulis.

Extravagans VII.

De electione Fratris absentis in Generalem.

§. 23. In casu, quo eligatur in dicto Capitulo intermedio Generalis professus Monasterii valde distantis, Electores non discedant a Monasterio Sancti Bartholomæi vel ejus circuitu, ultra sex leucarum distantiam: Donec compulsoria transmissa ad Electum citandum per Deputatos privati Capituli, habeatur notitia authentica, dictum Electum suum electioni præstitisse consensum. Qua habita, poterunt Electores ad propria Monasteria redire, ibidem dumtaxat permanentibus dd. privati Capituli Deputatis, ut ad debitum effectum electionem factam perducant, & obedientiam nomine totius Religionis noviter electo Generali præsentialiter præstent. Si tamen electus non acceptaverit, impotensve fuerit pro dicto officio Generalis exercendo, procedant dicti Electores ad novam electionem modo & forma debitis.

Extravagans VIII.

Prior S. Laurentii Regalis si fuerit electus, ad acceptandum compelli nequeat.

§. 24. De gratia speciali libere concedimus Priori pro tempore existenti Monasterii Sancti Laurentii Regalis, suarum magnitudine occupationum attenta, quod si fuerit electus in Generalem nostri Ordinis, ad acceptandum nullatenus compelli possit.

Extravagans IX.

De Vicario Generali.

§. 25. Adsit Vicarius Generalis, qui deficiente persona Patris Generalis per mortem, seu aliter, Ordini nostro præsideat; & hic Vicarius Generalis sit in posterum, non Vicarius (ut hactenus) sed Prior pro tempore existens Monasterii Sancti Bartholomæi de Lupiana: quod decrevit & declaravit Sacra Congregatio Episcoporum & Regularium, & Apostolica auctoritate est confirmatum.

Extravagans X.

§. 26. Sac. Congregatio S. R. E. Cardinalium, negotiis Episcoporum & Regularium præposita statuit & decrevit: quod si contingat Prioratum Monasterii Sancti Bartholomæi quomodolibet vacare, dum Prior ipsius Monasterii, vacante Generalatu, munus Vicarii Generalis exercet; tunc præsideat Ordini Deputatus Capituli privati, qui loco & sessione cæteros Deputatos præcedit, cum jurisdictione Vicarii Generalis, donec sit facta & confirmata electio Prioris Monasterii S. Barth olomæi, qui munus Vicarii Generalis exercere debet.

Extravagans XI.

De facultatibus Vicarii Generalis Sede Vacante.

§. 27. Pater Vicarius Generalis, Sede Vacante, habeat jurisdictionem & facultatem in negotiis ordinariis Ordinis: videlicet nominandi Confirmatores pro Electionibus, aliisque rebus executivis, ex quarum dilatione oriri potest aliquod damnum aut præjudicium; Et denique omnem facultatem Patris Generalis pro Religionis gubernio in negotiis, Sede Vacante, occurrentibus, eo modo, quo illam habet idem Pater Generalis: Excepto tamen, quod non possit dispensare in Constitutionibus, Mandatis, & Ordinationibus Capituli Generalis, nec contravenire mandatis aut præceptis factis a Patre Generali.

Extravagans XII.

§. 28. Si Pater Generalis mortuus fuerit, aliterve vacaverit tribus mensibus ante lapsum triennii; pro adeo brevi tempore Generalis non eligatur, sed Ordini præsideat Generalis Vicarius dictis tribus mensibus juxta formam & limitationes in immediata Extravaganti determinatas & statutas.

Extravagans XIII.

§. 29. P. Vicarius Generalis teneatur convocare & citare Monasteria illius Turni, ad quem spectat electio intermedia P. Generalis, quatenus concurrant ad Capitulum intermedium, electionemque novi Generalis in eo celebrandam infra duos menses a die vacationis Generalatus; ipso tamen Vicario Generali citatione hujusmodi omittente vel renuente, possit & debeat omnino fieri a PP. Deputatis Capituli privati, vel a quolibet illorum in solidum; Qui si fuerint etiam negligentes, fiat dicta convocatio a Priore, vel Vicario Monasterii Villæ Delitiosæ, ut ordinatur in Constitutione 70. Excepto tamen, si Generalatus vacaverit tribus mensibus ante lapsum triennii, quibus præsidere debet Ordini idem Pater Vicarius Generalis, juxta Extravagantem supra immediate positam.

Extravagans XIV.

§. 30. Eo ipso, quod aliquis Monachus acceptat Episcopatum, vacet Officium Generalatus, aut aliud quodcumque Officium, quod habeat in Ordine.

CONSTITUTIO II.

De tempore, quo durare debent Priores in eorum Officiis.

§. 31. In Officio suorum Prioratuum durent dumtaxat per triennium a tempore confirmationis suæ electionis computandum omnes Priores Monasteriorum nostri Ordinis juxta literas Apostolicas san. mem. Gregorii Papæ XI. nostri Ordinis Fundatoris; ita quod triennio cujuslibet Prioris transacto, ipso facto expiret ejus Officium, & fiat nova electio, prout Monachis illius Monasterii videbitur expedire, ordinationibus, statutis, seu consuetudinibus cujuscumque Monasterii nostri Ordinis, etiam juramento seu quacumque alia munitione etiam Apostolica vallatis, in contrarium editis, factis, vel servatis, non obstantibus quibuscumque.

Extravagans I.

Non reeligendus Prior immediate post transactū primum triennium.

§. 32. De cætero perpetuis futuris temporibus nullus Prior nostri Ordinis possit reeligi immediate in eodem Prioratu, quem terminat: quod est confirmatum per Bullam Apostolicam. Et idem intelligatur de Priorissis Monasteriorum Monialium nostri Ordinis.

Extravagans II.

§. 33. Priores Monasteriorum novorum, quæ non habent electionem, vacent in Capitulo Generali, & provideantur a Patre Generali & a Patribus Definitoribus per schedulas secretas datas a Secretario. Non tamen ipsi Priores immediate reeligi possint in eodem Prioratu. Quando vero vacaverint Prioratus Monasteriorum novorum inter Capitulum & Capitulum, provideantur a Patre Generali; Cæterum semper hujusmodi Prioratus conferantur Monachis prudentia & experientia præditis, qui honori & disciplinæ Ordinis Nostri, ut necesse est, in ipsis Monasteriis novis consulant.

Qui sint eligendi.

Extravagans III.

Monasterium de Caravaca sine Priore.

§. 34. Monasterium de Caravaca non habeat Priorem, nec vocem in Capitulo Generali; sed sit Vicaria absoluta.

Extravagans IV.

§. 35. Priores novarum Domorum, qui in Capitulo Generali eliguntur & providentur, durent in suis Prioratibus usque ad proxime futurum Capitulum Generale, in quo vacent: etiamsi propter mobilitatem Dominicæ tertiæ post Sanctissimum Pascha, in qua celebratur dictum Capitulum Generale, naturale triennium tunc finitum sit, sive adhuc tunc non expiraverit; sicut in Generalatus dignitate fieri solet: Quod auctoritate Apostolica est confirmatum, & observari mandatum.

CONSTITUTIO III.

Ubi, & quando celebrari debet nostrum Capitulum Generale.

Capitulum Generale cogendum in Monasterio S. Bartholomæi de Lupiana.

§. 36. Generale Capitulum Nostri Ordinis in dicto Monasterio Sancti Bartholomæi de triennio in triennium perpetuo celebretur, quod teneri incipiat in tertia Dominica post Festum Resurrectionis Dominicæ computanda. Ob aliquam tamen legitimam & rationabilem causam, puta famem, bellum, pestem, vel aliam magnam manifestamque causam; possit alibi prædictum Generale Capitulum celebrari ad dispositionem Capituli Generalis, si eodem durante Capitulo, causa hujusmodi pateat, vel rationabiliter præsumatur. Sed si inter Capitulum & Capitulum aliqua de prædictis causis contigerit, vel verisimiliter timeatur, tunc Pater Generalis, & Personæ ad tenendum privatum Capitulum assignatæ, quas dictus Pater Generalis ad se ob hoc faciat congregari, prædictam possint facere Generalis Capituli mutationem in aliud Monasterium ejusdem Ordinis ad illud per eos assignandum. Aut si forsan sibi melius videatur, dilatetur per eos dictum Generale Capitulum ad annum sequentem, vel aliud triennium, prout negotiorum necessitas vel utilitas eos adduxerit ordinandum. Non tamen fiat talis dilatio, nisi consentiant quatuor ex his, qui concurrunt in ipso privato Capitulo. Cum vero hujusmodi mutatio seu dilatio facta fuerit, notificetur per eosdem dilatantes Prioribus & Conventibus nostri Ordinis tempore opportuno: Quæ Constitutio est approbata auctoritate Apostolica quantum ad locum celebrationis Capituli Generalis.

De dilatione hujusmodi Capituli.

Extravagans I.

§. 37. In quolibet nostrorum Monasteriorum celebretur Missa Spiritus Sancti ipsa die, qua celebratur in Monasterio Sancti Bartholomæi pro electione Patris Generalis, & Patrum Definitorum; necnon pro negotiis Ordinis in dicto Capitulo ordinandis. Et durante Capitulo generali saltem fiat in Missa collecta & deprecatio post elevationem cum orationibus competentibus, nisi fuerit Festum duplex.

Missa Spiritus Sancti celebranda in omnibus Monasterio & Collecta dicenda.

Extravagans II.

§. 38. Tam dignitas & officium Patris Generalis, quam Priores novarum Domorum, Visitatores, cæteraque alia officia & munera, quæ in Capitulis Generalibus providentur, & eligi solent, durent in suis officiis usque ad novi Capituli Generalis celebrationem, quantumcumque dictum Capitulum Generale ex causa pestis, famis, belli, vel similium, ut in hac Constitutione, prolongetur: Quod auctoritate Apostolica confirmatum, & observari mandatum fuit.

Officia durent usque ad novum Capitulum Generale.

Extravagans III.

§. 39. Priores & Procuratores Monasteriorum magis distantium a Monasterio S. Bartholomæi ad Capitulum Generale venturi a propriis Monasteriis non exeant ante tertium diem Paschæ Resurrectionis Dominicæ; ut reperiantur in suis Monasteriis pro Hebdomada majori & sanctissimo Paschate celebrandis: Propinquiores vero prælibato Monasterio ita moderate accipiant dies pro itinere necessarios, ut sine vagatione ad dictum Capitulum Generale accedant; nec euntes aut revertentes per Curiam Regiam transitum faciant sine licentia speciali Patris Generalis.

Quo tempore quis Vocalium e Monasterio exire debeat ad Capitulum Gener. accessurus.

Extravagans IV.

§. 40. Si contingat Capitulum Generale in aliud tempus cum quatuor Deputatorum privati Capituli consensu prolongari ob causas in hac Constitutione expressas, si istæ, cujusliet dictorum quatuor Deputatorum judicio,

cessave-

cessaverint tempore opportuno & sufficienti ad convocandum & congregandum Generale Capitulum, debeat & teneatur Pater Generalis ab ipsis, vel quolibet illorum requisitus, prolongatione facta non obstante, convocare & congregare dictum Generale Capitulum tempore designato in Constitutione celebrandum; Quod si renuerit vel omiserit, a dicti privati Capituli Deputatis possit & debeat convocari, ut tempore præscripto celebretur, ut in Constitutione disponitur.

Extravagans V.

§. 41. Si contingat Generalatum vacare, existente aliqua ex causis in hac Constitutione præscriptis ad dilatandum Capitulum Generale, aut eam ipsius vacationis tempore taliter accidere, quod duæ saltem ex tribus partibus Electorum pro Capitulo intermedio designatorum, eidem interesse debentium, citari & convocari, ad dictumque Capitulum vel per se, vel per suos Procuratores commode accedere nequeant; Pater Vicarius Generalis possit Capitulum privatum congregare, & dictum Capitulum intermedium cum quatuor illius Deputatorum consensu in aliud tempus prorogare valeat. Verum si duæ prædictæ Electorum partes ex tribus, personaliter vel per suos Procuratores commode ad dictum Capitulum accedere possint, prædicta causa non obstante, Capitulum intermedium omnino convocetur, & per Electores præsentes die præfixo ad electionem Patris Generalis debite procedatur.

Extravagans VI.

A quibus faciendæ sint expensæ Capituli Generalis.

§. 42. Expensæ necessariæ ad celebrandum Capitulum Generale subministrari debeant a Monasterio Sancti Bartholomæi de Lupiana ex redditibus Præstimonii de Utrera, quod ad hunc effectum clar. memor. Cardinalis Ostiensis cum Brevi san. mem. Nicolai V. Ordini nostro aggregavit. Si autem ad hujusmodi expensas ministrandas d. Præstimonii reditus insufficientes fuerint, ab omnibus Ordinis Monasteriis pro rata suppleantur, computando expensam diuturnam cujuscumque Monachi Capitularis cum famulo & equitatu octo regales cum dimidio monetæ Castellæ, sicut decretum & mandatum est a Sacra Congregatione Episcoporum & Regularium.

CONSTITUTIO IV.

De electione & officio Procuratoris Capituli Generalis.

§. 43. Singuli Priores Monasteriorum nostri Ordinis cum singulis Procuratoribus suorum Conventuum personaliter veniant ad Generale Capitulum celebrandum; hujusmodi autem Procuratorem quilibet Conventus de magis idoneis & discretioribus suæ Domus per viam scrutinii eligendo constituat: ita quod ille, qui plures numero, quam alius, voces habuerit, Procurator illius Monasterii habeatur, licet in eo major pars Capituli non concurrat. Quod si duo vel plures æquali numero voces habuerint, unius eorum per Priorem acceptetur electio, qui secundum suam conscientiam magis idoneus & discretior videatur. Idem autem Procurator socius sit Prioris ad Capitulum venientis; Alioquin nisi Priores a veniendo, & Conventus a mittendo Procuratores hujusmodi legitimo impedimento excusentur, vice illa in Generali Capitulo careant voce sua, nec alteri eam possint committere; & nihilominus ad ejusdem Capituli arbitrium puniantur. Si verò Prior aliquis infirmitate, seu alia justa causa, impediatur venire, causas hujusmodi per suas literas insinuet Capitulo Generali, suumque Procuratorem constituat, qui vicem suam teneat in ipso Capitulo. Similiter etiam Conventus non valens commode Procuratorem de suis Monachis destinare, Procuratorem deputet aliquem Ordinis Monachum. In nullo tamen casu ultra tres Personas, computato Priore, de una & eadem Domo ad Generale Capitulum licebit admittere; nec quisquam ibidem duas possit voces habere, etiamsi plurium Procurator existat; liceat autem sibi unam, quam maluerit prædictarum vocum eligere. Priores autem & Conventus legitime impediti, nisi Procuratores ad Capitulum miserint, ut præfertur, ad arbitrium ejusdem Capituli puniantur. Priores autem, & Procuratores hujusmodi ante Sabbatum, prædictam tertiam Dominicam post Pascha immediate præcedens, S. Bartholomæi Monasterium intrare non debent. Sane ad Capitulum Generale Procurator nullus admittatur, nisi professus & in Sacris Ordinibus constitutus; De cujus utique Procuratoris electione sive constitutione idem Conventus Generali Capitulo fidem faciat per suas patentes literas, nominibus aliquorum Monachorum de eligentibus roboratas, & conventuali sigillo munitas. In quibus quidem literis non est opus hujusmodi potestatem ad longum exprimere; sed sufficit constare Generali Capitulo, quod talis est Procurator talis Conventus ad idem Capitulum destinatus. Tenor quoque hujusmodi potestatis fiat in forma sequenti:

Non ultra tres personas de qualibet Domo liceat in Capitulo admittere.

Tenor mandati procuræ.

Noverint Universi, quod in Monasterio N. Diœcesis N. Ordinis Monachorum S. Hieronymi, die N. mense N. anno a Nativitate Domini &c. omnes & singuli Monachi ejusdem Monasterii professi in Sacris constituti constituimus & ordinamus nostrum certum & specialem Procuratorem Patrem N. Presbyterum ipsius Monasterii ad omnia & singula facienda, tractanda, consentienda, firmanda: seu dissentienda, sive revocanda, quæcumque fuerint exponenda, dicenda, tractanda, examinanda seu definienda in Capitulo Generali per Priores & Monachos ejusdem Ordinis, tenendo isto anno præsenti in Monasterio Sancti Bartholomæi dicti Ordinis, quæ Generalem statum seu utilitatem totius Ordinis tangant, seu concernere quomodolibet poterunt; etiam, quoties fuerit opportunum ad substituendum alium Procuratorem nostri Ordinis professum in Sacris constitutum ad omnia & singula supradicta; & quia prædicta vera sunt, rogavimus Monachos infrascriptos in Sacris constitutos, quatenus literas hujusmodi suis nominibus roborarent; quasque sigillo dicti Conventus fecimus sigillari.

Facultates Priorum, & Procuratorum in hujusmodi Capitulis.

§. 44. Præfati autem Priores & Procuratores nomine & vice suorum Monasteriorum potestatem habeant consentiendi, seu contradicendi quibuscumque in Generali Capitulo dicendis, tractandis, & agendis ad communem statum Ordinis pertinentibus. Nullatenus tamen iidem Procuratores habeant potestatem consentiendi, quod duratio Prioratuum quomodolibet ultra triennium protendatur; quin potius pro expresse prohibitis, immo pro veris contradictoribus habeantur, nisi super hoc eis in suis procuratoriis expressa & specialis fuerit attributa potestas sive facultas. Cæterum Procurator impeditus Generali Capitulo interesse, alium ad illud substituat loco sui, nisi substituendi potestas expresse sibi fuerit in Procuratorio denegata. Quovis etiam casu hi, qui non venient ad Generale Capitulum, per suas patentes literas statum suorum Monasteriorum tam spiritualem quam temporalem ipsi Capitulo intimare non differant; & Priores

Procuratoribus legitime impeditis alium sui loco substituere posse declaratur.

humiliter misericordiam, hoc est, ab onere suorum Prioratuum absolutionem exposcant.

Extravagans I.

Monasteriis Monialium, quilibet locus denegatur.

§. 45. Priorissæ & Monasteria Monialium nostri Ordinis, etiam per Procuratores, voce careant in Capitulo Generali; per Procuratores tamen Monasteriorum Priorum, qui illarum curam habent, negotia, quæ in Capitulis Generalibus agere velint, transmittant.

Extravagans II.

Priores præsentes esse debent electioni Procuratoris Capituli, dandisque ei commissionibus.

§. 46. Priores non habent Votum in electione Procuratoris pro Capitulo Generali; Veruntamen sint præsentes ipsius electioni, ut in Constitutione disponitur; & post factam electionem, ipsi Priores pariter præsentes sint, & audiant commissiones, quas Vocales capitulariter dicto Procuratori imposuerint; quia si contrarium fiat, multa oriri possunt inconvenientia & controversiæ.

Extravagans III.

Pro Monasteriis, in quibus Prioratus vacaverit, nec Vicarius, nec ejus Procurator admittendus.

§. 47. Si in aliquo Monasterio vacaverit Prioratus tempore Capit. Generalis, Vicarius non possit venire, nec mittere alium Procuratorem ad Capitulum Generale, quam illum dumtaxat, quem elegerit Conventus. Idipsum in Capitulo intermedio servari debeat, si aliquod Monasterium Turni, ad quem spectat electio, Priore caruerit tempore ipsius celebrationis.

Extravagans IV.

Vicarius eligi nequeat in Procuratorem Cap. Gen.

§. 48. Vicarius non eligatur in Procuratorem Capituli Generalis.

Extravagans V.

Procuratores Conventuum, nonnisi mandata suorum Capitulorum afferre possint.

§. 49. Procuratores Conventuum, qui venient ad nostrum Capitulum Generale, non proponant nomine suorum Conventuum, quod a Personis particularibus fuerit eis injunctum, & commendatum; & quod a suis Conventibus illis fuerit commissum, afferant in scriptis subscriptum a majori parte dicti Capituli. Poterunt tamen portare Epistolas, & Memorialia Personarum particularium eis mandata & commissa ad Definitores, absque eo, quod necesse sit, ut a suis Prioribus signentur.

Extravagans VI.

Qui possint eligi Procuratores a Prioribus impeditis.

§. 50. Procuratores deputandi a Prioribus impeditis venire ad Gener. Capitulum, vicem & vocem ipsorum in eo habituri, ut in Constitutione disponitur, necessario constituantur, vel ex PP. Lectoribus Jubilatis, vel ex Monachis, qui Priores aut Visitatores Diffinitoresve Generales extiterint, & quorum Monasteria tres Personas & voces pro dicto Generali Capitulo prius deputatas non habeant.

Extravagans VII.

De Exgeneralibus, eorumque privilegiis.

§. 51. Omnes Patres Exgenerales possint personaliter interesse Capitulis tam Generalibus quam intermediis; in eisque votum activum & passivum habere, tam in electione Patris Generalis, quam in reliquis in dictis Capitulis faciendis: Dummodo quoad votum passivum subjecti sint legibus & Extravagantibus, quibus cæteri Monachi nunc subjiciuntur, & imposterum subjecti erunt. Cæterum vox dd. PP. Exgeneralium minime computetur in numero trium, quæ concurrere possunt ad Generale Capitulum ex hac Constitutione; sed præter duos aut tres Monachos, qui ad dicta Capitula Generalia, & intermedia respective concurrere possunt ex quolibet Monasterio; omnes etiam Exgenerales ejusdem Monasterii professi concurrant, & vocem habeant; dummodo personaliter dd. Capitulis interveniant; Quod auctoritate Apostolica est confirmatum.

Extravagans VIII.

Priores, & Procuratores, cujus expensis accedere debeant.

§. 52. Priores & Procuratores, ad Capit. tam Generalia quam intermedia convenientes, veniant & accedant sumptibus & expensis Monasteriorum illorum, quorum voces in dictis Capitulis habent: Patres vero Exgenerales expensis Monasteriorum suæ professionis.

Extravagans IX.

De Procuratoribus Vocalium Capituli intermedii, eorumque facultatibus.

§. 53. Vocales Capituli intermedii, sive Priores sive Procuratores existant, infirmitate seu alia justa de causa impediti, possint Procuratores constituere, suas vices & voces habituros in dicto Capitulo; prout hæc Constitutio disponit de Prioribus & Procuratoribus Capituli Generalis; dummodo causam prædictam per suas literas Capitulo prædicto notificent: Constituantur vero Procuratores Personæ habentes qualitates & conditiones requisitas per suprapositam Extravagantem: Nulliusque Monasterii ultra duas voces admittatur tertia in dicto Capitulo intermedio.

Extravagans X.

Conditiones requirendæ in eligendis in Procuratores Cap. Gen.

§. 54. Monachi eligendi in Procuratores Capituli Generalis Monasteriorum Professionis, & Collegiorum nostrorum, necessario habere debeant licentiam alicujus Ordinarii Diœcesani ad audiendas Confessiones, & etiam viginti annos completos ab Habitus receptione; nisi Lectores Theologiæ Scholasticæ fuerint, qui post decem annos completos ab Habitu recepto, ad habendam in Capitulo vocem requisitos, in tales Procuratores eligi poterunt. Eligendi vero in Procuratores Capituli Generalis novarum Domorum sint præcise vel ex Visitatoribus Generalibus actualibus, non tamen ejusdem Territorii, vel ex PP. Lectoribus Jubilatis, aut Regiæ Majestatis Prædicatoribus, vel ex Monachis, qui prius Priores vel Difinitores, aut Visitatores Generales extiterint.

Extravagans XI.

Tempus electionis Procurat. Capit. Gener.

§. 55. Procuratores Capituli Generalis in Monasteriis electionis juxta morem eligantur mensibus Novembris & Decembris immediatis ante dicti Capituli celebrationem; Ad quorum electiones Priores Monasteriorum eligentium omnes Vocales intra duodecim leucas a suis Monasteriis quomodolibet commorantes, die & hora electionis assignatis, citare debeant; & postquam factæ fuerint electiones, notificare teneantur P. Generali Procuratorem electum, diemque & horam suæ electionis.

Extravagans XII.

Vicarius Monasterii vacante Prioratu hacce in electione vocem non habeat.

Habeat vero si tantummodo Prior sit Abbas.

§. 56. Si contingat tempore electionis Procuratoris Capituli Generalis Prioratum alicujus nostrorum Monasteriorum quomodocumque vacare, illius Vicarius non habeat vocem in dicta electione; illam tamen debeat habere ad eligendum alterum ex duobus, inter quos sint æqualiter divisa Electorum suffragia. At vero non vacante Prioratu, sed absente Priore ab aliquo Monasterio tempore dictæ electionis, Vicarius ex commissione Prioris electionem prædictam celebrans, vocem suam habeat in illa; possitque pariter in æqualitate suffragiorum eligere alterum ex duobus, qui sint pares suffragiis. Quod idem in reliquis actibus

Capitu-

Capitularibus ex commissione Prioris absentis, a Vicariis nostrorum Monasteriorum celebratis, pariformiter observetur.

Extravagans XIII.

Procurator Capit. Gener. Collegii Salmant. ex Monachis Monasterii ejusdem eligendus.

§. 57. Ex concordia & concessione totius Ordinis Procurator Capituli Generalis Collegii Salmantini B. Mariæ de Guadalupe debeat eligi necessario ex Monachis professis ipsius Monasterii de Guadalupe: nec dicti Procuratoris vox & Persona computari debeat inter tres Personas & voces, singulis Monasteriis a Constitutione concessas, quas ultra d. Procuratoris vocem prædictum Monasterium insuper habere possit & valeat.

Extravagans XIV.

A Generali vero prima die Capituli eligendi duo qui examinent mandata Procuratorum.

§. 58. P. Generalis prima die Capituli juxta stylum & morem, nominet unum ex Prioribus, alterumque ex Procuratoribus habilioribus & discretioribus, qui omnia mandata Procuratorum ad Capitulum venientium diligenter examinent, illorumque legitimitatem recognoscant, examenque & recognitionem hujusmodi, atque inde sequuta, legitimosque Vocales ad Capitulum concurrentes, in eoque vocem habentes, postea in prima sessione Capituli Generalis exacte & fideliter referant.

CONSTITUTIO V.

De Sede Priorum & Procuratorum in Capitulo Generali.

Procuratores Priorum cæteros Procuratores præcedant.

§. 59. Certam sessionem sive locum in Generali Capit. teneat quilibet Prior vel Monachus Procurator secundum antiquitatem fundationis Monasterii, cujus Prior vel Procurator existat. Volumus tamen, quod Procuratores Priorum cunctos Procuratores Conventuum in sessione præcedant. De gratia tamen speciali multis ex causis rationabilibus statuimus & concedimus, quod Monasterium Sanctæ Mariæ de Guadalupe nostri Ordinis Tolelanæ Diœcesis in omnibus & per omnia prærogativas & libertates, vocem & locum in quibuscumque actibus in Ordine nostro habeat, ac si ante omnia Monasteria ipsum post Monasterium S. Bartholomæi fuisset immediate fundatum.

Excipitur Procurator Monast. de Guadalupe.

Extravagans I.

De officio & sessione Vicarii, & Hebdomadarii Sancti Bartholomæi.

§. 60. Vicarius S. Bartholomæi, & Hebdomadarius præcedant in Refectorio omnes Procuratores Capituli Generalis; atque absentibus Definitoribus sedeat Vicarius in mensa principali, & signum faciat cum campanula, in Choro vero Hebdomadarius sedeat in sede ad ipsum pertinente; Vicarius autem in diversis sedibus sedeat, attenta qualitate & præcedentia Prælatorum & Personarum ibi præsentium, faciatque signa de more consueto.

Extravagans II.

Cessio Prioris Monast. Sancti Laurentii.

§. 61. Volens nostra Religio gratiis & favoribus, a Rege Nostro Philippo Secundo acceptis, se gratam ostendere, concessit Regio Monasterio Sancti Laurentii a Majestate Sua fundato sedem & antiquitatem immediate post Monasteria Sancti Bartholomæi, & Beatæ Mariæ de Guadalupe; itaut Sedes Prioris Sancti Laurentii sit secunda in Choro ex parte Vicarii post Priorem Sancti Bartholomæi.

Extravagans III.

Præcedentia Prioris Sancti Bartholomæi super cæteros Priores.

§. 62. Ex Sac. Congregationis Episcoporum & Regularium decreto, quod cum Apostolico Brevi est confirmatum, Prior Sancti Bartholomæi præcedat in omni loco omnibus Prioribus Ordinis nostri.

Extravagans IV.

Ordo servandus in sessionibus.

§. 63. In præcedentia & sessionibus Capituli Generalis servetur hic ordo, videlicet: Generalis immediate absolutus & vacans statim post Diffinitores omnibus præcedat in cunctis locis, quibus Ordo fuerit congregatus. Deinde immediate post illum Patres Ex-Generales ante omnes Priores secundum suam in Generalatu antiquitatem. Post Priores actuales, Priores absoluti Monasteriorum Sancti Bartholomæi, Beatæ Mariæ de Guadalupe, & Sancti Laurentii Regalis. Omnes Visitatores Generales secundum cujusque Territorii classem & antiquitatem; Subinde PP. Lectores Jubilati, quibus succedant Procuratores Priorum absentium, & immediate post illos Procurator & Secretarius Generalis ante omnes Monasteriorum Procuratores; prout hactenus de more servatum est.

CONSTITUTIO VI.

Quod Visitatores Generales eant ad Capitulum, & Speciales mittant informationem suam.

§. 64. Visitatores Generales triennii proxime præteriti veniant omnino ad sequens Capitulum Generale. Idem etiam de Visitatoribus particularibus fiat, si specialiter per Patrem Generalem fuerint evocati. Qui quidem omnes Visitatores permittantur interesse Capitulo Generali; nullam tamen vocem in eo habeant, nisi Priores vel Procuratores existant; licet possint loqui quidquid sibi bene videbitur. Visitatores vero particulares, qui non venerint, Diffinitoribus per suas literas plenam suæ Visitationis informationem, quemadmodum Visitatores Generales facere debent præsertim quoad miseri-cordias Priorum, & status, reparationemque Monasteriorum, mittere teneantur.

Extravagans I.

Scrutinium inter Priores & Procuratores prima Capituli die faciendum, ad removendas subornationes &c.

§. 65. Prima die, qua ingrediuntur Capitulares Monasterium S. Bartholomæi, Visitatores Generales Castellæ, unusque ex Deputatis Capituli privati a Patre Generali designandus, faciant scrutinium inter Priores & Procuratores, qui veniunt ad Capitulum, si forte interfuerint subornationes, dona, aut promissiones pro electione Definitorum, & futuri Generalis; & quos delinquentes invenerint, juxta nostras Constitutiones puniant & castigent.

Extravagans II.

§. 66. Eadem die Pater Generalis assignet duos ex Privati Capituli Deputatis, qui post meridiem visitent Visitatores Generales, & audiant querelas, siquæ contra illos proclamatæ, aut inventæ fuerint: Processus vero servetur, tradaturque Definitoribus futuris, ut determinent tantum, & declarent illos habiles aut inhabiles ad electionem Generalis; alia vero, si quæ fuerint, definienda serventur post electum & confirmatum futurum Generalem.

CONSTITUTIO VII.

De electione, & facultate Definitorum.

Prior S. Bartholomæi Definitor perpetuus.

§. 67. Decretis a Sac. Congregatione Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium, Episcoporum & Regularium negotiis præposita, successive confirmatis Brevi Apostolico, supra Constitutione prima enuntiato, obtemperantes declaramus: Priorem pro tempore Monasterii Sancti Bartholomæi Diffinitorem perpetuum cum præcedentia supra cæteros Priores;

Quamobrem in posterum, non octo, ut antiquitus, sed septem dumtaxat Personæ in Diffinitores Capituli Generalis, quarum tres tantum sint Priores, & quatuor Monachi ex Procuratoribus Monasteriorum in eodem Capitulo existentes, ab illis, qui in eodem Capitulo vocem habent, sine Personarum & Nationum acceptione ante omnia eligantur. De Monasterio autem Sancti Bartholomæi, ultra Priorem & Procuratorem ejusdem Monasterii, poterunt Electores, si velint, eligere Diffinitorem Monachum aliquem professum ipsius Monasterii; dummodo tamen sit Persona notabilis & discreta, in numero dictorum quatuor Monachorum Procuratorum computandum. Quæ quidem electio Diffinitorum fiat hoc modo: Assignentur & dentur in publico per majorem partem Capituli tres Scrutatores, qui prius vota sua, deinde singulorum omnium votum habentium secrete recipiant. Quibus receptis, & facta inter se collatione secreta solius numeri eligentium, Personas quoque eligentes nullatenus tempore aliquo declarando, unus ex eisdem scrutatoribus omnes electos in Diffinitores statim & publice in Generali Capitulo publicet: quorum illi sint Diffinitores, in quos plura eligentium vota, non totius Capituli, sed respectu partium minorum, concurrent. Si tamen in numero pari circa aliquos vota concurrerint Electorum, tunc ille Diffinitor existat, quem Scrutatores ipsi vel duo eorum in Diffinitorem, tamquam magis idoneum, declaraverint assumendum; super quo ipsorum conscientiam oneramus. Causa quoque rationabili nos movente, Nostris Monasteriis infra ditionem Serenissimi Domini Regis Aragonum constitutis de gratia speciali concedimus, quod ex aliquo eorumdem Monasteriorum unus Prior vel Monachus, qui respectu Priorum & Monachorum suæ propriæ Nationis in Diffinitores electorum plures, ut supra præmittitur, voces habuerit, in Diffinitorem quolibet Generali Capitulo eligatur; etiamsi in eum pauciores voces, quam in singulos Priores & Monachos Nationis Castellæ ad officium prædictum electos, concurrant. Hi autem septem Diffinitores (ut præfertur) electi cum Priore Sancti Bartholomæi, qui est de per se, & Pater Generalis una cum ipsis, habeant in negotiis particularibus omnimodam & plenam potestatem ordinandi, statuendi, diffiniendi omnia & singula, quæ secundum Deum, & nostri Ordinis observantiam utiliora esse viderint, in eodem Capitulo, ordinanda, statuenda, diffinienda. Ea vero, quæ per eos vel majorem partem ipsorum fuerint ordinata, statuta, vel diffinita, sine contradictione aliqua inter Personas, quas tangit negotium, inviolabiliter observentur. Nullatenus tamen possint Diffinitores absque consensu ejusdem Capituli Statuta, Constitutiones vel Ordinationes de novo facere, sive jam facta tollere vel mutare; nec aliquam dispensationem perpetuam contra hujusmodi statuta concedere. Cæterum prædicta Diffinitorum potestas, nisi in aliquibus casibus multum arduis, & causa magna, quæ per prius toti Generali Capitulo vel ipsius duabus partibus multum evidens & perutilis videatur, nullatenus possit tolli eisdem.

Modus electionis Diffinitorum faciendæ.

Definitorum facultates.

§. 68. Verum finito Generali Capitulo nullo modo prædicta potestate utantur, nisi in aliquibus casibus & certis diebus immediate Capitulum ipsum sequentibus potestas aliqua per idem Capitulum eisdem specialiter concedatur. Generali quoque durante Capitulo, Pater Generalis ampliorem potestatem non habeat, quam habet unus Diffinitorum, nisi in foro conscientiæ; possit tamen aliquid quasi interloquendum dicere in rebus modicis, in quibus nulla videbitur dubitatio. Præterea, dum publica tenebitur Capituli Generalis audientia, Pater Generalis, & Diffinitores, nullo alio inter eos sedente, contigui sedeant, observato inter eos ordine, qui servatur in sessione Capituli Generalis. Verum quidquid fuerit per Patrem Generalem & Diffinitores ordinandum, statuendum, vel diffiniendum, seu determinandum, ante per aliquem ad hoc designatum in publica audientia totius Generalis Capituli proponantur; nisi talia sint, quæ ibidem non deceat publicari. Quæ autem fuerint per eosdem ordinata, statuta, diffinita, seu determinata, ultima die Capituli in eadem audientia per Patrem Generalem seu per aliquem Diffinitorum, quem ipse assignaverit, perlegantur. Omnia vero, quæ in Capitulo Generali fuerint tractata, dicta, seu determinata, in secreto penitus teneantur, donec ipsum Capitulum sit finitum. Si tamen talia sint, quæ utilitas petit, seu honestas admonet, ut in notitiam multorum non veniant; nullatenus aliquibus temporibus revelentur. Qui autem contrarium fecerit, debite puniatur.

Generalis facultates durante Capitulo expirent.

De publicatione Statutorum per Generalem, & Definitores.

Extravagans I.

§. 69. Non possint eligi in Diffinitores Capituli Generalis, neque Patres Capituli privati immediate præcedentis deputati, neque aliquis omnium Visitatorum Generalium suam Visitationem in dicto Generali Capitulo terminantium; qui similiter non poterunt eligi in Deputatos Capituli privati triennio suæ Visitationis. Nec denique ullus ex Diffinitoribus Capituli Generalis immediate præteriti; ut suorum munerum & officiorum possint residentia subjici, & rationem reddere. Quæ omnia a Sacra Congregatione Episcoporum & Regularium sunt approbata, & observari mandata.

Qui excludantur ab officio Definitorum.

Extravagans II.

§. 70. Ex Professis unius & ejusdem Monasterii non possit esse, nec eligi, nisi unus solummodo Diffinitor; neque Prior & Procurator unius Monasterii, quamvis diversorum Monasteriorum Professi, in Diffinitores simul eligi pariter valeant. Quoad Monasterium vero Sancti Bartholomæi remaneat in suo vigore & vi, Constitutionis dispositio: nempe quod ultra Priorem & Procuratorem eligi possit in Diffinitorem alter Monachus dicti Monasterii Sancti Bartholomæi, qui sit Persona notabilis & discreta, loco & numero unius Procuratorum in Diffinitores eligendorum; prout in ipsa Constitutione disponitur.

In quolibet Monasterio unus tantum Definitor eligi possit.

Extravagans III.

§. 71. Diffinitores Capituli Generalis non possint in eo eligi in Visitatores Generales, nec exeant a Diffinitorio provisi aliis officiis & muneribus præter illa, quibus gaudebant, quando Definitores electi fuerunt; poterunt tamen eligi in Deputatos Capituli privati. Hoc idem observetur in Capituli privati Deputatis, videlicet, ut de aliquo officio provideri non possint in eodem Capitulo.

Definitores Cap. Gener. alio novo officio eo in Cap. gaudere non possint.

Extravagans IV.

§. 72. Procuratores Definitores habeant votum in electione Priorum Domorum novarum, cum non possint exire a Definitorio aliis officiis provisi, sed dumtaxat cum eisdem, quibus ante electionem perfruebantur.

Extravagans V.

§. 73. In sequenti Sabbato post electum & confirmatum Patrem Generalem, totus Ordo celebret Missam solemnem Defunctorum pro Catholico Rege Philippo II. felicis memoriæ.

Missa pro Philippo II. celebranda.

Extravagans VI.

Procurator S. Bartholomæi non necessario Definitor.

§. 74. Procurator Monasterii S. Bartholomæi non sit Diffinitor ex necessitate; sed poterit eligi, si Electoribus id convenire videbitur: sicut declaratum fuit a Sacra Congregatione Episcoporum & Regularium.

Extravagans VII.

De suffragiis, & Assistentibus electioni Definitorum.

§. 75. Ad regulanda suffragia Electionis Diffinitorum sint Scrutatores, & assistant simul cum Præside Capituli Pater Generalis immediate absolutus ac omnes & singuli Visitatores Generales; Aliquo vero vel aliquibus illorum deficientibus, subrogetur vel subrogentur Deputati Capituli privati secundum suorum Monasteriorum antiquitatem. Visitator antiquior Castellæ publicet & nominet Electos in Diffinitores, & in absentia illius Socius Convisitator, & in utriusque defectu, subsequens Visitator antiquior.

Extravagans VIII.

Conditiones requisitæ ad passivam Definitoris electionem.

§. 76. Eligendi in Diffinitores debeant ad minus extitisse vel Priores, vel Visitatores Generales, sive Lectores Jubilati, sive Prædicatores Regiæ Majestatis cum exercitio, vel Deputati privati Capituli.

CONSTITUTIO VIII.

Quæ ordinationes habebunt vim legis in nostro Ordine.

Ordinationes a duobus seqq. Capitulis confirmandæ.

§. 77. Tunc censeantur omnino firma quæcumque ordinationes vel statuta, in Generali Capitulo facta, cum a duobus proxime sequentibus Capitulis expresse revocata non fuerint; interim tamen plenarie observentur. Idem quoque censemus de quacumque dispensatione, ad relaxationem rigoris Ordinis pertinente, alicui Monasteriorum, seu Personæ Ordinis per Capitulum Generale concessa vel concedenda. Tamen libertates & prærogativæ Monasterio Sancti Bartholomæi, in primo Generali Capitulo concessæ, ita inviolabiliter serventur, prout commutatæ & elargitæ ipsi sunt ex Decretis Sacræ Congregationis, successivo Brevi Apostolico confirmatis.

Exceptis iis, quæ fient pro Monast. Sancti Bartholomæi.

Extravagans I.

Ac omnino proponendæ.

§. 78. Ut omnis imposterum dubitatio in nostrarum legum creatione & observantia tollatur, Sacra Congregatio Eminentissimorum & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium, negotiis Episcoporum & Regularium præposita, statuit & decrevit, quod perpetuis futuris temporibus Pater Generalis & Definitorium teneatur omnino proponere ordinationes vel statuta, quæcumque in nostro Generali Capitulo facta, in duobus aliis proxime sequentibus Capitulis Generalibus; Et nisi, sicut præcipitur, proposita fuerint, hujusmodi statuta & ordinationes vim obligativam amittant.

§. 79. Propositione facta, quæ revocata & reprobata fuerint cum majori parte suffragiorum per secretum scrutinium, prorsus extincta remaneant; quæ vero similiter approbata & confirmata fuerint in secundo immediate sequenti Capitulo Generali, sine ulla intermissione observentur; atque iterum proponantur in tertio proxime sequenti Capitulo Generali, in quo si ita pariter approbentur & confirmentur, omnino firma sint, & in legem Extravagantem transeant.

Si approbentur in tertio in legem Extravag. transeant;

§. 80. Si vero Capitulum Generale in secunda vel tertia propositione expediens judicaverit, aliqua statuta & ordinationes, in præcedentibus Capitulis facta, diuturniori tempore esse probanda, ut ad legem Extravagantem eleventur; sive censuerit, quod aliqua statuta vel ordinationes observentur absque eo, quod teneatur in proxime sequentibus Capitulis procedere ad formandam legem Extravagantem; tunc eadem statuta vel ordinationes innovare, seu de novo facere poterit; atque ita noviter facta vim obligativam tantum habeant usque ad proximum sequens Capitulum Generale: atque in actis Capitularibus describantur & publicentur. Nunquam vero in legem Extravagantem transeant, licet pluries fuerint similiter innovata, nisi ulterius approbentur & confirmentur in duobus proxime sequentibus Capitulis Generalibus, ut supra; Atque ita Sacra Congregatio perpetuo & inviolabiliter servari mandavit, quibuscumque in contrarium non obstantibus.

Si tamen in aliquo ex iis Capitulis secus non fuerit statutum.

Extravagans II.

De Rotulis Capit. Gen.

§. 81. Firmam vim legis tantum habeat, quod disponitur & ordinatur in nostris Constitutionibus, Extravagantibus, & Ordinario: Rotuli vero Capituli Generalis & privati vim obligativam habeant & observentur, quousque publicetur in Monasteriis Rotulus Capituli Generalis proxime sequentis: Literæ vero Visitatorum Generalium usque ad Visitationem Generalem immediate sequentem observari debeant sub pœnis, in illis contentis.

Et Literis Visit. General.

Extravagans III.

§. 82. Declaratio nostri Ordinis legum pertineat ad N. Capitulum Generale, aut ad privatum, vel ad P. Generalem infra triennium inter Generale & Generale Capitulum, qui consuletur, si aliquod dubium occurrat, & interim declaratio Prioris observetur. Nullæ tamen declarationes vel interpretationes nostrarum Constitutionum & Extravagantium, a Capitulo Generali factæ, vim legis Extravagantis habeant & assumant, nisi in duobus proxime sequentibus Capitulis Generalibus, ut supra propositæ, & confirmatæ fuerint.

Extravagans IV.

Exemptiones PP. Generalium absolut.

§. 83. Patribus Generalibus absolutis exemptiones sequentes conceduntur.

Primo. In toto nostro Ordine quilibet Sacerdos duas celebret Missas pro singulis illorum ex hoc sæculo decedentibus; Qui vero Sacerdotes non fuerint, Missarum æquivalentiam, ut dicitur, nempe Vesperas cum Nocturno & Laudes Defunctorum dicere debeant.

Secundo. Liberi sint & exempti ab onere Missarum communitatis, & a quocumque alio officio, præterquam Prioris aut Deputati.

Tertio. Assistere Choro, nisi fuerint Priores, non teneantur.

Quarto. Ad Capitula Generalia & Intermedia possint personaliter convenire, in eisque vocem activam & passivam intervenientes habere.

Quinto. In omnibus locis præcedant quibuslibet Monachis & Prioribus Ordinis, excepto Priore, cui subsunt & Visitatoribus generalibus vel specialibus, Confirmatoribusque in actu visitationis, & confirmationis Monasteriorum, ubi resideant.

Sexto. Possint tam ad prandium, quam ad cœnam in communi Refectorio Conventus, vel in designato pro Infirmis comedere, vel ubi ipsis magis commodum fuerit; & in Refectorio communi in mensa principali sedeant, vel ubi ipsis magis commodum videatur.

Septimo. Ipsis designetur socius in necessariis ministraturus tam in cellis, quam extra Monasterium progredientibus.

Octavo. Eorum cella eodem modo ac cella Prioris sit privilegiata; & insuper ingredi possint in alias cellas cum omnibus associatis.

Nono. Si in propriis suæ Professionis Monasteriis commorentur, in communi Refectorio, sicut Persona Prioris tractari debeant; extra illud vero tam ad prandium quam ad cœnam extraordinarium ipsis tribuatur: Et insuper egressuris a Monasterio socius & mulæ pro ipsis parentur, ut decore & auctoritate debitis a Monasterio egrediantur.

Extravagans V.

Exemptiones Lectorum.

§. 84. Patribus Lectoribus actualiter legentibus, & Jubilatis exemptiones sequentes conceduntur.

Primo. Ad onus Missarum pro Communitate non teneantur.

Secundo. Ad nullum officium in tabellis communibus designentur.

Tertio. Gaudeant, & vocentur titulo Paternitatis.

Quarto. Eorum cellæ sint jubilatæ, & ingredi possint in aliorum Monachorum cellas, horis silentii exceptis; præterea ipsis designetur socius pro assistentia in dictis cellis.

Quinto. Choro assistere non teneantur, nisi in Festis principalioribus, a Priore secundum consuetudinem Monasterii celebrandis; in quibus, primis & secundis Vesperis, Processioni & Missæ intervenire debeant. Ad Matutinum vero primis diebus tribus Natalis, Resurrectionis Domini, & Pentecostes, die Epiphaniæ, Ascensionis, & Corporis Domini, Assumptionis Beatissimæ Virginis, Sancti Patris nostri Hieronymi, omnium Sanctorum, Commemorationis Defunctorum, Patroni vel Titularis Monasterii aut Collegii, & in triduo majoris Hebdomadæ: Præterea Sabbatho Sancto ad Completorium, Vigilia Nativitatis Domini ad Primam, Dominica Pentecostes ad Tertiam, & in die Ascensionis ad Nonam accedant.

Sexto. Actuales Lectores legere non teneantur, nisi usque ad Pentecostem; imposterumque ab illo die pro ipsis legant substituti, qui poterunt esse Passantes.

Septimo. Postquam duodecim annos in lectura Philosophiæ & Theologiæ in nostris Collegiis compleverint, cæteris requisitis observantiæ Religionis & integritatis concurrentibus, Jubilati existant & declarentur; omnibusque supradictis exemptionibus perfruantur; dummodo tamen ex debito officiorum Ordinis, si quæ ipsi habeant, puta Prioris, Vicarii, aut aliorum, assistentiæ Chori & Communitatis non teneantur.

Extravagans VI.

Iisdem privilegiis fruantur Vicarii Generales.

§. 85. PP. Vicarii Generales, qui exercite Ordini, Sede vacante, præfuerunt, iisdem gaudeant exemptionibus, quibus Lectores Jubilati; excepto tamen, quod Missas pro Communitate celebrare teneantur.

Extravagans VII.

Exemptiones pro iis qui quatuor ex his recensitis dignitatibus compleverint.

§. 86. Monachis, qui quatuor munera seu Dignitates obtinuerunt & compleverunt, serventur exemptiones sequentes; nimirum, quod non teneantur accedere ad Matutinum media nocte, nisi in Festis solemnioribus celebrandis a Priore; nec pariter ad aliquam Horam Canonicam diebus ferialibus & simplicibus per totum annum.

§. 87. Munera autem seu Dignitates ad has exemptiones lucrandas sunt: Prioratus Domus erectionis aut Collegii, vel hujus Rectoratus integre completus: Diffinitor Capituli Generalis: Visitator Generalis, qui in Regnis Castellæ duodecim ad minus Monasteria, in Bethicæ Regnis decem, & in Aragoniæ sex exercite visitaverit: Secretarius Generalis: & Procurator Generalis.

Extravagans VIII.

Aliæ pro Monachis 30. annos Habitus habentibus.

§. 88. Monachis, triginta annos a receptione Habitus habentibus, servari debeant exemptiones in singulis Monasteriis consuetudine & praxi introductæ & observatæ; ad quas lucrandas Vicariis, Novitiorum Magistris, & Correctoribus cantus, ultra annos Habitus, superaddantur illi, quibus hæc officia obtinuerunt.

Extravagans IX.

Aliæ pro Prædicatoribus actual. Regis.

§. 89. Patribus Prædicatoribus Regiæ Majestatis, residentibus in Curia in Prædicationis hujusmodi exercitio, serventur sequentes exemptiones.

Primo. Teneantur Monasteria suæ Professionis Vestiarium ipsis tribuere, necnon alimenta juxta taxam in Capitulo Generali præscribendam.

Secundo. Habeant vocem in omnibus electionibus sui Monasterii; atque ad Prioris electionem, etiam extra viginti quinque leucas commorantes, citari debeant.

Tertio. Post quatuordecim annos in hujusmodi exercitio Prædicationis sint Jubilati cum his exemptionibus, nempe: non teneantur ad Chorum, nisi in Festivitatibus majoribus a Priore celebrandis: Ab onere Missarum Communitatis sint omnino liberi: Non legantur nec designentur ad aliquod officium in tabellis: & denique gaudeant titulo Paternitatis.

Prædicatores vero Regiæ Majestatis, qui in propriis Monasteriis residentes, singulis annis tres saltem sermones in Regia Basilica sive ad Suæ Majestatis Consilia, vel alibi prædicant in Curia, post dictos quatuordecim annos omnibus dictis exemptionibus gaudeant.

CONSTITUTIO IX.

De Misericordiis, quæ demandari debent in Capitulo Generali.

§. 90. Misericordiam sibi fieri, antequam ad alia in Generali Capitulo procedatur, Prior Sancti Bartholomæi flexis genibus coram Diffinitoribus in eodem Capitulo publice ac humili verbo petat. Cui primo sedens unus de Diffinitoribus dicat: Quæ est misericordia, quam petitis? Et tunc dictus Prior respondeat: Peto, ut absolvatis me ab onere hujus Prioratus, quem indignus guberno: quia ad illum regendum insufficientem me reputo. Cui respondeat Diffinitor: dante Domino deliberabit Ordo, utrum vestra petitio sit admittenda, vel ne; vobisque imposterum respondebit; Surgatis ergo, & ad vestrum locum redeatis. Per eumdem quoque modum successive faciant alii omnes & singuli Priores in eodem Capitulo consedentes, incipiendo a primo sedentibus, seriatim id petendo; quibus Prior Sancti Bartholomæi sigillatim respondeat, prout sibi fuit responsum. Super hujusmodi autem misericordiis cum Prioribus, ut prædicitur, faciendis, videant Diffinitores, Generali durante Capitulo, cum grandi maturaque deliberatione, præhabitis, si sit opus, veris informationibus. Quas utique misericordias ultima die Capituli faciant, cum quibus viderint expedire, utilitate ac honestate Ordinis & Monasteriorum attentis potius, quam Personarum favore; super quo eorum conscientias oneramus. Itaque prædicta ultima die, antequam

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

tequam aliquid aliud pronuncietur ibidem, cuilibet Priorum absolvendorum per unum de Diffinitoribus Ordine prædicto in scriptis respondeatur publice, sic dicendo: Circa misericordias per Priores petitas Ordo deliberavit & definivit modo, qui sequitur, videlicet: N. Priores talis Monasterii Ordo facit misericordiam, quam petiit; ipsosque absolvit a Prioratibus, quos habebant; & sic fiat de aliis Prioribus etiam absentibus quibuscumque, quibus misericordia hujusmodi fuerit facienda: Aliis autem, quibus non fiet misericordia, dicatur, quod suo, sicut ante, utantur officio. Præterea si Pater Generalis & Diffinitores super facienda absolutione alicujus Prioris se in partes æquales diviserint, petant a Generali Capitulo Personam aliquam sibi dari, quæ pro determinatione concordet parti, quam æstimat saniori ratione moveri. Hoc idem etiam observetur in quibuscumque aliis negotiis Generalis Capituli, in quibus similis occurret dissensio. Si autem hoc in Capitulo contingat privato, ipsi de Capitulo hujusmodi Personam sibi eligant, quæ similem (ut præfertur) una cum ipsis habeat potestatem. Præterea dum tractandum fuerit aliquid in speciali de aliquo Priore vel Monacho, aut de Domo, cujus est Prior vel Monachus, hoc tractetur & determinetur ipso, quem vel cujus Domus negotium tangit, absente. Qui vero remanserint, sint Judices in causa illius absentis, vel Domus ejus. Sane qui fuerint a Prioratibus absoluti seu privati, ad eosdem Prioratus illa vacatione nequeant elígi vel assumi.

Extravagans unica.

§. 91. Priores, quibus ex dispositione hujus Constitutionis facienda erit misericordia, & a Prioratibus absolvendi sunt, prius vocati, vel personaliter vel per suos Procuratores in Diffinitorio audiantur; illisque notificentur causæ & rationes ad suam absolutionem & misericordiam faciendam, Diffinitores moventes: Quibus si dicti Priores plene non satisfecerint, Patres Diffinitores ipsos hortentur, ut sponte renuntient, libereque cedant Prioratibus; & si secus fecerint ad misericordiam sine strepitu judiciali procedatur.

CONSTITUTIO X.

Quomodo eligi debeant Deputati Capituli privati, & de eorum facultate, & quomodo removeri poterunt.

Ad habendum Capit. privatum quatuor Professi a P. Generali, & Definitoribus assignandi.

§. 92. Ad tenendum Capitulum privatum, quoties illud intra triennium teneri oporteat, Pater Generalis & Definitores, sua præhabita deliberatione matura, assignent in ultima die quatuor Personas nostri Ordinis, Priores vel Monachos, aut mixtim ex utrisque, discretas, a Monasterio, in quo residet Pater Generalis, non multum remotas. Quod quidem Capitulum teneatur ad dispositionem Patris Generalis, pro negotiis videlicet, quæ sibi multum ardua videantur, aut quæ absque dispendio non patiuntur moram usque in futurum Capitulum Generale. Qui utique Assignati omnino veniant, cum per prædictum Patrem Generalem fuerint evocati. Si tamen vocati, seu eorum aliqui sint infirmi, aut alio justo impedimento detenti, causam hujusmodi prædicto Patri Generali notificent: quo casu ipse loco illius vel illorum, ut prædicitur, impeditorum, alium vel alios eligat, prout viderit expedire. Idem faciat si aliquis vel aliqui eorum vel omnes sint rebus humanis exempti, vel secundum judicium suum sint nimis in remotis locis occupati. Attendat tamen Pater Generalis, quod Visitatores seu Confirmatores generales vel speciales, aut Personas pro Capitulo privato, sive pro quibuslibet aliis negotiis assignatas a Generali Capitulo, non mutet ex eo, quia prædicti assignati mutaverint statum suum; utpote si ille, qui erat tempore Generalis Capituli Prior, postmodum non sit Prior, aut e contrario; sed oportebit, quod alia justa & rationabilis causa ad hujusmodi mutationem, si quam oporteat facere, eum moveat. Præterea quæcumque fuerint ordinata seu definita per jam dictum privatum Capitulum, quoties, ut præmittitur, fuerit congregatum, firma & valida in toto nostro Ordine teneantur. Si quæ vero per idem privatum Capitulum fuerint minus bene ordinata seu definita, per sequens Generale Capitulum debite corrigantur.

Extravagans I.

Si vero per suffragia secreta.

§. 93. Deputati pro Capitulo privato eligantur per scrutinium & per schedulas, secretas a Patre Generali, & octo Definitoribus, itaut electus quinque suffragia ex novem habere debeat.

Extravagans II.

Aliquem vero electorum P. Gener. removere non possit.

§. 94. Pater Generalis non possit removere aliquem ex designatis pro Capitulo privato, sine consilio & consensu Visitatorum Generalium Regnorum Castellæ; super quo stricte eorum conscientiæ onerantur. Neque possit removere Visitatorem Generalem assignatum a Capitulo privato, sine consensu Capituli privati Deputatorum.

Extravagans III.

Nec Visitatores designatos a Capit. Gen.

§. 95. In posterum Pater Generalis non possit removere Visitatores assignatos a Capitulo Generali, sine consensu Capituli privati.

Extravagans IV.

Neque eorum aliquo defuncto successorem per se eligere.

§. 96. Si contingat, quod moriatur, aut impediatur aliquis ex Visitatoribus Generalibus, non possit Pater Generalis nominare, neque in ejus locum eligere Visitatorem sine consensu Capituli privati; nisi solum remaneant visitanda quatuor, quinque, aut sex Monasteria. Verum ne Visitatio incepta in aliquo Monasterio detineatur, si alter Visitatorum graviter ægrotaverit, vel mori contingat, Convisitator ex Monasteriis propinquioribus, socium debita requisita habentem, nominare possit pro Visitatione incepta perficienda & prosequenda in uno, vel duobus aliis Monasteriis. Si tamen infirmitas fuerit diuturna, aut Visitator obierit, statim Convisitator notificet Patri Generali, ut de Visitatore, ut supra, provideat.

Extravagans V.

Nemo inhabilitandus non auditus.

§. 97. Non celebretur Capitulum privatum post congregatum Capitulum Generale in Monasterio Sancti Bartholomæi, nisi urgente gravi & extrema necessitate; & tunc nullus inhabilitetur, quin prius vocetur & audiatur; alias inhabilitatio invalida sit, nullumque habeat effectum.

CONSTITUTIO XI.

De electione & facultate Visitatorum Generalium.

§. 98. Certas Personas in Generales Visitatores Personarum & Domorum nostri Ordinis, constitutas in Sacris, Deum timentes, discretas, & Sanctæ Religionis zelum habentes, Pater Generalis

ralis & Diffinitores, diligenti deliberatione præhabita, in ultima die Capituli Generalis publice in eodem Capitulo nominent & assignent, qui Personas & Monasteria Ordinis eisdem assignata infra triennium visitent, in tertio videlicet anno suæ assignationis; quam utique visitationem faciant secundum formam traditam in quadam nostra Constitutione infrascripta. Cæterum nullus Visitator suum visitet Convisitatorem, sed possit tantum informationes recipere, &, quatenus opus sit, ad Patrem Generalem transmittere, ut provideat. Neque Visitator aliquis visitet Domum, cujus est professus, donec habet facultatem redeundi ad Domum suæ professionis; sed loco illorum, qui, ut præfertur, visitare non debent, assignentur prædicta ultima die & in eodem Capitulo alii Visitatores ad hujusmodi visitationem speciales; habeant autem omnimodam & plenariam potestatem emendandi & corrigendi negligentias & excessus tam Priorum quam Monachorum Ordinis nostri, post visitationem proxime præteritam contingentes. Si autem negligentiæ seu excessus correctione indigentes, qui ante hujusmodi visitationem præteritam contigerunt, Visitatores præteritos latuerunt, tunc Visitatores præsentes possunt & debent talia corrigere, &, prout expedit, emendare. Nullam tamen possunt facere constitutionem seu ordinationem de novo, quæ communem Ordinis statum concernat, nec Monachorum Domus visitare; nisi de Prioris, aut, Priore absente, Vicarii licentia confessiones recipiant, nec prætextu suæ potestatis aliquem a suo Prioratu, nisi de speciali licentia Capituli Generalis vel Patris Generalis, absolvant, nisi in casibus infrascriptis, videlicet: pro hæresi: pro simonia manifesta: pro carnali immundicia: pro dilapidatione bona Monasterii enormiter alienando: pro furto: homicidio: gravi sortilegio: solemni perjurio: pro conspiratione, hoc est cum aliquibus malitiosa concordia ad obviandum Ordinis disciplinæ, aut statutis Capituli Generalis: Si fuerit falsarius literarum Domini Papæ, aut Cardinalium aut Principum aut Episcoporum, vel Priorum nostri Ordinis: Si contra communia nostri Ordinis instituta gratias aut Privilegia impetraverit, vel retinuerit, vel uti præsumpserit. In quibus casibus, facta hujusmodi absolutione, electioni celebrandæ novi Prioris intersint, & ipsam confirment aut infirment. Nullatenus tamen ipsorum Visitatorum aliquis eligi poterit in hoc casu, nec alio quocumque modo vacaverit, nisi morte, vel triennii elapsu; nec dicti Visitatores recipere possint renuntiationem alicujus Prioratus absque speciali potestate Capituli Generalis vel Patris Generalis, sibi ad hoc specialiter concessa; nec ab ipsa Domo discedant, priusquam sit illi de Priore provisum. Sane si Persona electa, ab eodem Monasterio longe distet, & interim prædictos Visitatores ibidem moram trahere, foret nimis damnosum, suæque Visitationis impedimentum, tunc ipsi dent Confirmatores illius electionis non multum remotos, & illi cum fuerint vocati, teneantur ad illam Domum illico pervenire, & ea, quæ ad Confirmatorum pertinent Officium exequi; neque ab illa Domo animo non revertendi recedant, donec illi de Priore provideant. Quod si prædictis Visitatoribus melius & facilius videatur, quod ipsimet ad dictam Domum tempore congruo revertantur, tunc Confirmatores alios non assignent, sed ipsi hujusmodi electionis & confirmationis negotium modo debito exequantur. Ad hæc, quocumque casu viderint expedire, possint præfati Visitatores Priorem suspendere ab officio & administratione Prioratus ad tempus, vel usque ad Capitulum Generale, & hujusmodi absolutionem seu privationem, si quam fecerint, protinus Patri Generali in scriptis notificent, ut idem hujusmodi negotia sciat, &, si oporteat, provideat in eisdem. Præfatam quoque potestatem confirmandi vel infirmandi electiones habeant Generales Visitatores in Prioratibus Domorum suæ visitationis, quas tempore, quo in eisdem Domibus generalem suam Visitationem exercent, etiamsi alias, quam per privationem, vacare contigerit.

Visitatores Constitutionem pro toto Ordine facere nequeant.

Casus, quibus quis Prior per eos deponi potest.

Extravagans I.

§. 99. Officia, quæ providentur a Definitoribus, qualia sunt Visitatorum Generalium, Deputatorum Capituli privati, & Priorum novarum Domorum, conferantur per electionem cum scrutinio, & non per compromissum; Idemque servetur in privato Capitulo.

Officia, quæ providentur a Definitoribus per scrutinium conferenda.

Extravagans II.

§. 100. Mandatum commissionis traditæ Visitatoribus Generalibus sit subscriptum a Patre Generali & ab omnibus Definitoribus, remaneatque & conservetur apud Patrem Generalem, quousque, tempore visitationis adveniente, dictis Visitatoribus cum sigillis ab ipso consignetur.

Mandatum pro Visitatoribus a Generali, & Definitoribus subscribenda.

Extravagans III.

§. 101. Sex eligantur Visitatores Generales sub hac forma, nimirum: duo pro visitandis Monasteriis in Regnis Castellæ, & Legionis constitutis: duo alii pro existentibus in Provincia Bœticæ visitandis, simul cum Monasteriis Beatæ Mariæ de Guadalupe, Sanctæ Catharinæ Talabricensis, & Sancti Hieronymi de Juste, prout hucusque practicatum fuit: & duo pro Monasteriis Regnorum Aragoniæ una cum Monasterio de la Nora, & Caravaca visitandis; quorum alter Monasteriorum dictorum Aragoniæ Regnorum Professus esse debeat.

Numerus Visitatorum.

Extravagans IV.

§. 102. Persona Patris Generalis a Visitatoribus Generalibus Castellæ generaliter visitetur interim, quo celebratur Capitulum Generale, & quidquid resultaverit ex dicta visitatione contra Personam Patris Generalis, consignetur Definitoribus, qui illud pronuncient in Definitione; Quod auctoritate Apostolica confirmatum est.

De visitatione personæ Patris Generalis.

Extravagans V.

§. 103. Pater Generalis Visitatoribus Generalibus aliquod Monasterium aut Monasteria suæ visitationis aut designationis non auferat; neque etiam in ipsis Monasteriis casum aut casus aliquos Visitatoribus limiter, nec Personam aut Personas ab eorum generali visitatione reservet.

Visitatorum in Visitatione exemptio a P. Generali.

Extravagans VI.

§. 104. Patres Visitatores Generales signa faciant consueta Monachis, sero venientibus ad Chorum, eorumque excusationes recipiant, licentiasque concedant inde egressuris; Idemque omnino fiat tarde ad Refectorium accedentibus; alia tamen signa faciant Priores. Quoad vero locum in Choro vel in Refectorio Priores semper præcedant Visitatoribus, atque ita ad gratias servetur.

Priores præcedant Visitatoribus.

Extra-

Extravagans VII.

Officium Visitationis vacet per acceptationem Prioratus.

§. 105. Ipso facto, quo Visitator Generalis acceptat aliquem Prioratum, absque alia renunciatione vacet officium Visitationis Generalis.

Extravagans VIII.

Visitatores non eligendi Priores nisi in proprio Professionis Monasterio.

§. 106. Visitatores Generales non possint eligi in Priores nec in Procuratores Capituli Generalis in Monasteriis sui Territorii, nisi in proprio suæ Professionis.

Extravagans IX.

§. 107. Visitatores Generales, ne dum Monasteria suæ Professionis visitare non possint, ut Constitutio disponit, verum nec ea, ubi in triennio suæ Visitationis tamquam subditi aut superiores vixerint.

Extravagans X.

Qui possint eligi in Visitatores.

§. 108. Eligendi in Visitatores Generales debeant præcisce Diffinitores Generales, vel Capituli privati Deputati, aut Priores Monasteriorum electionis & Collegiorum, vel Lectores Jubilati, aut Prædicatores Regiæ Majestatis in exercitio, extitisse.

Extravagans XI.

§. 109. Visitatores Generales possint in sua visitatione quemcumque Priorem propter ejus diuturnam infirmitatem actualem vel habitualem, vitam communem sequi, actibusque Communitatis regulariter assistere impotentem, a suo Prioratu absolvere.

Extravagans XII.

Visitatio Generalis a P. Generali fieri non possit.

§. 110. Visitatio Generalis fieri non possit a Patre Generali, sed unice a Visitatoribus Generalibus in Capitulo Generali nominandis, ut in Constitutione disponitur, & hactenus observatum fuit; sicut Capitulum Generale 1696. resolvit ex commissione Sacræ Congregationis Episcoporum & Regularium.

CONSTITUTIO XII.

De assistentia Patris Generalis in Monasterio Sancti Hieronymi a Jesu Abulensi.

P. Generalis non exeat a d. Monaster. ultra quinque leucas,

§. 111. Non exeat Pater Generalis extra Monasterium Sancti Hieronymi a Jesu de Abula, ubi est assignata ejus residentia a Religione, & confirmata a Ven. Innocentio XI. die 22. Novembris anno 1688., ad locum seu partes aliquas ultra quinque leucas ab eodem distantes; nec etiam intra easdem ad Villam aliquam accedat, nisi in casu multum necessario, in quo, si non iret, maximum damnum Religioni in Personis vel in rebus verisimiliter immineret. Quem utique Patrem Generalem hortamur in Domino, ne etiam infra dictas quinque leucas, extra dictum Monasterium, in quantum poterit commode, exire frequentet, ut in Monasterio pro expediendis negotiis Ordinis facilius valeat inveniri.

Extravagans I.

Nisi de consilio duorum saltem Deputatorum.

§. 112. Justa etiam causa interveniente, P. Generalis non exeat a Monasterio suæ Residentiæ ultra quinque leucas in Constitutione præscriptas, absque consilio Capituli privati Deputatorum, vel saltem duorum ex illis illuc ad id accedere debentium.

Extravagans II.

Ad ejus autem subsistentationem quodlibet Ordin. Monast. concurrere debeat.

§. 113. Ad congruam subsistentationem P. Generalis Monachorumque ejus assistentiæ designatorum concurrat Collegium Abulense secundum illius possibilitatem; Reliquum vero a cunctis Ordinis Monasteriis persolvi debeat proportionabiliter per æs & libram, juxta uniuscujusque redditus; prout a Sacra Congregatione Episcoporum & Regularium decretum fuit, & imposterum observari mandatum.

Extravagans III.

Archivium Ordinis in Monast. Abulensi existat, e quo sine Generalis licentia nihil possit extrahi.

§. 114. Archivium nostri Ordinis existat in dicto Collegio Abulensi, ubi residet Pater Generalis, duasque claves habeat, quarum unam Pater Generalis, & Generalatu vacante Prior vel Vicarius Præses dicti Monasterii; alteram Secretarius Generalis, eoque vacante vel absente, Secretarius secundus habeant; a dicto vero Archivio nullatenus possit extrahi aliquod Instrumentum, Bulla, Actorum Liber, Processus, seu quodlibet aliud in ipso archiviatum & custoditum, sine licentia in scriptis dicti Patris Generalis seu Vicarii Generalis, sede vacante, relictaque in eo cautione ab extrahente subscripta super restitutione Instrumenti ab ipso extracti. In dicto autem Archivio serventur omnes Processus criminosorum Monachorum, donec e vivis excesserint, licet delictum tantummodo sit semiplene probatum: post mortem vero Inquisitorum vel Condemnatorum, servetur consuetudo antiqua cremandi Processus omnes criminales respective.

CONSTITUTIO XIII.

De facultate Patris Generalis, & de remedio Monasterii, quod ab illo fuerit gravatum.

P. Generalis statuta a Capit. Gener. revocare non possit.

§. 115. Habeat Pater Generalis infra triennium, videlicet inter Capitulum & Capitulum Generale, plenariam & omnimodam potestatem, quam habet Capitulum Generale. Nec potestas hujusmodi alteri committatur; nisi in certo aut certis articulis ex aliqua rationabili causa & ad certum tempus, de consensu dicti P. Generalis omniumque Diffinitorum contingat aliter ordinari. Verumtamen statuta per Generale Capitulum facta idem P. Generalis revocare non possit, nec de novo aliqua facere, quæ factum Ordinis commune concernant. Caveat quoque, ne in dispensationibus, circa Constitutiones Ordinis faciendis potestatem sibi concessam excedat, nec eadem potestate ullatenus abutatur; immo Deum semper habendo præ oculis, favore, odio, & quolibet alio impedimento postpositis, se viriliter & virtuose in omnibus exercendo; bonam honestatem & decentem nostræ Religionis observantiam semper & ubique ostendat; alioquin per Generale Capitulum veniet puniendus. Quod si aliqua Domus nostra per eum se sentit intolerabiliter pergravari, supplicet sibi, quod desistat a tali gravamine. Quod si renuerit, Domus, quæ damnum timet, significet hoc pro privato Capitulo deputatis: at illi a die requisitionis usque decem dies, expensis Domus vocantis, ad Monasterium, ubi residet P. Generalis, ad privatum Capitulum tenendum conveniant, &, si quod

Si quod ab eo gravetur Monast. cognoscendum a Deputat. pro Capitulo privato.

invenerint gravamen, removeant: Si autem gravamen tolerabile viderint, conquerentes ipsorum arbitrio castigentur. Est enim intentionis nostræ, quod parvum, aut mediocre incommodum propter bonum obedientiæ tolleretur.

Extravagans I.

Generali facultas non sit Romam scribendi in rebus ad Ordinem pertinentibus sine consensu Capit. Gen.

§. 116. Pater Generalis non possit Romam scribere in rebus pertinentibus ad totum Ordinem sine consensu Capituli Generalis; aut privati. Et noster Ordo habeat Protectorem & Procuratorem in Curia Romana.

Insuper Monachi, qui necessitatem habuerint scribendi P. Generali, non dicant: Domine; nec: Domine Pater; Sed tam in literis quam in nostris locutionibus dicatur & appelletur noster Pater Generalis, & non Generalis tantum; idemque observetur a Monachis cum suis Prioribus.

Extravagans II.

In rebus præjudicium Ordinis ferentibus quilibet Monachus Deputatis Capit. privati scribere possit.

§. 117. Si contingat (quod Deus avertat) Patrem Generalem facere aut tractare aliqua in præjudicium & damnum Ordinis, quicumque illius Monachus possit libere scribere Deputatis Capituli privati, aut cuilibet illorum, sumptibus Ordinis; sicut in rebus ad proprium Monasterium Sancti Bartholomæi pertinentibus quilibet Monachus illius poterat habere recursum ad Visitatores Generales, juxta nostras Constitutiones antiquas, quando Prior ejusdem Monasterii Sancti Bartholomæi erat simul Generalis totius Ordinis.

Extravagans III.

§. 118. Pater Generalis non possit ponere Præsidentes in Monasteriis Professionis, etiam vacantibus Prioratibus.

Extravagans IV.

Liber Secretariæ formandus pro registr. Decr. dispensationibus &c.

§. 119. Formetur liber Secretariæ, in quo scribantur omnia decreta, dispensationes, causæ, & justificationes illarum, & Pater Secretarius Generalis teneatur dictum librum præsentare coram Patre Generali & Definitorio subsequenti, ut videatur rectitudo dictarum dispensationum; id ipsum observetur in sententiarum, tam a Paternitate sua quam a Visitatoribus vel Judicibus Ordinis legitime promulgatarum, dispensationibus ab ipso Patre Generali concessis.

Extravagans V.

P. Generalis neminem ab obedientia Priorum, & regulari observantia queat eximere.

§. 120. Pater Generalis nullum possit eximere Monachum ab obedientia immediate suorum Priorum, nec a præceptis & censuris, prout de jure & nostris Constitutionibus, ab ipsis, suis Monachis impositionis, vel in eis dispensare; sive in his, quæ pertinent ad relaxationem regularis observantiæ, & Constitutionum Ordinis sine legitima & justa causa coram illo probanda, quæ constet de manifesto gravamine aut excessu Priorum; neque pariter valeat ad se avocare causas dictorum Monachorum, in prima Instantia a suis Prioribus de jure cognoscendas, nisi in gradu recursus, aut appellationis a diffinitiva, vel interlocutoria, vim diffinitivæ habente. In casu vero manifestæ omissionis & negligentiæ Priorum in causis inchoandis, prosequendis, & definiendis, cum delicta fuerint publica, dictus Pater Generalis Priorem vel Priores de sua omissione & negligentia arguere debeat. Et quatenus opus sit, compellere possit, ut in dictis causis procedant, ipsis designato termino competenti ad illarum definitionem; intra quem si dicti Priores negligentes fuerint, possit ad se avocare causas prædictorum, de illis cognoscere, easque definire per se aut suos Visitatores, dictosque Priores de hujusmodi omissione & negligentia punire.

Extravagans VI.

Prioribus Monasteriorum regimen servandum: iique a P. Gener. non removendi.

§. 121. Pater Generalis liberum relinquat Prioribus regimen & gubernium suorum Monasteriorum, quod ad ipsos immediate spectat, reservato tamen in omnibus recursu ad eumdem Patrem Generalem, ut decrevit Sacra Congregatio Episcoporum & Regularium pro Monasterio S. Bartholomæi. Neque Pater Generalis ponere & removere possit Officiales in Monasteriis (exceptis Officialibus in Domibus novis) Quoad vero remotionem, sine prævio ad illum recursu, & causæ cognitione, auditis partibus, præcipere nequeat Prioribus, ut ab officiis removeant Vicarium, Magistrum Novitiorum, Lectores Scripturæ, Procuratores, Depositarios, aliosque Officiales, a dictis Prioribus simul cum suis Capitulis vel Deputatis electos & provisos; quatenus vero ipsi P. Generali, ut supra, constiterit, quod in aliquibus Monasteriis non fuerint debite & legitime Officiales prædicti electi, aut quod officia fuerint provisa de Personis indignis, aut malæ administrationis, tunc poterit cogere Priores, ut provisos removeant, & de Personis dignis provideant; & si Priores non obtemperaverint contra illos procedat cum remediis Facti vel Juris.

Extravagans VII.

P. Generali facultas denegatur aliquem dispensandi a pœnitentiis impositis.

§. 122. Pater Generalis rigorose procedat in dispensandis mandatis, & pœnitentiis a Judicibus Ordinis impositis; ne nimia indulgentia, occasio iterandi culpas existat: quare si aliqua dispensatio ab ipso fuerit concedenda, prius a Judicibus informationem accipiat, ut per eam ex ipsis intelligat: An conveniat, vel non, talem dispensationem & misericordiam concedere? itaut dispensationes semper ab ipso fiant cum causæ cognitione.

Extravagans VIII.

Item & illegitimos ad officia suscipienda.

§. 123. Servato, ut par est, tenore Motus proprii Gregorii XIV. dictus Pater Generalis non possit dispensare cum illegitimis ad officia Prioris, Vicarii, aliarumque nostri Ordinis dignitatum, nisi cum generali vel privato Capitulo; Excepto tamen, si Capitulum Generale aliquas designaverit Personas, facultate ipsis concessa ad faciendum simul cum Patre Generali hujusmodi dispensationem, ut in dicto Motu proprio statuitur; Declarando insuper ad quamlibet dignitatem Vicarii, Prioris, Visitatoris, aut Diffinitoris, novam requiri gradatim dispensationem in dictis illegitimis.

Extravagans IX.

Et Monasteriorum impediendi electiones.

§. 124. Pater Generalis liberas omnino relinquat electiones nostrorum Monasteriorum, neque impediat a Vocalibus eligi quemlibet Monachum habentem conditiones & qualitates, a jure & nostris Constitutionibus requisitas.

CONSTI-

CONSTITUTIO XIV.

Quomodo Monachus poterit mutari ad aliud Monasterium.

Ad permutationes Monasteriorum, quæ conditiones requirantur.

§. 125. Mutare Monachum aliquem invitum ad locum alium, seu Monasterium aliud in perpetuum, nec Pater Generalis intra triennium, nec etiam Diffinitores in Generali Capitulo, neque Visitatores in sua Visitatione valebunt, nisi ejus demerita evidenter hujusmodi mutationem expoſcant, super quo eorum conscientias oneramus. Verum tamen propter novi Monasterii fundationem, aut aliam rationabilem causam, possint dictus Pater Generalis inter triennium, aut Diffinitores in Generali Capitulo una cum dicto Generali, talem mutationem facere, dumtaxat usque ad sequens Capitulum generale; observato semper, ne sit mutatio Monacho, aut Domui, cujus est Professus, majus damnum, quam commodum Domui, ad quam mittitur, ex hujusmodi mutatione sequatur. Si autem Monachus aliquis voluerit a Patre Generali licentiam petere ad aliud nostri Ordinis Monasterium transeundi, illud suo prius Priori notificet; Qui quidem Prior informationem vel intentum suum Patri Generali transmittat; ipse autem Pater Generalis, tali informatione vel intento præhabito, ex causa legitima, quæ sibi videbitur, hujusmodi licentiam dare possit.

Extravagans I.

Monachi fugitivi ad nova Monast. non mittendi.

§. 126. Pater Generalis non mittat Monachos fugitivos, vel quibus imposita fuerit pœnitentia, ad Monasteria nova; & si missi fuerint, non habeant vocem in Capitulo.

Extravagans II.

§. 127. Monachi, qui ire ad alia Monasteria ex levitate procurant, disciplinæ Magistri subsint, neque exeant ab eo Monasterio, ad quod mittuntur, usque ad sequens Capitulum Generale, & servent silentium. Illi vero, qui ob suas culpas mittuntur ad talia Monasteria, ultra pœnas eis impositas servent silentium cum omnibus, illis exceptis, quos Prior designaverit.

Extravagans III.

Eadem fere ad num. 125.

§. 128. Pater Generalis justa causa interveniente, & præhabita informatione a Monachis Religionis zelo, morumque honestate optime commendatis, possit, prout ipsi magis expedire videbitur, transferre cum patentibus simplicibus Monachos de uno in aliud Monasterium; dummodo tamen, quoad vocem in electione Prioris Monasterii Professionis habendam, serventur statuta Ordinis cum Monachis sic translatis; Possit vero tam Monachus, quam illius Prior ante exequutionem dictæ simplicis patentis, Patri Generali repræsentare rationes seu causas legitimas, si quas habuerint, ut suspendatur exequutio; Quibus auditis decernat Pater Generalis, prout ipsi magis expedire videbitur, cui obedire omnino teneantur.

Extravagans IV.

De Monachis translatis.

§. 129. Monachi, ita translati de uno Monasterio ad aliud per simplicem patentem Patris Generalis, teneantur facere in scriptis coram Priore Monasterii inventarium omnium supellectilium, & mobilium, quæ secum transferunt; & pariter cum ad propria Monasteria redierint, omnium rerum & utensilium, quæ secum portant.

Extravagans V.

Expensisque ad translationem necessariis.

§. 130. Monacho translato de uno in aliud Monasterium cum debita licentia, ut ipsi inserviat in aliquo ministerio, teneatur dictum Monasterium omnes itineris expensas tam in transitu, quam in reditu ad proprium Monasterium, facere & persolvere, prout ex consuetudine generali Ordinis huc usque servatum fuit.

CONSTITUTIO XV.

Quando tenebitur Prior epistolas suorum Monachorum transmittere ad P. Generalem.

Literæ a Monachis Generali scriptæ Priori ostendendæ.

§. 131. Si proclamatorias literas, seu denunciatorias de Priore suo, vel Conventu, aut de aliquo, seu aliquibus singularibus Personis illius Domus, cujus est Professus, aliquis Monachorum velit mittere Patri Generali, Prior prædicti mittentis, hujusmodi literas, illius Monasterii expensis mittere teneatur, dum tamen mittens Monachus coram aliquibus dicat Priori suo in genere, quod super aliquibus, Visitationem seu aliquod remedium illi Domui utile exigentibus, Patri Generali conscribit, quod si differretur, non modicum damnum sive periculum posset contingere. Quod si Prior prædictus literas præfatas non miserit, ad Patris Generalis sive Visitatorum arbitrium puniatur. In aliis vero casibus Prior, hujusmodi Monachi literas mittere non tenetur. Si tamen absque Monasterii expensis scribere Patri Generali aliquis Monachus voluerit, dummodo suo Priori dicat in genere, quod Patri Generali conscribit, quamvis super quibus scribit, non declaret, scribendi habeat libertatem. In quo casu Priori suo literam clausam ostendat, ut ex ejus superscriptione Generali constet, ipso sciente, literam esse missam. Si contra fecerit, suo Priori litera remittatur, ut sibi pœnitentiam condignam imponat. Nullus etiam Prior, seu Monachus literas, quas Priores vel Monachi Patri Generali, aut quas alicui Priori vel Monacho Pater Generalis transmiserit, quovis modo aperiat, sive legat. Pater vero Generalis super contentis in hujusmodi literis, cum viderit expedire, incunctanter apponat remedium opportunum, & si oportuerit ad illam Domum personas aliquas destinare, illas mittere non retardet cum potestate plenaria super talibus negotiis providendi. Hæ autem Personæ sic missæ, vel Pater Generalis, si Monachos, qui eas vocari procurarunt, non justa causa fuisse motos repererint, graviter eos puniant, ut eorum exemplo alii similia non audeant attentare.

Extravagans I.

Literas aperientes, vel impedientes voce activa & passiva ad quadriennium privantur.

§. 132. Nullus Monachus aperiat, neque impediat malitiose, vel per quamcumque aliam viam epistolas missivas, aut expeditiones, quas transmiserit Pater Generalis, neque ad Patrem Generalem ab aliis transmissas, sub pœna privationis vocis activæ & passivæ, quod est confirmatum per Bullam Apostolicam. Hujusmodi insuper vocis activæ & passivæ privatio durare debeat quadriennio; & si delinquens Prior fuerit, statim passiva, & post finitum Prioratum activa voce privetur usque ad finitum quadriennium.

Extravagans II.

Post ostensa Memorialia.

§. 133. Monachi scribentes epistolas, aut memorialia, quin illa ostendant suo Priori,

vel literas nihil addendum.

aut si post scripta & ostensa, aliqua addiderint, ut dicitur in nostra Regula, forti judicio condemnentur.

Extravagans III.

Non edendi libri a Monachis sine licentia Definitorii, vel Generalis.

§. 134. Nullus Monachus nostri Ordinis possit per se vel per alios edere, & typis mandare libros, sive aliud quodcumque opus, absque licentia in scriptis nostri Definitorii Generalis, aut Patris Generalis inter Capitulum & Capitulum; quibus stricte injungitur, quod operis examen Personis gravibus & doctis nostri Ordinis committant, antequam dictam licentiam concedant; quæ simul cum censura & approbatione, & cum debitis licentiis ante impressionem necessario obtinendis, in principio operis imprimantur.

Extravagans IV.

Tituli cuique post absolutum officium dandi.

§. 135. Patri Generali atque Generalibus absolutis detur titulus Magistri, & Paternitatis Reverendissimæ; Patribus autem Prioribus actualibus & absolutis Regiorum Monasteriorum Sancti Bartholomæi de Lupiana, Beatæ Mariæ de Guadalupe, & Sancti Laurentii, Diffinitoribus Generalibus, & Deputatis Capituli privati, dum ea munera exercent, titulus Reverendissimæ etiam donetur.

Titulus vero Paternitatis Prioribus actualibus & absolutis Monasteriorum electionis, Lectoribus Jubilatis, & actualibus Visitatoribus, & Confirmatoribus in actu confirmationis, Secretario, & Procuratori Generali, Prioribus Domorum novarum, & Rectoribus Collegiorum, ac demum Vicariis actualibus Monasteriorum Sancti Bartholomæi, Sanctæ Mariæ de Guadalupe, Sancti Laurentii dell' Escurial, & Abbatiæ Parracensis, tantummodo concedatur.

CONSTITUTIO XVI.

Quando Prior debet habere consensum sui Capituli, & consilium cum Deputatis.

Deputandi per scrutinium saltem tres consulendi a Prioribus in particularibus casibus.

§. 136. In quibuscumque casibus consensus Capituli requiratur de jure, Prior cujuslibet Monasterii nostri Ordinis consensum hujusmodi habeat, puta in venditionibus, permutationibus, donationibus, seu per longa tempora arrendationibus, aut quibusvis aliis possessionum alienationibus quarumcumque, necnon & rerum mobilium pretiosarum Monasteriorum, & aliis quibuslibet casibus in jure contentis. Verum si talia sint, in quibus non requiratur de jure consensus Capituli, si casus hujusmodi sint ardui, seu negotia grandia, tunc Prior consilium habeat cum Monachis constitutis in Sacris, ad talia negotia per sui Monasterii Capitulum sibi specialiter deputatis. Deputentur autem quinque ad plus & tres ad minus Monachi in Sacris constituti per viam scrutinii, modo quo Diffinitores in Generali Capitulo eliguntur, ad prædictum consilium Priori tribuendum, quoties fuerit opportunum. Postquam vero Deputati prædicti per Priorem requisiti in hujusmodi negotiis explicaverint, quod sibi videbitur, Prior faciat, quod sibi magis rationabile & proficuum videatur, omni omnino propria affectione atque personarum acceptione remota, excepto tamen casibus, in quibus Prior tenetur sequi sui Capituli aut sibi Deputatorum consilium. Qui quidem casus in nostris aliis infrascriptis Constitutionibus continentur; alioquin Prior debite puniatur. Hoc autem præcipue semperque in nostro Ordine observetur, quod nullus consilium suum, judicium, seu sententiam, aut alterius, pertinaciter præsumat defendere, ne in loco consilii discordiæ oriantur. Cæterum in rebus consuetis & levibus petere consilium ab hujusmodi Deputatis nullam Priori necessitatem imponimus. Ne autem Prior circa temporalia pergravetur, sed spiritualibus frequentius devotiusque intendat, officia Domus commendet talibus personis, quæ fideliter & utiliter debita cum diligentia illa ministrent.

Extravagans I.

De consensu Prioris pro actuum validitate.

§. 137. Disponentibus nostris Constitutionibus, quod pro validitate alicujus actus debeant simul concurrere vota majoris partis Conventus & consensus Prioris, in his casibus, quia sunt duo consensus & capita distincta, etiamsi totus Conventus aut major pars illius actum velit, nisi Prior consentiat concurratque cum illis, talis actus est invalidus; Ita e converso, si Prior velit, nisi simul consentiat & concurrat major pars Conventus, sit pariter actus invalidus; veluti in electionibus Vicarii, Procuratoris, in receptione & professione Monachorum, & in alienationibus, & aliis similibus.

Extravagans II.

§. 138. Quando aliquis Monachus dixerit in Capitulo suo Prælato: quomodo vobis placuerit, vestraque erit voluntas; aliudve æquivalens, suum votum conformare intelligatur & judicetur sine aliquo dubio cum voto Prioris; ille autem, qui postea conquestus fuerit, aut murmuraverit, arbitrio dicti Prioris voce capitulari privetur; Et pariter privetur voce capitulari a suo Priore Monachus, qui revelaverit quæ capitulariter tractantur & aguntur inter Monachos Vocales Ordinis Sacri, si Prior eos hortatus fuerit, ut secretum servent.

Extravagans III.

Vicarius unus ex Deputatis in suo Monast.

§. 139. Vicarius sit unus ex Deputatis, qui debent esse in quocumque Monasterio, cum sit secunda Persona Monasterii, & absente Priore, ejusdem habeat auctoritatem.

Extravagans IV.

Requisita ad venditiones, & contractus faciendos.

§. 140. In omnibus nostri Ordinis Monasteriis serventur de jure servanda circa alienationem, donationem, permutationem, cambium, censum quorumcumque bonorum immobilium seu mobilium pretiosorum, eorum ultra triennium locationem, seu alium quemlibet alienationis contractum, & præcipue observentur requisita infrascripta: Quod talis venditio, donatio, census, cambium, vel quilibet alius alienationis contractus, cadat in manifestam & evidentem utilitatem Monasterii, informatione de illa præhabita: Quod proponatur deinde, & tractetur per tres vices in Capitulo Conventus, Capitulumque seu illius major pars, accedente simul Prioris consensu, in dicta alienatione seu contractu conveniat; Et quod tandem petatur & obtineatur licentia specialis a Patre Generali, informatione utilitatis, tractatibusque in Capitulo habitis ad illum in forma authentica transmissis, ac specifica facta mentione rei donandæ, mutuandæ vel alienandæ. Idem omnino in locatione bonorum immobilium ultra triennium servari debeat, sub pœnis a jure statutis.

Extravagans V.

Procurator & Depositarius.

§. 141. Procurator temporalium, & Depositarius cujuslibet Monasterii in illius De-

putatos

tius Monaſt. in illius Deputatos eligi nequeant.

putatos nullatenus eligi poſſint; Priores vero abſoluti ſuorum Monaſteriorum, licet in Deputatos electi non fuerint, ad omnes actus conſultivos cum Deputatis ſimul vocentur; non tamen ad eos, in quibus per noſtra Statuta prædicti Deputati votum deciſivum habent.

Extravagans V I.

Priores niſi gravi de cauſa ultra ſex dies a ſuis Monaſt. non abſint.

§. 142. Patres Priores ultra ſex dies a propriis Monaſteriis non exeant nec abſint abſque licentia in ſcriptis Patris Generalis, niſi magna neceſſitas, caſuſve gravis repente contigerit, quæ prædictam licentiam abſque Monaſterii detrimento expectare non permittat; Tunc vero Priores caſum hujuſmodi poſt illorum abſentiam quamprimum dicto Patri Generali notificent; non tamen ad hoc teneantur in illis diebus & abſentiis, quas pro viſitandis Adminiſtrationibus, Granciis, aliiſque Monaſteriorum poſſeſſionibus, dicti Priores conſumpſerint.

CONSTITUTIO XVII.

Quod nullus Prior noſtri Ordinis eligatur in Priorem alterius Monaſterii, niſi Sancti Bartholomæi; & quod Monachus electus in Priorem alterius Monaſterii, in eo poſſit remanere perpetuo.

§. 143. Quicumque Monachus noſtri Ordinis, qui per electionem aſſumptus fuerit, ut ſit Prior cujuſcumque alterius Monaſterii, terminato ſuo officio poſſit ſemper permanere in Monaſterio, in quo fuit Prior, aut redire ad Monaſterium, a quo fuit aſſumptus. Verum ſi in Domo, in qua fuit Prior, elegerit perpetuo remanere, Priori ejuſdem Monaſterii infra menſem, poſt confirmationem novi Prioris computandum, ſuiſque ſucceſſoribus obedientiam repromittere teneatur; alioquin priori Monaſterio remaneat obligatus. Cæterum nullus Prior noſtri Ordinis eligatur in Priorem alterius Monaſterii, etſi fuerit electus, talis electio ſit nullius roboris: Excepto tamen Monaſterio Sancti Bartholomæi, in quo alter Prior noſtri Ordinis eligi poterit, licet ad acceptandum compelli nequibit, nedum ob ſpecialem prærogativam, quam olim obtinuit, ut Caput eſſet totius Ordinis, ſed etiam ob prærogativas, quas adhuc retinet, ut ſit Definitor perpetuus cum præcedentia, & Vicarius Generalis totius Ordinis in caſu vacationis Generalatus.

Extravagans I.

In Poſtulationibus duæ partes electorum debent concurrere.

§. 144. Quando aliquis Prior fuerit poſtulatus in Priorem Monaſterii ſuæ profeſſionis, Pater Generalis, ſi viderit adeſſe cauſas legitimas, ei poterit dare licentiam pro acceptanda poſtulatione. Et declaramus, quod in poſtulationibus intervenire debent duæ partes Electorum, prout in noſtro Ordine practicatum fuit.

Extravagans II.

§. 145. Prior abſolutus nequeat manere in perpetuum in Monaſterio, ubi explet Prioratum, in eoque iterum obedientiam repromittere, niſi præcedat conſenſus Prioris & Capituli, ſeu majoris partis dicti Monaſterii, infra menſem ab hac Conſtitutione præſcriptum; Quo præcedente, ſine alia licentia P. Generalis, aut conſenſu Prioris & Capituli Monaſterii ſuæ Profeſſionis, poſſit in Monaſterio, ubi fuit Prior, perpetuo permanere, Priorique & ſucceſſoribus ejus infra dictum menſem obedientiam repromittere.

Extravagans III.

§. 146. Pater Generalis poſſit nominare aliquos Priores actuales pro electione Monaſterii, ubi reſidet Curia Regia, conſideratis qualitatibus ad illum Prioratum requiſitis; & ſimiliter pro electione in aliis Monaſteriis, quæ proxima ſunt conſpicuis Civitatibus, ſicut etiam in Monaſteriis propriæ Profeſſionis, quatenus tamen hujuſmodi indulgentiam ipſa Monaſteria requiſiverint; Rector vero Collegii Salamantini in Priorem Monaſterii Beatæ Mariæ de Guadalupe de ſpeciali Religionis conceſſione eligi valeat.

Extravagans IV.

§. 147. Priores novarum Domorum nequeant promoveri, ſeu eligi in Priores aliorum Monaſteriorum, niſi in propriis ſuæ Profeſſionis, vel in aliquo caſu ſpeciali & valde neceſſario, & tunc præcedere debeat licentia P. Generalis. Sic vero electus a Prioratu, quem obtinet, nullatenus vacet, donec fuerit confirmatus in Monaſterio, ubi fuerit electus.

CONSTITUTIO XVIII.

Ad quem pertineat hæreditas illius, qui eſt electus in Priorem alterius Monaſterii.

§. 148. Si Monachus unius Monaſterii per electionem in Priorem alterius Monaſterii aſſumatur, & eidem Priori manenti aliqua donatio, hæreditas, aut legatum deveniat, ad prius Monaſterium pertinebit; niſi antequam ei talia obvenirent, vel in brevi obventura veriſimiliter crederetur, idem Prior declaraſſet velle ſe, ſui tempore Prioratus expleto, Monachus ejuſdem Monaſterii remanere; tunc enim ad ſecundum Monaſterium pertinebunt, in quo caſu, tempore ſui Prioratus exacto, ibidem manere & profiteri cogetur. Si vero ad hujuſmodi Prioratum non fuit per Monachorum electionem aſſumptus, ad primum Monaſterium talis omnino hæreditas, legatum, ſive donatio pertinebit.

CONSTITUTIO XIX.

De Officio Vicarii & Sub-Vicarii, ac de eorum auctoritate & facultate.

Electio Vicarii a quibus, & quomodo facienda.

§. 149. Electio de Monacho aliquo in Vicarium vel Sub-Priorem in quolibet Monaſteriorum noſtri Ordinis fiat per Priorem & Monachos illius Monaſterii in Sacris conſtitutos, ſeu eorum partem majorem, vota uniuſcujuſque eorum ſigillatim & in ſecreto per aliquos de eiſdem, ad hoc ſpecialiter deputatos, per prius ſuſcipiendo in ſcriptis, vel per viam compromiſſi, quomodo maluerint Electores. Qui poſtquam fuerit ſic electus, eo ipſo ſit Vicarius, & in abſentia Prioris a Monaſterio habeat eamdem poteſtatem, quam Prior ſolet habere, illaque utatur libere, niſi in caſibus, in quibus de jure Capituli conſenſus requiritur, in quibus quidem caſibus nullam habeat poteſtatem, niſi caſus illos aut eorum aliquos ſibi ſpecialiter Prior commiſerit. Nec etiam prædictus Vicarius habeat aliquam poteſtatem in aliis caſibus, quos ei Prior limitaverit, ſeu reſtrinxerit. Et ſi forte etiam Vicarium a Monaſterio abeſſe contingat, tunc regat Conventum, & præfatam Vicarii exerceat poteſtatem is, qui per Priorem pro tali abſentia fuerit vice Vicarii aſſignatus. Et ſi Vicarius in ſuo officio negligentias vel exceſſus commiſerit, Prior illum poterit corrigere & punire. Officium quoque Vicarii duret quouſque ſit facta con-

Vicarii hujuſmodi facultates.

firmatio

firmatio electionis proximi futuri Prioris. Si tamen Priori cum Deputatorum consensu, aut in Monasterio præsente Priore, soli Capitulo seu ejus parti majori, etiam renuente Priore, videbitur, quod Vicarii officium debeat ante prædictum tempus cessare, postquam hoc Monachi in Sacris constituti, seu eorum major pars, in suo congregati Capitulo declaraverint, ipso facto ejus expiret officium, & alius in Vicarium eligatur. Vacante tamen Prioratu vel suspenso Priore, nec Conventus Vicarium removere, nec ipse Vicarius officium valeat resignare. Vicarius autem in Choro, Capitulo, Refectorio, ac aliis quibuslibet locis præcedat omnes Monachos ad manum sinistram existentes Prioris.

Extravagans I.

Absente Priore a Monast. ab eo non exeat Vicarius.

§. 150. Absente Priore a quocumque nostris Monasteriis, non exeat Vicarius ab eo sine magna & evidenti necessitate; & si dicta necessitate instante exierit, serventur cum Sub-Vicario omnes illæ cærimoniæ & actus, qui cum Vicario observantur.

Extravagans II.

Quæ tunc temporis ejus sint facultates, quæ non.

§. 151. Vicarii, absentibus eorum Prioribus, non possint concedere licentias pro suscipiendis Ordinibus, nec licentias pro obtinenda facultate ab Ordinariis audiendi confessiones, nec faciant ea, nec dent licentias, quæ & quas verisimiliter credent eorum Priores non facturos, nec consueverunt nec voluerunt facere; sed curent conservare Monasteria eo modo & forma, quibus eorum Prælati ea relinquunt, pro eorum pace conservanda.

Extravagans III.

§. 152. Electio Vicarii debeat esse Canonica, & per majorem partem suffragiorum Capituli, cui consensus Prioris debeat etiam accedere & suffragari. Casu vero, quo major Capituli pars in eligendum in Vicarium non consentiat, aut Prior cum dicta majori parte Capituli in acceptanda electione non conveniat; factis decem scrutiniis, electio Vicarii ad Priorem devolvatur, qui in dicto casu Monachum, qui ei magis expedire videbitur, eligat in Vicarium.

Extravagans IV.

Alia requisita ad hoc, ut quis in Vicarium eligi possit.

§. 153. Monachi eligendi in Vicarios in decimo octavo anno completo ab Habitus receptione existere debeant, simulque ab Ordinario Diœcesano ad audiendas Confessiones licentiam obtineant.

Extravagans V.

A quibus deponi queat.

§. 154. Prior cum consensu majoris partis Deputatorum, aut Capitulum seu major illius pars, absque causæ cognitione, & quin teneantur illius rationem reddere, possint rationabilibus de causis Vicarium ab officio suo removere, ut in hac Constitutione ordinatur; Non tamen per hoc impediatur recursus, quem Vicarius ab officio remotus ad Patrem Generalem potest habere.

Extravagans VI.

Aliæ ejus facultates absente Priore.

§. 155. Absente Priore ab actibus Communitatis, Vicarius prosirare & elevare possit quemcumque Monachum, qui in illis aliquam gravem culpam committat; vel ipsi obedire renuat; aut irreverenter se gerat etiam cum aliis Monachis. Teneatur tamen Vicarius reddere Priori quamprimum de hujusmodi facto & ejus causa rationem.

CONSTITUTIO XX.

De modo, quem servare debent Monachi in egrediendo a Monasterio, & quando redeunt ad illud.

Licentia a Priore petenda per Monachos ante exitum a Monasterio.

§. 156. Extra Monasterii metas nullus Monachorum exeat sine Prioris licentia; & si eadem, qua exierit die, non sit ad Monasterium reversurus, benedictionem flexis genibus tam eundo quam redeundo a Priore petat; & reverenter accipiat.

Extravagans I.

§. 157. Nullus Prior, aut Vicarius, aut Præsidens vadat, aut aliquem Monachorum mittat ad Curiam, ad Cancellarias, nec Compostellam, nec Romam, nec ad aliam Peregrinationem, quin conscium faciat Patrem Generalem tam Monachi mittendi quam casus, super quo transmittendus est. Casu vero inopinato urgente, itaut periculum sit in mora, qui mittendus erit, de consilio Deputatorum mittatur.

Extravagans II.

Monachi non tenentur interesse publicis Processionibus.

§. 158. Monachi, aut Monasteria nostra conventualiter non concurrant ad Processiones, seu Rogativas publicas generales vel speciales in Civitatibus aut Villis, dictis nostris Monasteriis finitimis; Prioresque monemus, ex Indulto Apostolico Sancti Pii V. Monasteria nostra ad ipsis interessendum nullatenus posse cogi, aut compelli. Si vero propter communes necessitates aut calamitates celebrentur in dictis Civitatibus aut Villis, vel in toto Regno dictæ Processiones, aut Rogativæ; in nostris Monasteriis eas specialiter celebrari Priores faciant, & præcipiant, Indulti prædicti tenore omnino servato. Nec similiter nostri Monachi conventualiter interveniant Exequiis, Funeralibus, aut Festivitatibus extra nostra Monasteria; neque Monachi particulares callentes musicam ad Ecclesias extra Monasteria cum aliis musicis sæcularibus cantaturi a Prioribus mittantur.

Extravagans III.

De Benedictione accipienda ante exitum, & post reditum ad Monaster.

§. 159. Servetur omnino laudabilis Ordinis consuetudo, videlicet, quod Monachi egredientes a Monasterio vel ad illud revertentes, tam in egressu quam in reditu orationem facturi ad Ecclesiam accedant, priusquam a Prælato benedictionem accipiant. Quando vero nostri Monachi ad Villas aut Civitates, ubi Monasterium vel Hospitium nostri Ordinis existat, accedunt, in eis necessario hospitari debeant; nec in Domo genitorum, fratrum, aut consanguineorum, nisi de licentia in scriptis Patris Generalis, pernoctare possint. Si autem a dictis Civitatibus & Oppidis Monasterium per leucam distet, infra duos dies a Priore dicti Monasterii personaliter præsentato benedictionem accipiant, aliàs debite puniantur.

Extravagans IV.

De non vagando per Villas, Oppida &c.

§. 160. Quando nostri Monachi, secundum Monasteriorum consuetudines, recreationis causa in grancias vel campum egrediuntur, nullatenus ad Villas, Oppidave, aut Domos circumvicina absque Prioris expressa licentia divertant, minusque in illa ingrediantur; & qui contra fecerint arbitrio Prioris debite corrigantur. In campum vero exeuntes simul egrediantur, simul incedant, ad Monasteriumque juxta laudabilem consuetu-

tudinem simul revertantur; aliàs a Prioribus contrafacientes dicta recreatione priventur.

CONSTITUTIO XXI.

Quod non loquantur Monachi cum Personis, quæ non sunt ex eorum Monasterio, sine licentia.

§. 161. Post primam salutationem non loquatur aliquis Monachorum sine speciali Prioris licentia cum quibusvis personis, quæ ejusdem Monasterii non sint Monachi. Si tamen inter eamdem domum habitant aliqui familiares ipsius Monasterii, poterit eis loqui breviter in necessariis, in quantum est opus negotio. Monachi tamen, qui eosdem familiares in curam specialem habuerint, poterunt eis super expedientibus rebus loqui liberius. Præterea nullus Monachorum det, mittat, vel recipiat literas, seu aliquid aliud prædictæ personæ, vel ab eis, aut ab aliquibus aliis, sine Prioris licentia.

Item nullus Prior vel Monachus loquatur cum aliquo Monacho alterius Monasterii, ad quod declinaverit, post primam salutationem absque Prioris ejusdem domus licentia. Quæ in Monasterio, ubi residet Pater Generalis, propter Monachorum frequentationem ibidem concurrentium, præmaxime observentur.

CONSTITUTIO XXII.

De Scrutinio, quod facere debent Priores in cellis Monachorum.

Inquisitio in Cellis ter in anno a Priore facienda:

§. 162. Inquisitionem seu discussionem tam in cellis quam in dormitoriis & locis aliis, ubi Monachi existunt, seu dormiunt, quilibet Prior in suo Monasterio per se ipsum, vel per alium seu alios, in absentia Monachorum faciat ter in anno; & si quæ, per Priorem non concessa, fuerint reperta teneri, tollantur ab eis, & in manibus tradantur Prioris, qui de rebus ipsis disponat, prout viderit expedire, & Monachum in hoc culpabilem punire non differat.

Extravagans I.

Non ingrediendum in cellam alterius Priore inconsulto:

§. 163. Nullus Monachus, etiam hospes, ingredi possit in cellam alterius sine licentia sui Prælati; Quod auctoritate Apostolica est confirmatum. In horis silentii nulla cella sit jubilata, nisi Prioris.

Extravagans II.

Mobilia profana in cellis non retinenda:

§. 164. Prohibetur Monachis nostri Ordinis habere in eorum cellis mobilia, quæ propter magnum valorem sapiant profanitatem. Si quæ autem hujusmodi Patres Priores aut Visitatores invenerint, ea ab ipsis auferantur, & in commune redigant, eisdem tantum permittendo ornatum, quod nostri status honestati sit consonum.

CONSTITUTIO XXIII.

Quomodo fieri debeat Officium Divinum.

Officium Divinum dicendum in Choro:

§. 165. Officium Divinum in quolibet nostro Monasterio dicatur vel cantetur per Monachos in Choro alta vel remissa voce, spatiose atque punctatim, occupatione sive necessitate qualibet non obstante.

Extravagans I.

In die Annunciat. cum organo.

§. 166. Die Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis pulsentur organa, si celebretur ante Dominicam Passionis.

Extravagans II.

Oratio mentalis die quælibet.

§. 167. In omnibus nostris Monasteriis oratio mentalis ante vel post Vesperas aut Completorium, juxta consuetudines Monasteriorum, per dimidiam horam quotidie habeatur. A Sabbato vero primo Quadragesimæ usque ad hebdomadam Sanctam exclusive præcipue dicta oratio mentalis in Choro non intermittatur, ad quam campana primo pulsetur per spatium psalmi de profundis, & secundo sex aut septem ictibus. Omnes autem Monachi legitime non impediti intervenire teneantur.

Extravagans III.

Non introducenda nova Officia.

§. 168. Non introducantur cantus neque nova Officia, quæ non habet Ordo, exceptis Officiis Sanctorum Titularium, quæ celebrantur in propriis Monasteriis. Præterea permittimus, quod in nostris Choris cantari possit cantus organi in Festis principalibus & solemnioribus de licentia Prælati, & non cum aliis Cantoribus sæcularibus. Credo vero cum organo nullatenus cantetur.

Extravagans IV.

§. 169. Omnes Religiosi portent candelas in processione Corporis Christi.

Extravagans V.

§. 170. Absentibus simul Priore & Vicario, præsit Sub-Vicarius tam in Refectorio quam in Choro, & ab eo petatur licentia inde exeundi: in Sub-Vicarii vero absentia a primo vel secundo Correctore: & illis etiam absentibus ab Hebdomadario.

Extravagans VI.

§. 171. Festum Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis celebretur & fiat duplex majus.

Extravagans VII.

Horæ Canonicæ quibus horis dicendæ:

§. 172. In omnibus nostris Monasteriis, quolibet negotio aut necessitate non obstante, omnes Horæ canonicæ dicantur vel cantentur in Choro horis & temporibus in nostro Ordinario distributis & præscriptis, cum tali spatio & gravitate, quod in illis persolvendis octo adminus horæ quotidie impendantur; pluresque in festivitatibus solemnioribus juxta consuetudinem Monasteriorum expendantur. At vero in Domibus novis, quæ Professionis non sunt, etiam horæ Canonicæ quotidie dicantur in Choro per Priorem & Monachos ibidem residentes sub hac distributione, videlicet: Matutinum ad occasum Solis, & antea Vesperæ & Completorium: Prima, Tertia, Sexta, Nona, statim post ortum Solis. Idem præterea in nostris Collegiis observetur sub hac forma, videlicet: Prima, Tertia, Sexta & Nona; quando juxta consuetudinem Oratio matutina debet haberi: Vesperæ vero & Completorium cum Matutino sequentis diei post Solis occasum.

Extravagans VIII.

De Litaniis B. Virginis.

§. 173. Omnibus Sabbatis cantentur post Completorium Litaniæ Beatissimæ Virginis Mariæ, ut in Sancta ejus Domo Lauretana, congregatis omnibus Monachis in Ecclesia aut in Choro secundum antiquam cujuslibet Monasterii consuetudinem; Ad quas & ad Antiphonam ejusdem Beatissimæ Virginis, qua terminatur quotidie Officium & Completorium, facto campanæ signo, omnes Monachi, etiam exempti, accedere & interesse teneantur.

Extravagans IX.

De Magistro Cœremoniarum.

§. 174. In omnibus nostris Monasteriis nominetur a Priore, prout hactenus, Monachus practicus & intelligens in Cœremoniarum Magistrum; cujus curæ incumbat eas docere, & zelare defectus, qui in earum praxi accidere possunt in Divinis Officiis, & tempore opportuno ita prævenire & cavere, ut nullus error aut defectus in Officio Divino, vel Missarum celebratione contingat.

CONSTITUTIO XXIV.

De Celebratione Missarum, Communione Monachorum, & quomodo sit solemnizanda Festivitas Patris Nostri Sancti Hieronymi.

Missa Conventualis die quolibet.

§. 175. Missa Conventualis cum nota una ad minus, in quantum bono modo fieri poterit, omni die in quolibet nostro Monasterio celebretur. Sacerdotes autem Missas celebrare frequentent, præcipue in diebus Dominicis & Festivis. Cæteri quoque Monachi certis diebus annuatim communicent, videlicet in prima Dominica de Adventu, die Nativitatis, Dominicæ Epiphaniæ, Purificationis Beatissimæ Virginis Mariæ, prima Dominica, & tertia Quadragesimæ, Dominica de Passione, in die Cœnæ Domini, in qua etiam omnes Sacerdotes communicent, die Resurrectionis Dominicæ, Apostolorum Philippi & Jacobi, Dominicæ Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi, Nativitate Sancti Joannis Baptistæ, festo Sancti Jacobi Zebedei, festivitate Assumptionis Beatissimæ Dei Genitricis Mariæ, Nativitate ejusdem, festo Patris nostri Beati Hieronymi mensis Septembris; cujus dies per Monachos & Donatos familiares & mercenarios nostri Ordinis ab omni servili opere colatur & observetur; die Sancti Lucæ Evangelistæ, qua quidem die noster Ordo institutus & reformatus extitit & exemptus, festo omnium Sanctorum: In quibus diebus Priores debent, si commode poterunt, celebrare.

Communio Monachorum solemnioribus.

Dies Festus S. Hieronymi.

Extravagans I.

De Confessoribus.

§. 176. Hortantur omnes Monachi nostri Ordinis, quod sæpe confiteantur cum Priore; atque Prior curet, quod plures sint Confessarii deputati in Monasterio.

Extravagans II.

De Cultu S. Hieronymi.

§. 177. Quandocumque nominatur noster Pater Sanctus Hieronymus tam legendo quam loquendo, dicatur noster Pater Sanctus Hieronymus, & ejus transitus integer & completus legatur in Refectorio, donec terminetur.

Extravagans III.

De Missa Conventuali in Domibus novis.

§. 178. In Domibus novis & Collegiis cantetur Missa Conventualis omnibus Dominicis & diebus festivis; Si vero sufficiens numerus Monachorum non adsit, ut cantari possit cum notis, cum tono saltem canterur.

Extravagans IV.

A Monachis qualibet die Dominica communicandum.

§. 179. Monachi, qui non fuerint Sacerdotes, & Fratres Laici Sacram Communionem recipiant omnibus diebus Dominicis, nisi in Hebdomada occurrat aliquod festum, in quo communicare debent juxta Constitutionem; quia tunc omittetur Communio Dominicæ eidem festo propinquioris.

Extravagans V.

Ii vero Confessarium privatum qui eos a calibus

§. 180. Obsequendo, ut par est, Motui proprio San. mem. Clementis VIII. Monachi nostri Ordinis, non possint in virtute Bullæ Cruciatæ, nec alterius Privilegii, eligere Confessarios, qui illos a casibus reservatis per eorumdem Superiores absolvere valeant.

CONSTITUTIO XXV.

De tempore & locis silentii.

Tempus silentii.

§. 181. Silentium per nostros Monachos, debitis necessitate ac utilitate exceptis, summo studio observetur intra septa vel metas cujuslibet nostri Monasterii, locis & temporibus infrascriptis, videlicet: omni tempore post ultimum signum factum ad Completorium usque ad secundam pulsationem Primæ sequentis diei perfectam. Et a Resurrectione Domini usque ad festum Exaltationis Sanctæ Crucis statim post primam refectionem usque ad secundum signum factum ad Nonam; in diebus vero jejunii, usque ad signum surgendi de dormitione diurna: In Claustro principali & etiam in Choro continue: In Refectorio rempore refectionis: In Dormitorio tempore dormitionis; In prædictis autem locis & temporibus ex causa rationabili breviter & submissa voce loqui licebit.

Quibus in locis.

Extravagans I.

Diebus festivis evitanda vagatio.

§. 182. Incumbant Præsidentes, ut in diebus festivis evitetur omnis vagatio & negotiatio, serveturque silentium inter Monachos.

Extravagans II.

Tempore pulsationis campanæ.

§. 183. A festo Sancti Patris nostri Hieronymi usque ad Quinquagesimam non fiat campanæ signum ad dormiendum post Matutinum in nostris Monasteriis, nisi hora tertia jam pulsata; reliquo vero tempore statim post terminatum Matutinum; & nullus Monachus ante signum ad dormiendum accedat sine speciali licentia.

Extravagans III.

§. 184. Quamquam Monachi Choro assistant, horis tamen vacationis a Choro aliisque Communitatis actibus, sese exerceant & occupentur, in scribendo, aut in aliis exercitiis pro obedientia sibi injunctis vel injungendis.

CONSTITUTIO XXVI.

De Habitu Monachorum, & de eo, quem portare debent Donati, & de eorum obligationibus.

Forma Habitus Monachorum.

§. 185. Habitus noster & Vestes, juxta institutionem felic. record. Domini Gregorii Papæ XI. Institutoris nostri Ordinis, formæ ac pretii sint sequentis, videlicet: Tunicæ sint clausæ & amplæ de panno albo, vili & grosso, aut de illo panno, qui vulgariter dicitur *Calcil*, cum manicis moderate amplis & clausis, atque decentis longitudinis ita, quod cinctæ usque ad talos descendant, & terram non tangant. Mantellus & Scapulare sint de panno griseo seu burello, similiter grosso & vili, nullo præter nativum tincto colore. Sit quoque Mantellus parte anteriore fissus, & unico claudatur ejusdem panni botone. Licet Mantellus non sit de necessitate, sed de Habitus honestate, illum tamen deferre debebimus, cum in publicum procedimus. Scapularis autem longitudo brevior sit tunica per manum unam, & ejus Capuccium in amplo humeros non excedat, ac in longitudine per quatuor saltem digitos distet a zona Mantelli, etiam longitudo per quatuor digitos Tunicæ longitudini non æquetur, ita quod Tunica Mantello, & Mantellus Scapulari sit lon-

gior.

gior. Zona quoque sit de corio nigro latitudinis duorum digitorum, vel quasi, cum fibula ferrea vel ærea absque aliis laminulis vel clavelis. Calceamenta sint sotulares nigri, qui tribus adminus laqueis adstringantur. Vestes, quibus subtus induuntur ad carnem, non sint lineæ vel canabinæ, sed lanceæ, femoralibus tamen exceptis; nec in lectis habeant linteamina de lino vel de canabo; poterunt tamen habere pulvinaria sive cervicalia de eisdem. Debilibus tamen seu infirmis ad arbitrium Prioris, quoties opus fuerit, poterunt linteamina seu indumenta canabinea vel linea ministrari. Idem habitus donetur Novitiis hoc superaddito, quod ad Scapularis latera juxta Zonam duæ de eorum panno ligaturæ suantur, *travas* vulgariter nuncupatæ, trium habentes amplitudinem digitorum.

Habitus Donatorum.

Donatis vero nostris donetur Tunica & Mantellus, & largum Capuccium de burello, cum cauda longitudinis palmi unius, vel aliæ vestes honestæ. Præfati quoque Donati dicant quotidie pro omnibus Horis quindecim Pater Noster cum Ave Maria; & die, qua in Donatos recipiuntur, obedientiam plene promittant. Idem etiam de Fœminis Donatis fiat præter vestes prædictas, dum tamen desuper induantur burello prædicto, cum honestate omnimoda conversantes. Et Donati & Donatæ nostri Ordinis per Priorem & Capituli majorem partem recipiantur, & non aliter.

Extravagans I.

Donati per annum probandi.

§. 186. Non recipiantur ad obedientiam Donati, quin prius per annum probentur. Si vero emisso voto obedientiæ reperti fuerint intractabiles, honestatique Monasteriorum nostrorum non convenientes, a Priore cum Deputatorum consensu possint expelli, voto facto non obstante.

Extravagans II.

§. 187. Donatis nostri Ordinis, quando recipiuntur, & antequam votum obedientiæ emittant, notificetur, quod nisi fuerint tales, quales disponit Extravagans, ejicientur ab Ordine, etiam post Professionem.

Extravagans III.

Ab eis solvendæ decimæ de propriis bonis.

§. 188. Donati, qui retinent propria bona, solvant decimas illorum, quia de personalibus non tenentur.

Extravagans IV.

Donatæ cum licentia Generalis recipiendæ.

§. 189. Non recipiantur Mulieres Donatæ in nostro Ordine sine licentia Patris Generalis.

Extravagans V.

Vestes laneæ, & modestæ.

§. 190. Omnes nostrorum Monachorum interiores vestes, caligis comprehensis, debeant esse laneæ ex panno albo vili, aut staminia, seu ex *cordellate*; & interiores thoraces (vulgo sayos) descendant ultra genua, juxta laudabilem Ordinis consuetudinem, quæ vestes, quotiescumque fiant, & Monachis distribuendæ sint, prius a Prioribus examinentur; nec Monachis permittantur, quæ cum aliqua profanitate, curiositate, aut usu sæculari fuerint factæ. Transgressores vero, qui aliter vestes facere vel gestare præsumpserint, pœna clausuræ sex mensium coerceantur.

Extravagans VI.

Lineis uti non permittendum.

§. 191. Caveant omnino Priores, ne suis Monachis licentiam concedant lineis utendi, femoralibus exceptis, nisi ob gravem & manifestam necessitatem, aut habitualem infirmitatem, Medicorum judicio declarandam, & non aliter. Monachis vero, qui absque dicta licentia lineis utuntur, pœna unius anni clausuræ pro prima vice imponatur; si autem reinciderint, pœnæ Superiorum arbitrio aggraventur.

CONSTITUTIO XXVII.

De Culpis levibus.

§. 192. Levis culpa est, si quis ultimo signo ad Horas jam facto, non assistat in Choro: Si quis in Choro male legendo sive cantando, solus vel cum alio offendens, non statim se inclinans pectus suum manu percusserit, genuaque versus Altare flexerit; aut si cum aliis recitans vel cantans offenderit, & prædicta pœnitentiæ signa præter genuflexionem non fecerit: Si quis Divino non intentus Officio levitatem ostendat, vagis oculis perspiciendo, vel motum irreligiosum aliquem faciendo: Si quis in Ecclesia dormierit, vel alio quovis loco aliquid inquietudinis fecerit: Si tempore opportuno lectionem vel cantum non providerit: Si quis legerit, aut cantaverit aliud, quam communiter Monachi cantant vel legunt: Si in cameris privatis quisquam fuerit capite non operto: Si quis dissolute ridendo, sive dicta vel facta ludicra seu irrisoria dicendo, aut faciendo, alios ad risum provocaverit: Si vagos oculos per vias aut plateas, sive loca alia publica vel privata, hinc inde innoneste duxerit: Si quis benedictionem non receperit a Priore, cum extra metas Monasterii, illa die non reversurus, exierit, aut quando ab extra ad Monasterium venerit: Si dormierit in Choro, dum Officium fit Divinum: Si statutis temporibus audiendæ lectioni non adfit: Si ornamenta Altaris vel Ecclesiæ negligenter tractaverit: Si libros aut aliqua, quæ sibi fuerint pro sui necessitate collata, tempore convenienti non reddiderit: Si liber in Conventu legendus alicujus negligentia ibidem defuerit: Si scutellam, aut quicquam aliud fregerit, seu perdiderit: Si cibum aut vinum effuderit, aut sine benedictione sumpserit: Si ad mensam sedens communem, quicquam cibi seu potus gustaverit, antequam Lector legere incipiat, & fiat signum ad refectionis initium: Si per negligentiam quisquam in principio Capituli, communis refectionis vel collationis præsens non fuerit: Si quis cum juramento quicquam affirmaverit seu negaverit: Si verba vana vel inhoneста protulerit: Si quis in officiis domus sibi commissis negligens reperitur: Si quis silentium non servaverit: Si propter victum vel vestitum, aut rem aliam, murmuraverit. Propter culpas prædictas vel similes, committentibus illas, Prior ad arbitrium suum imponat pœnitentiam, sicut viderit expedire.

CONSTITUTIO XXVIII.

De Culpis gravibus.

§. 193. Gravis culpa est: Si Monachus cum Monacho, vel cum Sæculari in præsentia Sæcularium inhoneste contenderit: Si Monachus cum Monacho jurgia vel rixas quocunque loco habuerit: Si Monacho vel Sæculari inhonestum quid dixerit: Si quis deprehendatur scienter mendacium protulisse: Si quis Monacho præteritam culpam, pro qua satisfecit, improperaverit: Si quemquam increpaverit pro eo, quo de ipso increpante in Capitulo proclamaverit: Si in consuetudine duxerit non tenere silentium: Si in latrinis, seu privatis silentium non servaverit: Si culpam suam, vel alterius cum

superbia

superbia defenderit: Si quis inter Monachos discordias seminaverit: Si proclamando aliquem jurgium seu turbationem fecerit: Si contra aliquem comminatoria, seu opprobriosa vel irreligiosa verba protulerit: Si malitiose de suo Priore, aut de suis Monachis aliqua mala, quæ probare non possit, evomuerit: Si in fœminam oculos fixerit, & hoc in usum habuerit, aut cum ea solus in loco suspecto loquatur: Si sine causa & absque licentia jejunia per Ecclesiam vel Ordinem statuta solverit: Si quis ad aliquem locum missus, ante vel post terminum sibi assignatum, sine rationabili causa redierit. Pro hujusmodi culpis, & his similibus, veniam petens, & non proclamatus, unam in Capitulo substineat disciplinam, prout in proxima sequenti Constitutione describitur, ac uno die in pane & aqua jejunet. Denunciatis vero pœnitentia duplicetur, & ultra hoc imponat illi Prior psalmos & venias, sicut sibi expedire videbitur.

CONSTITUTIO XXIX.

De Culpis gravioribus.

§. 194. Gravior culpa est: Si quis per contumaciam, vel manifestam rebellionem, aut verbis contumeliosis Priori suo per diem integram inobediens extiterit; vel si cum eo intus vel foris proterve persistens in sua duritia saltem per diem, non consentiens veritati, omni reverentia & paterno timore postpositis, quasi de pari contendere ausus fuerit: Si habito cum alio, vel aliis consilio, sive per conjurationem, aut malitiosam concordiam, se manifeste contra suum Priorem erexerit: Si peccatum mortale manifeste commiserit: Si in Ordine perseverando, sui ipsius exemptionem ab obedientia contra Priorem suum procuraverit: Si rem sibi collatam scienter celaverit. Qui culpam aliquam de prædictis voluntarius, vel accusatus de illa, se commisisse confessus fuerit, aut convictus, tot diebus, quot Priori visum fuerit, pœnitentiam substineat subsequentem, videlicet: Exuta superiori tunica, brachio & scapula denudatis, percutiatur cum virgis per manum Prioris in Capitulo vel Refectorio post benedictionem Mensæ in prima refectione cum psamo, quem Prior voluerit, per eum & Monachos ad Choros dicendo. Pœnitentia quoque durante prædicta, sit in Conventu ultimus in loco, ubicumque Conventus fuerit congregatus. Insuper in Refectorio cum aliis ad mensam non sedeat, sed in terra tam in prandio quam in cœna in medio Refectorii super tabulam nudam comedat; de pane grossiori pro cibo, & sola aqua pro potu ministretur eidem, nisi Prior sibi aliquid aliud misericorditer præcipiat dari. Quod autem de ejus cibo & potu superfuerit, non commisceatur cum his, quæ de mensis remanserint aliorum. Dum vero gratiæ post refectionem communem de mane aguntur, jaceat prostratus in terra tensus super faciem suam junctis manibus ante portam Ecclesiæ seu Chori, donec Monachi ipsum pedibus tangendo, intrent & exeant super eum. Sæculares tamen hoc videre non debent, nisi delictum illis fuerit manifestum; tunc enim, si Prior viderit expedire, faciat Sæculares esse præsentes, ut qui fuerint de crimine scandalizati, per hujusmodi pœnitentiam ædificentur. Nullus insuper audeat ad talem pœnitentem accedere, nec sibi quidquam loqui sine Prioris licentia; sed ne in profundum desperationis deveniat, mittat ad eum Prior Monachum, seu Monachos aliquos discretos, qui illum ad pœnitentiam & satisfactionem moveant & inducant. Quod si humilitatem in eo viderint, & etiam alii de Conventu, supplices preces pro eo Priori porrigant, ut cum illo misericorditer se habere dignetur; Quas quidem preces Prior libenter accepret, præfatam pœnitentiam, prout sibi videbitur expediens, moderando. Verum si forte ipsum in cordis duritia persistentem invenerint, iterum cum disciplinis modis præfatis per Priorem ad ejus arbitrium feriatur, aut per alium de Prioris speciali mandato, si Prior fuerit legitime impeditus. Præterea dum Monachus præfatam pœnitentiam continuaverit, non communicet, nec cum aliis osculum pacis accipiat, nec vocetur seu scribatur, ut in Ecclesia vel alibi aliquod officium faciat, nisi officia servitutis. Officio tamen Divino poterit interesse. Insuper non Habitum Professorum, sed Novitiorum tantummodo portet, quousque plene, prout expedit, ad Prioris arbitrium satisfecerit. Et si forsan talis Monachus Sacerdos Diaconus vel Subdiaconus fuerit, officiis hujusmodi non utatur, donec a Priore utendi eis licentia illi detur. Ultra prædictas etiam pœnas, si quis pravo consilio cum alio seu aliis habito, aut per conjurationem, seu malitiosam concordiam se manifeste contra suum Priorem (ut præfertur) erexerit, nullam vocem in Capitulo eo ipso habeat; donec Prior de consensu Capituli, illam misericorditer sibi restituat. Necnon qui permanendo in Ordine, exemptionem ab obedientia sui Prioris (ut præmittitur) sibi vel aliis procuraverit, præter pœnas jam dictas communio sibi Ordinis denegetur, & talis exemptio, quantum expediens fuerit, impugnetur; seu, ut revocetur, instetur. Cæterum ei, qui proclamatus, culpam aliquam de prædictis confessus protinus fuerit, brevi; illi vero, qui non accusatus, ultro confitebitur, breviori; ei autem, qui de culpa convictus fuerit, longiori tempore supradicta pœnitentia imponatur.

Pœnitentia pro gravioribus culpis imponenda.

Extravagans I.

§. 195. Denegare alicui Monacho Ordinis participationem, ut in hac Constitutione præscribitur, ex antiqua consuetudine Ordinis in eo consistit: quod nec ad Chorum nec ad Refectorium nec ad Capitulum nec ad aliquod Officium vel Beneficium Ordinis admittatur, veluti si membrum Religionis non existat.

Quid sit Ordini non participare.

Extravagans II.

§. 196. Monachus, qui de aliquo falso crimine alium accusaverit, ultra pœnas crimini, de quo falso accusavit, debitas, alias sufferat, arbitrio Visitatorum imponendas.

Pœnæ contra accusantes de falso crimine.

Extravagans III.

§. 197. Caveant Monachi, ne cuicumque Personæ Sæculari, aut Ecclesiasticæ aut Regulari alterius Ordinis, directe vel indirecte, verbo aut scripto, per se aut per alios quomodolibet manifestare aut revelare præsumant culpas graves aut graviores nostrorum Monachorum; vel pœnitentias graves, pœnasque propter eas ipsis impositas, unde gravis infamia & manifestum dedecus nostro Ordini subsequi & imminere possit. Qui contrafecerint; Si fuerint Prælati, suspensionis ab officio per annum pœna mulctentur; Si subditi in Sacris constituti, vocis activæ & passivæ privatione, & clausura intra claustra per annum etiam puniantur; Si vero in Sacris non constituti, Habitum Novitiorum per annum similiter portent;

Monachorum crimina gravia, gravesque pœnitentiæ nemini revelandæ.

Sub statutis hic pœnis.

Si au-

Si autem fuerit ipse reus, prædictæ pœnæ duplicatæ ipsi infligantur.

Extravagans IV.

Contra Monachos famosos libellos imprimentes &c.

§. 198. Nullus nostri Ordinis Monachus per se vel per alios scribere, publicare, & multo minus imprimere, imprimive, aut publicari directe vel indirecte facere audeat libellos, scripta, aut memorialia anonima, vel sub nomine suppositio & ficto, quæ in injuriam, dedecus aut infamiam nostri Ordinis, ejus Regiminis, aut alicujus Monasterii, vel Monachi, maximeque Prælatorum quomodolibet cedant vel cedere possint. Contrafacientes de hujusmodi culpa convicti carceri per annum mancipentur, & gravioris culpæ pœna debita puniantur. Eis vero Monachis, ad quorum manus dicti libelli vel memorialia pervenerint, districte præcipimus, ne aliis ipsa communicent, sed vel statim discerpant vel Prioribus tradant; alias graviter puniantur.

Extravagans V.

Vel ludis prophanis ludentes:

§. 199. Nullus Monachus intra septa cujuslibet Monasterii nostri ludere possit, nec cum aliis Monachis nec cum sæcularibus, ludis prophanis & sæcularibus, maxime alearum & taxillorum, aliisque *de Invito* nuncupatis, etiam causa recreationis, infirmitatis, aut alio quovis prætextu, sub pœna culpæ gravioris & proprietariorum pro qualibet vice imponenda. Eadem pœna puniatur, qui extra Monasterium cum Sæcularibus pecuniam in magna quantitate, aut gravi scandalo subsequuto, publice & manifeste quocumque ludo luserit; Super qua pœna, nisi per Capitulum Generale, dispensari non possit.

Extravagans VI.

Aut spectaculis publicis assistentes.

§. 200. Sub pœna unius anni clausuræ intra septa Monasterii nullus Monachus nostri Ordinis agitationi Taurorum in plateis & locis publicis intervenire vel assistere possit; sed si contingat agitari in Civitatibus vel locis, ubi cum debita licentia nostri Monachi existant, hujusmodi diebus, si commode fieri possit ad Monasterium propinquius si quod fuerit, propter bonum exemplum se conferre teneantur sub eadem pœna.

Extravagans VII.

Comedias prophanas repræsentantes, permittentes, vel audientes.

§. 201. Sub pœna sex mensium suspensionis ab officio Priores, Vicarii & Præsidentes nullatenus permittant, quod in Ecclesiis, Sacristiis vel Choris nostrorum Monasteriorum Comediæ prophanæ repræsententur; nec etiam permittant Monachos suorum Monasteriorum Comedias in Theatris publicis repræsentatas scandalose videre & audire; Sed pœnis debitis in hoc delinquentes puniant & coerceant; super quo eorum conscientiæ valde onerantur.

Extravagans VIII.

Arma offensiva retinentes, vel gestantes.

§. 202. Nullus Monachus intra Monasteria nostri Ordinis habere possit sclopos, aliave arma offensiva cujuscumque generis, vel eadem secum scandalose portare itinerando, aut cum illis in Civitates seu Oppida ingredi etiam sub motivo naturalis defensionis, sub pœna unius anni clausuræ pro prima vice imponenda; & in casu reincidentiæ privationis omnium officiorum, honoris, & administrationis. Monachi vero, quibus incumbit extra Monasteria bonorum temporalium administratio, arma prædicta in suis administrationibus & Grantiis retinere & conservare poterunt propter dictorum bonorum Monasterii defensionem, prædonumque incursionem repellendam.

CONSTITUTIO XXX.

De Culpa gravissima.

Quæ sit culpa gravissima.

§. 203. Gravissima culpa est incorrigibilitas, ejus videlicet, qui non timet culpas committere, & post commissas ferre pœnas recusat; contra quem in Regula nostra dictum est: Si ipse non abcesserit, de vestra societate projiciatur, juxta dictum Apostoli præcipientis, talem hominem ut hæreticum evitari. Et quidem postquam talis fuerit tertio monitus, ut desistat a crimine, ejusque incorrigibilitas extiterit manifesta, veluti peccans peccatum ad mortem, & quasi qui videtur professionem de sui cordis viceribus abjecisse, compellendus est habitum professionis dimittere; Quod utique fiat, si usque ad illam expulsionis horam fuerit sanæ mentis; nam si mentecaptus existat, non decet nec expedit, ablato sibi professionis habitu occasione prædicta, illum sic de societate projicere fraterna.

Extravagans I.

Priores Habitu Monachos expoliandi facultatem non habeant.

§. 204. In omnibus Monasteriis nostri Ordinis carceres existant, in quibus puniri possint Monachi delinquentes; & nullus nostri Ordinis Prior expoliare habitu possit Monachum, quantumvis gravissimum sit ejus delictum: ipsum vero carceratum retineat, usque dum provideatur a Capitulo Generali, sive a Patre Generali.

Extravagans II.

§. 205. Monachi, qui crimen aliquod jure civili corporali morte plectendum suæ Professionis obliti perpetraverint, a Capitulo Generali aut privato, vel a Visitatoribus Generalibus ad carcerem perpetuum condemnentur.

Extravagans III.

Monachorum judicium penes Generalem Ordinis.

§. 206. Ex indultis a Sancto Pio V. nostro Ordini concessis Pater Generalis per se ipsum, seu ejus Ministros sæculares, vel etiam dicti Ordinis Regulares, etiam Professos Apostolica auctoritate punire & corrigere poterit Monachos quorumcumque criminum & delictorum reos, quantumvis gravia & enormia fuerint; Sed in casibus, in quibus de jure communi pœna mortis locum habere potest & debet, eisdem Monachis taliter delinquentibus carcerem perpetuum, vel ad tempus eadem Apostolica auctoritate dare & assignare, ac illos in carcere hujusmodi detineri facere, aut illos ad triremes etiam perpetuo vel ad tempus condemnare, & relegare; prout etiam habitu expoliare poterit tam in Generali vel in privato Capitulo, quam si solus procedere velit inter Capitulum & Capitulum; dummodo tamen ad id Seniorum gravis & maturi consilii in regimine expertorum accedat assensus: ut latius in Brevibus Apostolicis desuper expeditis continetur.

Extravagans IV.

De incorrigibilibus expellendis, & expulsionis modo.

§. 207. In sententia Expulsionis a nostra Religione omnino servetur Breve & Decretum fel. rec. Urbani VIII. omniaque, quæ in eo præscripta sunt, videlicet, quod nullus nostri Ordinis Monachus professus possit in posterum habitu expoliari, ab eoque expelli, quin sit vere incorrigibilis.

Incorrigibilis nullatenus judicetur Monachus, nisi concurrant omnia, quæ de jure requiruntur,

runtur, ut incorrigibilis præsumatur. Et præterea probetur pœnitentiis & jejuniis per spatium sex mensium in carceribus Monasterii, sicut moderando Decreta Urbani VIII. disposuit Innocentius XII.

Si transacto dicto spatio temporis non resipiscat, induratusque perseveret in sua impœnitentia & incorrigibilitate, possit expelli a Religione tanquam membrum putridum; sed dumtaxat a P. Generali cum consilio & assensu sex Patrum Graviorum Religionis, in singulis Capitulis Generalibus ad id deputandorum & eligendorum; factoque primum & compilato processu, pleneque probatis causis expulsionis, juxta canonicas Sanctiones, stylum & Constitutiones Ordinis.

Expulsus maneat subjectus jurisdictioni & obedientiæ Ordinarii Diœcesani, incedatque in habitu clericali, donec ad Religionem revertatur. Itaque P. Generalis teneatur sententiam expulsionis Ordinario notificare in eodem exequutionis tempore.

Nulli ex prædictis expulsis literæ testimoniales expulsionis concedantur; Sed ad Sanctam Sedem Apostolicam remittantur, vel ipsos hortentur, quod in aliam Religionem ingrediantur.

Expulsi maneant suspensi ab exercitio Ordinum susceptorum toto tempore, quo extra Religionem vixerint: sublata Episcopis & Ordinariis locorum facultate moderandi vel relaxandi dictam suspensionem, licentiamque illis concedendi ad exercitium dictorum Ordinum.

Quæ omnia & singula sub pœnis privationis omnium officiorum, & vocis activæ & passivæ, inhabilitatisque perpetuæ ad illa & alia imposterum obtinenda, cum reservatione dictarum pœnarum Sedi Apostolicæ, prout in dicto Brevi, in posterum observari decernimus; & irritum ac inane & invalidum omne illud, quod contra prædicta fuerit factum, declaramus.

Stylus ergo & praxis in posterum observanda erit, quod Visitatores aut Judices in suis sententiis declarent Monachum delinquentem ob sua delicta habitu expoliandum esse, & a Religione expellendum; atque sententiæ exequutionem remittant ad Patrem Generalem; qui viso & examinato processu, habitoque consilio & consensu dictorum sex Patrum a Capitulo Generali assignandorum confirmet vel infirmet sententiam, prout justum videbitur.

Extravagans V.

Quibuscum de commissis gravibus culpis non sit dispensandum.

§. 208. Nec Pater Generalis nec Diffinitorium Capituli Generalis dispensare possint ad obtinenda aliqua officia electionis aut Magistri Novitiorum, Confessoris, aut Prædicatoris, Monachos, qui commiserint aliquod delictum ex infrascriptis, vel ipsis majus vel simile, videlicet]: Peccatum carnale: Furtum de rebus Ecclesiæ vel Sacristiæ, aut triginta ducatorum ex aliis rebus Monasterii: Solemne perjurium: Falsum testimonium contra aliquem in Judicio;

Qui duabus vicibus fugitivus fuerit: Qui aliquem notabili aut enormi percussione vulneraverit: Qui Confessiones manifestaverit: Qui crimen Læsæ Majestatis commiserit, aut hujusmodi criminis fautor fuerit: Qui condemnatus fuerit a Sancto Inquisitionis Officio in rebus fidem concernentibus: Qui in aliqua electione pro se ipso votaverit. Quorum & similium dispensatio ad Capitulum Generale solummodo & insolidum pertineat. Quoad vero delicta sensualia & carnalia etiam post sententiam poterit P. Generalis dispensare, quando ipsi constiterit per relationem suorum Priorum aut Visitatorum, quod reus cum vita religiosa & exemplari per aliquot annos sit emendatus.

CONSTITUTIO XXXI.

Quando Prior in correctionibus sequi debet consilium Deputatorum, aut sui Capituli.

§. 209. Exequi possit quilibet Prior per se ipsum pœnas in dictis Constitutionibus de gravibus & gravioribus culpis taxatas, quando manifeste apparuerit in eas Monachum aliquem incurrisse. Si tamen Monachus, cui hujusmodi culpa impingitur affirmat, illam gravem seu graviorem non esse, aut de hoc dubitatur per Monachos aliquos de Conventu, Prior consilium habeat super hoc cum Monachis sibi per suum Capitulum ad habenda consilia deputatis. Verum in judicando culpas graves & graviores, quæ in prælibatis Constitutionibus non sunt expressæ, sequatur Prior consilium a Deputatis prædictis. Cæterum in imponenda seu remittenda, mutanda, laxanda vel gravanda pœna gravissimæ culpæ, Prior sequi consilium sui Capituli teneatur. Si tamen Priori videatur, quod pœnam culpæ gravis aut gravioris, in Constitutionibus suprascriptis taxatam, oporteat aggravari contra illum, de quo constet culpam hujusmodi incurrisse, ad hoc judicandum Deputatorum sequatur consilium.

CONSTITUTIO XXXII.

Quando poterit Prior per se ipsum dispensare in pœnitentiis.

§. 210. Dispensare in pœna culpæ gravis, & eam mutare, vel laxare, solus Prior possit, quandocumque sibi rationabile videatur; sed super culpa graviore consilium ad præmissa cum Deputatis debet habere. Oneramus etiam conscientias Prioris & Deputatorum, ut in pœnis hujusmodi judicandis, dispensandis, commutandis, laxandis, ac imponendis se discrete exhibeant, præ oculis solum Deum habentes; amore, odio, favore, timore & quolibet alio impedimento postpositis, quatenus justitia compleatur & fructus correctionis & emendationis accrescat. Potius tamen in præmissis pœnis ad misericordiam, quam ad crudelitatem intendant.

CONSTITUTIO XXXIII.

Quomodo imponi debeant pœnitentiæ culparum gravium & graviorum.

§. 211. Graviorum culparum pœnas coram omnibus in Capitulo Prior imponat, nisi in culpis occultis aliter sibi videatur cum Deputatorum consilio faciendum. Si vero culpa non occulta sit talis, quæ merito sit illico punienda, & videatur mora nociva, si spectatur culparum Capitulum, congreget statim Prior suum Capitulum pro judicanda & imponenda pœna hujusmodi gravioris culpæ. Verum pro gravi culpa poterit pœna extra Capitulum judicari, si Priori cum Deputatorum consilio videatur.

CONSTITUTIO XXXIV.

Quomodo se gerere debeat Prior in dando, aut commodando.

Facultates Prioris in rebus dandis, aut commodandis.

§. 212. Panem in grano, vinum, monetam, aut res alias quascumque magni valoris in eleemosinam, seu alias gratiose Prior non

donet,

donet, nisi quantum consideratis facultatibus Monasterii per eum & Monachos in Sacris constitutos fuerit prætaxatum, quod Prior solus, vel cum Deputatorum consilio dare possit. Poterit tamen de rebus Monasterii mutuare vel commodare, moderate tamen & sic discrete, videlicet: sub talibus pignoribus, aliisque idoneis cautionibus, in convenienti custodia reponendis, id faciat, quod sine difficultate Monasterium mutuata sive commodata recuperet. Si tamen res commodandæ, attentis Monasterii facultatibus, magni valoris extiterint, Deputatorum consilium habere debebit.

Extravagans unica.

Monachis vero non liceat bona Monast. absq; licentia Prioris commodare.

§. 213. Nullus Monachus, administrationi bonorum temporalium nostrorum Monasteriorum præpositus, ea commodare vel in mutuum dare possit absque expressa licentia Priorum; aliàs in pœnas, proprietariis debitas, juxta quantitatem rei commodatæ vel in mutuum datæ, incurrat.

CONSTITUTIO XXXV.

Quomodo debeat se habere Prior in operibus & in ædificiis.

Reparationes a Prioribus faciendæ.

§. 214. Reparanda necessario tam in Monasterio quam in ejus hæreditatibus, quilibet Prior, prout viderit expedire, faciat reparari. Si tamen reparatio hujusmodi magnas requirat expensas, Monasterii facultatibus super hoc attentis, habeat in hoc Deputatorum Consilium. Præterea si aliqua sint de novo ædificanda, quæ magnas expensas requirunt; non fiant sine consensu Capituli.

Constructiones vero novæ non sine consensu Capituli.

Extravagans unica.

Pro Domibus novis Capituli Gener. requirenda approbatio.

§. 215. Priores novarum Domorum non possint in eis nova ædificia quoquomodo construere, quin prius planta ad nostrum Capitulum Generale, vel ad Patrem Generalem infra Capitulum & Capitulum transmittatur: ut ædificii utilitas, convenientia, & expensæ ab illis examinentur, & sine ipsorum licentia & approbatione nullatenus executioni mandentur; quæ vero in Capitulo Generali vel a Patre Generali ordinata fuerint in constructione ædificiorum, omnino Priores observare teneantur.

CONSTITUTIO XXXVI.

De Electione & officio Procuratoris in temporalibus, & de ejus obligatione reddendi rationes.

Procurator a quibus eligendus.

§. 216. Eligatur seu assumatur in Procuratorem cujuslibet Monasterii per Priorem & Capitulum, seu ejus partem majorem, unus de Monachis Professis constitutus in Sacris, qui ad Prioris consilium & mandatum bona temporalia Monasterii recipiat, & fideliter administret. Si tamen videatur expediens, poterit unus de Fratribus Laicis in Procuratorem assumi. Quod si unus Procurator non sufficit, possunt modo prædicto duo aut plures constitui. Procurator autem seu Procuratores hujusmodi teneantur quater in anno Priori, & per eum ad hoc assignatis, in præsentia claves arcæ tenentium, de administratis reddere rationem, & in una de istis quatuor vicibus sint deputati præsentes. Officium vero Procuratoris non de facili sibi tollatur, ex causa tamen legitima poterit illum Prior cum Deputatorum consilio & consensu, vel major & sanior pars Capituli, etiam nolente Priore, ab hujusmodi officio removere.

Quod sit ejus munus, quibusve rationem debeat reddere.

Extravagans I.

Rationem quoque reddere teneantur, qui pecunias administrat.

§. 217. Quilibet Religiosus, habens officium dandi & recipiendi pecunias, aut administrandi fructus redituum, possessionum, & granciarum, aut Cappellaniarum, & Missarum, quæ celebrantur, teneantur reddere rationem & computa semel in anno, præsentibus Priore, Deputatis, Depositariis & Procuratoribus.

Extravagans II.

Libri proventuum, onerumque quolibet in Monasterio habendi.

§. 218. In quocumque nostrorum Monasteriorum habeatur liber, in quo scribantur omnes & singulæ possessiones, hæreditates, funda, & reditus Monasterii: a quonam & quibus conditionibus & oneribus donata sunt; simulque spiritualia Beneficia, quæ pro ipsis in Monasterio aguntur.

Extravagans III.

Præsidentis & Custodis in famulos auctoritas.

§. 219. Præsidens Procurator aut Custos absque scrupulo conscientiæ possint moderate & prudenter corrigere verbis vel facto pro eorum arbitrio famulos, servientes, & commensales intra Monasterium.

Extravagans IV.

Pœna contra deficientes in computis.

§. 220. Quilibet Monachus in reddendis rationibus & computis deficiens, atque debitor resultans, ipso facto voce activa & passiva privetur, & clausuræ intra Claustra pœnam substineat absque aliqua dispensatione, donec debitum solvat & satisfaciat. Si vero Communitas ob justas causas sibi bene visas dicto Monacho debitum ser. ser. condonet vel remittat; nihilominus tamen voce activa & passiva, ut prius, privatus remaneat, donec & quousque per Capitulum Generale aut privatum, ac præhabita de casu informatione, ab hujusmodi privationis pœna absolvatur -- *Supradicta Extravagans quarta inopinanter ab emanuense prætermissa, superadjuncta fuit sciente Eminentissimo Cardinale Petra Ponente, in quorum fidem &c.*

A. Archiepiscopus Petren. Secret.

Extravagans V.

De circumstantiis electionis procuratoris.

§. 221. In electione Procuratoris Temporalium concurrere debeat consensus Prioris, & consensus Capituli, seu majoris illius partis. Si tamen casus discordiæ contingat, nempe vel quod major pars in Procuratore eligendo non concordet, vel Prior dictæ majori parti Capituli non assentiatur seu consentiat; decem scrutiniis, infra duos dies perficiendis, sine electione Procuratori transcursis, prædicta electio ad Priorem devolvatur; qui tunc Procuratorem eligat Monachum, qui sibi videbitur magis expedire.

Extravagans VI.

Prioris auctoritas in Monachos temporalium administratoribus.

§. 222. Omnes Monachi, administrationi bonorum Temporalium a Prioribus præpositi, ad Priorum nutum sint amovibiles. At vero Procurator Temporalium amoveri non possit nisi ex causa legitima, vel a Priore cum consensu Deputatorum, aut majoris partis illorum, vel a majori parte Capituli, ut in hac Constitutione disponitur.

Extravagans VII.

Tabella Benefactorum quolibet in Monast. appendenda.

§. 223. In quolibet nostrorum Monasteriorum adsit in loco publico Tabella, in qua referantur Benefactores Monasterii, obligationesque Deum pro illis orandi; Necnon alia Tabella, in qua Benefactores totius nostri ordinis in communi pariter describantur.

CONSTITUTIO XXXVII.

Quod in quocumque ex noſtris Monaſteriis adſit Arca Communitatis cum duabus clavibus. De electione Capſerii, & de Arca Depoſitorum, & Depoſitario.

§. 224. Arca Communitatis ſub duplici clave in quolibet noſtri Ordinis Monaſterio teneatur, in qua moneta cujuſvis materiæ, ſive alia quæcumque, in auro, argento ſeu rebus pretioſis conſiſtentia, reponantur. Quarum clavium unam Prior ſeu Monachus Deputatus ab eo, alteram teneat alius Monachus ad id per Capitulum aſſignatus. Poterit tamen, ſi velit, Capitulum duas claves habere, & pro eis tenendis duos de Monachis aſſignare.

A quibus duæ tenendæ claves.

Extravagans I.

§. 225. In noſtro Ordine non recipiantur depoſita, niſi ſimpliciter abſque aliqua cautione neque obligatione. Strictèque defendimus & prohibemus, quod nullus Prior nec Vicarius, neque aliquis alius in eorum abſentia, audeat aſſumere aliquid ex tali Depoſito ſine Deponentium licentia & conſenſu; Qui vero contrarium fecerit, a noſtris Viſitatoribus Generalibus graviſſime puniatur.

Depoſita non recipienda cum obligatione.

Extravagans II.

§. 226. Si in aliquo neceſſitatis caſu, aut eventu, vel ad aliquam piam cauſam cuilibet Monacho data fuerit pecunia, eam in Arca Conventus deponat, exindeque non extrahatur ſine Prioris licentia. Et reprehendimus Monachos importunè inquietantes Priores ſuos pro eleemoſinis, aut Miſſis, licentiiſque frequentibus ad ſua loca & terras eundi, cauſarum piarum quæſito colore vel prætextu. Inſuper Monachi, qui tranſmittuntur de uno ad aliud Monaſterium pecunias ex itinere ſuperſtites deponant in Arca Monaſterii, ad quod accedunt, ut Monaſterio, ad quod pertinent, conſignentur.

Monachorum pecunia in Arca Conventus ſervanda.

Extravagans III.

§. 227. Nullus Monachus procuret præſtimonia, aut aliam proviſionem Eccleſiaſticam, neque acquirat reditus Regios, vulgo *Juros*, abſque Patris Generalis licentia; quia ſi ſecus fiat, ſcandalum maximum oritur, malumque exemplum Sæcularibus donatur.

Proviſiones Eccleſiaſ. &c. ſine Generalis licentia a Monachis non accipiendæ.

Extravagans IV.

§. 228. Prior eſt confirmator electionis Depoſitarii, ſeu claves Arcæ tenentis; quare ſecundum ſuam conſcientiam poteſt acceptare vel non acceptare Depoſitarium, pro clavibus Arcæ tenendis a Capitulo electum. Si tamen vel major pars in eligendo non concordet & conveniat, vel Prior electionem dictæ majoris Partis non acceptet, decem ſcrutiniis biduo factis, devolvatur electio ad Priorem, qui in tali caſu eligat in Depoſitarium, excluſis Vicario & Deputatis, Monachum, qui ipſi conveniens viſus fuerit; Qui tamen, prout reliqui Officiales Bonorum Monaſterii, ſemper ad ejus nutum maneat amovibilis.

Depoſitarius per priorem amovibilis.

Extravagans V.

§. 229. Monachi, quibus incumbit adminiſtratio temporalis Bonorum Monaſteriorum, & exigentia redituum ad illa pertinentium, teneantur intra vigintiquatuor horas, ab eorum acceſſu ad Monaſteria computandas, omnem pecuniam, quam ſecum adduxerint, in Arca Communitatis reponere & conſignare; & inſuper prohibemus Prioribus, Vicariis, Præſidentibus, & Depoſitariis, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio per ſex menſes, aliiſque noſtrorum Viſitatorum arbitrio infligendis, pecuniam quovis titulo ad Monaſteria pertinentem extra dictam Arcam Communitatis habere, ſeu in cellis vel officinis ſub eorum poteſtate, quovis quæſito colore, ullatenus retinere. Si qua vero pecunia propter neceſſitates Monaſterii in mutuum vel commodatum accipiatur, etiam in Arca Communitatis reponatur, & a Depoſitario claves Arcæ tenente regiſtretur, atque in computatis generalibus illius ratio reddi omnino debeat.

Acceptæ ab adminiſtratoribus pecuniæ continuò in Arca reponendæ.

Extravagans VI.

§. 230. In omnibus Monaſteriis præter Arcam Communitatis, in qua Monaſterii communis pecunia deponitur, alia etiam exiſtat ſpecialis pro Monachorum peculiis cum duabus etiam clavibus, quarum unam Prior, alteram Monachus ab ipſo cum Deputatis vel cum ſuo Capitulo ſecundum conſuetudinem Monaſteriorum deſignandus, habeat; in qua teneantur ſinguli Monachi omnem pecuniam ipſis ad uſum pro ſuis neceſſitatibus permiſſam, ſeu quomodolibet pertinentem, conſignare & deponere; inque nullam quantitatem extrahere poſſint, niſi de Superioris licentia. Præterea nullus Monachus dictam pecuniam ſibi ad uſum conceſſam, excepta ea parva quantitate, cujus conſumendæ licentiam a Superiore habeat, vel peculia aliorum Monachorum apud ſe retinere, vel aliis quibuſcumque Perſonis cuſtodiendam tradere audeat; ſed in prædicta Arca peculiorum præciſe deponi debeat, ſub pœna privationis vocis activæ & paſſivæ per triennium.

In quolibet Monaſterio alia Arca ſervanda pro peculiis Monachorum ſine Superioris licentia non extrahenda.

Extravagans VII.

§. 231. Nullus Monachus poſſit opera per ſe ipſum manufacta vendere; ſed ſi quæ ab aliquo facta fuerint, Prioribus exhibeantur, ut eorum arbitrio de ipſis diſponatur; Quod ſi Monachus opera ab ipſo manufacta abſque licentia Prioris vendiderit, pœna proprietarii juxta qualitatem culpæ debite puniatur.

A Monachis manufacta non vendenda.

CONSTITUTIO XXXVIII.

Quod non recipiantur plures Monachi, quam illi, qui ſuſtentari poſſunt cum reditibus Monaſterii.

§. 232. Non recipiantur Monachi in majori numero quam poſſint de Monaſterii facultatibus commode ſuſtentari, ne egeſtatis prætextu mendicantes vagari extra Monaſterium compellantur, quod non eſt noſtri Ordinis, immo potius Ordinum mendicantium. Inſuper quatenus commode fieri poterit, obſervetur, quod Monachorum recipiendorum duæ partes ad minus Divino deputentur Officio; Alii vero ad Domus ſervitia recipiantur in Fratres, laicos apud nos vulgariter nuncupatos. Alioquin receptores debite puniantur.

Quod Monachis non liceat quæſtuare.

Extravagans I.

§. 233. Nullatenus poſſint acquiri bona, nec ſtabilia, nec mobilia, vel reditus per viam ſucceſſionis aut hæreditatis ab inteſtato, quæ pertineat ad aliquem Religioſum in iis Monaſteriis, in quibus viget conſuetudo non ſuccedendi ab inteſtato in hæreditatibus. In illis vero Monaſteriis, in quibus conſuetudo eſt ſuccedendi ex perſona Monachorum, non prohibentur hujuſmodi jure ſucceſſionis uti; ſemper tamen attendant ad bonum noſtri Ordinis nomen, & cum religioſa conſideratione ad qualitatem & poſſibilitatem illarum perſonarum, ex quibus provenit hæ-

De ſucceſſionibus in bonis, & hæreditatibus.

reditas;

reditas, & ad paupertatem, necessitatem, & debita consanguineorum; & quatenus expediens judicaverint, in his casibus consilio majoris partis Capituli ab hoc jure succedendo poterunt laudabiliter abstinere; ut declaravit noster Ordo ex facultate S. M. Pauli III., & usu est confirmatum. Si vero aliquis Monachus, sive Monasterium fuerit institutum hæres, aut ipsi relictum aliquod legatum vel donatio tam in Testamento quam alio quocumque modo, Monasteria indistincte, & unumquodque illorum poterunt acceptare tales institutiones, legata, & donationes, & retinere talia bona, etiamsi sint bona stabilia & reditus.

Extravagans II.

Bona immobilia &c. non emenda, nisi parcè, & de P. Generalis licentia.

§. 234. Nullum nostrum Monasterium emere possit aliqua bona immobilia, reditus, jura, & alia similia absque licentia Patris Generalis, cui commendatur, ne hujusmodi licentiam faciliter concedat. Ut autem Monasteria in suis reditibus & possessionibus, ut par est, conserventur, illud Monasterium, quod a suis reditibus & possessionibus temporum calamitate defecerit, vel quolibet eventu propria bona perdiderit, compensari & integrari valeat de prædictis bonis & reditibus perditis, acquirendo alia bona & reditus tantæ saltem existimationis, quantæ erant bona & reditus, a quibus defecit. Illa vero Monasteria, quæ dotem & reditus sufficientes non habent, pro decenti & congrua sustentatione Monachorum ipsis designatorum, facultatem habeant acquirendi bona quæcumque mobilia vel immobilia, & reditus, quocumque jure aut titulo ad ipsa quomodolibet pertinentia, usque in quantitatem, illis a Capitulo Generali juxta numerum Monachorum taxatam vel taxandam.

Extravagans III.

Excipiuntur Monasteria Monialium.

§. 235. Sub dispositione præcedentium Extravagantium non comprehendantur Monasteria nostrarum Monialium.

Extravagans IV.

Cappellaniæ vero accipiendæ.

§. 236. Nostra Monasteria possint acceptare, & acceptent quascumque Cappellanias, quas Fideles pro eorum devotione voluerint instituere cum licentia Ordinis, vel Patris Generalis inter Capitulum & Capitulum, cum quocumque numero Missarum, aut aliorum bonorum spiritualium, & retinere bona & reditus, ipsis pro omnibus supradictis donata vel relicta. Si vero pro supradictis eleemosina, aliquave dotatio desuper facta, aut facienda, in numerata pecunia Monasteriis data fuerit, cum tali pecunia ne dum possint, verum debeant & teneantur emere bona stabilia & reditus, illaque retinere & possidere: Ut a Sacra Congregatione Concilii decretum, & inviolabiliter observari mandatum fuit.

CONSTITUTIO XXXIX.

De Examine, quod fieri debet illorum, qui recipi debent pro Monachis, & de eo quod præcedere debet pro Professione.

§. 237. Recipiendus ad Habitum nostri Ordinis, antequam ad illum admittatur, diligenter examinetur per Priorem, si velit, aut per aliquos per eum ad id assignatos: utrum pro statu clericali an laicali sit aptus, & in eo statu, quo sibi visum fuerit, recipiatur. Et si fuerit receptus in Clericum, fiat ei rasura ejusdem quantitatis, quæ fieri consuevit constitutis in Sacris, etiamsi non extiterit ad Clericalem Tonsuram promotus; cujus coronæ capillorum longitudo quantitatem duorum in latitudine digitorum non excedat, nec auris summitatem attingat. Fratres autem pro laicali statu recepti coronam non deferant; & mandamus & ordinamus, quod non possit super hoc dispensari absque Capituli Generalis, vel Patris Generalis inter Capitulum & Capitulum licentia speciali.

De Tonsura capillorum pro Clericis, & Fratribus.

Extravagans I.

§. 238. Fratres in statu laicali recepti semper & perpetuo, absque aliqua dispensatione permaneant in ea vocatione & statu, in quo a Deo in Religionem vocati sunt; & cum sero ad Chorum accesserint, ponantur ad signum pœnitentiæ sicut Choristæ. Insuper Choristæ, qui in Ordine Sacro constitui procuraverit, ipso facto graviter puniatur.

Quisque in ea vocatione qua cum in Religionem ingressus est, maneat.

Extravagans II.

§. 239. Non recipiantur ad nostrum Habitum Religiosi alterius Ordinis, sine licentia Patris Generalis, exceptis Canonicis Regularibus, aut Religiosi Ordinum Militarium.

Religiosi alterius Ordinis non recipiendi.

Extravagans III.

§. 240. Nullus possit recipi in Monachum, vel Fratrem laicum nostri Ordinis, qui ex Neophitis, seu noviter ad nostram Sanctam Fidem conversis, aut a Judæis intra quartum gradum, ortum vel originem ducat, aut descendat, sub pœna excommunicationis majoris ipso facto incurrendæ tam ab eo, qui professus fuerit, scienter tegens hunc defectum, quam ab illis, qui scientes ipsum receperint; & ulterius sit nulla & invalida professio. Quod confirmatum est per Bullam Apostolicam.

Neophiti, & recens conversi non recipiendi.

Extravagans IV.

§. 241. Sub eisdem pœnis non recipiantur in nostri Ordinis Monachos vel Fratres, qui descendunt, & originem ducunt a stirpe Maurorum & Saracenorum, usque ad dictum quartum gradum. Quod pariter est confirmatum per Bullam Apostolicam.

Nec oriundi a Mauris, vel Saracenis.

Extravagans V.

§. 242. Ex inviolabili praxi, & consuetudine antiquissima nostræ Religionis, quæ jam vim legis obtinuit, quandocumque aliquis in nostro Ordine recipi ad Habitum desiderat & petit, infrascripta omnino serventur:

Examen pro recipiendis.

Recipiendus ad Habitum a Priore cum Deputatis omni cura & diligentia de vocatione & intentione, quibus ad nostram Religionem accedit, prudenter examinetur; & in dicto examine discrete & caute spiritum, quo movetur, & in Religione recipi petit, intelligere & detegere dictus Prior & Deputati solicite conentur.

Si bono spiritu perfectaque vocatione moveatur, iterum examinetur de ætate, nomine tam proprio quam Genitorum, Avorumque utriusque lineæ, de Patria, ubi vivunt aut quandoque vixerunt, de officiis, quæ exercent vel antea exercuerunt: si habeant reditus & facultates ad congruam & decentem vitæ sustentationem: si sint veteres Christiani

mundi ab omni macula & infectione Judæorum, Saracenorum, recenterve conversorum, aut alterius cujuscumque Sectæ reprobatæ: si sint vel fuerint liberi aut servi: si recipiendus sit natus ex matrimonio legitimo: si matrimonio sit ligatus, illudve contrahere promiserit, aut alterius Ordinis sit Religiosus.

Si est major sexdecim annorum, iterum examinetur: Si aliquod obtinuit officium vel munus publicæ seu particularis administrationis, cujus computa reddere teneatur? Si ære alieno & debitis gravetur, quæ suis facultatibus persolvere omnino non possit? Si aliqua gravia & enormia delicta commiserit, de quibus ab aliquo Judice sit processatus, vel processari & damnari timeatur? Si sanus sit corpore, vel habeat aliquam infirmitatem actualem vel habitualem occultam, qua impediri possit a vita communi Monastica & Regulari, ejusque asperitatibus tolerandis.

Si hoc examine constiterit recipiendum habere aliquem defectum ex relatis in prædictis interrogationibus, omnino debeat a Priore, prudenter tamen & discrete, repelli; nec Conventui proponi sub pœna privationis vocis activæ & passivæ, omnium Officiorum, graduum, honorum, & dignitatum, & inhabilitatis perpetuæ ad hæc & alia imposterum obtinenda; & si fuerit facta propositio, easdem pœnas incurrant scienter recipientes, juxta Constitutionem Sixti V. & moderatorias Gregorii XIV. & Clementis VIII., quæ pro recipiendis in qualibet Religione emanarunt, postquam prædicta omnia ex nostra diuturna consuetudine jam observabantur.

Sin vero recipiendus nullum ex his se habere defectum dixerit, responsa illius in Summario scribantur, moneaturque & certificetur ipse recipiendus, quod ante professionem de omnibus supradictis sumi debet plenaria informatio, qua si constiterit, ipsum suis responsis veritatem celasse, prorsus a nostra Religione debet expelli.

Si recipiendus fateatur, vel aliàs constet ex legitimo Matrimonio natum non esse, antequam recipiatur, omnino fieri debeat juxta tenorem Constitutionis Gregorii XIV. & anteriorem Praxim nostri Ordinis informatio plenaria de vita, moribus, indole, ingenio, & virtute recipiendi; quibus defectus Natalium suppleri possit & valeat, spereturque fore valde proficuum utilemque Religioni. Quo casu poterit ad nostrum Habitum recipi, profiteri, Sacris Ordinibus initiari, voceque activa & passiva suo tempore gaudere; nisi forte illegitimus alicujus Religiosi fuerit filius, quo casu dictus illegitimus nullatenus possit vivente Patre recipi in Religione eadem.

Cum autem recipiendus fuerit naturalis Villæ aut Oppidi per sex leucas a Monasterio, in quo recipi debet non distantis non proponatur Conventui absque licentia Patris Generalis: qui ipsam non concedat nisi justis de causis quæ in utilitatem Monasteriorum cedant; Nisi forte in aliquibus Monasteriis adsit contraria consuetudo, eos absque dicta licentia recipiendi, quæ toleratur.

Præterea diligenter attendant Prior & Deputati, ne Genitores, Avi, vel Fratres recipiendi exerceant aut antea exercuerint officia aliqua, quæ in æstimatione communi vilia, aut infamiam inducentia reputentur, videlicet: si sint vel fuerint Histriones, Gladiatores, seu cum Hominibus vel bestiis Luctatores, Scænici vel Citharedi in locis publicis ob lucrum, publici Lusores, Carnifices, Laniones, Tibicines, Bajuli, Caupones publici, olei, aceti, comestibiliumque venditores, Sutores, Lanifices, Calceatores, Coriarii, Hospitatores, Machinatores, Muliones, Filii publicarum Meretricum, & illarum Genitores, omnesque complices in earum lucro & exercitio, Usurarii, Falsarii, Proditores, Latrones, Assassini, qui peccatum contra naturam commiserint, aliaque similia, quæ in opinione prudentium in Villis & Oppidis vilia & infamia reputantur; a quibus omnibus, nisi Fratres, Genitores, & Ascendentes ad habitum recipiendi sint prorsus liberi & immunes, non admittantur, & admissus Novitius expellatur; caute tamen & prudenter, ne ipsi infamia oriatur.

Caveant insuper, quod similiter rejiciantur, si in quocumque gradu, etiam remotiori constiterit descendere ex stirpe Maurorum, Judeorum, aut noviter conversorum ad nostram Fidem vel in ea suspectorum, seu illorum, qui publice pœnitentiati seu reconciliati quandoque fuerint a Sancto Officio Inquisitionis, seu ab alio quocumque Judice publice etiam puniti fuerint pœna infamiam inducente; quia hujusmodi ad Professionem non possunt in nostro Ordine admitti sub pœnis Extravagantis III.

Postquam in prædicto fine aliquo defectu repertus fuerit recipiendus, procedatur ad examen de sufficientia in Grammatica & Latinitate, de voce, visus integritate, & cantu firmo, per dd. Priorem & Deputatos simul cum Magistro Novitiorum & Correctore cantus; quorum omnium si eorum judicio omnino capax & idoneus non fuerit rejiciatur. Sin vero aliquam magnam habilitatem in nostris Choris necessariam obtineat, ut puta, si Organista, musicæ Compositor, vel alicujus instrumenti peritus extiterit, defectus latinitatis eorum arbitrio & prudentia suppleri possit & valeat.

Peracto examine, approbatoque a Priore & Deputatis seu illorum majori parte, recipiendus proponatur Monasterii Capitulo; in quo Examinatores prædicti, antequam ad suffragia procedatur, de sufficientia, reliquisque partibus & qualitatibus hujusmodi recipiendi in examine expertis plene & fideliter informent. Dum fit hæc informatio, a Capitulo egrediantur consanguinei recipiendi, & ejusdem Patriæ naturales, si qui in Capitulo adfuerint, ad suffragandum tamen cum cæteris vocalibus, informatione peracta, reversuri. De scrutinio, & suffragiis.

Postea procedatur ad receptionem per suffragia secreta, quæ debet esse canonica & a toto Capitulo, vel saltem a majori illius parte, & simul a Priore Novitius debet admitti, ut præscribitur Extravaganti I. ad Constitut. XVI. Sin vero suffragia fuerint æqualia, votum Prioris non sufficit, ut admittatur, sed necessario expelli debeat ob defectum majoris partis Capituli. Huic vero & aliis hujusmodi receptionibus cum Priore assistant, tamquam Scrutatores, Novitiorum Magister, & Vicarius, seu, absente Vicario, alius ex Capituli senioribus.

Præterea dicta forma servata, currente Novitiatus & Probationis anno, aliis tribus vicibus (prout hactenus ex inviolabili nostri Ordinis consuetudine observatum fuit) Novitius Capitulo proponatur, ut ab ipso recipiatur, videlicet: Prima post quatuor menses ab Habitus receptione completos: secunda post octo: tertia denique post decem, prout Priori videbitur tempus requiri & sufficere, ut ante expletum probationis annum fieri possit informatio plenaria de moribus & vita, stirpis & sanguinis puritate Novitii, secundum nostra statuta & privilegia, & facta informatio examinari approbarique possit a Priore & Deputatis; ne aliter ultra annum De requirendis ad Professionem.

proba-

probationis expletum Professio Novitio protrahatur. Omnibus tribus dictis propositionibus Novitiorum Magister Capitulum informet secundum Deum & suam conscientiam, præhabitamque de Novitio experientiam, de indole, moribus, humilitate, aliisque qualitatibus Novitii; pariter egredientibus a Capitulo, dum sit hæc informatio, ut in prima præmissum est, Novitii consanguineis, & ejusdem patriæ naturalibus, & post illam completam ad suffragandum cum cæteris similiter revertentibus. Informatione peracta, recipiantur suffragia, & regulentur, ut supra, ita, quod ab omnibus Vocalibus, vel eorum majori parte, & simul a Priore, Novitius admitti debeat, ut supra in prima præmittitur; Sin vero a majori parte Capituli non admittatur, rejici Novitius omnino debeat, nec iterum Capitulo proponi possit.

Quo vero receptiones maturius & liberius fiant, teneantur Priores diem, quo singulæ Novitiorum propositiones fient, per suas literas notificare Vocalibus absentibus, qui commode illis assistere possint, si velint. Primæ vero & ultimæ hujusmodi propositionum dies omnibus Vocalibus intra sex leucas a Monasterio distantibus prius necessario notificent tempore opportuno, ut si velint, dictis receptionibus adsint, & cum reliquis suffragentur; & si notificatio hujusmodi fuerit omissa, receptio sit nulla, quatenus illi, qui notificati non fuerint, reclament. Præterea si aliqui Vocales infirmitate impediti, Capitulo singularum dictarum receptionum interesse non possint, prædicti Scrutatores cum buxula clausa ad id præventa ad recipienda eorum suffragia a Priore transmittantur; quibus reversis, dictorum Infirmorum vota cum reliquis in Capituli buxulis misceantur & incorporentur, antequam omnium fiat regulatio & scrutinium.

De Informationibus antea perquirendis.

Tempore tandem opportuno, Novitioque jam ultimo, ut prædictum est, a Capitulo admisso, Prior cum Deputatorum consilio nominet, & mittat Monachum ejusdem Monasterii Professum, vel si valde distet a Monasterio patria Novitii, alterum ex professis Monasterii dictæ patriæ proximioris, prudentem, discretum, maturæ ætatis, atque peritum pro facienda plenaria informatione de moribus, & vita, sanguinis puritate, officiorumque vilium exemptione; quæ juxta Bullas Apostolicas tam communes quam speciales nostro Ordini concessas, Professionem cujuslibet Novitii præcedere debet, imposita pœna privationis vocis activæ & passivæ, omniumque officiorum, graduum, honorumque & dignitatum, quæ habuerint, & inhabilitatis perpetuæ ad hæc & alia imposterum obtinenda tam Prioribus quam Monachis, Novitium ad Professionem recipientibus, nisi dicta informatio præcedat.

Monachus iste sic nominandus nequeat esse consanguineus, affinis aut aliqualiter propinquus Novitii, nec ejusdem Patriæ oriundus, aut naturalis; sitque præterea liber ab omni suspicione & præsumptione puritatis sanguinis, aut cujusvis affectionis, amoris vel odii, amicitiæ vel inimicitiæ, tam cum Novitio quam cum suis Genitoribus & Consanguineis; omninoque teneatur in ejus executione servare formam in nostro Ordinario descriptam, sub pœna privationis omnium officiorum Ordinis, inhabilitatisque imposterum ad illa obtinenda.

Prior dare debeat suum mandatum & commissionem ad faciendam prædictam informationem simul cum Regio Privilegio nostro Ordini concesso, ut Testes ad testificandum compelli possint; & insuper tradat notulam nominum & cognominum tam Novitii quam suorum Genitorum & Avorum, Villarumque, ubi vivunt vel vixerunt, & officiorum, quæ exercent vel exercuerunt, fideliter extractam ex responsis Novitii in summario notatis, dum examinatus est ad primam receptionem. Juret insuper dictus Monachus, antequam exeat a Monasterio coram Priore & Deputatis in verbo Sacerdotis, se dictam informationem recte & fideliter facturum secundum nostri Ordinis statuta & instructionem. Et cum redierit ad Monasterium ita a se factam informationem coram ipsis Priore & Deputatis similiter juret: vel secundum stylum & instructionem completa informatione ad pedes illius juramentum hujusmodi faciat & subscribat.

Caveat diligenter Monachus deputatus, quod in hujusmodi informatione facienda instructionem solitam & usu receptam ad unguem prorsus servet; & antequam ad publicam procedatur, fiat omnino secreta inter personas antianas, & integræ fidei, nulliusque suspicionis, ut in instructione præscribitur, omni adhibita cura & indagine pro comperienda veritate ab illis, sub sigillo secreti promissione. Si in hac informatione secreta aliquem defectum substantialem repererit, sive in Novitio sive in ejus Descendentibus, duorum Testium omni exceptione majorum juramento comprobatum, ratione cujus Novitius ad Professionem admitti non possit, ad informationem publicam nullatenus procedat; sed secreto ab Oppido vel Villa discedens, illum defectum Priori quamprimum notificet. Prior vero cum cautela possibili & secreto servato Novitium Habitu expoliari, & a Monasterio expelli prudenter curet, ne ejus Familia expulsione diffametur.

Sin vero nullus defectus in secreta informatione a dicto Monacho inventus fuerit, statim procedat ad publicam coram Judice & Notario fideli & legali, quam factam & peractam a Judice petat sibi originaliter consignari, juxta Regium Privilegium ad hoc specialiter Religioni concessum, ne aliquod damnum Testibus immineat, cujus timore a deponenda veritate retrahantur. Consignatam informationem in forma authentica vel secum adducat, vel Priori cum certo Nuntio statim ad Monasterium remittat, ubi a Priore & Deputatis diligenter examinetur, & quatenus de illius legitimitate constet, ab iisdem approbetur, subscribaturque ab omnibus, approbationis Decretum, & ante Professionem Novitii Prior Capitulo notificet, qualiter facta, examinata & approbata fuerit ejus informatio; postea in Archivio Conventus custodienda reponatur, ut in Constitutione Gregoriana ordinatur.

Postquam omnia prædicta fuerint absoluta, annusque probationis terminatus, Novitius ad Professionem solemnem, ut in nostro Ordinario Cap. 11. §. 4. sine dilatione admittatur; & ad majorem cautelam, prout hucusque inviolabiliter observatum fuit, in literis suæ Professionis a Novitio illam emittente fiat sequens Protestatio -- Ego Fr. N. N. attestor & profiteor, quod sum Christianus vetus ex omnibus quatuor lineis, & quod semper ac constiterit contrarium, & me habere aliquam maculam seu infectionem Judeorum, Maurorum, Saracenorum, seu quodvis aliud impedimentum contra Bullas Apostolicas Ordini Sancti Patris Nostri Hieronymi concessas, expelli volo a dicto Ordine, expoliarique illius Habitu, & quod hæc Professio a me facta invalida sit, & nullius effectus -- Subscribaturque a Novitio coram Testibus.

Protestatio facienda ante Professionem.

De Magistro Novitiorum.

Insuper quilibet Prior cum Deputatorum consilio eligat in Magistrum Novitiorum Monachum prudentem, expertum, quindecim saltem annos a receptione Habitus habentem, quique de Religionis zelo, morum honestate, vita exemplari, spiritualiumque discretione sit optime commendatus, cujus directioni, correctioni & disciplinæ tam Novitii quam Professi usque ad expletos septem Habitus annos omnino subjiciant; Prioresque dicto Magistro omnem auctoritatem necessariam concedant & committant, ut ab omnibus sub disciplina ejus existentibus obediatur, veneretur & simul timeatur; eosque omnino instruere, educare, & in spiritualibus juxta statuta Ordinis dirigere possit.

Ejus Privilegia.

Nullus præterea Monachus, ad hujusmodi Magistri Novitiorum munus electus, sine legitima causa a Priore approbanda se excusare & eximere possit; & si aliquis sine dicta causa se excusaverit, & acceptare renuerit officium hujusmodi, ad Prioris arbitrium puniatur. Prædicto etiam Magistro nullum detur officium cum proprio munere incompossibile, quodque sive in Novitiatu sive in Choro sive in Refectorio a suo munere impedire aut divertere aliqualiter possit; nec ad aliud in Tabellis deputetur communibus, quam ad hebdomadam, lectionem, pluvialemque pro Celebranti comitando; Totumque tempus, quo dicti Magistri munus exercuerit supra annos a receptione Habitus completos, ad lucrandam exemptionem triginta annorum ipsi pariter computetur.

Officium Magistri Novitiorum.

Caveat autem prædictus Magister, ut in educatione Novitiorum, & sub ejus disciplina existentium, illorumque correctionem, instructionem in nostro ordinario Cap. 11. præscriptam & laudabiles Monasteriorum consuetudines omnino servet. Attendat etiam, ne qui sunt in Novitiatu, ullum commercium, conversationem seu communicationem, nisi præcise in necessariis breviter expediendis, cum Monachis extra existentibus habeant; & si qui in hoc fuerint delinquentes, graviter puniat. Super quo maxime etiam invigilent Priores, Vicarii, & Præsidentes, Monachos extra Novitiatum, qui in prædictis defecerint tale commercium vel communicationem habentes, pariter corrigendo. Eorum nullus ad Novitiatum accedere vel ingredi valeat, nisi de Magistri vel Prioris licentia; Idemque observetur in communi dormitorio, ubi & quando Novitii dormiunt, seu in quolibet alio loco, ubi sub disciplina Magistri existentes fuerint congregati.

Curet proinde, ne in Novitiatu existentibus aliquod consignetur officium, in quantum commode fieri possit quod illis distractionis seu diversionis occasio sit, seu causa esse possit commercii & communicationis cum Monachis extra disciplinam existentibus; multoque minus cum Sæcularibus; & cum recreationis in Hortos vel in Campum sub disciplina ejus existentes egrediuntur, cum ipso Magistro, vel eo impedito, cum alio Monacho de Prioris licentia, simul procedant & permaneant; nec ullus Monachus extra disciplinam ipsis associetur.

Inviolabiliter præterea observet laudabilem diuturnam consuetudinem Ordinis, videlicet, quod singulis feriis sextis anni cum omnibus, qui sub ejus disciplina existant, faciat disciplinam in dormitorio communi sive in alio loco opportuno, ut alii etiam Monachi, si ex devotione velint, hujusmodi exercitio assistere valeant.

De Fratribus Laicis, eorumque numero.

Modo & forma prædictis Fratres Laici etiam ad Habitum & Professionem recipiantur, sub disciplina Magistri per septem annos existant, quibus in observantiis Ordinis & officiis servitutis, ob quæ recepti fuerint, a Magistro instruantur; prorsusque perseverent in statu suæ vocationis. In singulis vero Monasteriis in tali competenti numero admittantur, ut ab officiis servitutis, & temporalibus Monachi omnino liberi cum majori mentis tranquillitate divinis possint vacare.

Quod nec legere, nec Grammaticam possint edisc ere.

Priores vero & Magistri maximopere caveant, ne aliquis Frater Laicus post receptionem Habitus legere, & multominus Grammaticam discat, nec illum aliquis Monachus sive Frater legere vel Grammaticam docere audeat; & qui secus fecerint, Novitiorum habitum per annum portent, nisi qui, ipsum docuerit Monachus, in Sacris constitutus existat; quo casu per dictum annum voce Capitulari privetur: In qua pœna nullus Prior dispensare possit.

De eorum officio.

Denique Fratres Laici singulis diebus post prandium & cœnam cum his, qui sub disciplina Magistri existunt, ad mensas Refectorii extergendas intervenire teneantur, donec viginti annos Habitus compleverint; Prioresque non permittant Sacerdotibus eos nimia reverentia & honore tractare; nec alio nomine vocari quam Fratrum: quod ipsum servetur cum aliis, qui Presbyteri non existant.

CONSTITUTIO XL.

De Tempore, quo durare debet Novitiatus, & dispositione bonorum Novitii.

Novitii non admittendi nisi post factam de bonis dispositionem.

§. 243. Nullus Novitius admittatur ad Professionem, nisi de rebus suis antea disponat juxta dispositionem Sacri Concilii Tridentini Cap. 16. sess. 25. de Regular. donando inter vivos Monasterio vel aliis Personis aut locis ad placitum, nihil sibi omnino reservans, ut spiritus ejus Christum sequatur liberius, a terrenis oneribus & eorum fiducia expeditus. Nec recipiatur cujusquam Professio ante annum probationis expletum.

Extravagans I.

De ætate requirenda in recipiendis.

§. 244. Non recipiantur ad Habitum illi, qui non habuerint decem & octo annos completos, quia in ætate minori non possunt cognoscere adeo perfecte statum, quem assumunt. Cum Personis tamen, quæ speciale meritum habent, poterit Prior cum suo Capitulo dispensare, ut ipsæ ad Habitum admittantur ante dictam ætatem; dummodo tamen Professio non recipiatur ante decimum sextum annum expletum, juxta Sacri Concilii Tridentini dispositionem Cap. 15. sess. 25. de Regul.

Extravagans II.

De tempore Novitiatus.

§. 245. Noviter Professi, saltem per septem annos ab Habitus receptione completos, sub disciplina Magistri Novitiorum subjecti perseverent, ut ex inviolabili praxi Ordinis in nostro Ordinario statuitur. Si autem in aliquibus Monasteriis vigeat consuetudo, ut longiori tempore Magistri disciplinæ subjiciantur, penitus observetur. Neque expleto dicto tempore a dicta disciplina liberentur, donec Priores de consilio suorum Magistrorum (absque tamen illorum aliqua hujusmodi liberationis prætensione) ipsis libertas concedatur. Si qui vero a dicta disciplina absolvi directe aut indirecte procuraverint, subjectio sub Magistro illis ipsomet facto ulterius prolongetur.

CONSTITUTIO XLI.

De Præcedentia & ordine sessionum inter Monachos.

§. 246. Præcedant Monachi in Sacris constituti in quibuscumque locis cæteros Monachos suos. Verumtamen inter prædictos constitutos in Sacris Ordo præcedendi minime observetur. Idem quoque inter cæteros Monachos Clericos & Laicos observetur.

Extravagans I.

Locus sessionis Correctoris.

§. 247. Quando Corrector Mensæ fuerit Hebdomadarius, in loco Correctoris sedeat, & aliunde corrigere aut emendare non valeat.

Extravagans II.

Sessiones cæterorum ab antianitate habitus ordinandæ.

§. 248. Ubicumque Conventus se congregaverit, juxta antiquam Religionis nostræ consuetudinem Monachi sedeant & ordinentur secundum singulorum antiquitatem ab Habitu recepto: Ita tamen, ut Sacerdotes semper Diaconos, & isti Subdiaconos, licet Habitu antiquiores, præcedant: Subdiaconi Choristas: Choristæque Fratres Laicos: & Novitii sint omnium novissimi; Sin vero aliquis Monachus, postquam alii jam fuerint ordinati, adveniat, in loco, quem invenerit vacuum, constitui & sedere debeat.

Extravagans III.

Præcedentia Prioris, & Officialium.

§. 249. Priores absoluti Monasteriorum Professionis omnes alios Monachos præcedant, etiam antiquiores, qui Priores non extiterint, quos pariter præcedere debeant Secretarius & Procurator Generalis Ordinis actuales, quandocumque in nostris Monasteriis interveniant, non vero dictos Priores absolutos.

CONSTITUTIO XLII.

Quando Monachi habere debeant votum in eorum Capitulo.

Ad Actus Capitulares professi tantumdem admittendi.

§. 250. Ad Capitulares actus non recipiantur, nisi Monachi Professi in Sacris Ordinibus constituti.

Extravagans I.

Votum non nisi in electionibus pro Monasteriis Professionis validum.

§. 251. Monachi propter eorum demerita transmissi ad alia Monasteria, necnon qui sunt Priores in Monasteriis, quæ non sunt eorum Professionis, quamvis sint intra viginti quinque leucas, non habeant vocem in electionibus Monasteriorum, ubi sunt professi; nec Monachus, qui est Vicarius Monasterii, cujus non est professus, habeat votum in electione Prioris illius. Votum tamen habebit in electione Prioris Monasterii suæ Professionis; & si fuerit intra viginti quinque leucas, etiam ad electionem citari debeat. Itidem Monachi, qui sunt in Monasteriis novis, habeant votum in electione Prioris sui proprii Monasterii, ad eamque citari debeant, si existant intra viginti quinque leucas, nisi forte fuerint pœnitentiati.

Extravagans II.

§. 252. Monachi, qui in aliis Monasteriis obedientiam perpetuam repromittunt, non habeant votum in Capitulo ante quatuor annos completos a die repromissæ obedientiæ: Exceptis Prioribus, qui terminato Prioratu remanent perpetuo in aliis Monasteriis, ubi Priores extiterunt, atque Monachis illis, qui in Domibus novis permansuri obedientiam perpetuam pariter repromittunt.

Extravagans III.

Vocem in Capitulo nemo habeat, nisi post decem annos Habitus.

§. 253. In posterum nullus Monachus habeat vocem in Capitulo, donec decem annos ab Habitu recepto compleverit, atque in Ordine Sacro constitutus extiterit. Collegiales tamen in Collegiis existentes, si sint in Sacris constituti, in dictis Collegiis votum habeant post sex annos ab Habitus receptione completos.

Extravagans IV.

Monachi extra Monaster. manentes neutra fruantur voce

§. 254. Monachi illi, qui habitu etiam retento, & cum legitima facultate assistunt eorum Genitoribus, aut alicui Episcopo, sive ex alia quacumque causa, Habitu retento, permanent extra Monasterium, non habeant votum activum neque passivum, etiamsi tempore electionis sint præsentes in proprio Monasterio.

Extravagans V.

Qui vocari debeant ad electionem Prioris sui Monast.

§. 255. Monachi, ultra vigintiquinque leucas a propriis Monasteriis cum simplici patente Patris Generalis commorantes, nisi exiliati, aut legitime pœnitentiati existant, votum habeant, tamquam Vocales legitimi, in electione Prioris proprii Monasterii; Ad quam concurrendi atque accedendi licentia ipsis minime denegetur, neque ullatenus impediatur, habita vacationis notitia. Ad prædictam tamen electionem, citari non debeant, nisi Vocales intra vigintiquinque leucas existentes; ut in Constitutione 70. ordinatur: Exceptis tamen PP. Secretario & Procuratore Generalibus, atque Monachis assistentiæ Patris Generalis, Prædicatoribus Regiæ Majestatis, Lectoribus & Passantibus, qui in qualibet distantia prorsus citari debent.

Extravagans VI.

Qui vero vocem habere nequeant in Capitulo.

§. 256. Monachi, propter eorum demerita & culpas ad carcerem, seu reclusionem in Cella horis vacativis, etiam in propriis Monasteriis per sententiam diffinitivam condemnati, nullam vocem in Capitulo habeant; & si ad actus Communitatis ex reclusione egrediantur. Monachi vero, inquisiti de aliquo crimine, atque dum compilatur processus; carcere custoditi, vocem activam in Capitulo habere debeant, donec illis auditis, causa diffinitive terminetur; nisi inquisitio fuerit de aliquo delicto facinoroso, vel culpa graviori publica & manifesta, seu alia, cui in nostris Constitutionibus & Extravagantibus privatio vocis Capitularis ipso facto fuerit imposita: quibus casibus omni voce Capituli prorsus careant.

Extravagans VII.

Monachi extra sua Monast. commorantes non habeant vocem nisi in electione Prioris.

§. 257. Monachi extra propria Monasteria in aliis commorantes, ad electionemque Prioris suorum Monasteriorum accedentes, peracta electione & confirmatione Prioris, redeant ad Monasteria, ubi prius morabantur, nec vocem habeant in aliorum officiorum electione, sicut jam diu in nostra Religione observatum fuit.

Constitutio XLIII.

Quod Fugitivi quærantur a suis Prioribus: de facultate illos deprehendendi, & de pœnis pro illis puniendis.

§. 258. Fugitivi Monachi per suos Priores, quam citius commode fieri poterit, perquirantur, & per censuram Ecclesiasticam, vel alias, prout expedire videbitur, ad propria Monasteria redire cogantur, ac eis juxta suorum qualitatem excessuum secundum Constitutiones nostras pœnitentia imponatur; nisi forsan per Generale Capitulum de aliquo Monacho in speciali fuerit aliter ordinatum. Ad hæc: fugitivos censemus quoslibet Monachos, qui sine suorum Prælatorum licentia ultra metas Monasterii, quas Monachi sine licentia hujusmodi exire non debent, cum voluntate fugiendi, seu aliquod maleficium committendi abscesserint: vel qui ad loca aliqua de suorum Priorum licentia missi, exinde sua auctoritate cum intentione ad Monasterium non revertendi, recesserint. Cæterum universis & singulis Prioribus, ac Monachis nostri Ordinis omnes & singulos fugitivos Professos, cujuscumque nostri sint Monasterii, capiendi, & ad Monasteria, quorum sunt Professi, reducendi, plenariam concedimus potestatem; vel saltem fugitivorum Prioribus, expensis illarum Domorum, quarum illi fugitivi capti, Professi extiterint, notificent de hujusmodi captione: quatenus ad reducendum eosdem captos ad sua Monasteria certos Nuncios mittant; Verum, si aliàs apparuerit, aut verisimiliter præsumatur, quod Monachi cum sui Prioris licentia a suo Monasterio discesserint, non procedatur via aliqua contra eos. Præterea omnes Ecclesiarum Prælatos, necnon & quascumque alias Personas, jurisdictionem aliquam Ecclesiasticam quomodolibet obtinentes, aut alias, quæ sequuntur, exercere valentes, quam affectuose possumus, deprecamur in Domino, quatenus ad instantiam seu requisitionem cujuscumque Prioris vel Monachi nostri Ordinis fugitivos hujusmodi capiant, seu capi faciant, & eos Monacho vel Priori requirenti captos tradant, seu illos ad loca vel Personas, quæ vel quas Monachus vel Prior requirentes eisdem capientibus explicaverit, expensis Monasteriorum, quorum Professi sunt, mittant, implorato etiam auxilio super prædictis brachii Sæcularis, quatenus opus sit. Etiam Prælatis & Personis supradictis jurisdictionem habentibus, vel alias præmissa exercere valentibus, auctoritate Apostolica nostro Generali Capitulo concessa, qua fungimur in hac parte, ad universa & singula supradicta specialem potestatem atque licentiam impartimur. Præterea si ad Sacrum Ordinem quis, dum fuerit fugitivus, promotus extiterit, ad executionem hujusmodi Ordinis, aut ad aliquos actus Capitulares sine Capituli Generalis licentia nullatenus admittatur. Fugitivorum autem Monachorum pœna hæc erit: Fugitivus, qui intra quinque dies, a sui recessu numerandos, redierit, per quinque dies statim sequentes pœna gravioris culpæ cum disciplina in Refectorio tempore prandii post Benedictionem mensæ mulctetur, eisdem diebus in carcere retrudendus. Si autem post quinque dies, ante diem tamen quadragesimum redeat, ultra prædictam culpæ gravioris pœnam, decem diebus carceri mancipetur. Si vero post quadraginta, dum tamen ante annum reversus fuerit, præter jam dictam pœnam per dies xi. carcerali reclusioni subjaceat. In quorum singula sexta feria unam in capitulo culparum sustineat disciplinam; sed si post annum, quandocumque redierit, ultra præfatam pœnam carcerem semestri spatio substinebit; in quo singulis sextis feriis in pane & aqua abstineat, & disciplinam in capitulo culparum accipiat: necnon in actibus omnibus tanquam Novitius habeatur, donec per Priorem cum sui consensu Capituli in statum pristinum fuerit restitutus. Circa pœnas autem prædictas gravandi, illas præsertim contra illos, qui revertuntur inviti, & super eisdem dispensandi, præmaxime circa illos, qui voluntarie revertuntur, habeat Prior cum deputatorum consilio, prout eis rationabile visum fuerit, plenariam potestatem. Verum si quisque fuerit secundo fugitivus post debitam reconciliationem per Priorem & Capitulum cum ipso factam, ultra pœnas in hac Constitutione, ut præmittitur, designatas, sit semper ultimus omnium Monachorum sui status Clericalis vel Laicalis, quos tempore sui regressus in Monasterio suo repererit, nec ad Confessoris, Vicarii, seu Prioratus officia possit eligi vel assumi, nisi cum eo per Generale Capitulum, & tunc etiam post tres annos a suæ reconciliationis tempore computandos, super dictis officiis fuerit dispensatum. Præterea, si tertio fuerit fugitivus adhuc per suum Priorem & Capitulum, prout præmittitur, reconciliari valebit; Verumtamen præter pœnas supradictas, voce Capituli perpetuo sit privatus. Insuper ad prædicta Confessoris, Vicarii & Prioratus officia sit intelligibilis ipso facto. Quoad vocem autem Capituli obtinendam, poterit cum eo per Generale Capitulum faciliter dispensari. Cæterum si quarto fugitivus extiterit, ejus reconciliatio ad Generale Capitulum solummodo pertinebit quoad habilitationem, quam tamen idem Capitulum non debet facere, nisi prius sui Prioris & Conventus bonam informationem habuerit super negotio hujusmodi fugitivi; & tunc Generale Capitulum prædictas pœnas, aut etiam alias, prout sibi videbitur, eidem fugitivo imponat, vel eumdem ad Monasterium suum remittat, illas passurum ibidem; quod decentius & expedientius extimatur. Poterit etiam Pater Generalis ipsum ad Ordinem recipere, pœnarum dispensatione Generali Capitulo reservata. Porro, qui ultra vicem quartam aufugerit, perpetuo & indispensabiliter pœnas inhabilitatis prædictas, & nihilominus pœnas alias, si quæ illi fuerint in perpetuum vel ad tempus impositæ, substinebit. Fugitivus pro prima vice a voce Capituli sit ipso facto suspensus; tamen possit eadem vox illi restitui per suum Priorem cum consensu Capituli: Pro secunda autem vice similiter sit suspensus a voce Capituli: quæ quidem non possit ei restitui, nisi per Patrem Generalem: Pro tertia vero vice sit quoque ab eadem voce Capituli suspensus, quæ non valeat sibi restitui nisi dumtaxat per Generale Capitulum.

Qui sint censendi fugitivi.

Et a quibus ad Monasteria reducendi.

Fugitivi si ad Sacros promoveantur Ordines, ad actus Capitulares non admittendi.

Fugitivorum pœnæ.

Extravagans I.

§. 259. Fugitivi, qui ad Monasterium residentiæ Patris Generalis accesserint, & redierint, disciplinam in Refectorio statim sustineant & in terra panem cum aqua comedant, iterum tertio & amplius, prout culpa postulaverit: reliquas vero pœnas in eorum proprio Monasterio, vel in alio, ad quod fuerint transmissi, adimpleant & sustineant. Insuper fugitivus, qui quater ab Ordine discesserit, in carceribus per sex annos recludatur: inde tamen poterit illum Prior ad Chori & Refectorii assi-

Fugitivorū, qui ad Monast. residentiæ P. Generalis accesserint, pœna.

Pœna item fugitivorum quartum ab Ordine.

ſtentiam extrahere; reliquo vero tempore iterum carceri mancipetur.

Extravagans II.

Priori facultas datur fugitivos comprehenſos, vel redeuntes a cenſuris abſolvendi.

§. 260. Quilibet Prior noſtri Ordinis, aut Vicarius in Prioris abſentia, quemcumque Monachum fugitivum ab illis comprehenſum, ſeu quolibet modo ad ſuum Monaſterium reverſum & accedentem, ab excommunicationis cenſura, quam habitum derelinquens incurrit, & a quibuſvis aliis cenſuris, ſi quas incurrerit, abſolvere; eidemque per ſe aut per ſuos Confeſſarios omnia Sacramenta libere adminiſtrare poſſint & valeant.

Extravagans III.

Habituſque reſtituendi.

§. 261. Fugitivis, ad noſtra Monaſteria ſine habitu redeuntibus aut venientibus, non poſſit habitus noſter reſtitui, niſi a ſuo Priore vel a P. Generali.

Extravagans IV.

Pœna contra propria culpa Capitularem vocem amittentes.

§. 262. Quotieſcumque Monachus in Sacris conſtitutus ſecundum noſtrarum Conſtitutionum & Extravagantium diſpoſitionem vocem Capitularem amittit, videlicet propter tractatus illicitos de electione habitos, & ob fugam; in his caſibus Monacho delinquenti in Sacris non conſtituto auferatur Corona: Fratri vero Laico nexus ad utrumque Scapularis latus in pœnam annectantur, atque hujuſmodi pœnæ eodem tempore durabunt, quo privatio vocis Capitularis Monacho in Sacris impoſita durare debet.

Extravagans V.

Fugitivis tempus fugæ ad habitus antiquitatem, & vocem non computandum.

§. 263. Inviolabiliter obſervetur conſuetudo noſtri Ordinis, videlicet, quod Monachis primo fugitivis non computetur in habitus antiquitate, neque ad vocem in Capitulo habendam, neque ad præcedentiam, neque ad aliquid aliud totum tempus, quo extra Ordinem fugitivi exiſtant, in quo nullatenus diſpenſari poſſint. At vero ſemel & iterum fugitivi aut a noſtra Religione expulſi, ſeu voluntarie licentia debita egreſſi, cum ad illam reverſi fuerint, aliam antiquitatem non ſortiantur, niſi a tempore, quo ad Monaſterium reverterunt: itaut ſint noviſſimi omnium Monachorum, quos tempore ſui reditus in Monaſterio invenerint. Præterea ſecundo fugitivi, niſi poſt duodecim annos a tempore ſui regreſſus ad Monaſterium completos, ordinari non poſſint; & ſi ordinati jam fuerint, ab exercitio Ordinum dicto tempore ſint ſuſpenſi. Tertio vero fugitivi in perpetuum non ordinentur, vel ab exercitio Ordinum ſuſceptorum perpetuo ſuſpendantur. Sin vero fuerint Fratres Laici, pro ſecunda fuga duodecim annis; pro tertia vero perpetuo ſub diſciplina Magiſtri Novitiorum indiſpenſabiliter exiſtant.

Secundo fugitivi non niſi poſt 12. annos ordinandi.

Extravagans VI.

Pœnæ contra fugitivos res a Monaſteriis aſportantes.

§. 264. Monachi fugitivi, qui aliquid pretii aut valoris a Monaſterio ablatum ſecum portaverint, ſeu fuga durante illud abſtulerint a propriis Monaſteriis, perpetuo a Capitulo Generali, ſi expediens videbitur, eliminari poſſint, atque in Monaſteriis, ad quæ miſſi fuerint, pœna gravioris culpæ per annum indiſpenſabiliter puniantur.

Extravagans VII.

Quinquies fugitivi incorrigibilium pœna puniendi.

§. 265. Monachi, qui habitu dimiſſo ultra quinque vices fugitivi fuerint, incorrigibilium pœna puniri debeant: Sin vero fugitivi quicumque, antequam a Monaſterii ſepto egreſſi fuerint, capiantur, in pœnas hujus Conſtitutionis fugitivis impoſitas non incurrant, Priorum tamen arbitrio puniri poſſint.

Extravagans VIII.

De fugitivis præ extu literarum Apoſtolicarum.

§. 266. Si, prætextu literarum Apoſtolicarum ab illo obtentarum, ad Villas vel Oppida Monaſteriis circumvicinia aliquis Monachus noſtri Ordinis fugitivus cum habitu noſtræ vel alterius Religionis aut ſæculari pervenerit, aut in illis vagari & manere quomodolibet præſumpſerit; Priores, Vicarii ſive Præſidentes, ſtatim ad Ordinarium dictorum locorum accedant, & noſtris Privilegiis utentes ab eo petant, ut fugitivo præcipiat, quod literas Apoſtolicas coram illo præſentet, præſentataſque examinari curent. Et ſi in examine legitimas ipſe Ordinarius non invenerit, ſibi ipſis curent fugitivum conſignari. Conſignatus vero carceri mancipetur, donec Pater Generalis de illo conſcius provideat, quod ipſi magis expediens videatur. Sin autem literæ Apoſtolicæ legitimæ repertæ fuerint, a dicto Ordinario petant, ut dicto fugitivo præcipiat a circuitu noſtrorum Monaſteriorum, Villiſque & Oppidis ipſis convicinis, recedere, ſicut in Privilegiis noſtræ Religionis diſponitur.

CONSTITUTIO XLIV.

Quod ſpolietur habitu noſtri Ordinis, qui non fuerit Monachus illius.

§. 267. Novitios fugitivos, & quaſcumque alias perſonas, quæ, noſtri Ordinis non exiſtentes, habitum noſtrum portant, quilibet noſter Prior vel Monachus, noſtro habitu, quo indigne teguntur, expoliare vel expoliari facere poſſit.

CONSTITUTIO XLV.

De fundatione, unione & deſtitutione Monaſteriorum noſtri Ordinis.

Fundari nequeant, uniri, vel deſtitui Monaſteria ſine licentia Capit. Gen.

§. 268. Fundari Monaſterium aliquod de novo non valeat per ullam perſonam noſtri Ordinis abſque Capituli Generalis vel Diffinitorum omnium licentia ſpeciali, & mandato. Et tunc tale Monaſterium ſufficientem adminus pro Priore & duodecim Monachis debet habere dotem, quoniam in minori numero nequit Religio decenter & commode obſervari. Hanc fundandi licentiam P. Generalis una cum privato Capitulo intra triennium poſſunt dare: Sed deſtitutionem & unionem quorumcumque Monaſteriorum noſtrorum ſolummodo Generali Capitulo reſervamus.

Extravagans I.

Quæ requirantur ad fundandas novas Domus.

§. 269. Cum valde expediat, quod Domus novæ quæ reditus ſufficientes & commodam habitationem pro duodecim Monachis & Priore habent, in Monaſteria formalia erigantur; Sacra Congregatio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, negotiis Epiſcoporum & Regularium præpoſita, Patrem Generalem & Capitulum Generale ſerio monet, ipſiſque injungit, quod invigilent ſuper dicta erectione, Viſitatoribus Generalibus committant, ut de ſtatu prædictarum novarum Domorum informationes capiant, erectionem promoveant; & quando requiſita ſufficientia concurrant, ipſum Capitulum Generale ſervatis ſervandis prædictam erectionem faciat; vel etiam, mediante unione unius cum altera novarum Domorum, prout ſibi expedire videbitur, provideat; ad quem effectum reditus & proventus dictarum novarum Domorum extra eaſdem Domus in alias quaſcumque cauſas non diſtrahantur, exceptis taxis ordinariis vel extraordinariis, quæ univerſo Ordini legitime imponuntur.

Extravagans II.

Non recipienda alia Monaſt. Monialium.

§. 270. Non recipiantur alia Monaſteria Monialium, quia ita convenit pro cuſtodia noſtræ Sanctæ Religionis.

Extravagans III.

Priores juriſdictionem habeant in Monaſt. ſuæ Domui propinquioribus.

§. 271. Priores Monaſteriorum propinquorum Monaſteriis Monialium noſtri Ordinis illarum curam habeant; eamdemque in eas juriſdictionem exerceant, quam habent in Monachos ſui Conventus.

Extravagans IV.

In ea vero ingrediendi licentiam dare nequeant, ipſique niſi gravi de cauſa non ingrediantur.

§. 272. Priores Monaſteriorum noſtrarum Monialium curam habentes, in ea non ingrediantur, niſi cauſa gravi aut urgenti neceſſitate moti, & ab illarum Confeſſario & duobus Monachis ex ſenioribus comitati, cauſaque vel neceſſitate ſui ingreſſus peracta, ſtatim a clauſura exire debeant: Cum vero aliquam Monialem ad habitum vel Profeſſionem recipiunt, hujuſmodi receptionem vel profeſſionem per cancellos aut communicatorium peragere teneantur. Nulli præterea perſonæ cujuſcumque ſtatus, conditionis, aut ſexus exiſtat, licentiam ingrediendi in dicta Monaſteria concedant: exceptis Medicis, aliiſque neceſſariis Officialibus, juxta præſcriptum in dictis Monialium Conſtitutionibus.

Extravagans V.

Quid de Monialium Dotibus.

§. 273. Dotes, in ingreſſu & Profeſſione Monialium receptæ, in communi depoſito reponantur, & cuſtodiantur ſub tribus clavibus, quarum unam habeat, Prior cui Monaſterii cura incumbit, alteram Prioriſſa, & tertiam Depoſitaria, nullaque quantitas dictæ pecuniæ inde extrahi poſſit, niſi ut inveſtiatur in fundis immobilibus vel in cenſibus tutis & fructiferis. Sin vero, propter gravem evidentemque Monaſterii neceſſitatem, aliquam portionem extrahere & conſumere neceſſe fuerit: nullatenus fieri poſſit, niſi ſervatis ſervandis de conſenſu Prioris & majoris partis Capituli dictarum Monialium, & præcedente licentia Patris Generalis, priuſque data cautione reintegrationis pecuniæ extrahendæ, quam citius fieri poſſit.

Extravagans VI.

Moniales triennio ſub diſciplina Magiſtræ Novitiarum.

§. 274. Moniales noſtri Ordinis tribus annis, incluſo probationis anno, ſub diſciplina Magiſtræ Novitiarum indiſpenſabiliter exiſtant.

Extravagans VII.

Quid de educandis, vel Monacandis.

§. 275. Nulla fœmina in Monaſteriis noſtrarum Monialium admittatur, ſive ad habitum recipienda, ſive in iiſdem Monaſteriis aliquandiu educanda, quin ſervatis ſervandis; & præcedat conſenſus Prioris & majoris partis Capituli earumdem Monialium, per ſuffragia ſecreta prorſus præſtandus.

CONSTITUTIO XLVI.

Quod non ingrediantur Mulieres in noſtra Monaſteria.

§. 276. Nulla fœmina ſtare per magnum ſpatium ad januam cujuslibet Monaſterii noſtri, & multo minus intrare in Monaſterium, nec intra ejus ſepta, permittatur. Toleramus tamen conſuetudinem nonnullorum Monaſteriorum, ubi fœminæ Eccleſiam ſeu Clauſtrum principale, dum fiunt Proceſſiones, conſueverunt intrare, & non aliter; & in hoc diſpenſare non poſſit P. Generalis.

CONSTITUTIO XLVII.

Quomodo ſe habere debeant Monachi, quando itinerantur.

§. 277. Non incedat Monachus equitans in via ſæcularibus ornamentis, ſed honeſtam deferat ſellam ſtapedinis ligni, & habenis canapeis, quæ ad adaquandum ferreas habeant catenulas; ſed ſi caſus evenerit opportunus & utilis, in quo prædictum obſervari non poterit, Priori relinquitur, ſecum, & cum Monacho itinerante, diſpenſatio; & abſente Priore ipſe idem Monachus hoc exercere valebit; Super quod conſcientias tam Priorum quam Monachorum oneramus.

Extravagans unica.

§. 278. Obſervetur conſuetudo inviolabilis Ordinis, videlicet: ut nullus Monachus eat in Curiam Regiam, vel in Cancellarias ſine licentia in ſcriptis Patris Generalis, & dumtaxat ad negotia propria, vel ad ſua Monaſteria pertinentia; & Monachi ita euntes in Monaſteriis reſidere teneantur, & aſſiſtere Miſſæ & Veſperis diebus Dominicis & Feſtis, & in principalioribus a Priore celebrandis, etiam Matutino. Pariter omnibus dictis diebus a Monaſterio non exeant ſine expreſſa licentia Prioris, quæ nullatenus concedatur, quando celebratur agitatio taurorum.

CONSTITUTIO XLVIII.

Quod nullus Monachus eat ſine licentia ad Capitulum Generale, aut ad Patrem Generalem.

§. 279. Miſſus de uno Monaſteriorum noſtrorum ad aliud propter ſua demerita, durante tempore pœnitentiæ ſibi injunctæ, ad Capitulum Generale, aut intra triennium ad Patrem Generalem ſine mittentis licentia venire nullatenus permittatur; tamen circa ejus negotium, ſi fuerit Patri Generali, aut Capitulo Generali propoſitum, intimetur eidem Monacho voluntas ejuſdem Capituli, ſive Patris Generalis. Si autem venerit, hujuſmodi licentia non obtenta, graviter puniatur, necnon ad Monaſterium, de quo diſceſſerit, remittatur. Similiter etiam eſt graviter puniendus, & ad ſuum Monaſterium remittendus quicumque Monachorum, qui ſine debita licentia ad Capitulum Generale, ſeu intra triennium ad prædictum Patrem Generalem venire præſumpſerit.

CONSTITUTIO XLIX.

Quis poſſit dare licentiam, ut tranſeat Monachus ad aliud Monaſterium, aut ad alium Ordinem.

Solus P. Generalis licentiam in ſcriptis dare poſſit tranſeundi ad aliud Monaſterium, vel Ordinem.

§. 280. Tranſeundi licentiam de ſuo Monaſterio ad aliud noſtri Ordinis, vel ad alium Ordinem ſtrictiorem ob frugem vitæ melioris, cuicumque Monacho ſui Conventus quilibet noſter Prior cum ſui conſenſu Capituli, cauſa rationabili apparente, poſſit conferre cum licentia Patris Generalis, & non aliter. Si vero juſta cauſa Monachum hujuſmodi licentiam petentem non moveat, ipſum ſuus Prior detineat, & a propoſito ſuæ levitatis, illum debite puniendo, compeſcat.

Extravagans I.

§. 281. Juxta tenorem Apoſtolicorum Privilegiorum, nullus Religioſus Ordinis noſtri Profeſſus ad Minorum, & alium quemcumque Ordinem ſtrictiorem, etiam Carthuſienſium, etſi bona intentione ductus, ſub prætextu quorumcumque Privilegiorum dictis Ordinibus conceſſorum, & quarumcumque litera-

rum Apostolicarum, quascumque clausulas, etiam derogatorias derogatoriarum in se continentium, nisi in literis ipsis expressus consensus Patris Generalis accesserit; & nisi de licentia ejusdem Patris Generalis, petita & obtenta, se transferri possit; alioquin tam recipientes quam recepti excommunicationis sententiam, a qua nisi a Romano Pontifice vel Patre Generali, præterquam in mortis articulo, absolvi non possunt, eo ipso incurrant, Monacho vero cum debita licentia ad alium Ordinem transeunti, posteaque ad nostrum revertenti (quod omnino spiritus & animi levitas videtur) imponantur pœnitentiæ, quæ Patri Generali videbuntur debitæ, habita informatione sui Prioris & Conventus; præterea ad omnia officia honorifica Ordinis inhabilis maneat; quod si illorum sit incapax, per annum clausuram servet. Qui autem Monachus post Professionem emissam in alio Ordine, ad nostrum redire voluerit, nullatenus recipiatur.

Quæ revertenti infigenda sit pœna.

Extravagans II.

Monachi licitè ad aliud transeuntes Monaster. sua Supellectilia possit transferre.

§. 282. Monachus, qui cum justa causa, & debita licentia, in alio nostri Ordinis Monasterio iterum obedientiam promittit, possit ad usum retinere, & ad secundum Monasterium transportare libros, cæteraque supellectilia, quæ vel adduxit secum a sæculo, vel acquisivit in primo Monasterio; cui dominium & proprietas illorum omnino reservatur, & post dicti Monachi mortem restitui debent. Ut autem dicta restitutio fideliter & sine damno neutrius Monasterii fiat, Inventarium de omnibus, quæ de primo ad secundum Monasterium transfert, ante hujusmodi transitum conficiatur, & in utroque Monasterio illius copia conservetur.

Quomodo utriusq; Monasterii consulendum indemnitati.

Extravagans III.

Quo pacto cum revertentibus agendum.

§. 283. Si contingat aliquem Monachum exemptionem ab obedientia nostri Ordinis obtinere, & post illius usum ad Ordinem & suum Monasterium iterum redire, & in eo recipi velle, Pater Generalis nequeat eum admittere sine novo consensu Prioris & Capituli Monasterii suæ Professionis. Sic autem receptus in dicto Monasterio, iterum Professionem renovet, aliaque antiquitate non gaudeat, quam a die sui regressus, & secundæ receptionis in dicto Monasterio, neque vocem Capitularem habeat nisi post decem annos completos, a dicta secunda receptione præcise computandos.

CONSTITUTIO L.

Sub cujus obedientia stare debeat Monachus, qui vadit ad aliud Monasterium ad tempus vel in perpetuum.

Transeuntes ad aliud Monaster., illius Priori semper subjecti.

§. 284. Quicumque de suo Monasterio ad aliud nostri Ordinis per quoscumque, mittendi potestatem habentes, qualibet ex causa missus, debet tempore, quo ibidem manserit, sub obedientia & correctione Prioris illius Monasterii, ad quod mittitur, permanere: exceptis casibus permittentem expressis. Verum si perpetuo missus fuerit, prædicto Priori suisque successoribus perpetuam obedientiam repromittat.

Extravagans I.

Matriti vero commorantes Priori S. Hieronymi.

§. 285. Prædicatores Regiæ Majestatis aliique Monachi nostri Ordinis, residentes Matriti cum Patente aut ordine Patris Generalis, etiam Ex-Generales, sint subjecti Priori Monasterii Sancti Hieronymi Matriti; & pariter Vicarii, Procuratores, seu Œconomi Monasteriorum Monialium, sint subjecti Patri Priori, cui subduntur Monasteria, quorum sunt Vicarii, aut Procuratores, seu Œconomi.

Extravagans II.

Quid de vestitu, ejusque impensis.

§. 286. Monachis existentibus in Domibus novis, & Collegiis inclusis Prioribus & Lectoribus, quolibet mense octo regales monetæ Castellæ, pro vestiario solvantur; Monachi vero, aliis Monasteriis cum aliquo ministerio inservientes aut in illis aliter commorantes sive cum Patente sive in exilio, vel a dictis Monasteriis vestiantur, prout proprii filii, vel loco vestiarii dictos octo regales quolibet mense ipsis persolvi debeant; si tamen fuerint carceribus mancipati, aut ita impediti, ut vitam communem cum aliis sequi non valeant, propria Monasteria illi, in quo commorantur, quod a Diffinitorio Generali, vel a Patre Generali inter Capitulum & Capitulum, taxatum fuerit, solvere teneantur. Monachi denique in Monasteriis Regiæ Curiæ, aut Cancellariarum, negotiorum causa residentes, ipsis qualibet die persolvant juxta taxam dicti Diffinitorii Generalis, aut Patris Generalis inter Capitulum & Capitulum.

CONSTITUTIO LI.

Quomodo se habere debeant Monachi, quando itinerantur, pro recipiendis Sacramentis.

§. 287. Quilibet Monachus nostri Ordinis, cum debita licentia per aliquod ipsius Ordinis Monasterium transiens, possit a Priore vel Vicario ipsius Monasterii, seu aliis Monachis ad audiendum Confessiones inibi deputatis, sive ab eo, qui ad hoc sibi fuerit specialiter designatus, etiamsi hujusmodi designatus ejusdem Monasterii Professus non fuerit, Ecclesiastica recipere Sacramenta. Itinerantes quoque Priores & Monachi Presbyteri, cum debita licentia incedentes, possint aliis Ordinis Monachis, ac sibi invicem ministrare Sacramenta Ecclesiastica. Presbyteris autem alterius Ordinis, aut Sæcularibus, Monachus absque speciali debitaque licentia confiteri non debet, nisi hujusmodi licentiam petere fuerit oblitus. Habens etiam hujusmodi licentiam, si Monachum Ordinis habeat, cui confiteatur, nequaquam confiteri valeat alterius Ordinis Religioso vel Sæculari.

CONSTITUTIO LII.

De examine, quod præcedere debet pro ordinandis Monachis. De electione, & obligationibus Collegialium.

Monachi pro studiis extra Monast. Ord. non mittendi.

§. 288. Non promoveatur ad Ordinem Sacrum aliquis Monachorum nostrorum, nisi aliqualiter Scripturas Sacras, quas legit, intelligat ad examinationem sui Prioris cum Deputatorum consilio; nec Monachi extra Monasteria Ordinis ad discendum mittantur; circa hoc tamen Pater Generalis poterit ex causa rationabili, prout sibi videbitur, dispensare.

Extravagans I.

Non Ordinandi, nisi prævia Prioris Informatione.

§. 289. Pater Generalis Monacho Monasteriorum nostri Ordinis ad recipiendos Ordines licentiam non concedat, quin prius habeat informationem a Priore & Deputatis Monasterii, cujus dictus Monachus est Professus, de causa, vel causis, quare ipsi ad Ordines suscipiendos licentiam non concedunt.

Extravagans II.

Nec ante quartum ab ingressu in Ordinem annum.

§. 290. Monachi non promoveantur ad Sacros Ordines, donec quartum annum ab Habitu recepto compleverint; nisi aliter ex gravi causa Priori cum consilio Deputatorum videatur

facien-

faciendum ; ita tamen ad Ordines promoveantur, quod post primam Missam cantatam sub disciplina Magistri perseverent, aliquo tempore in rebus ad tantum ministerium necessariis instruendi. Quando vero pro Ordinibus suscipiendis extra Monasterium missi fuerint, cum Novitiorum Magistro, vel eo impedito cum altero Monacho gravi, a Priore designando, cui in itinere subsint, præcise transmittantur.

Extravagans III.

In singulis Monaster. Lectio S. Scripturæ, & casuum conscientiæ habenda.

§. 291. In singulis nostris Monasteriis lectio Sacræ Scripturæ, aut casuum conscientiæ juxta antiquam nostri Ordinis consuetudinem, præscriptumque Sacrosancti Concilii Tridentini, habeatur, cui assistere debeant omnes Monachi non impediti, viginti annos a receptione Habitus completos non habentes : alias nisi interveniant, culpam in Refectorio vel Capitulo dicere teneantur ; strictèque injungimus Prioribus & nostris Visitatoribus, quod lectionem hujusmodi in Monasteriis sedulo teneri diligenter procurent, eamque omittentes vel negligentes Priores aut Lectores debite coerceant. Prior vero cum Deputatorum consilio pro hac lectione tenenda Monachum habilem designet ; & qui saltem per tres annos in nostris Collegiis Sacræ Theologiæ vacaverit, qui Lector Sacræ Scripturæ nominetur, & a Festo Sancti Patris nostri Hieronymi usque ad natalium S. Joannis singulis diebus non impeditis legere teneatur, ipsique conceditur exemptio a Choro, exceptis diebus, quibus celebrat Prior, vacationibus, aliisque functionibus juxta Monasteriorum consuetudines, & nostras Constitutiones.

Extravagans IV.

De Collegialium electione.

§. 292. In nostris Collegiis & electione Collegialium omnino serventur sequentia, videlicet : Collegiales nullatenus eligantur aut mittantur per favorem, preces, aut supplicationem sæcularium, sed attentis dumtaxat sufficientia, ingenio, & meritis Monachorum.

Qui non eligendi.

Non eligantur in Collegiales, qui quatuor annos ab habitu recepto non compleverint, in quo Pater Generalis absque magna & urgenti necessitate non dispenset.

Pater Generalis nullum Monachum mittat ad Collegium in casu, quo ejus consanguinei Genitores aut propinqui expensas, studii tempore, in Collegio faciendas persolvere velint, nisi præhabita informatione a Priore & Deputatis, si sit habilis & sufficiens, qualitatibusque ad Collegium requisitis sit ornatus.

Monasteria secundum uniuscujusque possibilitatem ad Collegia Monachos habiles eligere & mittere procurent ; alias P. Generalis, prout sibi expediens visum fuerit, super hoc provideat.

Prius examinandi.

Statim ac Collegiales electi ad Collegium accesserint, ad dispositionem & mandatum Patris Generalis examinentur, & nisi de eorum sufficientia habilitate & virtute in examine constiterit, non recipiantur, ad suaque Monasteria remittantur.

Toto studiorum tempore Collegiales in Collegiis perseverent, quin ex illis ad Passantias in vacationibus egrediantur ; & pro victu totius anni Monasteria propriæ Professionis nonaginta ducatos monetæ Castellæ pro singulis Collegialibus Collegio solvere teneantur & insuper Collegialibus vestimenta & calceamenta necessaria subministrare expensasque itinerum sive ad ordines suscipiendos sive transitus de uno in aliud Collegium ipsis persolvere debeant.

Si contingat Genitores vel Consanguineos Collegialis expensas tempore studii factas vel faciendas Collegio persolvere, Monasterium cujus dictus Collegialis est Professus quadraginta ducatos monetæ Castellæ ratione Passantiæ ipsi vel Collegio persolvere & satisfacere teneatur, nisi aliter conventum fuerit.

Quolibet anno examini subjiciendi.

Collegiales singulis annis ab Examinatoribus in cujuslibet Collegii Constitutionibus designatis examinentur & approbentur exceptis actuantibus Vniversitatis Salamantinæ, & hæc examina a die sequenti festum S. P. N. Hieronymi, usque ad festum Sancti Lucæ fiant & compleantur : quique in illis insufficientes & inhabiles reperti fuerint seu inquieti aut in moribus incompositi a dictis Examinatoribus non approbentur.

Pœnæ expulsorum.

Qui propter eorum demerita a Collegio expelluntur, eoque in examine privantur seu qui justa causa vel necessitate non intervenient Collegium renuntiaverint ad eundemmet statum in quo erant, quando ad Collegia missi sunt revertantur & redigantur, itaut si tunc erant sub disciplina Magistri ad eandem redire debeant tempore Residentiæ in Collegiis minimè computato ut ab illa liberentur.

Novitiorum subdendi Magistro.

In quolibet Collegio designetur a Priore vel Rectore Novitiorum Magister sub cujus disciplina omnes Collegiales tam Philosophi quam Theologi per sex annos ab habitu recepto subesse debeant : Prædictus vero Magister Collegiales ita in actibus Religionis & mortificationis exerceat ; ut quatenus fieri possit observantia Regularis in Collegiis conservetur.

In omnibus Scholis Ordinis legendum juxta Doctrinam S. Thomæ.

In omnibus nostris Collegiis & studiis ex antiqua & inviolabili consuetudine nostri Ordinis tam in Philosophia quam in Theologia Doctrinæ *Sancti Thomæ Aquinatis*, prout huc usque laudabiliter actum fuit, imposterum omnino doceatur & teneatur, neque Lectores defendere, subscribere aut typis mandare Conclusiones, quæ dictæ Doctrinæ non sint conformes aliquo modo audeant, alias a Patre Generali puniantur.

De tempore Lectionum.

In dictis Collegiis (excepto Collegio Sancti Laurentii Regalis) incipiat cursus & lectura a die immediate sequenti festum Sancti Lucæ, termineturque in immediate præcedenti Dominicam Pentecostes. Ab hac vero die usque ad festum Sancti Laurentii quotidie festivis & feriatis diebus exceptis ab hora nona usque ad decimam matutinam Collegiales ad invicem in argumentis & repetitione lectionum se exerceant, & a dicta hora decima usque ad undecimam conferentiam habeant ; cui PP. Lectores Theologiæ quilibet in propria materia alternative præsidere teneantur ; Philosophiæ vero Lectores similiter cum suis unusquisque Discipulis. Sin vero ex aliqua justa causa hujusmodi exercitia de mane habere non possint, vespere peragere teneantur hora assignanda a P. Lectore, qui præsidere tenetur.

Dies feriales, sicut & vacationes ab exercitiis literariis, a die Sancti Laurentii usque ad festum Sancti Lucæ, in Natali Domini, & Bacchanalibus juxta uniuscujusque Collegii Constitutiones, Collegialibus concedantur.

Cursus Philosophicus quolibet consumandus anno.

In nostro Collegio Abulensi legatur cursus artium, dumtaxat per triennium, & in ipso existant & conserventur tres Philosophiæ Lectores ; itaut singulis annis cursus philosophicus incipiat & terminetur, atque Collegiales, qui cursum hujusmodi triennalem peregerint, ad Collegium Salmantinum Theologiam audituri pertranseant. Pariter Lector Theologiæ in Collegio Seguntino superadditus conservetur, in quo etiam unus existat Monachus

Passans,

Passans, & duo sint in Abulensi Collegio, quibus duobus Lectoribus Monasteria Professionis de Vestiario & necessariis providere teneantur.

Quomodo Cathedris, Lecturisque, & quibus de Monachis providendum.

Ad Lecturas & Cathedras nostrorum Collegiorum providendas hæc forma servetur, videlicet, per oppositiones provideantur, quæ præcedere debeant tam ad lecturam & cathedram artium, quam ad transitum ad lecturam & cathedram Theologiæ. Qui vero cathedram Theologiæ jam ascenderint absque ulteriori oppositione superioribus gradatim provideantur & gaudeant.

Hujusmodi oppositiones fieri debeant coram Patre Generali, quibus duo Lectores Theologiæ vel actuales vel Jubilati, ab eo designandi, assistant, qui Oppositoribus materiam ad lectionem de more præparare teneantur, hac forma nimirum: Ad lecturam Philosophiæ, ex Logica, Physica, aut Metaphysica: Ad lecturam vero Theologiæ, ex Magistro Sententiarum. Oppositionis Lectio per horam duret, & per alteram argumententur duo ex oppositoribus, quilibet per dimidiam horam. Sin vero Oppositores non adsint in competenti numero, P. Generalis pro sui arbitrio argumenta provideat: Oppositionibusque completis, digniores ad Cathedras eligi debeant.

De electione Actuantium in Collegio Salmantino.

Pro eligendis etiam Actuantibus in nostro Collegio Salmantino servetur hic ordo, nempe: ut Patres Lectores proponant Rectori dicti Collegii tres aut quatuor Collegiales, ad actus Collegii tenendos habiliores & digniores, ex quibus Pater Rector necessario Actuantes eligere debeat: Pro actibus vero publicis in Universitate tenendis dictus Pater Rector & Lectores ad electionem singulorum Actuantium procedant per suffragia secreta; & qui majorem suffragiorum numerum obtineat, electus in Actuantem declaretur; Sin vero prædicti Electores in æquales partes dividantur, devolvatur electio ad Patrem Generalem, qui, attentis informationibus, secundum ejus conscientiam habiliores & digniores eligat in Actuantes.

Exemptiones iis, qui studii tempus expleverint, concedendæ.

Expleto tempore Studii & Collegii, Collegiales tam in propriis Monasteriis quam in alienis eximantur a Laudibus, omnibusque Horis Canonicis dicendis ante prandium, exceptis Missa & Vesperis Festivitatum majorum in Quadragesima per tres annos sequentes egressum a Collegio; intra quod tempus vel saltem infra annum immediate sequentem, coram Ordinario Diœcesano se cum sui Prioris licentia præsentare, & ad audiendas Confessiones ab eo licentiam obtinere teneantur; dicto vero tempore transacto, nulla alia gaudeant exemptione, nisi dierum octo, pro quolibet sermone ab ipsis prædicando concessa.

Recenter a Collegiis & Studiis egressi non possint eligi in Priores, nisi completo sexennio, nec in Vicarios, Procuratores temporalium, aut Magistros Novitiorum, nisi elapso quatriennio: Nec in Procuratores Capituli Generalis, nisi transacto etiam triennio, postquam, completo Studio, a Collegio egressi fuerint. Caveat denique P. Generalis, ut sine gravissimis urgentibusque causis super his non dispensetur.

Extravagans V.

Collegialium electio a Priore per vota secreta facienda.

§. 293. Electio Collegialium fiat a Priore & Deputatis per vota decisiva & secreta de Personis habilibus & benemeritis, & canonice concludatur per majorem saltem partem suffragiorum; quod si vota æqualia fuerint, Prior nominet unum ex antiquioribus Monachis Monasterii, qui cum voto suo electionem faciat.

Extravagans VI.

Collegiales studiorum tempore voto suis in Monast. careant.

§. 294. Collegiales, durante tempore suorum studiorum in Collegiis, non habeant votum in suis Monasteriis, etsi intra viginti quinque leucas commorentur; & ad majorem abundantiam votum renunciare debeant & teneantur, antequam ad Collegium proficiscantur.

Extravagans VII.

Lectores, & Passantes post tres aut quatuor annos vacent.

§. 295. Lectores Philosophiæ postquam legerint per tres aut quatuor annos juxta consuetudinem Collegiorum, ipso facto vacent a sua lectura prout etiam Passantes. Ut vero transeat ad lecturam & Cathedram Theologiæ, faciant oppositiones, ut supra ordinatur.

Extravagans VIII.

§. 296. Collegiales nostri Collegii Salmanticensis per quatuor annos studio Theologiæ vacent in dicto Collegio.

Extravagans IX.

Collegialibus prædicandi ubique non danda licentia nisi post tres annos ab egressu a Collegio.

§. 297. Collegialibus non dentur licentiæ prædicandi ubique, nisi transactis tribus annis, postquam exierint a Collegiis, id petentibus suis Conventibus, qui prius hoc decernent per suffragia secreta, & præcedente examine de ordine P. Generalis.

CONSTITUTIO LIII.

Quomodo & quando poterunt Monachi nostri Ordinis prædicare, & audire Confessiones.

Monachi extra Eccl. Ordinis sine Gener. licentia prædicare nequeant.

§. 298. Extra Monasteria & Parochias Ordinis nostri nullus Monachorum audeat absque Capituli Generalis aut Patris Generalis licentia prædicare; nec detur talis licentia nisi illis, qui per Patrem Generalem, vel per Deputatos ab eo, aut a Generali Capitulo examinati fuerint diligenter. Et nihilominus cum tales velint prædicare, debent ad id suorum Priorum licentiam obtinere. Præterea Prior vel Monachus, qui Personarum extra nostrum Ordinem cum legitima facultate Confessiones audierint, debent circa eas taliter se habere, quod Animarum salus & Dei servitium augeatur.

Extravagans I.

Et post habitam ab Ordinario licentiam.

§. 299. Nostri Monachi ad prædicandum in Ecclesiis, quæ nostri Ordinis non sunt, ultra licentiam suorum Superiorum a Constitutione præscriptam, juxta Sacrosancti Concilii Tridentini dispositionem etiam Episcopi licentiam habere teneantur; sine qua in prædictis Ecclesiis, quæ non sunt nostri Ordinis, nullatenus prædicare possint. Ad prædicandum vero in Ecclesiis nostri Ordinis cum sui Prioris licentia, personaliter se coram Episcopis præsentare, ab eisque benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant.

Extravagans II.

Pro sermone prædicando octo dierum exemptio.

§. 300. Pro quolibet sermone prædicando singulis Prædicatoribus concedatur, prout hactenus fuit continua praxis nostri Ordinis, exemptio-

exemptio a Choro per octo dies præcedentes, exceptis Festis, quibus ad Missam & Vesperas, & in solemnioribus celebrandis a Priore ad Matutinum accedere teneantur, nisi eadem die sint prædicaturi; necnon ad Processiones pro Defunctis, Antiphonam Beatæ Mariæ post Completorium, & Litaniam in Sabbatis.

Extravagans III.

De examine Confessariorum.

§. 301. Nullus Monachus possit audire Confessiones aliorum Monachorum nostri Ordinis absque licentia & facultate Prioris Monasterii, ubi residet, exercerique Confessio debet; etiamsi alterius Prioris licentiam ad audiendas Confessiones suorum Monachorum obtineat. Priusquam vero dicta licentia Monacho concedatur, examinetur diligenter per Priorem & Deputatos, seu per alios a Priore deputandos; & nisi post eorum approbationem tam in scientia quam in virtute & prudentia, ad hujusmodi ministerium requisitis, nullatenus concedatur; positque dictum examen, quoties Priori visum fuerit, reiterari; & Monachis, qui idonei non reperiantur, licentia data suspendi, vel omnino auferri debeat: exceptis Prioribus absolutis, Visitatoribus, Diffinitoribus, Lectoribusque Theologiæ, qui prædicto examini pro obtinenda licentia, subjici non debeant, sed omnino idonei reputentur.

Extravagans IV.

Monachus præsentare se non debeat Episcopo nisi de consensu, & post examen sui Prioris.

§. 302. Nullus Monachus possit Confessiones sæcularium audire, nec per Bullam Sanctæ Cruciatæ ad eas audiendas eligi, quin prius de sui Prioris licentia Episcopo præsentatus, ab eo examinatus, vel alias idoneus judicatus, ad Confessiones audiendas in illius Diœcesi licentiam obtineat. Nullus præterea Monachus ad hujusmodi licentiam obtinendam Episcopo se præsentare audeat, quin prius per suum Priorem & Deputatos diligenter examinetur & approbetur, licentiamque in scriptis ad hujusmodi præsentationem a dicto Priore obtineat. Qui vero aliter coram Episcopo seu Ordinario se præsentare, ab eoque licentiam ad Confessiones audiendas obtinere præsumpserint, ejusdem licentiæ usus suspendatur, donec Pater Generalis ea uti concedat. Injungitur vero Visitatoribus Generalibus, quod prædictas licentias in Visitatione Generali videant & examinent, & quas subreptitie obtentas sine prævia Prioris licentia invenerint, rumpant & lacerent; Monachique, a quibus obtentæ fuerint, debite puniantur.

Extravagans V.

Monachi non gaudent privilegiis Cruciatæ pro casibus reservatis.

§. 303. Monachi nostri Ordinis non possint eligere virtute Bullæ Cruciatæ, aut alterius Privilegii, Confessarios, qui illos absolvant a casibus reservatis per suos Superiores; sed necessario & præcise uti debeant altero eorum, qui a dictis Superioribus ipsis fuerint ad id specialiter designati.

CONSTITUTIO LIV.

Quando haberi debet Capitulum culparum.

Qualibet VI. Feria Capit. culparum tenendum.

§. 304. Omnibus sextis Feriis per annum in quolibet Ordinis nostri Monasterio culparum Capitulum teneatur. Ex causa tamen, quæ Priori expediens videatur, poterit ad alium diem differri, aut totaliter dimitti.

Extravagans I.

§. 305. Priores culparum Capitulum, prout ipsis expediens videatur, habere possint, quamvis Visitatores Generales vel speciales in actu Visitationis suorum Monasteriorum existant; dum tamen suis Monachis pœnitentias coram dictis Visitatoribus adimplendas non imponant, quin dictis Visitatoribus ipsas prius notificent.

Extravagans II.

§. 306. Nullus Monachus in culparum Capitulo proclamare, aut zelare aliquid possit, nisi post quindecim aut viginti annos a receptione habitus completos, juxta Monasteriorum consuetudines. Si vero ante prædictum tempus completum ipsos premat conscientia de aliqua re gravi, Capitulo præcise revelanda & manifestanda, loquantur breviter flexis genibus, & non aliter.

CONSTITUTIO LV.

De pœnis impositis contra illos, qui obtinent gratiam aut favorem contra Statuta Ordinis.

§. 307. Gratiam aliquam seu rescriptum contra nostras Ordinationes seu Constitutiones nullus Prior vel Monachus seu Conventus nostri Ordinis, conjunctim vel divisim, a quocumque, sine licentia Generalis Capituli audeat impetrare; qui contra fecerit graviter puniatur. Insuper renunciare tali rescripto vel gratiæ teneatur; necnon eidem, donec renunciet, Ordinis communio denegetur. Et nihilominus ex parte Ordinis notificetur Domino, tale rescriptum vel gratiam concedenti, præjudicium, quod exinde nostro fit Ordini, ut super eo provideatur de remedio opportuno. Salva tamen in præmissis obedientia & reverentia debita Sanctæ Sedi, ejusque Apostolico Legato.

CONSTITUTIO LVI.

De pœnis contra illos, qui extrahunt negotia, & lites Ordinis extra illum.

Particulares Monachorum querelæ extra Ordinem non ferendæ.

§. 308. Quando scandalum, sive dissensiones, vel quælibet querelæ inter Monasteria vel Personas nostri Ordinis oriuntur, extra Ordinem nunquam exeant; sed intra Ordinem, & per Personas Ordinis discrete sopiantur secundum Ordinis unitatem; Qui contra hoc venire, & ad aliam audientiam citare vel appellare præsumpserit, eo ipso communio sibi Ordinis denegetur; donec humiliter satisfecerit ad arbitrium Patris Generalis, aut Capituli Generalis. Recursus tamen ad Sanctam Sedem, sive ad ejus Legatum non intelligimus in hac Constitutione prohiberi.

Extravagans I.

Monasteriorum negotia per Sæculares Procuratores tractanda.

§. 309. Negotia & lites nostrorum Monasteriorum per sæculares Procuratores tractentur & agantur, in quantum melius fieri possit; quoniam causa & occasio magnæ distractionis existit, si secus factum fuerit.

Extravagans II.

A Monachis vero mandata Procuræ Sæcularium non accipienda.

§. 310. Monachi nostri Ordinis non admittant mandata Procuræ sæcularium pro administrationibus vel contractibus, aliisve negotiis, sub pœna privationis vocis activæ & passivæ.

CONSTITUTIO LVII.

De pœnis impositis illis, qui appellant a Judicibus Ordinis.

§. 311. Firmiter inhibemus, ne quis Conventus, aut Persona nostri Ordinis ab ordi-

natio-

natione, sive mandato Generalis Capituli, vel privati, Patris Generalis, Confirmatorum electionum, Visitatorum, sive proprii Prioris, aut ejus Vicarii appellare præsumat; quia hoc posset in subversionem totius Ordinis redundare. Qui contrafecerit, si sit constitutus in Sacris, careat per annum voce Capituli, & per triennium ad nullum Ordinis officium possit assumi; a Divinis etiam Officiis, donec ad arbitrium ejus vel eorum, cujus seu quorum mandatum sprevit, humiliter satisfecerit, noverit se suspensum. Si autem Monachus in Monasterii Priorem electus, a præcepto Confirmatorum, ne electioni dissentiat, imo quod ei consentiat, appellare præsumpserit; possint Confirmatores, si viderint expedire, ipsum absolvere, & ad Prioratum habilitare, imposita sibi pro appellatione ad suum arbitrium pœnitentia salutari. Si Laicus, aut in minoribus Ordinibus constitutus, tribus diebus in qualibet hebdomada sit in pane & aqua in Refectorio sedens in terra, donec modo satisfecerit supradicto. Per duos insuper menses catena vinctus teneatur inclusus. Si sit Conventus vel Monasterium, Ecclesiastico interdicto subjaceat; donec ab appellatione cum effectu desistat; quo tamen casu poterunt inculpabiles extra Monasterium celebrare vel audire Divina. Si tamen alicujus Monasterii Conventus, aut major pars, a Confirmatoribus electionum, aut Visitatoribus, se nimium gravari queruntur rationabiliter timent de futuro gravari, voluntque statim infra biduum super hoc scribere Patri Generali; hujusmodi Confirmatores sive Visitatores superfedeant in articulo, super quo querela proponitur, donec acceperint a dicto P. Generali responsum. Eodem modo Conventus Sancti Bartholomæi in casu Visitationis, ad Capitulum privatum poterit habere recursum; quatenus Visitatio successerit tempore, quo Prior ejusdem Conventus fuerit in officio Vicarii Generalis.

Extravagans I.

Quomodo Monachis permittatur appellatio.

§. 312. Declaramus licitam esse nostris Monachis appellationem; dummodo non sit a correctione & disciplina regulari, juxta Regulam & Constitutiones; fiatque gradatim forma a Summis Pontificibus præscripta, videlicet a Priore ad Patrem Generalem; & præterea declaramus, appellationem ad Sanctam Sedem, sive ad Nuncium Apostolicum, in hac Constitutione nullatenus prohiberi.

Extravagans II.

Recursus ad P. Generalem faciendi.

§. 313. Non adsint Judices appellationum: sed omnes recursus fiant ad Patrem Generalem, ut Paternitas sua sententiam ferat cum consilio aliquorum Monachorum discretiorum, Graduatorum Religionis in casibus arduis.

CONSTITUTIO LVIII.

De pœnis contra illos, qui obtinent favorem a Personis potentibus pro obtinendis officiis in Ordine, & pro remissione pœnitentiarum.

§. 314. Qui pro Prioris electione, vel aliqua Monasterii ordinatione Potentes adeunt, & eorum auxilia implorant, a Domibus propriis eliminentur, nonnisi per Generale Capitulum reversuri. Ille vero, pro quo petitio facta fuit, si de ejus consensu emanaverit, in ipsa Domo per electionem aut provisionem ad Prioratum, vel illud officium, pro quo intervenerit petitio, nullatenus assumatur.

Extravagans unica.

§. 315. Nullus Monachus nostri Ordinis audeat procurare favorem, intercessionem aut auxilium a Personis potentibus, nec ab aliquibus aliis extra Ordinem directe vel indirecte, ut eligatur in Priorem, vel sibi remittantur pœnitentiæ impositæ ab Ordine, sub pœna privationis vocis activæ & passivæ: quod postquam fuit dispositum ab Ordine, & confirmatum per Bullam Apostolicam. Et hujusmodi privatio vocis activæ & passivæ duret per quadriennium.

CONSTITUTIO LIX.

De pœnis contra illos, qui obtinent favores, aut minas in damnum Ordinis.

§. 316. Nullus Ordinis nostri Conventus, aut singularis Persona contra Priorem, Monachum, aut Monachos suæ vel alterius Domus, in derogationem ejusdem Ordinis, aut quodvis impedimentum alicujus nostræ Generalis Constitutionis, seu Ordinationis, seu mandati Generalis Capituli vel privati, Patris Generalis, Visitatorum Generalium vel specialium, vel eorum cujuslibet: vel ad impetrandum vel impediendum in Ordine nostro Prioratus, Vicariatus, vel aliud quodvis officium a Personis Ecclesiasticis vel Sæcularibus, quæ de Ordine nostro non existant; literas, preces, minas, defensionem, auxilium vel favorem per se vel per alium, quocumque quæsito colore audeat impetrare. Qui contravenerit, si sit Conventus, eo ipso Monasterium Ecclesiastico subjaceat interdicto: si sit singularis Persona, eo ipso facto excommunicationis: & si sit in Sacris, etiam ab Ordinibus & officiis suspensionis sententiam se noverit incurrisse; quorum absolutionem, dispensationem, & habilitationem nostris Generali sive privato Capitulis, vel Patri Generali in eorum absentia, reservamus. Si Persona, cui Monachus exponit negotium suum non est talis conditionis, de qua præsumatur evenire aliquod damnum vel molestiam Domui vel Ordini, aut aliis Personis ejusdem, in tali casu possit absolvi per Priorem cum consensu Deputatorum, vel majoris partis eorum. Prior autem in casu prædicto per Vicarium; Vicarius vero, absente Priore, per Confessorem a se electum cum prædictorum assensu, vel majoris partis eorum, absolvi possit. Absentibus autem Deputatis poterit Prior vel Vicarius ad prædicta aliquos de Discretioribus Domus assumere. Cum autem, ut diximus, Monasterium fuerit interdictum, poterunt hi, qui culpabiles non fuerint, extra Monasterium celebrare vel audire Divina.

CONSTITUTIO LX.

De jejuniis & abstinentiis Ordinis.

§. 317. Ultra jejunia per Ecclesiam statuta, celebretur jejunium in Ordine nostro temporibus infrascriptis, videlicet: In Adventu Domini: In secunda & tertia feria, post quinquagesimam immediate sequentibus: In omni sexta feria. Et si Nativitas Domini occurrat in sexta feria, ab esu carnium abstinere debemus: & in Litaniis ante Ascensionem secunda & quarta feria jejunamus; possumus autem in prædicta secunda feria secundum communem consuetudinem ova & lacticinia manducare. Quarta vero feria supradicta cibis quadragesimalibus reficiamur. Similiter in vigiliis Nativitatis & Purificationis Beatæ Virginis jejunamus. Possit tamen quilibet Prior circa hujusmodi abstinentias ex

Tempora jejunii.

Qui dispensandi, & a quo.

causa, quæ sibi rationabilis videatur, cum Personis debilibus vel infirmis suo arbitrio dispensare; Itinerantes autem, cum sibi visum fuerit expedire, ad horum jejuniorum observantiam non arctentur.

Extravagans I.

Alii jejunii dies.

§. 318. Vigilia nostri Patris S. Hieronymi jejunetur in Vigilia Sancti Michaelis Archangeli, nisi dictum festum S. Michaelis feria sexta occurrat.

Extravagans II.

§. 319. Juxta inviolabilem consuetudinem nostri Ordinis, feria sexta in Parasceve in pane & aqua jejunetur. Præterea vigilia Corporis Domini ob devotionem & magnitudinem tantæ Festivitatis inter jejunia nostri Ordinis computetur & observetur: Prout etiam vigilia Conceptionis Beatissimæ Virginis. Ex eadem etiam consuetudine quarta feria iisdem cibis, quibus Sabbato, & consuetudine Hispaniæ vesci possumus; & similiter die Natalis Domini, cum occurrit feria sexta.

Extravagans III.

§. 320. Monachi non comedant carnes feria quarta sine gravi necessitate, aut de licentia Prioris, quod strictissime monemus servari extra Monasteria ob bonum exemplum sæcularibus exhibendum.

CONSTITUTIO LXI.

Quod Sæculares non manducent in nostris Refectoriis.

§. 321. Ad comedendum in Refectorio cum nostris Monachis non recipiantur Sæculares Personæ, in quantum commode poterit observari. Ad hoc tamen Monasterium de Guadalupe non plus arctetur, quam arctari solebat.

Extravagans I.

§. 322. Non recipiatur aliquis Sæcularis intra Claustra ad dormiendum, neque ad comedendum, salvo tamen in Refectorio.

Extravagans II.

§. 323. Nullus Prior aut Vicarius, nec aliquis alius deducat ad recreationem in Granciis aliquem Sæcularem; nisi cum consilio Deputatorum ob aliquam causam valde justam videatur aliter esse faciendum.

CONSTITUTIO LXII.

De Anniversariis, quæ celebrari debent in quolibet anno.

§. 324. Pro cunctis Monachis nostris Defunctis una Missa *de Requiem* Conventualis cum vigilia trium lectionum in die præcedenti, in singulis nostris Monasteriis celebretur quolibet anno prima die post octavam Natalis Beati Patris nostri Hieronymi; eadem quoque prima die, vel quam cito commode poterunt, omnes Priores & Monachi Presbyteri celebrent singulas Missas *de Requiem*, cæteri autem Monachi Clerici dicant semel perfecte horas defunctorum, Fratres vero Laici dicant quilibet centies Pater Noster & Ave Maria cum Requiem æternam in fine cujuslibet Ave Maria. Si tamen Fratres Laici sciverint, sufficiet eis horas defunctorum dicere.

CONSTITUTIO LXIII.

De Officio, quod fieri debet pro Religiosis Defunctis.

§. 325. Officium autem Defunctorum Priorum & Monachorum nostri Ordinis in singulis nostris Monasteriis fiat modo sequenti, videlicet: die sui transitus & sepulturæ fiant Officium & recommendationes; ac singula alia, ut in nostro Romano Breviario continetur. Item die 7. 30. & fine anni statim post Vesperas diei præcedentis cantetur vigilia trium lectionum cum psalmis assignatis pro die sequenti, in quo quidem die illico post primam celebretur Conventualis Missa de Requiem. A die vero sepulturæ usque ad diem septimum inclusive tam post Conventualem Missam quam post Vesperas cantetur per Conventum unum Responsorium Defunctorum cum Orationibus competentibus, eundo cum Cruce & Aqua Benedicta super sepulchrum Defuncti, exceptis diebus festis colendis, in quibus post primas Vesperas & Missam non cantetur. In die autem 30., & in fine anni unum dumtaxat Responsorium post Missam cantetur cum Orationibus competentibus super ejus tumulum, ut præmittitur, exeundo. Cæterum Monachi Presbyteri dicant singulas Missas de Requiem in quolibet dictorum quatuor dierum. Dicant etiam infra prædictum annum alias quatuor Missas ad placitum cum competenti Collecta Defunctorum. Monachi autem Clerici, qui non sunt Presbyteri, singulis prædictis quatuor diebus dicant unum Nocturnum Defunctorum cum suis Vesperis & Laudibus. Prædictum etiam Nocturnum cum Vesperis & Laudibus dicant quater infra eumdem annum, quando sibi placuerit. Laici vero in die sepulturæ dicant quinquaginta Pater Noster; Item in qualibet die prædictorum, qua celebrabitur Missa Conventualis prædicta, viginti Pater Noster dicant. Item in singulis diebus vigiliarum suprascriptis dicant quindecim Pater Noster. Item loco cujuslibet dictarum octo Missarum per Monachos Presbyteros dicendarum dicant viginti Pater Noster. Præterea in fine cujuslibet Pater Noster omnium prædictorum dicant Ave Maria cum Requiem æternam. Sane omnia & singula supradicta singulis prædictis diebus, aut quam citius commodius poterunt, omnes & singuli Monachi dicant. Verumtamen si Fratres Laici sciverint, & voluerint potius horas Defunctorum, quam prædicta Pater Noster & Ave Maria dicere, dicant eas, quemadmodum Monachi Clerici, ut præmittitur, dicere illas debent. Cum vero aliquis Pater Generalis fuerit defunctus, in quolibet Monasterio nostri Ordinis dicatur pro eo vigilia trium lectionum & Missa Conventualis, & quilibet Presbyter celebret octo Missas. Monachi autem Clerici pro quolibet octo Missarum dicat unum Nocturnum Defunctorum cum suis Vesperis & Laudibus. Laici vero dicant pro vigilia Conventuali quindecies, & pro Missa Conventuali vicessies Pater Noster cum Ave Maria & Requiem æternam. Item pro quolibet Novitio vel Donato defuncto Ordinis nostri fiat ad dispositionem Prioris.

Extravagans I.

Sepultura pro Monachis tantum assignanda.

§. 326. In quolibet ex nostris Monasteriis assignetur locus specialis, in quo solum Religiosi, & nullæ aliæ Personæ sepeliantur.

Extravagans II.

Qui de Priore obeunte, qui sit Monasterii alterius Professus.

§. 327. Quando aliquis Prior, professus alterius Monasterii, durante suo Prioratu, mortuus fuerit, celebrentur pro eo Missæ & alia suffragia, quæ celebrantur pro Professis ejusdem Monasterii, cujus est Prior; per hoc tamen non amittat sui proprii Monasterii Missas & suffragia, sicuti mandat Constitutio.

Extravagans III.

Quid pro Monachis Hospitibus.

§. 328. Juxta usum Ordinis Monachi Hospites in aliis Monasteriis nostri Ordinis extra propria degentes, celebrare teneantur unicam Missam pro singulis Monachis dictorum Monasteriorum, qui e vita decesserint; e converso pariter singuli Monachi dictorum Monasteriorum, ubi Hospites commorantur, singulas Missas celebrare teneantur pro hujusmodi Monachis Hospitibus, quando in dictis Monasteriis e vita migraverint; Si vero non fuerint Sacerdotes ad Missæ æquivalentiam dicendam Monachi teneantur. Præterea in omnibus Monasteriis dicantur omnes Missæ Confraternitatum, quas habent tam cum suis Monachis quam cum aliis Monasteriis, pro Monachis præsentibus & absentibus; itaut Monachi absentes ad nullam Missam celebrandam teneantur, sed a Monasteriis pro dictis absentibus & impeditis suppleantur & celebrentur, juxta Monasteriorum consuetudines. Ne autem hujusmodi suffragia detineantur, cum Monachus aliquis ex hac vita migraverit, Vicarius alterve Monachus de hoc curam gerens, juxta dictam consuetudinem, intra tres dies Monasteriis, Confraternitatem habentibus, per certum nuncium obitum dicti Monachi notificare teneatur.

In Monasteriis supplenda Missarum onera absentium per præsentes.

Extravagans IV.

A Monachis ante Viatici receptionem totalis rerum facienda abnegatio.

§. 329. Quilibet Monachus, Sanctissimum Viaticum in extremis recepturus, omnium eorum, quæ ad proprium usum sibi conceduntur, totalem prius faciat abnegationem jam diu in nostro Ordine consuetam, Clavibus Cellæ Priori, vel, eo absente, Vicario consignatis; Si vero, absente Priore, Monachus e vita migraverit, Vicarius, nisi de licentia Prioris de his, quæ habuerit, nullatenus disponere valeat. Ea vero secundum consuetudinem singulorum Monasteriorum distribuantur.

CONSTITUTIO LXIV.

Quod non acceptetur executio Testamenti sine licentia.

§. 330. Quisquam Prior, seu Monachus aliquis Ordinis nostri nullatenus possit acceptare executionem aliquam cujuslibet Testamenti, vel ultimæ voluntatis absque speciali Generalis Capituli, aut Patris Generalis licentia. Quam quidem licentiam, si contingat eumdem Patrem Generalem importunitate petentium, seu alia ratione, alicui Priori vel Monacho concedere; nihilominus talis Prior vel Monachus executionem hujusmodi non exceptet, nisi verisimiliter crediderit, quod ex hujusmodi exceptatione poterit obsequium Deo præstare, bonumque dare exemplum fidelibus de se ipso. Ipse etiam Pater Generalis similiter executionem hujusmodi non exceptet sine speciali licentia Generalis Capituli vel privati, seu alicujus de pro privato Capitulo assignatis; super quo eorum conscientias oneramus.

CONSTITUTIO LXV.

Quod non acceptetur Commissio, nisi fuerit Apostolica, neque arbitratio inter partes, sine licentia.

§. 331. Aliquis Prior vel Monachus Ordinis nostri Commissionem aliquam a quocumque Prælato vel Principe emanatam, excepto dumtaxat Domino Nostro Papa, non valeat acceptare. Similiter nec Arbitria per compromissum vel alias sine speciali licentia Patris Generalis; nisi talia sint, quæ faciliter & in brevi; atque sine juris aliqua disceptatione, valeant terminari. Illa præsertim valeat absque licentia acceptare, quæ inter pauperes & miserabiles Personas fore contigerit, nec ultra decem dies extra sua Claustra propter hujusmodi arbitria vel arbitrationes aliquatenus demoretur. Idem quoque Pater Generalis hujusmodi Commissiones vel Arbitria non acceptet sine speciali licentia Generalis Capituli, vel alicujus de illis pro privato Capitulo assignatis; nisi in casibus superius exceptis.

CONSTITUTIO LXVI.

Cujus Sumptibus teneri & custodiri debeant Monachi fugitivi.

§. 332. Quilibet Prior vel Conventus Ordinis nostri, qui Monachos nostros aliquos fugitivos cæperint, seu capi fecerint, eos detineant sub diligenti custodia in Monasteriis suis, & quam cito potuerint, id notificent per certum nuntium eorum Prioribus, sumptibus & expensis Monasteriorum, quorum fugitivi hujusmodi sunt professi. Ipsi quoque Priores sine aliqua dilatione mittant pro eis, & faciant illos captos ad Monasteria sua redire. Interim vero in eisdem Monasteriis, ubi sunt carceri mancipati, sub custodia diligenti, ut præmittitur, teneantur, usque dum mittant pro eis & ad propria Monasteria reducantur. Expensas quoque, quas iidem capientes fecerint in captione prædictorum, jam dicti Priores & Domus fugitivorum capientibus eisdem una cum sumptibus nunciorum solvere teneantur.

CONSTITUTIO LXVII.

De Pœna contra illos, qui dixerint verba injuriosa Ministris Ordinis.

§. 333. Nullus Monachus Ordinis nostri in electione seu confirmatione cujuscumque Prioratus cujuslibet Monasterii contra Confirmatores seu Scrutatores electionis ejusdem audeat verba comminatoria vel irreligiosa proferre, ut iidem Confirmatores vel Scrutatores potestatem sibi commissam, aut officium minus libere valeant exercere. Qui contra fecerit, ipso facto careat voce Capituli, donec per Generale Capitulum restituatur, & nihilominus ad Confirmatorum arbitrium puniatur. Eadem quoque pœna puniatur quilibet Scrutator vel Confirmator, qui in prædictis verbis contra quemlibet eligentium excesserit.

CONSTITUTIO LXVIII.

De forma Visitationis Generalis nostrorum Monasteriorum.

Monasteria quolibet triennio generaliter visitanda.

§. 334. Ob statum nostri Ordinis in Sancta Religione salubriter conservandum omnia nostra Monasteria semel infra quodlibet triennium generaliter volumus visitari. Porro quia ex eo, quod visitationes nec studiose fiunt, nec bene observantur, magna Ordinis dissolutio sequitur, Visitatoribus districte injungimus, ut in visitationibus soliciti sint & studiosi, & formam sibi de facienda visitatione traditam nulla transgrediantur ex parte; alioquin prout culpa exegerit per Generale Capitulum legitime punientur. Priore igitur & Monachis visitandi Monasterii ad cimbali signum in Capitulo congregatis, præmissa Oratione, quæ in forma seu Capitulo electionis inferius annotatur, unus Visitatorum aliquam de observantia Religionis & de obedientia proprii Pastoris atque reverentia, prout Dominus dederit, exhortationem proponat: lecta deinde præsenti forma

Quæ Visitationi præmittenda.

visitationis, ipsi Visitatores Priori ac Monachis Dei ac Capituli Generalis auctoritate præcipiant, ut eorum singuli de Priore, & de se ipsis ad invicem, ac de statu Domus, quicquid super his, de quibus interrogati fuerint, accusatione dignum vel emendatione cognoverint, sincere sibi notificent: nullatenus amore vel odio seu timore cujusquam, aliave qualicumque occasione, veritate suppressa; ne si secus egerint, cum grandi etiam suarum periculo animarum gravem incurrant Ordinis disciplinam. Verumtamen in Conventu seu palam nulli crimen imponant, quod probari non possit; ne pœna, qua teneretur delatus, si convinceretur de crimine, in probatione deficientes involvat. Eadem quoque Prior eorum sua auctoritate eis præcipiat. Sciendum vero, quod cum fiunt visitationes per Ordinem, in inquisitione sive probatione culparum præceptum obedientiæ pro juramento habetur. Possunt tamen Visitatores, si eis videbitur, in gravibus casibus pro revelanda certius & plenius veritate sub pœna excommunicationis præcipere, ac etiam exigere juramentum. Præcipiant quoque ipsis, ne conventicula, congregationes, sive confabulationes super visitationis facto faciant vel pertractent; se videlicet invicem inducendo; quod in ipsius visitationis negotio falsum proferant, aut veritatem subticeant. Deinde carta proxime Visitatorum præcedentium allata; & coram omnibus lecta, Prior & Monachi ad ea, quæ unicuique imminent facienda secedant. Porro in visitatione de Monachis, Clericis & Fratribus Conversis, per Monachos, Clericos & Fratres Conversos inquisitio fiat. Possunt tamen Sæculares etiam, si sint idonei, in testimonium recipi, si quid probatione indiget, & per nostros probari non potest. At vero Visitatores non facile credant omni spiritui, nec aliquem ex sola suspicione seu præsumptione condemnent. Summa vero cum diligentia in primis super pactionibus vel promissionibus, quas Priores vel Monachi, visitationem timentes, a Fratribus suis interdum extorquent, secreto singulos perscrutentur; quas factas repererint, solvant; & Prior vel Monachus in tali culpa deprehensus ad ipsorum arbitrium graviter puniatur. Attente quoque inquirant, si visitatio proxime præterita bene fuerit observata, & quem culpabilem in non servando invenerint, sive sit Prælatus sive subditus, gravi animadversione castigent. Attente etiam & solicite, non obstante aliqua benevolentia, quæ in subversionem Ordinis aliquando exhibetur, diligenter de negligentia Priorum inquirant, videlicet: Si sine Personarum acceptione puniunt negligentias & excessus: Si sint carnales vel nimium Sæculares: Si dant exemplum subditis in frequentando Ecclesiam, in abstinentiis, & aliis observantiis Ordinis: Si Statuta Capituli Generalis faciunt observari, per ipsos enim in Monasteriis viget Ordo, vel deficit: Si extra Monasteria solent frequenter exire: Si in regimine Domus tam in spiritualibus quam in temporalibus sint soliciti & discreti; & ea, quæ correctione digna perpenderint in sua scriptura secreta conscribant.

De juramentis.

De Testibus.

Quæ inquirenda.

Postea interrogent de pace Domus, videlicet, Prioris cum Monachis, & Monachorum ad invicem: Si pacem non esse invenerint, cum omni studio causam inquirant, eaque cognita, qui fuerint in culpa legitime puniantur. Exinde ipsorum quilibet interrogetur, qualiter se Monachi in observantiis Ordinis habent, scilicet: In non habendo proprium: In continentia, & in proprii Pastoris obedientia: In ejusdem suaque ad invicem reverentia: In servando silentio horis & temporibus constitutis: In debitis abstinentiis: In veniendo ad Ecclesiam: Si Presbyteri crebro celebrant: Si sine murmure, quæ sibi de Domo ministrantur, accipiunt, eis contenti: Si a petendo inordinatas licentias sibi cavent: Si in mutuis colloquiis, aut cum Hospitibus seu Sæcularibus vel aliis Personis quibuslibet Religioni debitam custodiunt honestatem. Demum si curiositatem vitant: Si laudabiliter culpas in Capitulo vel alibi confitentur: Si in reprehensione sunt humiles, & in emendatione tractabiles, est solicite perquirendum. Pro temporalium quoque statum cognoscendo: An Domus gravata sit debitis, & quantum; non tamen cui vel quibus specialiter debeat; nec si quid quantumve in depositis habeat; aut a quibus deposita susceperit, est diligentius inquirendum. Si igitur Domus debitis inveniatur gravata, nulla causa rationabili apparente, quæ Priorem excuset, in ipsum culpa redundet. Super omnibus præmissis sigillatim a singulis Monachis, tam de Priore quam de se ipsis ad invicem, est cum omni studio facienda inquisitio. Sed & si quis Monachorum in Priore, vel in aliquo alio de Congregatione crimen, vel aliquid aliud, quod dignum sit emendatione vel accusatione, cognoverit, etiam non interrogatus illud Visitatoribus insinuare tenetur; non tamen in Conventu seu palam, nisi probari queat, & super eo publica laboret infamia. Cæterum ea, quæ sibi insinuantur, nec probari possunt, diligenter a remotis inquirant, non nominata Persona, sed de vitio inquirendo; si forte, quod credebatur occultum, possit in publicum propalari; caute tamen, ut ex hujusmodi inquisitione non surgat infamia, ubi prius non erat; vel, si aliqua erat, minime augeatur, juxta illud, quod nostra cavetur in Regula: Si possit forte secretius correctus non innotescere cæteris. Qua inquisitione facta, si quid de Priore, vel de aliquo alio dicitur, quod emendatione aut pœna sit dignum; interrogetur, qui dictus est reus, an sit verum quod objicitur ei. Qui confessione sua, vel, si negaverit, facta per testes inquisitione convictus, arbitrio Visitatorum ordinate vel emendetur vel puniatur. Nullus tamen, licet intractabilis seu perversus inveniatur, nec post multas commonitiones sibi factas se corrigens, extra Domum suam pro disciplina mittatur, nisi prope suum Monasterium capitales habeat inimicos; aut propter permanentiam ejus in ipsa Domo, grave ibi scandalum generetur, sed ibidem taliter castigetur, quod alii perpetrare similia pertimescant. Discordes tamen, & ad pacem redire nolentes, a suis Monasteriis segregentur & dividantur sub congrua disciplina; nec Domus, ad quas mittentur, eos valeant recusare. Cum igitur Visitatores, quæ noverint notanda, præscripserint, & expedire viderint, aliqua eorum occultari debere; Monachis ipsorum factorum conscriptis districte monitis vel præceptis, juramento, excommunicationis sententia, sive corporalium impositione pœnarum injungant, ne illa alicui revelare præsumant. Scribant autem in suis scriptis secretis universa & singula, quæ per suam inquisitionem correctione ac emendatione indigere perspexerint. Quibus ita conscriptis, illis, quos propria confessione, aut legitima probatione reatuum occultorum, culpabiles esse constiterit, sigillatim & secrete vocatis, ac de suis negligentiis & excessibus specialiter reprehensis, debitam pœnitentiam & correctionem imponant. Post hæc, considerata diligenter carta Visitatorum præcedentium, quidquid contentorum in ea repererint non fuisse, ut debuit, observatum, in sua carta illic dimittenda una cum aliis, quæ ipsi de

Pœnæ Priorum.

De inquisitione secreta.

novo

novo viderint emendanda, sive facienda conscribant, & præcedens litera deleatur. Et super omnia Visitatores diligenter attendant, quod in ipsa carta non scribant culpas, negligentias, vel excessus publicos vel occultos, graves aut leves, ullam Personam in singulari notando, præterquam illorum, qui reperti fuerint incorrigibiles de negligentiis vel excessibus non occultis, de quibus scandalum, turbatio, aut malum exemplum Monachis sit exortum. Possunt etiam in eadem carta in genere reprehendere culpas leves, non nominando Personas, quæ talia commiserunt; ut verbi gratia: Reprehendimus, quod aliqui frangunt silentium: aliqui non sequuntur Chorum, ut debent; quos monemus, ut de cætero se emendent; & sic de similibus; & maxime negligentias & excessus in non servando nostri Ordinis consuetudines & statuta, quamvis non omnes in hoc deliquerint, debent modo præmisso in ipsa carta notare. Possunt tamen in ea Priorem de negligentiis & excessibus manifestis, præsertim si cedunt in sui regiminis damnum seu detrimentum, arguere: & de his, quibus circa suum regimen invigilare debet, in posterum exhortari. Scribant præterea in carta omnia illa, quæ ad conservationem communis status & regiminis Domus ejusdem, & Sacræ Religionis observantiam, pertinere cognoverint. Culpas vero graves, quas per aliquos commissas invenerint, poterunt, si expedire videbitur, in quadam alia litera secreta conscribere, notando in ea sigillatim Personas, quæ culpas hujusmodi commiserunt, & pœnitentias ipsis injunctas; ut sic sequentibus Visitatoribus constet facilius, an Monachi ipsi prius reperti culpabiles pœnitentias prædictas impleverint, & de hujusmodi sint in moribus emendati. Quam utique secretam cartam clausam & sigillatam Priori vel Vicario aut Sacristæ commendent; præceptum in ejus dorso scribentes, ne quis præter Visitatores sequentes literam ipsam audeat aperire vel legere; & quod per illum, cui custodienda committitur, Visitatoribus tradatur sequentibus. Demum post hæc Priore ac Monachis simul in Capitulo congregatis, ante omnia verbo tenus personas culpabiles in casibus seu culpis gravibus & manifestis nominatim in publico reprehendant, eis ad sui arbitrium pœnitentias imponendo. Hoc idem possint facere, si expedire viderint, in casibus seu culpis levibus, quas communiter de facili solent Monachi committere, etiamsi casus hujusmodi sint occulti. Insuper tam Priori quam Monachis, prout quemque illorum tanget negotium, districte præcipient, quatenus nullus unquam publice vel occulte, directe vel indirecte de quocumque alio, quem sciverit, aut præsumpserit aliquid contra eum in eadem Visitatione dixisse, vindictam assumat; humanitatem, seu consolationem in communi, solitam cæteris exhiberi, vel pro infirmitatibus debilitate sive languore debitam, subtrahendo: nec sibi unquam ob hoc verbis vel factis molestus existat; ex oppositio enim facile sequeretur celatio veritatis, & remanerent excessus & negligentiæ impuniti: Statimque coram ipsis prædictam suam cartam publicam legant, seu legi faciant, suisque nominibus roborent, & aliquo sigillo noto communiant; & ipsam Priori vel Sacristæ tradant, primis sequentibus Visitatoribus exhibendam. Quæ quidem carta in omnium Monachorum præsentia bis in anno legatur, videlicet, Infra Octavas Nativitatis, & Dominicæ Resurrectionis. Summopere vero Visitatores provideant, ut in Monasteriis visitatis pacem, salva Ordinis disciplina, pro suo posse relinquant; nec quæstiones, quas suo poterunt terminare judicio, Patri Generali, aut Capitulo Generali reservent. Deinde Monachis valedicturi, quoniam in multiloquio non deest peccatum, totus Conventus dicat: *Confiteor Deo &c.*, & unus Visitatorum absolutionem faciat, & statim recedant. Si tamen post hæc aliqua forsan emendanda perspexerint, ante suum recessum illa corrigant & emendent. Adhuc sciendum, Visitatores, durante suæ visitationis tempore, triennio videlicet, in quo sunt Deputati, exercendam per se (quam aliis delegare non valent) habere in corrigendis excessibus, & reformandis, quæ reformatione indigent, plenam potestatem; qua potestate in suæ visitationis Domibus uti possunt, nedum cum eas semel infra dictum triennium visitant, sed etiam dum per aliquam earum, de aliquibus Domibus visitatis ad alias visitandas eundo, aut ad sua Monasteria revertendo, transierint; tunc enim Domos illas, quamvis visitatas, possunt intrare, & per Priorem, aut aliquem ipsius Domus Monachum requisiti, si expediens sibi videbitur, poterunt se super his, quæ in sua carta mandaverant, an debite observentur: ac etiam super his, quæ post suam visitationem contigerint, summarie, aut per cognitionem plenariam informare, atque ut expedit, providere. Possunt nihilominus uti hujusmodi potestate, triennio durante prædicto, quandocumque per Priorem aut majorem partem Conventus alicujus monasterii super aliquibus negotiis, sive ante inceptam suam generalem Visitationem sive post eam finitam, fuerint evocati; quamvis in Monasteriis suarum habitationum resideant: dum tamen personaliter accedant ad Domum, ad quam, ut præmittitur, convocantur. Alioquin postquam Domum a se visitatam exierint, de ipsius visitatione, vel circa illam, se nullatenus intromittant. Poterunt tamen, quamquam absentes a Monasterio visitato, dubia, si qua super dispositis per eos in sua Visitatione occurrerint, declarare. Expensas vero, quas Visitatores faciunt, a Monasteriis recipiant visitatis, earum scilicet omnia inter dicta Monasteria partiendo; ita, quod unumquodque Monasterium, secundum quod remotius fuerit, amplius in ratione conferat expensarum; nisi aliquorum Monasteriorum paupertas, & aliorum abundantia aliter suadeat, servata tamen modestia, disponendum. Quod utique intelligimus de illis expensis, quas pro victualibus suis, & servientium & jumentorum, ac pro calciamentorum & ferramentorum similiter reparatione, se fecisse in itinere dixerint, vel esse facturos; modestia tamen & honestate ubique servata. Possunt quoque, si velint, pro unoquoque jumento unum florenum de Aragonia in quolibet mense recipere, in recompensatione damni, quod sustinet Domus sua propter jumenti carentiam. Cæterum vestimenta, equitaturas, atque jumentorum stramenta non debent de sumptibus Visitationis habere, nisi contingat casu sine culpa Visitatorum aliquid ex vestibus, jumentis, vel rebus aliis, quas secum de Domibus suis adduxerant, amissum esse, vel factum inutile. Tunc enim emendo rem aliam tanti pretii, quanti res erat amissa, eodem pretio a dictis Monasteriis, ut præfertur, exacto, damnum passus servare se valebit indemnem. Caveant autem ne ipsi aut servitores eorum munera, sive munuscula cujuscumque quantitatis aut pretii oblata recipiant, vel exigant non oblata per se interpositamve quacumque dissimulatione Personam: Spiritualia etiam Beneficia exigere non præsumant. Attendant quoque Visitatores, quod qualem cartam apertam in quacumque Domo visitata dimittunt, talem, quam cito commode poterunt, Patri

De culpis levibus.

De gravibus.

De manifestis.

De dimissione Visitationis.

Visitatorum facultates.

Expensæ Visitatoribus faciendæ a Monasteriis visitatis.

Dona a Visitatoribus nec accipienda, nec exigenda.

De Cartis Visitationum, earumque usu.

Generali expensis Monasterii visitati transmittant. Cartas vero visitationum, quas Pater Generalis receperit, ut præfertur, diligenter conservet, ut si oportuerit Definitoribus Capituli Generalis illas ostendat. Postquam vero alias novas cartas sequentis visitationis receperit, primas cartas præcedentis visitationis discerpat, ita quod ultimæ tantum visitationis cartas retineat. Rursus Visitatores scripturas secretas visitationum suarum clausas & sigillatas in locis secretis atque securis caute custodiant, quas deferant ad Capitulum Generale, non utique ut Diffinitoribus ipsas ostendant, sed ut quam tum necesse fuerit, plenam eis faciant relationem de his, quæ ad faciendas misericordias cum Prioribus, aut ad provisiones sive remedia Domorum aut Personarum suæ visitationis tantummodo pertinebunt. Teneanturque nihilominus tam Pater Generalis quam Diffinitores ac Visitatores præfati, sub secreti sigillo clausa tenere perpetuo cuncta, quæ prætextu suarum diffinitionis, inquisitionis, aut visitationis agnoverint, quæ utilitas exigit, honestasque suadet, aliis minime revelare.

Denique finito Generali Capitulo, teneantur iidem Visitatores sub obedientiæ præcepto, quo eos adstringimus in hoc casu, prædictas scripturas comburere, vel penitus resecare; nec amplius super his, quæ in sua visitatione fecerunt, a quoquam proclamari valeant, aut quomodolibet molestari.

Extravagans I.

Forma faciendæ Visitationis.

§. 335. Monemus nostros Visitatores generales aut speciales, quod in officio suæ visitationis discrete se habeant hac forma, videlicet: quod diligenter animadvertant, ut quando aliquis Monachus de suo Priore aut de suo Fratre aliquid tale dixerit, quod correctionem fraternam servandam prærequirat, ab ipsis interrogetur: an id prius suo Priori charitative manifestaverit: Fratremque suum fraterna correctione emendatum monuerit? Si Frater suus taliter charitative monitus & correctus se emendare neglexerit, an illum Prælato corrigendum & puniendum denunciaverit? Et similiter, an si talem culpam in altera visitatione seu in Capitulo proclamavit aut accusavit, illamque committens pœnitentiam debitam subierit? An etiam potuerit illam culpam in alia priori visitatione dixisse aut proclamasse? Quibus interrogationibus, earumque responsis Visitatores animadvertere poterunt, quo spiritu moveatur & ducatur talem culpam dicens & proclamans; & si prædictam correctionem fraternam debite servaverit. Eos vero, qui hanc correctionis fraternæ formam servandam omiserint, Visitatores prædicti debite puniant. Et notificamus dictis Visitatoribus, quod nisi ita, ut prædicitur, ab illis servatum fuerit, per Generale Capitulum graviter plectentur. Id ipsum etiam omnino servetur a Prioribus in suorum subditorum culpis corrigendis & puniendis.

Extravagans II.

Ea quæ Visitatorum facultatem excedunt.

§. 336. Nostri Visitatores Generales, etsi aliquos Officiales ab eorum officiis rationabilibus de causis in Monasteriis, quæ visitaverint amovere possint, eorum tamen provisionem Prioribus dictorum Monasteriorum liberam relinquant; neque aliqua ædificia in Monasteriis suæ visitationis de novo fieri præcipiant. Præterea caveant, ne multa mandata imponant, ex quibus plus sequitur damni quam utilitatis. Quando vero inhabilitaverint, aut carceri mancipaverint, vel exulaverint aliquem Monachum, hujuscemodi causam Patri Generali notificare non differant; simulque Prioribus Monasteriorum, ad quæ tales Monachos transmittunt, ut sciant, quomodo cum ipsis se gerere debeant.

Extravagans III.

§. 337. Visitatores in suæ visitationis Monasteriis, nec ordinent nec mutent aliqua ad totum Conventum seu statum ejus communem pertinentia, quin prius cum Priore & Deputatis ordinanda vel mutanda consulant; & tali consultatione præhabita, quod eis opportunius videbitur, facere & ordinare possint.

Extravagans IV.

§. 338. Visitatores Monasteriorum Aragoniæ ultra duos dies sumptibus Monasteriorum in Civitate Valentiæ aut Barchinonæ non permaneant vel detineantur, nisi propter infirmitatem; & insuper Visitatores particulares in Domo propria Monasterii visitandi vel visitati Hospitio recipiantur & commorentur.

Extravagans V.

Nihil recipiendum sub secreto, quod alicujus damno sit.

§. 339. Nullus Religiosus recipiat aliquod sub obligatione secreti, quod in damnum vel præjudicium sui Prioris aut Communitatis, alteriusve vergere possit. Sciant vero, & moneantur nostri Monachi, quod hujusmodi præjudicialia secreta omnino suo Prælato revelare tenentur; Alia vero secreta, quæ in Communitatis vel Prioris, proximive detrimentum & damnum non redundant, revelare nullatenus teneantur.

Extravagans VI.

§. 340. Nostri Visitatores non possint eligi in Priores Monasteriorum, ubi privaverunt aliquem Priorem; prout nec eligi possunt Confirmatores in Monasterio suæ confirmationis.

Extravagans VII.

Monachi voto non privandi.

§. 341. Non priventur voto Monachi, nisi in casibus expressis in jure & nostris Constitutionibus, aut in casibus facinorosis; & insuper in illis, in quibus pœnitentia culpæ gravioris imponitur.

Extravagans VIII.

Visitatio ab ornamentis Ecclesiæ incipienda.

§. 342. In posterum observetur inviolabilis consuetudo nostri Ordinis, nimirum quod Patres Visitatores Generales statim post factam in quolibet Monasterio præsentationem, Tabernaculum, ubi Venerabile & Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Ecclesia servatur, Sanctos Oleos, Reliquias, reliquaque Ecclesiæ & Sacristiæ ornamenta & suppellectilia visitare teneantur: Nec non Patronatus, Cappellanias, memorias, aliaque pia opera in Monasteriis fundata visitent; eorumque rationes & computa diligenter exigant & assumant; Monachosque, circa illorum administrationes negligentes vel delinquentes inventos, rigorose puniant.

Extravagans IX.

Visitatores in temporalibus Monasteri. se non immisceant.

§. 343. Observetur pariter nostri Ordinis praxis, nempe quod Patres Visitatores Generales in Monasteriis habentibus Jurisdictionem temporalem aut spiritualem in Subditos, aut Vassallos Sæculares, in eorum causis seu querelis audiendis nullatenus se im-

miſceant vel intromittant; ſed dumtaxat viſitationi Regulari dictorum Monaſteriorum & Monachorum ſuorum vacent & incumbant; dictaſque querelas ſeu gravamina, ſi quæ ad dictos Viſitatores adducta fuerint, Tribunalibus, ad quæ de jure pertinent, prorſus relinquant.

Extravagans X.

§. 344. Quoad expenſas Viſitatorum Generalium ſervetur praxis & conſuetudo noſtri Ordinis; nempe quod ſingula Monaſteria illam quotam & quantitatem, quam in conſuetudine praxique habent, Viſitatoribus contribuant. Sin vero aliquæ expenſæ extraordinariæ a Viſitatoribus factæ fuerint, puta in longa infirmitate, ſive morte alicujus Jumenti, aliiſve ſimilibus, omnia Monaſteria ſuæ viſitationis ſolvere teneantur juxta diſtributionem, in Capitulo Generali ſequenti ſecundum ſingulorum poſſibilitatem inter illa faciendam.

Extravagans XI.

§. 345. Monentur Viſitatores Generales, quod in Monaſteriis eorum viſitationis tam ad prandium quam ad cœnam, atque ad alios Communitatis actus, quo melius poterunt & eorum officium permittat, accedant: Intra Clauſtra dormiant, ut ſilentii cuſtodiam zelent, & unus ſaltem illorum Matutino interveniat. Curent inſuper, ne extra Monaſteria diſcurrant, niſi ex rationabili cauſa, ut cito viſitatio expediatur; atque, ea completa, in Monaſteriis vel Granciis non ſe detineant, ne gravoſi ipſis Monaſteriis fiant.

CONSTITUTIO LXIX.

De modo Viſitationis ſpecialis.

§. 346. Eſt & alia ſpecies Viſitationis, quæ fit, quando pro neceſſitate aliqua poſt Generale Capitulum emergente, major pars alicujus Monaſterii Conventus, vel aliquis Monachus ejus, quia periculoſum ſibi videtur, aut nimis damnoſum uſque ad Capitulum Generale differre, quod gravat; duos de Ordine, quam ob cauſam eos petat inſinuans, a Patre Generali eidem Monaſterio poſtulat deſtinari. Qui quidem P. Generalis unam, aut duas Ordinis Perſonas idoneas, vel ſi ſibi commodius videatur, Viſitatores Generales per proxime præcedens Capitulum aſſignatos eis deſtinare non differat, ſua, prout expedire viderit, proviſuros ſolicitudine. Et idem poſſit facere dictus Pater Generalis ex ſuo proprio officio, ut viderit neceſſarium ſeu opportunum; etiamſi non petatur a Conventu, ſeu ab aliqua ejus Perſona; ſuper quo dictus Pater Generalis conſcientiam oneramus. Miſſi autem debent eo proficiſci neceſſe, niſi juſta cauſa impediantur, quam eidem Patri Generali notificent, qui alios ad id ipſorum loco aſſignet. Si vero hujuſmodi deſtinati abſque legitima excuſatione, quo jubentur, non iverint, ad ſæpe dicti Patris Generalis arbitrium puniantur. Pari quoque forma per eumdem Patrem Generalem puniri decernimus quoſcumque Priores, vel Monachos, qui ab ipſo pro negotiis, quæ Ordini, aut propriis Monaſteriis taliter vocatorum expedire judicaverit, accerſiti, ſive aliquo ire juſſi, ad ipſum venire, ſeu quo mittuntur ire neglexerint, niſi cauſa legitima, ut præmittitur, excuſentur. Hujuſmodi autem ſpeciales Viſitatores eam poteſtatem habeant, quæ Generalibus Viſitatoribus conceſſa eſt a Capitulo Generali; & eam in negotiis, ob quæ vocati ſunt, irrefragabiliter poterunt exercere: nulla tamen tranſgredientes ex parte formam quam Generalibus Viſitatoribus ſupra deſcripſimus eſſe tenendam. Cæterum ſi Conventus Sancti Bartholomæi, aut aliquis ejus Monachus de ſuo Priore, quando Vicarius Generalis Ordinis exiſtit, juſtam ſe credat habere querelam, poſſit ad ejuſdem Monaſterii Viſitatores eumdem habere recurſum, quem cætera Monaſteria Ordinis poſſunt ad Patrem Generalem habere; In quo caſu Viſitatores prædicti Monaſterii Sancti Bartholomæi, cum per Conventum, aut aliquem Monachum ejuſdem fuerint evocati, venire non differant; & in eo caſu provideant, ſicuti in cæteris ſuæ Viſitationis Domibus in caſu ſimili proviſerent. Quod ſi hujuſmodi Viſitatores facta inquiſitione reperiant (quod abſit) eumdem Priorem Vicarium Generalem Ordinis a Prioratus Officio fore merito abſolvendum, vocent illos, qui per Generale Capitulum fuerunt ad tenendum privatum Capitulum aſſignati, & illi abſolutionem illam facere poterunt, ſi viderint expedire. Rurſus, ſi aliqua Monaſteria noſtri Ordinis inter ſe contingat habere diſcordiam, Monaſterium, quod injuriam patitur, Patri Generali ſignificet, qui deſtinabit ei unum vel duos Diſcretos de Ordine, qui plane & ſine magna juris ſolemnitate diſcordiam terminabunt. Quod ſi aliquis vel aliqui Priorum aut Monachorum diſcordantium fuerint contumaces in non ſervando, quod fuerit diffinitum, ad ipſorum Deſtinatorum arbitrium animadverſione debita caſtigentur.

De Viſitationibus ſpecialibus Monaſt. S. Bartholomæi.

Extravagans unica.

§. 347. Declaramus diſpoſita in hac Conſtitutione §. *Cæterum* comprehendere etiam facultatem Capituli privati ſupra Perſonam Patris Generalis in ſimili caſu.

Facultas Capituli privati ſupra perſonam P. Generalis.

CONSTITUTIO LXX.

De Electionibus, & Confirmationibus.

§. 348. Quandocumque aliquem Prioratum noſtri Ordinis vacare contigerit, omnes Monachos illius Domus, cujus Prioratus vacaverit, conſtitutos in Sacris, qui tunc in ea præſentes extiterint, Vicarius ejuſdem Domus faciat capitulariter congregari, quibus obnixe commendet, quatenus devotiſſime Deum exorent, ut eis juxta ſuæ beneplacitum voluntatis de bono dignetur providere Paſtore. Ad electiones Priorum noſtrorum Perſonæ, quæ de noſtro Ordine non exiſtunt, nequaquam vocentur, & ſi Perſonæ hujuſmodi vacationis tempore in aliqua Domo noſtra, cujus Prioratus eſt vacans, præſentes exiſtant; non debemus cum eis habere conſilium, quas Perſonas, videlicet eligamus. Cæterum electiones fiant omnino infra dies 40. immediate a vacationis tempore computandos. Si qui vero in hoc negligentes vel inobedientes extiterint, legitimo impedimento ceſſante, in primo Generali Capitulo juxta ſuum demeritum punientur. Præterea priuſquam celebretur electio Conventus cujuslibet Domus Regni Caſtellæ, vacationem hujuſmodi, quamcito poterit, Patri Generali notificet, petendo ab eo, ut duas ad vacantem Prioratum Perſonas diſcretas & ſufficientes tranſmittat, quæ ſuæ futuræ electioni præſentes interſint, illique Domui provideant de Priore; quod idem Pater Generalis executare non differat. Quæ quidem Perſonæ poſtquam ad illam Domum acceſſerint, illico Vicarium & Monachos ejuſdem Domus faciant congregari, literas dicti Patris Generalis, quibus poteſtatem ad hujuſmodi electionis, confirmationis negotium exequendum ſibi conceſſit, publice oſtendentes. Quos quidem Vicarium & Monachos ſtatim commoneant, quatenus talem Perſonam de eodem Conventu, aut de Ordine noſtro eligant,

De modo faciendæ electionis Prioris.

Perſonæ, quæ de Ordine non ſunt ad electiones nullo modo vocandæ.

Pro Monaſteriis Caſtellæ duæ perſonæ a Generali mittendæ.

Quod debeat eſſe illarum munus.

gant, quæ sit ætatis legitimæ, honestæ vitæ; ac scientiæ competentis: quique nedum eisdem eligentibus, imo & quibuslibet aliis esse valeat sanctæ conversationis exemplum. Nec ab eadem Domo recedant, donec sit electio facta, & canonice confirmata. Verum si a Domo, cujus est vacans Prioratus, longe distet Electus, & Confirmatores id viderint expedire, poterunt se per dies aliquot absentare; dum tamen tempore opportuno ad confirmandam electionem hujusmodi revertantur. Ex Decreto autem Sac. Congregationis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis Episcoporum & Regularium præpositæ, cum Prioratus Monasterii Sancti Bartholomæi per lapsum triennii speretur vacare, quando Prior ipsius Monasterii vacante Generalatu, munus Vicarii Generalis exercet, tunc Prior existens, si autem alias contingat vacatio, tunc Vicarius ejusdem Monasterii, Assignatis ad privatum Capitulum faciendum, hujusmodi vacationem notificet; eosdemque Assignatos, ut ad providendum eidem Monasterio de futuro Priore veniant, convocare non tardet. Præfati quoque Assignati, sic vocati ad Monasterium prædictum accedant, electioni futuri sæpedicti Prioris, qui munus Vicarii Generalis exercere debet, intersint, & illam confirment vel infirment, sicuti expedire perspexerint; ita quod de eodem Monasterio non discedant, donec ibidem provideant de Priore. Quod si quatuor hujusmodi Assignatorum duo pro confirmatione, alii vero duo pro infirmatione steterint, in paritate suffragiorum Prior electus pro confirmato ipso jure habeatur. Si vero aliquis vel aliqui eorum fuerint impediti, vel rebus humanis exempti, ille vel illi, qui venerint, possit vel possint alios vel alium loco eorum vel ejus eligere. Quod si casu quocumque neminem eorum venire contingat, Prior Villæ deliciosæ, aut eo absente, Vicarius cum sui Monasterii deputatis alios eorum loco possit eligere, & per suas literas convocare. Verum cum Prioratus prædicti Monasterii Sancti Bartholomæi, Generalatu non vacante, quomodolibet vacare contingat, tunc Monasterium prædictum ad Patrem Generalem, ut futuræ electionis Confirmatores designet, prout in cæteris nostri Ordinis Monasteriis disponitur, pari modo recurrat. Cæterum cum Prioratus alicujus Domus nostræ vacaverit, protinus Vicarius & Monachi in Sacris constituti verbo concorditerque assignent certum terminum competentem cum continuatione dierum sequentium ad electionem celebrandam futuri Prioris. Qui terminus sit ita competens, quod absentes, qui vocem habent in electionem, ultra 25. leucas ab ipso Monasterio non distantes citari, & venire commode valeant, considerata Personarum & temporis qualitate. Dictos vero absentes congruo tempore de ipsa vacatione, ac ad celebrandam electionem termini præfixione, Vicarius & alii Electores præsentes per suas literas patentes certificent, atque citent, ut die horaque præfixis cum eis collectari conveniant; Certificantes illos, quod si non venerint, ipsorum absentia non obstante, ac eis ulterius non vocatis, etiamsi ad alium terminum fuerit electio prorogata, præsentes procedent ad electionem; & inde ad omnes actus consecutivos, quousque sit electio canonice confirmata. Habita vero relatione fide digna, qualiter hujusmodi literæ fuerint prædictis absentibus publicatæ & lectæ, dictoque termino transacto, & præsentibus Confirmatoribus supradictis, antequam ad tractandum de ipsa electione procedant, Missa solemnis de Spiritu Sancto conventualiter celebretur; in qua quidem Missa, & dum celebratur ipsa, omnes ac singuli præsentes Monachi Deum humiliter deprecentur, quatenus secundum magnam misericordiam suam sic eos dignetur illuminare, atque taliter concordare, quod talem sibi Pastorem eligant, qui in omnibus teneat viam Dei. Prædicta itaque Missa, ut præmittitur, celebrata & in suo Capitulo vel alio decenti loco universis Monachis constitutis in Sacris capitulariter congregatis, ac præsentibus Confirmatoribus sæpedictis, unus Confirmatorum ante omnia incipiat Psalmum, *Ad te levavi*, quem omnes Monachi ad choros perficiant, cum *Gloria Patri*, *Kyrie eleyson*, *Christe eleyson*, *Pater Noster*; deinde prædictus Confirmator dicat, *Et ne nos*: Monachi, *Sed libera*. ℣. *Salvos fac Servos*. ℟. *Deus meus*. ℣. *Mitte nobis Domine*. ℟. *Et de Sion*. ℣. *Nihil proficiat*. ℟. *Et filius iniquitatis*. ℣. *Domine exaudi*. *Dominus vobiscum*. *Oremus*. *Prætende Domine famulis tuis dexteram cœlestis auxilii: ut te toto corde perquirant; & quæ digne postulant, consequi mereantur, per Christum Dominum Nostrum*. Et illico unus de Confirmatoribus, si sibi placuerit, aut viderit expedire, faciat aliquam exhortationem salubrem, interserendo, quomodo electio fieri potest & debet, ut canonice celebretur, & in ejus celebratione ab Electoribus procedatur. Moxque iidem Confirmatores prædictos Electores hortentur in Domino; & etiam si oportuerit, eisdem auctoritate Capituli Generalis præcipiant, ut secundum Deum talem Personam eligant in Priorem, quæ juxta fragilitatem humanam, vita, scientia, & ætate apud omnes digna & idonea reputetur ad Prioratum hujusmodi gubernandum. Serventque omnino Electores de necessitate unam de formis infra in Constitutione sequenti notatis. Talem etiam Personam de se ipsis, aut de Ordine nostro in Priorem eligant, quæ sit Sacerdos, vel in brevi esse possit, & quæ jam in nostro Ordine per triennium ad minus professus extiterit.

Porro si Electores per viam scrutinii, sive per viam mixtam ex compromisso & scrutinio velint in electione procedere, volumus, quod in inquisitione votorum Confirmatores simul cum Scrutatoribus sint præsentes. Quod si iidem Confirmatores viderint, quod electio non debito modo procedit, possint ei libere contradicere, Electoribusque mandare, ut electione illa omissa aliam canonicam celebrent, sicut debent. Celebrata vero electione canonice, mox ex parte Monachorum coram Confirmatoribus electo, si præsens fuerit, supplicetur, ut electioni prædictæ consentiat. Habito autem in Capitulo ad hoc congregato electi consensu, statim electus ad Chorum Monachis, *Te Deum Laudamus* alternatim cantantibus, solemniter pluviali indutus deducatur, & intronizetur in Sede Prioris. Quod si forsan electus renuat consentire, si quidem Domus ipsius professus extiterit, Confirmatores per aliquem vel aliquos Deputatos, eligentium nomine requisiti, possint, si expedire viderint per obedientiæ præceptum, aut excommunicationis sententiam, aut alia remedia opportuna electum compellere, ut suum præstet electioni consensum: Si tamen electus alterius Monasterii sit Professus, possunt Confirmatores hujusmodi electo consentiendi & transeundi liberam tribuere facultatem, nisi talis electus in Monasterio, ubi residet Pater Generalis, Professus existat vel resideat; quia tunc solus dictus Pater Generalis hujusmodi licentiam dare valet. Porro habito electi consensu, & facta, si electus præsens fuerit, intronizatione prædicta, confestim Confirmatores illis, qui hujusmodi electioni specialiter se opponent, & generaliter aliis quibuscumque, quos ipsum tanget negotium, aut qui sua putaverint interesse, per suas edicti literas

Quid de vacatione Monasterii Sancti Bartholomæi, vacante Generalatu.

In qualibet Prioratuum vacatione terminus ad novam Prioris electionem assignandus.

Absentes vocandi.

Præmittenda ad Capitulum electionis.

Confirmatorum facultates.

Quæ electionem subsequi debeant.

Terminus electioni se opponentibus dandus: & quo pacto.

perſignent peremptorium terminum competentem ad comparendum coram eis, & opponendum, ſi volent, contra electionis formam, aut Perſonas eligentium, vel Electi; monentes eos, quod ſi non comparuerint (ut præfertur) ad examinationem electionis, & confirmationem ſeu infirmationem, procedent, in quantum de jure poterunt & debebunt. Quæ utique literæ in præſentia Monachorum tam in Sacris conſtitutorum, quam etiam Laicorum ejuſdem Monaſterii prælegantur, & nihilominus in præſentia illorum, qui eidem electioni ſpecialiter ſe opponunt: deinde in valvis Eccleſiæ ſeu Clauſtri ex parte ipſius Eccleſiæ affigantur; ibique affixæ permaneant temporis ſpatio, ad Confirmatorum arbitrium moderando. Sane termino taliter aſſignato decurſo, ſi quidem contradictores ſpeciales appareant, ipſos præfati Confirmatores audiant ſimpliciter & de plano, dilationes ſuperfluas repellendo, & malignantium calumniis obviando; & omni caſu, ſive ſpeciales oppoſitores compareant, ſive non, electionis merita diligenter examinent, omni odio, favore, amore inordinato, ſeu quolibet alio juſtitiæ impedimento ſemotis: eamdemque confirment aut infirment, prout ſecundum Deum viderint faciendum. Summa vero cum diligentia Confirmatores attendant, ne electionem inſufficientis Perſonæ ad Prioratum regendum quoquomodo confirment, ſuper quo eorum conſcientias oneramus. Et ſi forte viderint, quod ex culpa ſive negligentia Electorum poteſtas eligendi ad Generale ſit Capitulum devoluta, ſe de confirmando nullatenus intromittant; Sed ipſam devolutionem ſtatim Generali Capitulo vel Patri Generali notificent; in quo caſu Pater Generalis provideat illi Domui de competenti Priore, niſi de proximo immineat tenendum Capitulum Generale, quia tunc Capitulum providebit. Tunc autem ad Capitulum Generale ſeu Patrem Generalem poteſtas devolvitur eligendi, cum Electores aut eligunt ſcienter Indignum, aut infra tres menſes a die vacationis non eligunt. Caveat autem quicumque Confirmatorum; ne aliquo modo directe vel indirecte ad illum ſe procuret eligi Prioratum, cujus electionis confirmator fuerit Deputatus: alioquin talis electio per ſuum Collegam aut Collegas omnino caſſetur, & nihilominus Confirmator ſic electus graviter puniatur. Præter hæc autem Pater Generalis, ſi viderit expedire, poteſt per ſe electiones Priorum noſtri Ordinis confirmando perducere ad effectum, aut eas infirmare, ſicut viderit expedire. Attendat tamen, quod in hujuſmodi Ordinis ſtatuta cuſtodiat. Tandem quicquid de expenſis ſolvendis & damnis reſarciendis, ac donis ſeu beneficiis non petendis, ſupra in Capitulo viſitationis Viſitatoribus deſcripſimus eſſe tenendum, ſuo modo a Confirmatoribus volumus obſervari.

Quid de confirmatione.

Extravagans I.

Ante electionem ſecreta rerum ad elect. ſpectantium informatio a Confirmatoribus accipienda.

§. 349. Ut electiones fiant magis conformes voluntati Divinæ, noſtri Confirmatores ante quamlibet electionem inquiſitionem faciant ſecretam ſubornationum & concordationum, quæ aliquando in caſu electionis intervenire ſolent; ſevereque puniant, quos delinquentes invenerint. Attamen Confirmatores aliorum delictorum, quæ electionem non concernunt, nullam cognitionem & informationem aſſumant. Præterea tam prædictorum Confirmatorum, quam Scrutatorum & Electorum conſcientiæ valde onerantur, ut ſecretiſſime ſe habeant in toto negotio electionis.

Extravagans II.

Prior non diſcedat niſi poſt electionem novi Prioris.

§. 350. Quando aliquis Monachus fuerit aſſumptus in Priorem alterius Monaſterii, in futura vacatione ejuſdem ab illo non diſcedat uſque ad confirmationem novi Prioris, ut iſte poſſit ab illo informari de his, quæ pertinent ad regimen, amboque ſimul uniti cum Deputatis & Depoſitariis tam de novo electis, quam abſolutis, relinquant propria manu ſubſcriptum ſtatum Monaſterii. Poſtea vero dicto Priori abſoluto detur ſocius; omniaque neceſſaria, ut ad ſuum Monaſterium redire poſſit, provideantur; & nimium ſunt reprehendendi, qui non bene tractant Prælatos, poſtquam terminaverint ſuum officium.

Extravagans III.

In electionibus Monaſt. quatuor perſonæ a Generali nominandæ.

§. 351. In electionibus Monaſteriorum nominet Pater Generalis ſaltem quatuor Perſonas Ordinis extra Monaſterium ad effectum faciendi electionem; ſed hujuſmodi nominatio non intelligatur coactiva, ſed tantum directiva.

Extravagans IV.

Pro qualibet elect. decem tantummodo dies inſumendi.

§. 352. Ut citius peragatur electionis negotium, & Monachi diu non diſtrahantur a Religioſa quiete, Sacra approbante Congregatione Epiſcoporum & Regularium negotiis præpoſita, quadraginta dies aſſignati pro electione reſtringantur, & reducti impoſterum cenſeantur ad terminum & numerum præciſum decem dumtaxat dierum a primo, quo fieri ſcrutinia incipiunt, computandorum: in quo termino decem dierum fieri debeat electio. Et ſi per quadraginta ſcrutinia, in dicto termino celebrata, Electores vel major eorum pars non concordaverint, vel electio canonica non ſucceſſerit, ipſo jure devoluta pertineat ad P. Generalem.

Extravagans V.

Requirenda ad hoc ut quis in Priorem eligi poſſit.

§. 353. Nullus Monachus poſſit eligi in Priorem Monaſteriorum noſtri Ordinis, niſi qui viginti annos ab habitus receptione compleverit, & qui præterea ſcientia neceſſaria & ſufficienti ad ſubditorum & Monaſteriorum regimen, & gubernium in utroque foro præditus exiſtat. Eam autem ſufficientem ad id ſcientiam judicari decrevit Sacra Congregatio Epiſcoporum & Regularium negotiis præpoſita, ſi Monachus ad ubique prædicandum a Patre Generali, & ad Confeſſiones audiendas ab Ordinario Diœceſano licentiam jam obtineat.

Extravagans VI.

Qui regularem cum aliis vitam ſequi nequeunt in Priores eligi non poſſint.

§. 354. Monachi, qui propter infirmitates ſive actuales ſive habituales a Matutino media nocte diſpenſationem obtinent: & qui propter eaſdem vitam communem & regularem cum aliis ſequi non poſſunt, in Priores Monaſteriorum nullatenus eligi valeant. Sin vero poſtquam aliquis vel aliqui electi fuerint, diuturna aliqua infirmitate ab exequendis proprii officii muneribus diu impediantur, Prioratum prædictum renuntiare debeant; quod ſi renuerint, a Patre Generali vel a Viſitatoribus Generalibus ad prædictam renunciationem compelli poſſint.

Constitutio LXXI.

De Electionis forma.

§. 355. Forma electionis canonice in antiquis Conſtitutionibus diſerte tradebatur, videlicet: Per inſpirationem, ſcrutinium, compromiſſum, & ſcrutinium cum compromiſſo mixtum. Sedulo autem, & prudenter ab antiquis Patribus in ipſis Conſtitutionibus animadvertebatur, formam electionis per Inſpirationem, ſeu per Spiritum Sanctum, ob noſtra peccata vix aut ne vix quidem abſque periculo nullitatis ſuccedere, providumque conſilium eſſe nunquam ad praxim reducere: Formam Scrutinii ex pluribus ſubſtantialibus, quæ concurrere debent, eſſe plurimum difficilem, ſed neceſſariam, uno Electorum illam volente, quo in caſu alia forma teneri non poteſt: Formam Compromiſſi raro reduci poſſe ad uſum, cum difficiliter omnes & ſinguli Capitulares in ipſa conſentiant: Formam vero Compromiſſi cum Scrutinio mixti, ut cæteris faciliorem & tutiorem aſſumi poſſe utiliter.

Electiones per vota ſecreta faciendæ.

Quoniam vero ex Sacroſancti Concilii Tridentini Decreto diſtricte præcipitur in electione Superiorum, aliorumque Officialium Regularium quorumcumque, quo omnia recte & ſine ulla fraude fiant, per vota ſecreta procedi debere; itaut ſingulorum eligentium nomina nunquam publicentur, quibuſcumque facultatibus in contrarium abrogatis; hinc hujuſmodi Sacri Concilii diſpoſitioni obtemperando, formis eligendi per communem Inſpirationem & per Compromiſſum abſolutum prorſus abrogatis & excluſis in noſtris electionibus, vel forma Scrutinii ſecreti penitus obſervetur, vel, quatenus nemo Electorum contradicat, per formam Compromiſſi cum ſecreto Scrutinio mixto ſaltem procedatur. Ut autem ſecretum adeo a Sacro Concilio injunctum ſtrictius ſervetur, atque omnes & ſinguli Electores, omni humano reſpectu poſtpoſito, ſecundum Deum & ſuam conſcientiam ſua ſuffragia conferant, nullatenus ſinguli explicent verbaliter, licet ſecrete, vota ſua Scrutatoribus & Confirmatoribus electionis; ſed unice, & dumtaxat per ſecretas ſchedulas omnes Capitulares ſuffragentur; aliter vero factæ electiones irritæ & nullius roboris ipſo jure prorſus exiſtant.

Hæc autem vota per ſchedulas ſecretas danda.

Forma in ſcrutiniis ſervanda.

Forma igitur ſecreti Scrutinii cum his requiſitis celebrari debet. Primum: Peractis ad electionem præparatoriis, ſicuti in præcedenti Conſtitutione diſponitur, & in aula Capituli convocatis omnibus Capitularibus, qui vocem in electione habent, per omnes Electores aut eorum partem majorem cum ſchedulis ſecretis certi deputentur Scrutatores votorum, qui, ut magis convenit, ſint tres & de ipſiſmet Electoribus. Secundum: Scrutatores electi Confirmatoribus juncti, & ab aliis ſeparati, in loco opportuno Aulæ Capitularis congregentur; ita quod ab omnibus Electoribus videantur, ſed ab eorum nemine audiantur: & ibidem prius ſua, deinde ſingulorum vota Electorum ſigillatim per ſchedulas ſecretas in Buxulam ſive Urnam ad id paratam mittant, & reſpective recipiant. Tertium: Votum cujuslibet Electoris, ut præmittitur, in ſchedula ſecreta ſcriptum, non ſit conditionatum, nec alternativum, neque incertum; ſed prorſus certum & determinatum de certa Perſona. V. G. -- *Nomino, & eligo N. N. in Priorem hujus Monaſterii N.* -- Caveant vero Electores, ne propria nomina ſubſcribant, vel in eadem ſchedula quocumque modo manifeſta faciant, ne electio ſit nulla. Quartum: Poſtquam vota omnium & ſingulorum Electorum fuerint in Urna recepta, coram omnibus a prædictis Scrutatoribus ſimul cum Confirmatoribus præſentibus numerentur; & quatenus unum vel plura vota comparative ad numerum Electorum deſint vel exuberent, Scrutinium ab ipſis declaretur nullum, & ad aliud juxta formam prædictam procedatur. Quintum: Correſpondentibus votis ad Electorum numerum, ſi duo vel plures fuerint ad Prioratum nominati, fiat collatio a Scrutatoribus ſimul cum Confirmatoribus, numeri dumtaxat ad numerum votorum; & ſi aliquis nominatorum majorem partem votorum reſpective ad totum Capitulum, nempe ad numerum omnium electorum non habuerit, Electio non eſt facta, & ad alterum procedi debet Scrutinium. Si vero aliquis nominatorum vota majoris partis Capituli, ut ſupra reportaverit, Electio eſt perfecta & abſoluta. Sextum: Facta hujuſmodi collatione, niſi manifeſte apparuerit de inſufficientia & inhabilitate nominati a majori parte Capituli, itaut debeat ejus electio infirmari; tunc antiquior tantum Scrutatorum, vel alter, cui a Capitulo data eſt hujuſmodi poteſtas, neceſſario pronunciare debet electionem illius, in quem major pars Capituli conſentit, ſub his vel ſimilibus verbis -- *Ego N. vice & nomine meo, & totius Capituli hic congregati, cum poteſtate mihi a dicto Capitulo data, nomino & eligo N. N. in Priorem hujus Monaſterii N. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: Amen* --. Septimum: Convenit tandem, quod electio in ſcriptis redigatur, ut perpetuis temporibus de ipſa conſtet, hoc modo: *In nomine Domini: Amen. Ego N. N. vice & nomine meo, & totius Capituli hic congregati &c.* ut ſupra. Sedulo igitur advertant Electores, ut in gravi electionis negotio procedant juxta prædictam formam ſecretam in Scrutinio, ne electio ſit nulla.

Forma publicationis electionis.

Conſentientibus autem omnibus Electobus, ut in electione procedatur juxta formam Compromiſſi cum Scrutinio ſecreto mixti; Ita procedendum eſt: Omnes Electores, ſive eorum major pars ſecreto eligant non unam, ſed duas vel tres, ut convenit, Perſonas de Capitulo, in quas electionem compromittunt, dantes illis plenariam poteſtatem recipiendi & ſcrutandi ſigillatim & ſecreto vota eligentium ſingulorum; ita quod illum, in quem major pars Electorum concordaverit, eligere, & electum publicare omnino teneantur. Compromiſſarii igitur in hac forma Electionis loco ſcrutatorum ſunt; & omnia adamuſſim ſervare debent in Scrutinio & Collatione votorum, quæ ſupra præſcripta ſunt de ipſis Scrutatoribus: neque alium eligere, & electum publicare poſſunt, niſi illum, in quem major pars totius Capituli conſenſerit; Quæ quidem electio, & ejus publicatio fieri debet per unum ſolum Compromiſſariorum vel antiquiorem, vel alterum, cui a Sociis Compromiſſariis ſpecialiter hæc ſit data facultas & poteſtas; Convenitque, & debet fieri in ſcriptis hac forma, videlicet -- *Ego N. Compromiſſarius vice & nomine meo, & ſociorum Compromiſſariorum meorum, virtute compromiſſi in me & Socios meos a toto Capitulo facti, & poteſtate mihi a dictis ſociis Compromiſſariis ad id ſpecialiter conceſſæ, nomino & eligo N. N. in Priorem hujus Monaſterii N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: Amen.* Differentia itaque inter formam ſimplicis Scrutinii, & formam Compromiſſi cum Scrutinio mixti, ea exiſtit, quod in Electione per ſimplex Scrutinium electio ipſa a Scrutatore fit voce, & proprio nomine, &

De modo procedendi juxta formam Compromiſſi cum Scrutinio ſecreto mixti.

Forma ſchedulæ.

totius

totius Capituli, juxta formam supra præmissam; In electione vero per Compromissum Scrutinio mixtum electio & publicatio sit nomine proprio, & Compromissariorum tantum, juxta formam immediate expressam.

Extravagans I.

De Secretario, vel Schedulario.

§. 356. In omnibus Electionibus tam Priorum quam aliorum Officiorum electivorum suffragetur per Schedulas secretas, ut disponitur in Constitutione. Secretarius vero, aut Schedularius sit ex Professis ejusdem Monasterii, qui non habent votum; eligaturque vocaliter a Conventu coram Confirmatoribus pro electione Prioris, & pro aliis officiis coram Priore & duobus Antianis, quorum alter sit Vicarius.

Extravagans II.

Quid in suffragiorum æquitate.

§. 357. Si contingat in electione Scrutatorum æqualiter dividi Electorum suffragia in diversas Personas, Confirmatores prædictæ electionis secundum suam conscientiam alterum aut duos eorum, qui pares suffragiis extiterint, Scrutatores eligant & nominent. Sin vero Confirmatores in eligendo aut eligendis hujusmodi inter se non conveniant, sed discordent, Ille vel illi declarentur electi, qui in loco & sessione cæteros Capitulares antecedant. In nullo tamen casu Vicarius Monasterii in Scrutatorem eligi possit.

Vicarius Monast. in Scrutatorem non eligendus.

CONSTITUTIO LXXII.

De pœnis illorum, qui tractant de Electionibus.

De electione Prioris tractantes a voce Capituli suspendendi.

§. 358. Monachi, qui inter se tractaverint de electione futura Prioris, antequam vacet Prioratus Officium, vel post, suspendantur a voce Capituli per Priorem, aut per Vicarium, vacante Prioratu, vel per Confirmatores ejusdem electionis. Si vero non fuerint Ordinis Sacri, injungatur eis, ne deferant tonsuram.

Extravagans I.

Ad quas restitui nequeant nisi post sex menses ab electione.

§. 359. Monachi privati vocibus Capitularibus non restituantur ad voces sex mensibus immediate præcedentibus electionem Priorum.

Extravagans II.

Quas in pœnas incurrere censeantur, qui de cæterorum officiorum tractant electionibus.

§. 360. Indebite tractans de electionibus quorumcumque Officiorum nostri Ordinis, scilicet Vicarii, Procuratoris temporalium, & Capituli Generalis, Deputatorum, aut Depositariorum, in pœnas hujus Constitutionis incurrat, quas omnino exequi Visitatores & Priores curent.

Extravagans III.

In subornationibus tres Testes sufficiant.

§. 361. In materia subornationum sufficiant tres Testes singulares ad privationem vocis, subornanti imponendam.

Extravagans IV.

Contra subornatores pœnæ.

§. 362. Monachus, qui subornaverit pactis vel promissionibus, donis, aut minis, sive alio quocumque modo illicito, publice vel secrete, per se vel per alium, pro Generalis, Definitorum, aut Priorum electionibus, privetur voce activa & passiva, quod est confirmatum per Bullam Apostolicam. Hujusmodi vero privatio per quadriennium durare debeat; quod si delinquens fuerit Prior, statim ipso facto sit privatus voce passiva, sed activa a Prioratu terminato usque ad quadriennium, ut supra.

Extravagans V.

Declaratio hujus Constitutionis, ejusque Extravagantium.

§. 363. Nullus Monachus incurrat in pœnas hujus Constitutionis & Extravagantis, nisi per tractatus illicitos, & a jure prohibitos, electioni Prioris & Officiorum quomodolibet præcedentes, aut per licitos & consultivos habitos ante bimestre immediatum electioni Prioris, & ante biduum præcedens aliorum Officiorum electionem.

CONSTITUTIO LXXIII.

De tempore, quo legi debent nostræ Constitutiones.

Hæ Constitutiones bis in anno legendæ.

§. 364. Legantur omnes hæ nostræ Constitutiones & Ordinationes in singulis nostris Monasteriis in omnium Monachorum præsentia bis in anno, videlicet in mensibus Martii & Septembris. Decima nona autem Constitutio cum undecim statim sequentibus inclusive sex vicibus in anno: Semel videlicet in singulis duobus mensibus prælegantur.

Extravagans I.

Pari modo Extravagantes.

§. 365. Extravagantes legantur bis quolibet anno, quando leguntur Constitutiones. Et nostrum Ordinarium legatur semel quolibet anno in mense Septembris. Prior vero commendet uni Religioso curam zelandi Constitutiones & Extravagantes, ac Ordinarium, & omnia alia stabilita & mandata ab Ordine.

Extravagans II.

Rotulus quoque immediate elapsi Capituli Gen.

§. 366. Imposterum observetur continuata praxis Ordinis nostri, videlicet: ut Rotulus Capituli Generalis immediate elapsi tam communis toti Ordini, quam particularis respective cujuslibet Monasterii, bis in quolibet anno legatur coram omnibus Monachis: nempe infra octavas Natalis, & Resurrectionis Domini.

Hujusmodi Constitutiones confirmantur.

§. 367. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, supradictus Petrus præmissa quo firmius subsistant, ac serventur exactius, Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri plurimum desideret; Nos ejusdem Petri votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes; eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ipsius Petri nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de memoratorum Cardinalium negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præpositorum, qui relationem ejusdem Vincentii Cardinalis a Congregatione dictorum Cardinalium ad hoc negotium examinandum, & opus ejusmodi compilandum, ut præfertur, deputati, sibi factam audiverunt, consilio, Constitutiones ac Leges præinsertas cum illorum Prologo, & in eis disposita & contenta quæcumque, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; ac omnes & singulos juris & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Capituloque Generali novas condendi Leges facultas adimitur.

§. 368. Cæterum Capitulo Generali ejusdem Ordinis, ne Constitutiones ac Leges cum earum Prologo, aliave in ejusmodi compilatione disposita vel contenta, mutare, alterare, corrigere, eisve derogare valeat seu præsumat, harum serie interdicimus; permittentes dumtaxat, quod si, & quando ex usu & observantia comperiantur aliqua ex præmissis in praxim minus conducibilia ad bonum statum dicti Ordinis, vel Reformatione indigere, tunc ille in tertio Capitulo Generali dicti Ordinis, suis loco & tempore celebrando, propouantur, atque cum voto ipsius Capituli Generalis, iterum referantur in prædicta Congregatione Cardinalium pro opportuna provisione obtinenda; sin autem nulla in dicto tertio Capitulo Generali facta fuerit propositio hujusmodi, illa deinceps nullo modo fieri possit; ac interim & donec ab ipsa Congregatione Cardinalium fuerit aliter provisum, omnia & singula in hac compilatione contenta omnino & adamussim serventur.

Literarum præsentium validatio.

§. 369. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere; ac illis, ad quos spectat & pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sedis Apostolicæ Nuntios, aliosve quoslibet quacunque præeminentia & potestate fungentes & functuros, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Mandatum pro executione.

§. 370. Quo circa Venerabili Fratri Archiepiscopo Toletan., & dilectis filiis Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Auditori Generali, & Apostolicæ Sedis prædictæ in Regnis Hispaniarum Nuntio, necnon Officiali ejusdem Archiepiscopi Toletan. nunc & pro tempore existentibus per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel alter eorum per se vel alium seu alios, ubi, & quando opus fuerit, & quoties illorum aliquis aut aliqui pro parte in præmissis interesse habentium, seu alicujus eorum desuper fuerint requisiti, easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque solemniter publicantes, faciant auctoritate nostra ipsas præsentes literas, & in eis contenta hujusmodi ab illis, ad quos spectat & spectabit quovis modo in futurum, in omnibus & per omnia inconcusse & exacte, ut præfertur, observari, & executioni demandari; contradictores quoslibet & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis, servatis processibus, censuras & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii Sæcularis.

Contrariorum derogatio.

§. 371. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Ordinis & Monasteriorum prædictorum, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, & indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§. 372. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 11. Octobris MDCCXXX. Pontificatus nostri anno Primo.

F. Card. Oliverius.

Moderatio quarumdam literarum Benedicti XIII. pro Ordine Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia. XII.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. die 14. Octob. 1730. Pontif. I.

Circumspecta Romani Pontificis providentia, Christifidelium, qui e fluctibus sæculi in portum vitæ Religiosæ confugerunt, quieti & prosperæ directioni jugiter invigilans, ea, quæ certis rationabilibus ex causis a Prædecessoribus suis constituta fuerunt, si qui inde exoriri deprehendit incommodi, interdum moderatur, ac immutat, sicut æquitatis & justitiæ rationi consentaneum esse in Domino arbitratur. Procœmium.

§. 1. Alias siquidem a piæ mem. Benedicto PP. XIII. Prædecessore Nostro emanarunt pro universo Ordine Fratrum Minorum Sancti Francisci, de Observantia nuncupatorum, literæ in simili forma Brevis tenoris, qui sequitur, videlicet -- BENEDICTUS PP. XIII. *Ad perpetuam rei memoriam.* Universalis Ecclesiæ regimini &c. *cætera legere est in Tomo X. hujus editionis, & quidem pag. 236. Constitut. num. V., quæ brevitati consulentes omittenda censuimus.* Bened. XIII. PP. Literæ.

§. 2. Cum autem ex ipso literarum præinsertarum tenore satis superque constet, eumdem Benedictum Prædecessorem nihil aliud per literas hujusmodi, ac in eis disposita, intendisse, quam exactæ Regularis disciplinæ in Ordine prædicto Observantiæ, felicique illius gubernio prospicere; Verum sicut experientia postmodum docuit, non modo exinde, & præsertim in ea parte, in qua dictæ literæ Statutis seu Constitutionibus generalibus pro utraque familia, Cismontana scilicet & Ultramontana ejusdem Ordinis, editis adversantur vel minime consonant, optatus ille & laudabilis finis, quem idem Benedictus Prædecessor sibi proposuerat, nusquam consecutus fuerit; sed majora quam antea prædicto Ordini obvenerint incommoda, atque perturbationes, quod non solum Nobis, qui dum Cardinalatus honore, dictique Ordinis apud hanc Sanctam Sedem Protectoris munere fungebamur, non semel re ipsa perspectum exploratumque fuit, at ipsimet quoque Benedicto Prædecessori causam & occasionem præbuit, literas sic a se conditas quandoque ex parte moderandi, necnon eis derogandi, nonnullisque Fratribus Ordinis prædicti vota perpetua contra expressam earum dispositionem concedendi. Hujusmodi Literæ a Benedicto PP. datæ, ut regulari disciplinæ, ejusque observantiæ provideret.

§. 3. Quamobrem in Capitulo Generali ejusdem Ordinis anno novissime elapso 1729. in Civitate Mediolanen. celebrato post actas memorato Benedicto Prædecessori humiles gratias, quod inter cætera singularis suæ in dictum Ordinem beneficentiæ monumenta, regularem in eo disciplinam per literas suas præinsertas egregie Quem finem sortiri cum non posset, idem Pontifex iis sæpius derogavit. Hinc ex Decr. Capit. Gen. an. 1729. ei supplicatum, ut eadem Literas juxta Ordinis Constitut. servari mandaret.

juvis-

juvisset, prodiit Decretum, quo pro parte præfati Capituli Generalis eidem Benedicto Prædecessori supplicabatur, quatenus enarratas literas juxta dicti Ordinis Constitutiones ab illius Fratribus servari vellet; Quæ tamen instantia obsecutum paulo post ipsius Benedicti Prædecessoris obitum coram illo deferri ac promoveri nequivit.

Quod a Sanctissimo D. N. statuitur.

§. 4. Hinc est, quod Nos Ordinis & Fratrum prædictorum, quos peculiari paternæ charitatis semper complexi fuimus, ac etiam num complectimur affectu, salubri regimini, ac religiosæ tranquillitati, quantum cum Domino possumus, providere cupientes, dictique nuperi Capituli Generalis votis benigne in præmissis annuere volentes, motu, scientia, deliberatione, deque Apostolicæ potestatis plenitudine paribus, præinsertas Benedicti Prædecessoris literas, ac in eis sancita, ordinata, & dispositа quæcumque, ad formam Statutorum seu Constitutionum generalium ejusdem Ordinis quoad utramque illius familiam prædictam servari, harum serie præcipimus & mandamus ac respective moderamus & reducimus.

Præsentium Literarum observantia.

§. 5. Decernentes pariter ipsas præsentes literas semper firmas, validas & efficaces existere, & fore; suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac illis, ad quos spectat & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis præfatæ Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia & potestate fungentes & functuros, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quoad ea, quæ præsentibus adversantur, præinsertis Benedicti Prædecessoris literis, necnon omnibus & singulis, quæ in eis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Earumque transumptis præstanda fides.

§. 6. Volumus quoque, ut harum literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus ex Secretariis Ministri seu Commissarii Generalis dicti Ordinis, aut Notarii publici subscriptis, & sigillo officii ejusdem Ministri seu Commissarii aut Procuratoris Generalis ipsius Ordinis, vel alterius personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio quam extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 14. Octobris 1730. Pontificatus nostri anno Primo.

F. Card. Oliverius.

XIII. Declaratio quod Collegium de Ozzier Fratrum Missionariorum Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia in Regno Sardiniæ remaneat sub jurisdictione Superioris Generalis totius Ordinis &c.

Dat. die 16. Octob. 1730. Pontif. I.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Seminarium hujusmodi a prima sui institutione Ministro Generali Ordinis immediate subjectum.

§. 1. EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Bernardinus a Sanna Presbyter expresse professus Conventus Castri de Ozzier in Provincia Sardiniæ Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, ac ejusdem Conventus in Curia Romana Procurator, quod erecto ante quadraginta annos dicto Conventu in Collegium sive Seminarium Missionum sub immediata subjectione, dispositione, & regimine tunc & pro tempore existentis Ministri Generalis Ordinis præfati cum facultate eligendi Guardianum, & recipiendi Novitios, ac cum Regulis, Constitutionibus, & Ordinationibus ad præscriptum quarumdam literarum fel. record. Innocentii PP. XI. Prædecessoris Nostri incipien. *Catholicæ Ecclesiæ &c.*

Decretum S. Congreg. de Propaganda Fide, singula Seminaria vel Conventus &c. nonnullis exceptis Ministro Provinciali subjiciens.

§. 2. Novissime nempe die 6. Septembris 1728. prodiit a Congregatione tunc existentium S. R. E. Cardinalium, negotiis Propagandæ Fidei propositorum, Decretum subinde a ven. mem. Benedicto PP. XIII. Prædecessore etiam nostro per suas in simili forma Brevis literas confirmatum, per quod exceptis Collegiis seu Seminariis Fratrum Missionariorum hujusmodi tam erectis quam erigendis in Regnis Mexicano & Peruano, aliisque Indiarum Provinciis pro conversione Infidelium, ac demptis duobus in Regno Lusitaniæ existentibus, cætera, quæ in Provinciis Hispaniarum sub dominio Regis Catholici, erecta sunt, reducuntur sub obedientia & regimine Ministrorum Provincialium cum iisdem conditionibus præscriptis in alio Decreto Congregationis tunc quoque existentium ipsius S. R. E. Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præpositorum die 24. Januarii 1727. emanato, & per memoratum Benedictum Prædecessorem etiam approbato, & aliàs, prout in Decreto primodictæ Congregationis Cardinalium, ac Benedicti Prædecessoris literis prædictis, quorum tenores præsentibus pro expressis, & ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Juxta aliud Decretum S. Congr. Episcop. & Regular.

§. 3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, licet dictum Collegium Castri de Ozzier Provinciæ Sardiniæ in istiusmodi Decreto, ac literis comprehensum non videatur, quia ultra quod in Provinciis Hispaniarum sub dominio Regis Catholici situm non reperitur, rationum momenta, quæ causam præbuerunt enarratæ reductioni locum sibi non vindicant in Collegio prædicto, utpote in ejus regimine & gubernio Superiores Ordinis prædicti nullam experti sunt difficultatem, neque ulla inconvenientia enata fuerunt in detrimentum salutaris Instituti, quod illius Fratres profitentur, aut debitæ & promissæ obedientiæ aliquid vel minimum detractum aut imminatum extitit; quinimo cum ingenti regularis observantiæ incremento Collegium ac Fratres præfati uberrimos fructus in Sacris Missionibus quotannis obeundis, vitia extirpando, mores reformando, catechismum & Catholicæ Fidei rudimenta edocendo, peccatores ad pœnitentiam, dissidentes ad pacem & concordiam revocando, pietatem in Deum augendo, non sine magna Christifidelium universi Regni Sardiniæ ædificatione in vineæ Dominicæ cultura protulerunt, prout plures Venerabiles Fratres Episcopi, ac dilecti filii locorum Ordinarii ejusdem Regni contestantur.

Quibus de causis hocce Seminarium in hujusmodi Decretis non comprehendi videatur.

Ejus Fratres de Religione optime meriti.

§. 4. Nihilominus dictus Bernardinus ad omnem dubitationis, ac quæstionis occasionem, quæ suboriri posset, submovendam, Collegium præfatum in primodictæ Congregationis Decreto, ac Benedicti Prædecessoris literis ejusmodi nequaquam comprehendi, sed sub dispositione priorum literarum Innocentii Prædecessoris remanere in omnibus & per omnia, non minus ac Regni Lusitaniæ, & alia Indiarum

Procuratoris preces S. S. porrectæ pro hujusmodi obtinenda declaratione.

Occidentalium Collegia, ſicut præmittitur, excepta, per Nos declarari, & ad majorem cautelam, ac quatenus opus ſit, illud in priſtinum, ac eum, in quo antequam hujuſmodi Decretum, ac literæ Benedicti Prædeceſſoris emanarent, erat, ſtatum reſtitui & reintegrari ſummopere deſideret; quum æqui bonique ratio poſtulet, ea, quæ ab initio provide conſtituta fuerunt, ubi nihil poſtmodum contigerit, quod contrarium ſuadeat, minime immutari; Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportune providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Quod Sanctiſſimus D. N. de conſilio ejuſdem S. Congr. de Propag. Fide indulget; hocce Seminarium ſoli Miniſtro Generali Ordinis ſubjectum declarans.

§. 5. Nos igitur ipſius Bernardini votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere cupientes, eumque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum ejuſdem S. R. E. Cardinalium, prædictis negotiis Propagandæ Fidei præpoſitorum, qui relationem dilecti filii noſtri Nicolai ipſius S. R. E. Cardinalis Spinulæ nuncupati ſibi deſuper factam audiverunt, remque mature perpenderunt, conſilio, præfatum Collegium ſive Seminarium Caſtri de Ozzier ſub juriſdictione, obedientia & regimine Superioris Generalis Ordinis prædicti juxta formam literarum ipſius Innocentii Prædeceſſoris continuandum eſſe, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ſtatuimus & declaramus: ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate primodictæ Congregationis Cardinalium.

Præſentium Literarum obſervantia.

§. 6. Decernentes, eaſdem præſentes literas firmas, validas & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere; ac illis, ad quos ſpectat & pro tempore ſpectabit, pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari; Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis; necnon, quatenus opus ſit, Ordinis, Provinciæ, & Conventus hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis, ac ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 16. Octobris 1730. Pontificatus Noſtri anno Primo.

F. Card. Oliverius.

XIV. Moderno, & pro tempore exiſtentibus Aretinis Epiſcopis, Pallii uſus, & Crucis prælatio perpetuo conceduntur.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Dat. die 16. Octob. 1730. Pontif. I.

Exordium.

INſignes Eccleſias, quas beneficiis amplioribus divina clementia cumulavit, nec temporalis modo honoris titulis, ſed religionis potiſſimum & ſanctitatis ſplendore voluit eminere, par eſt, ut Apoſtolica etiam Romani Pontificis liberalitas ad ſacræ dignitatis incrementum præcipuis favoribus & privilegiis ornet & augeat.

Cauſæ conceſſionis.

§. 1. Cum itaque Ven. Frater Joannes Antonius modernus Epiſcopus Aretinus, noſtræ ſecundum carnem Sororis filius, ex Ordine Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Excalceatorum, ob præclaras ejus virtutes ad Eccleſiæ Aretinæ regimen evocatus, & commiſſæ ſibi Sponſæ merita, prout providum decet ſponſum, promovere cupiens, Nobis expoſuerit, Eccleſiam Aretinam hujuſmodi tam conſpicuis ſacræ antiquitatis, illibatæque Religionis ornamentis, tantaque Diœceſis amplitudine, Cleri Populique & Vaſſallorum frequentia celebrari, ut inter primarias Hetruriæ non immerito numeretur: Eam nimirum Nobis & Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjectam, & fide incorrupta, perpetuoque communionis fœdere conjunctam, Beati Satyri primi ejuſdem Eccleſiæ Aretinæ Antiſtitis, ſucceſſoris ejus Donati, aliorumque ſex Sanctorum Epiſcoporum meritis & virtutibus illuſtrari: Martyres etiam cœlo dediſſe complures, eorumque duo millia & ſexcentos una die fuiſſe pro Chriſto immolatos, quorum Reliquiis etiam nunc Cathedralis, aliæque Eccleſiæ locupletantur: Diœceſim quoque tam late undique patere atque diffundi, ut undecim finitimis Diœceſibus terminetur, ingentique animarum numero frequentari, in Parochias tercentas & ſexaginta diſtributo; Tum, præter Pagos & Vicos ſupra centum, ſinu ſuo complecti Oppida duodecim ſacris Eccleſiis conſpicua, quarum nonnullæ inſignes Collegiatæ ſunt, nitore & cultu præſtantes; idque etiam poſtquam ex ipſius Aretinæ Eccleſiæ Territorio quatuor Diœceſes detractæ, ſive diſmembratæ ſunt, aliæque tres non exigua acceſſione ex ejuſdem Territorii partibus accreverunt: Ad ejuſdem etiam Eccleſiæ ſplendorem dignitatemque pertinere, quod e ſua Diœceſi tres Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, Pium II., Julium III., Marcellum itidem Secundum ad univerſalis Eccleſiæ regimen eduxerit: Inter celebres præterea Aretinos Epiſcopos recenſeri Theobaldum Fratrem Bonifacii, olim Marchionis Tuſciæ Patris Comitiſſæ Matildis, egregie de Romana Eccleſia, ac de Aretina etiam meritæ; in cujus Diœceſi tres peramplas, & ad noſtra uſque tempora ſuperſtites ære ſuo excitavit, opibuſque inſtruxit Eccleſias: Plures itidem magni nominis bo. me. S. R. E. Cardinales, dum vixerunt, Riarium, Ermellinum, Bonuſcium nuncupatos, nec ita multo pridem ex noſtra Gente Nereum Corſinum Patruum noſtrum eidem Eccleſiæ laudabiliter præfuiſſe: Suam denique Diœceſim gemino Sanctuario ob Beatorum Virorum ſeceſſum longe celeberrimo mirifice inſigniri, Montis videlicet Alverniæ, ubi Franciſcus Ordinis Fratrum Minorum inſtitutor ſacris Stigmatibus mira Dei gratia impreſſus eſt, necnon Camaldulenſium, in quo Romualdus aliquandiu vitam eremiticam duxit, & in quo etiam nunc Aretini Epiſcopi ob lata fundia, jam pridem a ſuis Anteceſſoribus liberaliter illi conceſſa, præeminentias & jurapatronatus honorifica ſervant & retinent: Quin etiam in ejuſdem Diœceſis ſinu olim fuiſſe concluſam &

Eccleſiæ Aretinæ antiquitas, ac dignitas.

Diœceſis amplitudo.

Tres Romani Pontifices ei antea præfuere.

Nonnulli ejus Epiſcopi celebriores.

Inter quos Nereus Corſinus Sanctiſſimi D. N. Patruus.

In hac Diœceſi duo Sanctuaria.

Mons Alverniæ primum:

Ac Eremus S. Romualdi Camaldulenſium.

compre-

Aliaque nonnulla.

comprehensam sacram Acconæ Eremum, ubi Beatus Bernardus Ptolomeus fundamenta jecit Congregationis Olivetanæ, cujus Regulam Guido Episcopus Aretinus ex Apostolica facultate probavit, & cui candidum Habitum cum Religionis insignibus impertivit: Ad hæc autem spiritualia ejusdem Ecclesiæ decora accedere non obscuras temporalis juris prærogativas, cum Episcopi Aretini pro tempore existentes Comitatus Cesæ Domini etiam in temporalibus existant; ac olim Romani Imperii Cancellarii fuerint in Tuscia, totiusque amplissimæ Diœcesis temporale etiam dominium habuerint.

Episcoporum etiam in temporalibus prærogativæ.

§. 2. Quapropter memoratus Joannes Antonius Episcopus, tot tantisque Ecclesiæ suæ Aretinæ meritis subnixus, plurimum cupiat, ut a Nobis per Apostolica munera nostra, ut infra elargienda, tanto meritorum hujusmodi decori claritas augeatur, & honor; Nos propterea ad eximias ejusdem Ecclesiæ dotes animum nostrum advertentes, considerantesque, quod Sedes Apostolica æqua munerum suorum dispensatrix nullas Ecclesias, etsi Primatiali vel Patriarchali aut Metropolitico minime decoratas titulo, multiplici tamen singularium prærogativarum cumulo, celebrique suorum, & ex eis nonnullorum, qui pro tempore fuerunt Beatorum Præsulum illustratas Sanctitate, metropoliticis in eorumdem suorum pro tempore existentium Præsulum persona decorare consuevit insignibus; proindeque Divinam gloriam in dicta Ecclesia Aretina amplificare, & Beatorum cultum, quorum ibi sacra Corpora religiosissime asservantur, præsertim præfati Beati Donati, & Gregorii Papæ X. prædecessoris nostri, quos præcipuos habet & colit Ecclesia illa Patronos, augere: necnon ipsius Ven. Fratris Joannis Antonii Episcopi votis obsecundare: eximioque amori, quo antedictus Cardinalis Nereus Patruus Noster Ecclesiam suam Aretinam complectebatur, respondere: & nostri pariter perenne aliquod monumentum extare volentes, ipsumque Joannem Antonium Episcopum a quibusvis &c. censentes, necnon omnia & singula privilegia & indulta Apostolica, seu quavis alia auctoritate eidem Ecclesiæ Aretin., illiusque Præsuli pro tempore existenti, si quæ sint quomodolibet concessæ, præsentibus pro expressis habentes, Motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine eidem Joanni Antonio Episcopo & successoribus ejus Aretin. Episcopis pro tempore existentibus, ut ipsi imposterum perpetuis futuris temporibus Pallio, Insigni videlicet plenitudinis Pontificalis officii, ex eorum parte a Nobis & pro tempore existente Romano Pontifice per eorum proprium nuncium ab eis destinandum cum ea, qua decet instantia, postulando, & de Corpore Beati Petri sumendo, sumptumque per unum & alterum Archiepiscopos, seu Episcopos eis sub forma a Nobis & Romano Pontifice pro tempore existen. assignanda, eodemque Pallio intra dictam Ecclesiam Aretinam diebus a Nobis, ut infra assignandis, uti; necnon Crucem in Diœcesi Aretina ferre ad instar Picinen. & Bambergensis Episcoporum libere & licite possint & valeant, Apostolica auctoritate perpetuo ex gratiæ speciali, quæ minime transeat in exemplum, concedimus, & indulgemus.

Sanctissimus D. N. omnia antiqua Privilegia huic confirmat Ecclesiæ.

Ejusdem Episcopos Pallio insignit. Crucis prælationem quoque concedens.

§. 3. Dies autem, quibus Pallio præfato uti possunt, hi sunt, videlicet: Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, Beatorum Stephani Protomartyris, & Joannis Evangelistæ, Circumcisionis, & Epiphaniæ Domini Festi dies, Dominica Palmarum, Feria quinta majoris Hebdomadæ, Sabbatum Sanctum, Pascha, Feria secunda post Pascha, Ascensio Domini, Pentecostes, ac etiam tria vel quatuor Deiparæ Virginis, Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ, ac omnium Apostolorum, & commemorationis omnium Sanctorum, Dedicationis & Anniversarii Consecrationis, aliaque Ecclesiæ Aretin. præfatæ principalia Festa, dies quoque quibus Clericorum ordinatio habetur.

Assignatio dierum ad hujusmodi Pallii usum.

§. 4. Ut autem signum a Nobis, sicut præfertur, concessum & indultum, non discrepet assignato; sed quod geritur exterius, interius servetur in mente, Joannem Antonium Episcopum & Successores suos Aretinos Episcopos pro tempore existentes præfatos monemus, & hortamur attente, quatenus humilitatem & justitiam dante Domino, qui dat præmia, & munera elargitur, servare studeant, quæ earum servant & promovent servatores; ac eamdem Ecclesiam Aretinam eorum Sponsam curent solicite, authore Domino, spiritualiter & temporaliter augumentare; Et ut concessione & Indulto præfatis pacifice frui valeant, quibusvis Primatibus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, usu Pallii & Crucis prælatione præfatis ex Apostolicæ Sedis benignitate gaudentibus, districtius inhibemus in virtute sanctæ obedientiæ, ne Joannem Antonium, & Successores suos Episcopos Aretin. pro tempore existentes præfatos, quovis modo seu prætextu super præmissis audeant quomodolibet molestare, ac usum Pallii hujusmodi, Crucisque prælationem quoquo modo impedire præsumant. Præsentes quoque nostras literas ullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu, etiam ex eo, quod ad id interesse habentes seu habere prætendentes vocati, & causæ, propter quas eædem præsentes desuper emanaverint, verificatæ non fuerint, notari, in jus vel controversiam, seu aliàs revocari non posse; nec per subreptionem vel obreptionem, aut intentionis nostræ hujusmodi defectum, obtentas præsumi, & ob id viribus carere; minusque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, & aliis contrariis dispositionibus quantumvis generalibus, ac fortissimis clausulis, & decretis irritantibus roboratis, comprehendi; sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & eum, in quo antea quomodolibet erant, statum, etiam sub data per Joannem Antonium Episcopum & Successores suos Aretin. Episcopos pro tempore existentes præfatos eligenda, plenarie restitutas esse; sicque & non aliàs per quoscumque Judices Ordinarios & Delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac præfatæ S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, dictæque Sedis Nuncios, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi ac definiendi forma, judicari & definiri debere; irritum quoque & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, motu simili decernimus & declaramus.

Episcopos ad solicitam Ecclesiæ, Gregisque curam adhortatur.

Hujusmodi literarum validatio etiam quoad observantiam.

§. 5. Quocirca dilectis filiis, nostro & Sedis Apostolicæ Nuncio in Hetruria commoranti, ac Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Auditori generali, motu pari per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi aut unus eorum, per se vel alium seu alios easdem præsentes, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Joannis Antonii Episcopi præfati seu Successorum suorum Episcoporum Aretinorum pro tempore existentium hujusmodi fuerint requisiti, solemniter publicantes, sibique in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant easdem præsentes, & in eis contenta quæcumque, omnibus, quos illæ concernunt, inviolabiliter

labiliter obſervati ; non permittentes eos vel eorum aliquem ſuper uſu, Pallii & Crucis prælatione hujuſmodi quomodolibet moleſtari ; Contradictores quoslibet, & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, legitimiſque, ſuper iis habendis, ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam, ſi opus fuerit, ad hoc auxilio brachii ſæcularis.

Contrariorum derogatio.

Non obſtantibus ſe. re. Bonifacii Papæ VIII. ſimiliter prædeceſſoris Noſtri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas, quis vigore præſentium ad judicium non trahatur : ac aliis Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis : &, quatenus opus ſit, Noſtra & Cancellariæ Apoſtolicæ regula de non tollendo jure quæſito : ac quibuſvis aliis Apoſtolicis, necnon in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis vel edendis, ſpecialibus vel generalibus Conſtitutionibus & Ordinationibus, ac quibuſvis quarumcumque Primatialium, Patriarchalium, Archiepiſcopalium, & Epiſcopalium Indulto, & conceſſione ſimilibus reſpective, ſuffultarum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis in genere vel in ſpecie, etiam Motu proprio & ſcientia ſimilibus, ac aliàs quomodolibet etiam iteratis vicibus conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis ac totis eorum tenoribus ſpecialis, ſpecifica, individua & expreſſa mentio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, acſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Seu ſi aliquibus communiter aut diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

Fides Tranſumptorum.

§. 6. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, ea ubique fides adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Ac Privilegii hujuſce ſervanda dignitas.

§. 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, conceſſionis, indulti, decreti, declarationis, mandati, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire : Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Apoſtolorum ejus Petri & Pauli ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo, ſeptimo Kal. Novembris, Pontificatus Noſtri Anno Primo.

F. Card. Oliverius.

Conceſſio Privilegiorum pro nonnullis ſuis Familiaribus. XV.

Similia Privilegia legenda ſunt, ab Anteceſſoribus quoque Pontificibus ſuis conceſſa Familiaribus.

CLEMENS PAPA XII.

Dat. die 25. Novemb. An. 1730. P. I.

Venerabilibus Fratribus Sinibaldo de Auria Patracen. cubiculi noſtri Præfecto : Carolo Majella Emeſſen. literarum noſtrarum in forma Brevis, quæ ad Principes ſcribuntur, Secretario : ac Franciſco Antonio de Valentibus Theodoſien. Archiepiſcopis, Datario : Nicolao Auguſtino de Abbatibus Oliverio Porphyrien. Secretarii noſtri Præfecto : & Nicolao Albini Leucen. Epiſcopis, Eleemoſynario Secreto : ac dilectis filiis Marcello Paſſari Arianen., Auditori : Paulo Folfi Forolivien., Pincernæ : Gregorio Aurelio Peruſin. Jacobo Leoni Romano, Veſtiario : Dominico Palazzi Mediolanen., Cajetano Lemer Romano, Gaſpari Mecoa Pampilonen., Joſepho Lavizzani Mutinen., Notarum Arcanarum Secretario : Franciſco Landi Placentin. Provinciæ Bononien., Petro Ludovico Jacquet Leodien., Dominico Volpi Baren., Antonio Leprotti Mutinen. Medico Secreto, Cubicularii intimis ſeu ſecretis : & Donato Mariæ Antinori Florentin. Fratri Militi Magnæ Crucis, ac Bajulivo Hoſpitalis Sancti Joannis Hieroſolymitan. : Marchionibus, Alexandro Gregorio Capponi, Forerio Majori : Philippo Aſtalli, & Andreæ Maidalchini Romanis, itidem Cubicularii ſecretis : Franciſco Mariæ Spannochi Senen. Subdatario, Angelo Belli Camerinen., Architriclino : Petro Valerii, Romano, Laurentio Sbatti Sabinen., Cajetano Panicci Ugentin., Franciſco Cajetano Diverſini Romano, Joanni Barba Neapolitan., Thomæ Alexio de Rubeis Neritonen., & Venantio Philippo Pierſanti Camerinen. Cappellanis Secretis : Cajetano Cardoni Romano, & Horatio Antonio Battari Veliternen., Clericis Secretis : & Joſepho Mariæ Cardoni Lucen., Antonio Civile, Carolo Sciampagna, Joanni Giandotti, Petro Pozzi Romanis, & Joanni Orbicciani Lucen. cubiculi noſtri Adjutoribus : necnon Donato Antonio Civitella Beneventan., Magiſtro Domus noſtræ, & Antonio Durani Montisflaſconen. reſpective Civitatum, vel Diœceſum, Clericis ſeu Presbyteris vel Laicis, Palatii noſtri Apoſtolici, Ratiocinatori, familiaribus continuis commenſalibus noſtris : ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Exordium.

CIrcumſpecta Romani Pontificis gratiarum diſpenſatoris providentia devotos & fideles ſuos, illos præſertim, qui grata familiaritatis obſequia jugiter ei impendunt, ac quos ad id aliàs propria virtutum merita commendant, honoris & famæ amplioribus præconiis ac præclaris dignitatum titulis decorare & ornare ; necnon ſpecialis benevolentiæ favoribus ampleƈti ſolet, prout perſonarum qualitatibus conſpicit convenire.

Familiares ſuos nonnullis exornat Privilegiis.

§. 1. Hinc eſt, quod Nos ad grata familiaritatis obſequia, quæ vos, qui etiam continui commenſales noſtri exiſtitis, & quilibet veſtrum nobis hactenus impendiſtis, & adhuc ſolicitis ſtudiis impendere non deſiſtitis ; necnon ad vitæ ac morum honeſtatem, aliaque laudabilia probitatis & virtutum merita, quibus perſonas veſtras etiam familiari experientia juvari percepimus, condignam rationem habentes ; ac propterea eaſdem perſonas veſtras pecu-

liaris

liaris favore gratiæ, ac ſpecialis honoris, & excellentiæ dignitatis titulo ſublimare volentes, voſque & quemlibet veſtrum a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtitis, ad effectum præſentium dumtaxat conſequen. harum ſerie abſolventes & abſolutos fore cenſentes, Motu proprio, non ad veſtram vel alterius pro vobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de mera liberalitate, & certa ſcientia noſtris, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, vos & quemlibet veſtrum reſpective in noſtros, & Sedis Apoſtolicæ Notarios (ſine tamen præjudicio dilectorum filiorum Notariorum de numero participantium) Apoſtolica auctoritate tenore præſentium recipimus, ac Sacri Palatii & Aulæ Lateranen. Comites, necnon Auratæ militiæ Equites, ac nobiles Romanos, & Urbis Romæ, ac Civitatum Avenionen., Bononien., Ferrarien., & Beneventan., omniumque & ſingularum aliarum Civitatum, Terrarum, & Locorum Romanæ Eccleſiæ mediate vel immediate ſubjectorum Cives cum omnibus juribus, juriſdictionibus, prærogativis, & inſignibus debitis & conſuetis creamus & conſtituimus; ac in numerum & conſortium aliorum noſtrorum, & ejuſdem Sedis Notariorum, necnon Palatii & Aulæ hujuſmodi Comitum, Equitum, & Nobilium Romanorum, aliorumque Civium, Civitatum, & Terrarum prædictarum referimus & conſcribimus; Vobiſque, etiamſi habitum & Rochettum Notariorum dictæ Sedis juxta decreta Lateranen. Concilii noviſſime celebrati non deferatis, aut Civitates hujuſmodi non incolueritis, nec unquam in eiſdem Civitatibus domicilium habueritis, ut omnibus & quibuſcumque privilegiis, & facultatibus, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, favoribus, gratiis, & indultis, quibus cæteri omnes Notarii noſtri etiam de numero participantium, ac Comites, Equites & Nobiles, (citra tamen exemptiones a Sacro Concilio Tridentino ſublatas, itaut nedum quoad criminalia, ſed etiam quoad civilia ſubjaceatis Ordinariis, ac citra facultates legitimandi ad gradus promovendi, Notarios ſeu Tabelliones creandi, aliaque hujuſmodi privilegia a Notariis & Comitibus præfatis prætenſa, itaut illis nullibi uti valeatis, ac irritum & inane exiſtat, quidquid ſecus per vos aut quemlibet veſtrum reſpective attentari contigerit) necnon Cives originarii etiam in Dignitatum, Beneficiorum & Officiorum Eccleſiaſticorum & Sæcularium, etiam ex perſonis Romanorum Civium originariorum, vacantium, aſſecutione & exercitio tam in Urbe quam in omnibus & ſingulis Civitatibus prædictis, & alias ubique locorum & gentium, necnon Seſſionum, & Conventuum, utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum; non ſolum ad eorum inſtar, ſed pariformiter & æque principaliter, acſi privilegia, facultates, exemptiones, gratiæ, & indulta hujuſmodi pro vobis emanaſſent, uti, potiri & gaudere, ac in omnibus & ſingulis Apoſtolicis, aliiſque literis, inſtrumentis & ſcripturis publicis & privatis, deinceps nomine veſtro conficiendis, Notarios, Comites, Equites, & Nobiles, ac de nobili genere ex utroque parente procreatos; necnon Romanæ & aliarum Civitatum & Terrarum Cives, prout libuerit, vos inſcribere & illis ſubſcribere valeatis: ac pro veris & non fictis Notariis, Comitibus, Equitibus, & Nobilibus, ac Civibus habeamini; nihilque, qualecumque illud fuerit, cum iis ſubſcriptionibus ſubreptitium vel obreptitium aut invalidum, ſed illud idem efficax in omnibus cenſeatur; necnon honoris cauſa inſignia Gentis noſtræ, ſive integre ſive cum veſtris reſpective compoſita, geſtare poſſitis, prout vobis placuerit, concedimus.

Eos Sedis Apoſt. Notarios,

Lateranen. Comites, ac auratæ Militiæ Equites creat;

Et ad quæcumque Officia, atque Beneficia conſequenda habiles declarat.

§. 2. Et inſuper vos, veſtraque Beneficia & officia Eccleſiaſtica quæcumque, quotcumque & qualiacumque, illorum fructus, res & jura, ubicumque Locorum, Regnorum & Provinciarum, necnon in Urbe, Civitatibus, Terris & locis eidem Romanæ Eccleſiæ mediate vel immediate ſubjectis conſiſtentia, prædia, domos, poſſeſſiones, & bona patrimonialia, aliaque temporalia mobilia & immobilia ac ſe moventia, necnon actiones & jura præſentia & futura cujuſcumque qualitatis, quantitatis & naturæ, ac cujuſvis etiam annui valoris fructus, redditus, & proventus, hujuſmodi ſint vel fuerint, ac etiam quæcumque a vobis vendenda, ac pro veſtris & familiarum veſtrarum uſibus emenda, ab omnibus & quibuſcumque decimis, quartis, & dimidiis partibus, ſubſidiis etiam charitativis, necnon vectigalibus, portoriis, tributis, datiis, pedagiis, collectis, & quocumque alio nomine nuncupatis angariis, perangariis, cæteriſque oneribus & contributionibus tam urbanis quam ruſticis, ordinariis & extraordinariis, realibus, perſonalibus, & mixtis, etiam ratione munitionum, mœnium, & pontium, portarum, & moliturarum, & mercium cujuſcumque generis, tranſitus ſeu paſſus & vecturæ, etiam in aliud Territorium ſeu Provinciam terra, mari & flumine; necnon equorum mortuorum ſtabulationum militum, Inſtitutionis Seminarii Eccleſiaſtici, aut quacumque alia quantumvis gravi & graviſſima cauſa (pro ſubventione contra Infideles dumtaxat excepta) nunc & pro tempore impoſitis; ita quod vos & quilibet veſtrum nihil omnino horum aut aliorum ſimilium ſubire teneamini, nec per Cameræ Apoſtolicæ aut alios Commiſſarios, ſeu vectigalium & tributorum hujuſmodi redemptores, conductores & exactores, quocumque privilegio, exemptione & facultate ſuffultos, alias quam ut præfertur, valeatis coarctari (quamdiu ſervitiis noſtris inſtiteritis dumtaxat) eximimus & liberamus.

Eorum Beneficia a quibuſvis eximit oneribus.

§. 3. Ad hæc vobiſcum & cum quolibet veſtrum reſpective, ut quæcumque duo diſſimilia, vel ſimplicia ſimilia ſub ſingulis tribus tectis quarumcumque trium Cathedralium etiam Metropolitanarum aut aliarum etiam Collegiatarum Eccleſiarum conſiſtentia, etiamſi unum ex illis omnibus cum cura, aut Dignitas etiam major & principalis, Canonicatus, & Præbenda, Perſonatus, adminiſtratio, vel officium fuerit, & ad dignitatem, perſonatum, adminiſtrationem, vel officium hujuſmodi conſueverit quis per electionem aſſumi, eique cura etiam juriſdictionalis immineat animarum, ſi alicui veſtrum alias canonice conferantur, aut quiſque veſtrum eligatur, præſentetur, aut alias aſſumatur ad illa, & inſtituatur in eis, recipere; & dummodo illa omnia (uno excepto) perſonalem reſidentiam non requirant, inſimul quoad vixeritis, retinere, necnon etiam quamdiu Nobis inſervieritis, tantum in Beneficiis Eccleſiaſticis, etiam curatis (non tamen Parochialibus, nec Curatis cura animarum parochianorum) per vos pro tempore reſpective obtentis, etiam de jure, ſtatuto, fundatione, vel privilegio perſonalem reſidentiam requirentibus, etiamſi Dignitates in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, poſt Pontificalem majores, ac Collegiatis Eccleſiis hujuſmodi principales fuerint, perſonaliter reſidere non teneamini; nec per locorum Ordinarios aut Eccleſiarum earumdem Capitula, ſeu quoſvis alios ad reſidendum interim in illis, inviti compelli poſſitis; omneſque & ſingulos nihilominus veſtrorum Beneficiorum obtentorum fructus, redditus, & proventus, durante ſervitio prædicto cum ea integritate

Super Beneficiorum pluralitate diſpenſat:

Ac reſidentia in eis:

(distributionibus quotidianis dumtaxat exceptis) cum qua illos perciperetis, si in eisdem Ecclesiis sive locis personaliter resideretis, percipere, exigere & levare; ac interim vel postmodum, si volueritis, in Romana Curia vel extra eam a quocumque, quem malueritis, Catholico Antistite gratiam & communionem ejusdem Sedis habente, quem duxerit eligendum, ad omnes etiam Sacros & Presbyteratus ordines aliquibus tribus Dominicis vel aliis festivis diebus, etiam extra tempora a jure statuta, proprii Ordinarii, aut cujusvis alterius licentia desuper minime requisita, si alias ad id idonei reperti fueritis, (super quo Antistitis conscientiam oneramus) promoveri, & promoti in illis etiam in Altaris ministerio ministrare; necnon etiamsi Presbyteri fueritis, ac dignitates & officia obtinueritis, leges & jurà civilia etiam publice in Scholis & Universitatibus studiorum generalium ad quinquennium dumtaxat, dummodo trigesimum ætatis annum non excesseritis, audire; & si habiles & sufficientes reperti fueritis, etiam ad Doctoratus gradum in hujusmodi facultate vos promovere facere, ipsaque jura etiam publice docere, atque Judicis, Advocati & Procuratoris officio in causis Ecclesiasticis & Civilibus tantum exercere libere & licite possitis & valeatis, auctoritate, & tenore prædictis de specialis dono gratiæ dispensamus.

Nec non super receptione Ordinum, quoad tempora, & Ordinarium.

Eisdem privilegium eligendi sibi Confessariũ elargitur, cui peramplas S. Sua concedit facultates.

§. 4. Liceat quoque vobis & cuilibet vestrum, aliquem idoneum & approbatum ab Ordinario Presbyterum sæcularem vel cujusvis Ordinis regularem in vestrum eligere confessorem, qui vita cujuslibet vestrum comite vos & quemlibet vestrum a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, & per vos incursis, & quibus vos etiam Apostolica auctoritate illaqueari contigerit, etiamsi absolutio Nobis & successoribus nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus specialiter vel generaliter reservata existat: & quorumcumque votorum, & Ecclesiæ præceptorum transgressionibus: homicidio casuali, manuum violentarum in quasvis personas, etiam Ecclesiasticas (non tamen Episcopos vel alios Superiores Prælatos) de præterito injectionibus, seu consilii vel favoris ad id præstationibus: jejuniorum omissionibus (non tamen recitationis Horarum canonicarum, aliorumque divinorum Officiorum): & denique ab omnibus & quibuscumque aliis vestris peccatis, criminibus, & excessibus, ac delictis quantumcumque gravibus & enormibus, etiam talibus, propter quæ Sedes prædicta merito consulenda foret, videlicet a contentis in literis die Cœnæ Domini publicari consuetis, semel tantum in vita & mortis articulo; in reliquis vero dictæ Sedi quomodocumque reservatis, aliisque quibusvis casibus, semel in anno confessionibus vestris diligenter auditis (sine tamen alicujus præjudicio) auctoritate Apostolica absolvere, & vobis pro commissis pœnitentiam injungere salutarem: necnon vota quæcumque (ultramarino, visitationis liminum Beatorum Petri & Pauli Apostolorum, castitatisque & Religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare valeat.

Pensionum translationẽ ad sum. 300. ducat. ab eis fieri quocumque tempore, ac quibuscumque personis concedit.

§. 5. Vobisque ulterius, & cuicumque vestrum respective, ut quicumque loci Ordinarii vel Canonici Metropolitanarum seu aliarum Cathedralium Ecclesiarum, aut personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, tam in dicta Curia, quam extra eam, ad id per vos respective coram Notario & testibus fide dignis eligendi seu eligendæ, quascumque pensiones annuas vobis super Mensarum Abbatialium seu Capitularium ac Episcopalium & Archiepiscopalium ac quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura & sine cura Sæcularium, & quorumvis Ordinum & Militiarum Regularium, etiam Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, quomodocumque & qualitercumque qualificatorum, fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & distributionibus etiam quotidianis, seu illarum loco fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta vobis nunc & pro tempore assignata & reservata, ac assignanda & reservanda, pro summa videlicet trecentorum ducatorum auri de Camera quoad singulos vestrum, quandocumque alicui vestrum respective placuerit, simul vel successive, in toto vel in parte, etiam in cujuslibet vestrum mortis articulo cassare & extinguere; ac postquam cassatæ & extinctæ fuerint, alias similes pensiones annuas super eisdem fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & distributionibus, & emolumentis, seu illarum loco fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, distributiones, & emolumenta hujusmodi usque ad summam & quantitatem prædictam, uni vel pluribus aliis personis etiam per vos nominandis, etiam quæcumque, quotcumque & qualiacumque Beneficia Ecclesiastica obtinentibus & expectantibus, Clericis, seu Clericali caractere insigniri volentibus, etiam eis, quoad vixerint, seu eorum Procuratoribus, ad id speciale ab eis mandatum habentibus, iisdem modo & forma, quibus vobis assignatæ & reservatæ, seu assignata & concessa fuerint respective, etiam absque consensu easdem pensiones solvere debentium, etiamsi illas vel illa alias cassari & reservari de novo faciendi facultatem non habueritis; ac pensiones, & fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, ac distributiones, & emolumenta hujusmodi etiam pluries cassata & de novo assignata fuerint usque ad summam & quantitatem prædictam, etiam literis Apostolicis super reservationibus & assignationibus hujusmodi non confectis, ac alias cum omnibus & quibuscumque exemptionibus, privilegiis, decretis, clausulis, cautionibus, vinculis, obligationibus, & cautelis, ac etiam censuris, & pœnis in prioribus reservationibus hujusmodi concessis & contentis, necnon cum subrogatione in quibusvis vestris juribus, etiam quoad quasi possessionem exigendi, in qua tunc eritis, integre persolvendas, servata tamen forma Constitutionis fel. rec. Innocentii Papæ XI. Prædecessoris Nostri super translationibus pensionum editæ, reservare, constituere & assignare valeant, auctoritate & tenore prædictis de speciali gratia indulgemus.

Necnon facultatem testandi de fructibus Beneficiorum.

§. 6. Necnon etiam vobis, ut de omnibus & singulis Domibus, Prædiis, Possessionibus, Terris & locis, ac jurisdictionibus, cæterisque bonis mobilibus & immobilibus, quæ tamen non sint Altaris seu Altarium Ecclesiarum vobis commissarum ministerio, seu alicui speciali earumdem Ecclesiarum Divino cultui, seu usui deputata, seque moventibus cujuscumque qualitatis, quantitatis, valoris, speciei, pretii, & conditionis existentibus, ac juribus & actionibus ad vos ratione Ecclesiarum etiam Cathedralium & Metropolitanarum, quibus vos forsan præesse contigerit, necnon Monasteriorum, Prioratuum, Præposiurarum, Dignitatum, & aliorum quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura & sine cura, Sæcularium, & quorumvis Ordinum Regularium, quæ etiam ex quibusvis concessionibus & dispensationibus Apostolicis in Titulum, Commendam, administrationem, ac alias quomodolibet obtinueritis, obtinetis, & obtinebitis; ac fructuum, reddituum, & proventuum Ecclesiasticorum loco pensionum, ipsarumque pensionum annuarum super similibus fructibus, redditibus, & proventibus,

ventibus, vobis reservatorum & assignatorum, ac reservandarum & assignandarum, quos & quas perceperitis, percipitis, & percipietis in futurum: nec non emolumentorum quorumcumcumque Romanæ Curiæ Officiorum, ac aliàs quomodolibet spectantibus & pertinentibus, ac etiam de dictis proventibus, fructibus, redditibus, & pensionibus annuis, necnon vestra & cujuslibet vestrum industria & labore quomodolibet & undecumque, licite tamen acquisitis & acquirendis, ac alias etiam de muneribus & officiis, quæ exercueritis, & vos exercere contigerit, & alias quavis occasione vel causa seu contemplatione ad vos perventis & perventuris, etiamsi in pecunia numerata, & jocalibus, gemmis, aliisque pretiosioribus rebus consistant, tam in dicta Curia quam extra eam ubique locorum, etiam penes Beneficia ipsa existentibus, (quorum omnium qualitates, & veros etiam annuos valores, etiamsi talia forent, quæ generali appellatione bonorum & supellectilium non venirent, sed specialibus indigerent vocabulis, præsentibus, acsi specifice & sigillatim exprimerentur & denominarentur, pro sufficienter expressis ac declaratis haberi volumus) usque ad summam sex millium ducatorum auri de Camera pro unoquoque vestrum, ac etiam de ipsis fructibus, redditibus, & proventibus, & pensionibus debitis & debendis, (servata tamen forma Constitutionum Apostolicarum jam editarum, & si quas deinceps edi contigerit, super fructibus inexactis) etiam cumulative cum quibusvis aliis similibus vel dissimilibus facultatibus habitis & habendis, tam pro decentibus & honestis impensis funebribus, quam etiam pro remuneratione illorum, qui vobis viventibus servierint, etiam ultra servitii meritum, ac in vestrorum consanguineorum & affinium, ac quorumcumque locorum piorum favorem & usum, ac alias pro arbitrio & voluntate vestris & cujuslibet vestrum absolutis, testari, & testamento, codicillis, fideicommissis, legatis, donationibus tam inter vivos quam causa mortis, & aliis quibuscumque modis & titulis, scriptura etiam minus solemni coram duobus vel tribus testibus, aut etiam cedula sola manu vestra scripta vel subscripta, & alias in omnibus & per omnia prout & quomodolibet vobis videbitur, etiam in ipsa Curia & in mortis articulo, etiam nulla facta mentione præsentis, vel aliarum vobis pro tempore concessarum similium facultatum, aut quod in vim illarum testari seu disponere velitis & intendatis, semel atque iterum aut pluries disponere, statuere & ordinare, itaut quidquid statutum, gestum aut ordinatum, seu alias dispositum a vobis fuerit, etiam in vim simplicis distributionis, ac alias omni alio meliori modo valeat, & servari debeat; ipsaque testamenta, codicillos, & dispositiones, ordinationes, legata, & statuta pluries, ac toties quoties vobis videbitur, moderari, limitare, ac etiam in totum revocare, & alia de novo condere, libere & licite valeatis, auctoritate Apostolica earumdem tenore præsentium plenam & liberam concedimus facultatem.

Nonnulla eorum Consanguineorum, vel his deficientibus familiarium favore statuit, si illos ab intestato obire contingat.

§. 7. Et insuper statuimus & ordinamus, vobisque indulgemus, quod si vos ab intestato, & sine ulla, vel cum minus valida bonorum, & rerum, ac fructuum, reddituum, & proventuum prædictorum dispositione in dicta Curia vel extra eam, tam continua quam interpolata inibi cujuslibet vestrum respective mansione, ac etiam extra beneficia vestra, vel alia loca debitæ a vobis residentiæ personalis, etiam nulla subsistente causa, ab humanis decedatis, omnia & singula bona, res, & jura, etiam, ut præfertur, qualificata, necnon spolia cujuscumque quantitatis & valoris existentia, etiam ex prædictis & alias undecumque provenientia, ad Cameram Apostolicam seu in dictis beneficiis successores non pertineant, sed ad hæredes vestri sanguinis integre deveniant; & illis deficientibus, inter familiares vestros arbitrio personæ seu personarum, quas ad id scripto nominaveritis, distribuantur, nisi de alia dispositione vel intentione vestra scriptura etiam minus solemni secus appareret, quam tunc velut efficacem ipsæ personæ, vel alii Judices, seu executores omnino exequi & adimplere, illique se conformare in omnibus & per omnia debeant. Et nihilominus quæcumque hujusmodi testamenta, legata, donationes, dispositiones, & alia, forsan a vobis etiam nulla, vel minus sufficienti facultate suffultis, de hujusmodi bonis, juribus, & actionibus, fructibus, pecuniis, jocalibus, aliisque rebus supradictis, etiam in favorem consanguineorum & affinium prædictorum, & alias quomodolibet facta, cum omnibus inde secutis, ac etiam ea, quæ per vos in futurum fient, ex nunc prout ex tunc, & e contra, pro dicta summa sex millium ducatorum approbamus & confirmamus, omnesque & singulos juris & facti, ac solemnitatum omissarum & omittendarum, necnon substantiales, aliosque defectus quoscumque, si qui intervenerint aut intervenerunt in eisdem, etiamsi tales sint vel fuerint, quod specialis, specifica & expressa de illis mentio præsentibus habenda esset, supplemus. Districtius inhibentes quibusvis Archiepiscopis, Episcopis, aut aliis Ecclesiarum Prælatis, necnon Cameræ prædictæ Præsidentibus Clericis: ac eorum, necnon Fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, ac Cruciatæ Sanctæ, & aliis Collectoribus & Subcollectoribus, cæterisque cujuscumque dignitatis, status, gradus, & conditionis existentibus, etiam quavis auctoritate & potestate fungentibus, sub excommunicationis majoris, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, ne Universitates, Collegia, ac loca, & legatarios, hæredes, & personas, necnon testamentorum, voluntatum, & ordinationum hujusmodi executores prædictos directe vel indirecte quovis quæsito colore vel ingenio molestare audeant quoquomodo, vel perturbare.

Extensio concessionis hujusmodi ad peculiares casus.

§. 8. Ac decernentes, prædicta omnia & singula, præsentesque literas, & testamenta, donationes, codicillos, fideicommissa, legata, ordinationes, derogationes, dispositiones, & alia quæcumque, necnon quæ in præmissis facta sunt, aut fieri contigerit tam vigore præsentis quam etiam aliarum concessionum vobis factarum, & deinceps in genere & in specie faciendarum cum inde secutis & secuturis, etiamsi vos intra Curiam, aut in quacumque alia Mundi parte extra Ecclesias & Beneficia, personalem residentiam requirentia, qualitercumque qualificata, per vos nunc & pro tempore obtenta, etiam pro vestra sola voluntate, & nulla subsistente causa non residendi, ab humanis decedere contigerit, sub literis re. me. Pii Papæ IV. prædecessoris pariter nostri contra quoscumque Episcopos, Archiepiscopos, & alios Prælatos, necnon Parochialium Ecclesiarum Rectores, cæterosque residentiæ personali prædictæ adstrictos, extra illam quomodocumque decedentes, septimo Kal. Decembris, Pontificatus sui anno Quinto, aut alio veriori tempore emanatis, & sub quibuscumque aliis Constitutionibus, aut revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, decretis, declarationibus Apostolicis, Cancellariæ Apostolicæ Regulis, ex quibuscumque causis quantumcumque maximis urgentibus, & inexcogitabilibus, etiam in favorem Fidei, & Divini cultus augumentum, ac consistorialiter, etiam a Nobis, & Sede prædicta hactenus, vel nunc, & pro tempore factis & editis, minime comprehendi; sed semper ab illis excepta, & quoties emanata fuerint,

toties

toties in priſtinum & validiſſimum ſtatum, & etiam ſub poſteriora data, etiam cum derogationibus & clauſulis etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibuſque, & aliis decretis, per vos eligenda apponendis, & latiſſimæ ſpecificandis repoſita, reſtituta, & plenarie reintegrata, ac de novo conceſſa, validaque & efficacia fore; necnon perpetua firmitate ſubſiſtere, ſuoſque plenarios & omnes effectus, quos de jure, ſtylo, conſuetudine, aut aliàs quomodocumque ſortiri poterunt, ac vim veri legitimi jurati ſtipulati validi & efficacis contractus inter vos ex una, & ac Nos & Cameram prædictam ex altera, partibus habere; nec etiam per promotionem ad Eccleſiam Cathedralem etiam Metropolitanam, aut translationem, vel aliam ſtatus & perſonæ veſtræ mutationem ceſſare, nec per ſimiles vel diſſimiles gratias vobis conceſſas & concedendas confundi, ſed ipſis cumulative in omnibus & per omnia, & ſi quid in una ex facultatibus hujuſmodi defecerit, per aliam ſuppleri debere, nec hæredes, legatarios, ac loca, ad quos ſeu quæ bona, jura, & actiones hujuſmodi devenerint, vel quibus relinquentur, aut executores prædictos ad tertiam ſeu aliam eorum partem, quam etiam ex nunc vobis, ac locis, hæredibus, legatariis, ac donatariis prædictis liberaliter concedimus & donamus, Cameræ, vel Fabricæ, aut Beneficiis prædictis, etiam pro expeditione contra infideles, & quibuſvis aliis quantumlibet piis uſibus ſolvendum, ac cum iis deſuper componendam, vel vos ad aliam particularem licentiam, ſive indultum, aut confirmationem præſentium a Nobis vel Succeſſoribus noſtris Romanis Pontificibus petendum aut impetrandum, vel etiam in alia ſimili gratia, ſeu confirmatione illius vobis quomodocumque concedenda, de præſenti mentionem aliquam faciendam ullatenus teneri, nec ad id ulla unquam neceſſitate cogi poſſe; & ſic in præmiſſis omnibus & ſingulis per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & ejuſdem S. R. E. Cardinales, necnon pro tempore exiſtentes dictæ Cameræ Camerarium, Præſidentes & Clericos, in quavis cauſa & inſtantia, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Deputat ſpeciales Literarum harum Exequutores.

§. 9. Quo circa Ven. Fratribus noſtris Oſtien., & Portuen. Cardinalibus Epiſcopis, & dilecto filio Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori per Apoſtolica ſcripta mandamus motu ſimili, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum, per ſe vel alium ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte veſtra deſuper fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, vobiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra eaſdem præſentes literas & in eis contenta hujuſmodi firmiter obſervari, ac vos illis omnibus pacifice frui & gaudere; non permittentes, vos per quoſcumque quavis auctoritate fulgentes contra earumdem præſentium tenorem quomodolibet indebite moleſtari, inquietari vel perturbari: Contradictores quoslibet & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac legitimis ſuper his haben. ſervatis proceſſibus, cenſuras & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggravan. invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii Sæcularis.

Contrariis quibuſcumque ſpecialiter derogans.

§. 10. Non obſtantibus præmiſſis, ac piæ me. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris etiam noſtri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium in judicium non trahatur: necnon Lateranen. Concilii noviſſime celebrati de certo Notariorum numero, etiamſi ad illum nondum deventum fuerit, cui per hoc aliàs derogare non intendimus: ac de conſenſu præſtando in penſionibus, & quibuſvis aliis etiam per Nos, & Sedem prædictam editis, & impoſterum edendis Cancellariæ Apoſtolicæ Regulis, ac ſtylo in ſimilibus hactenus obſervato: ac re. me. Alexandri Papæ VI. pariter prædeceſſoris noſtri, tertiam partem bonorum Eccleſiaſticorum Cameræ prædictæ deberi inter alia diſponente; necnon ejuſdem Bonifacii Papæ VIII. per quam conceſſiones, fructus in abſentia præcipiendi ſine præfinitione temporis, fieri prohibentur: ac Pii Papæ IV. prædeceſſoris etiam noſtri de gratiis qualecumque intereſſe Cameræ Apoſtolicæ concernentibus in dicta Camera intra certum tunc expreſſum tempus præſentandis & regiſtrandis; ita quod præſentes in eadem Camera nullo unquam tempore regiſtrari facere teneamini: ac ſimilis re. Urbani Papæ VIII. pariter prædeceſſoris noſtri de penſionibus aliàs translatis iterum non transferendis: ac quorumvis aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, & quibuſvis aliis Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus; necnon legibus etiam Imperialibus, & municipalibus tam Urbis quam aliarum Civitatum & Locorum, quibus Cives originarii creati exiſtitis, & quarumvis Eccleſiarum, Monaſteriorum, Ordinum, & Hoſpitalis prædictorum; necnon quorumvis Collegiorum, & Officiorum dictæ Curiæ, & Regnorum Provinciarum, & Urbis, ac aliarum Civitatum & locorum, ac Cameræ prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ſtabilimentis, uſibus, & naturis; etiamſi de illis ſervandis, & non impetrandis literis Apoſtolicis contra ea, nec etiam ab alio, vel ab aliis impetratis, aut aliàs quomodolibet conceſſis utendo, vos per vos vel procuratores veſtros præſtiteritis forſan hactenus, vel vos impoſterum præſtare contigerit juramentum; privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis, dictis Eccleſiis, Monaſteriis, Ordinibus, & Hoſpitalibus, illorumque Præſulibus, ſeu Adminiſtratoribus, & Superioribus, ac Magiſtris, Præceptoribus, Prioribus, Militibus, etiam Antianis, Capitulis, Conventibus, Civitatibus, & locis, aliiſque prædictis; ac illorum Communitatibus, & Univerſitatibus, aliiſque perſonis etiam particularibus; necnon Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & aliis Ordinariis, etiam eiſdem Cardinalibus, ac dictæ Curiæ Officialibus, illorumque Collegiis, ac etiam decimarum, pedagiorum, gabellarum, & onerum Exactoribus, & Appaltatoribus, & aliorum onerum Redemptoribus, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis, per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores Noſtros, ac etiam Nos & Sedem prædictam, etiam conſiſtorialiter, ac de eorumdem Cardinalium conſilio, etiam per modum Statuti & Conſtitutionis perpetuorum, ac motu & ſcientia ſimilibus, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, vel ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, Marchionum, & aliorum Principum inſtantiam, ſeu illorum contemplatione in genere vel in ſpecie, ac aliàs quomodolibet etiam iteratis vicibus conceſſis; etiamſi in eis ac ſtatutis & ſtabilimentis prædictis caveatur expreſſe

vel

vel tacite, quod Urbis niſi originariis Civibus Romanis, ac Civium eorumdem filiis conferantur; quodque nonnullarum Eccleſiarum Beneficia niſi per perſonas illuſtres vel nobiles, ac etiam originarios Cives, aut alias certo modo in illis expreſſo qualificatos, obtineri non poſſint; & nulli in Cives Urbis, ac Civitatum, Oppidorum, Terrarum, & Locorum hujuſmodi admitti, ſeu illorum privilegiis uti poſſint, niſi prius in dictis Civitatibus, Oppidis, Terris, & Locis per certum tempus habitaverint, ſeu etiam in illis bona etiam ſtabilia forſan ad certum valorem aſcendentia poſſederint, quodque Præceptoriæ, & alia Beneficia quæcumque dicti Hoſpitalis tam ex ejus inſtitutione, quam ex ſtabilimentorum prædictorum diſpoſitione, penſionibus, Clericis Sæcularibus, & aliis perſonis, etiam Apoſtolica auctoritate reſervandis, gravari non poſſint; quodque ſtabilimentis & privilegiis prædictis etiam vigore implicitæ derogationis latiſſime extendendæ, etiam per quaſcumque literas Apoſtolicas, & quaſvis etiam derogatoriarum derogatoriis efficaciores & inſolitas clauſulas derogari non poſſit, nec derogatum cenſeatur, niſi derogatio hujuſmodi de conſilio Cardinalium eorumdem fiat, & tum demum Magiſtri & Conventus prædictorum ad id accedat aſſenſus, ſintque literæ derogationis hujuſmodi etiam per dictum Magiſtrum ſubſcriptæ, ac illi & præfato Conventui per diverſas in forma Brevis, aut alias literas diverſis temporibus cum certis intervallis præſentatas intimatæ, & non alias, necnon alio modo, & ſemper in omnibus, quæ ſic fient, etiam de ſimili conſilio, derogationibus ſit appoſita clauſula, quod illarum effectum ſortiantur de conſenſu Magiſtri & Conventus prædictorum, & non alias, nec alio modo; quodque ipſi Exactores & Appaltatores decimas, pedagia, & onera hujuſmodi etiam ab exemptis exigere, & illos ad ſolutionem ſeu contributionem cogere & compellere poſſint ſeu debeant. Quibus omnibus illorum omnium tenores, acſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat in genere & in ſpecie ad effectum præſentium ſufficienter & expreſſe derogamus, & derogatum eſſe decernimus; Quodque vos primam non feceritis in Eccleſiis hujuſmodi perſonalem reſidentiam conſuetam, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

De Fidei profeſſione, & Fidelitatis juramento per eoſdem emittendis Familiares ante creationem in Sedis Ap. Notarios.

§. 11. Volumus autem, quod antequam gratia creationis in noſtros, & Sedis Apoſtolicæ Notarios vobis, ut ſupra facta, perfrui valeatis, in manibus alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ profeſſionem Fidei juxta articulos, pridem a Sede prædicta propoſitos, expreſſe emittere, & ſolitum fidelitatis juramentum præſtare omnino teneamini.

Fides Tranſumptorum &c.

§. 12. Quodque præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique adhibeatur in judicio & extra, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Cæterum volumus pariter, atque decernimus, ut illis ex vobis, quibus ſimiles teſtandi de bonis, ac penſiones transferendi facultates a Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, quorum reſpective etiam familiares continui commenſales erant, conceſſæ fuerunt præſentes literæ quoad facultates teſtandi de bonis, & transferendi penſiones hujuſmodi minime ſuffragentur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 25. Novembris 1730. Pontificatus noſtri Anno Primo.

F. Cardinalis Oliverius.

Creatio XXV. Puerorum honorariorum in Comites Palatinos, & Auratæ Militiæ Equites occaſione ſolemnis equitationis a Vaticano ad Lateranum &c. XVI.

Dilecto Filio Equiti Gaſpari Patti.

CLEMENS PAPA XII.

Dat. die 4. Dec. 1730. Pontif. I.

Exordium.

Dilecte fili ſalutem &c. Ex Romani Pontificis beneficentia provenire dignum eſt, ut qui erga illum devotionis & obſequii ſigna demonſtrant, iidem ab ipſo Romano Pontifice honoribus & gratiis decorentur.

Creatio hujuſmodi ex d. cauſa.

Cum itaque nuper in ſolemni equitatione, qua Nos inſigni S. R. E. Cardinalium, Antiſtitum, Procerum, ac Officialium, Ordinumque Romanæ Curiæ comitatu, pompa celebri, & multorum Adoleſcentulorum nobilium ſeu puerorum honorariorium ad latus noſtrum adſtantium corona ſtipati, lectica e Palatio noſtro Vaticano ad Eccleſiam Sancti Joannis Lateranen., ut moris eſt, proceſſimus, Tu unus ex Adoleſcentulis ſeu Pueris honorariis hujuſmodi extiteris: Nos propterea, ut aliquod paterni noſtri affectus in familia tua extet munimentum, te peculiari benevolentiæ noſtræ favore proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutum fore cenſentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia ac mera liberalitate noſtris, te Auratæ militiæ Equitem, ac Aulæ Lateranen. & Palatii Apoſtolici Comitem, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium facimus & creamus, teque aliorum Equitum & Comitum hujuſmodi numero & conſortio favorabiliter aggregamus, tibique ut Torquem aureum, ac enſem, & aurata calcaria geſtare, necnon omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis & indultis, exemptionibus & prærogativis, quibus alii Equites & Comites hujuſmodi de jure uſu & conſuetudine, aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui & gaudere poſſunt & poterunt quomodolibet in futurum, pari modo (citra tamen exemptiones a Sacro Concilio Tridentino ſublatas) uti, frui & gaudere libere & licite valeas, earumdem tenore præſentium concedimus & indulgemus.

Cum collatione Privilegiorum, quibus cæteri Palatini Comites fruuntur.

Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

In contrarium non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 4. Decembris 1730. Pontificatus noſtri anno Primo.

Similis pro ſingulis aliis Pueris honorariis juxta notulam inferius poſitam. Dat. ut in præcedenti.

F. Card. Oliverius.

Nominati dall' Eminentiſſimo Camerlengo.

Sig. Cavalier Gaſparo Patti.
Sig. Conte Ceſare Panimolla.
Sig. Baron Giovanni Puget.
Sig. Marcheſe Adriano Canale.
Sig. Criſtoforo Fonſeca.

Nomina xxv. Puerorum.

Dall' Eccellentiſſimo Primo Conſervatore.

Sig. Marcheſe Innocenzo del Bufalo.
Sig. Marcheſe Nicola del Bufalo.
Sig. Marcheſe Curſio Muti.
Sig. Marcheſe Mario Muti.
Sig. Conte Aleſſandro Orſini.

Dall' Eccellentiſſimo Secondo Conſervatore.

Sig. Conte Ceſare Alfani.
Sig. Franceſco della Vetere.
Sig. Aleſſandro Bonechi.
Sig. Conte Aleſſandro Ferretti.
Sig. Marcheſe Giuſeppe Nunez.

Dall' Eccellentiſſimo Terzo Conſervatore.

Sig. Marcheſe Giuſeppe Maccarani.
Sig. Marcheſe Nicolo Giugni.
Sig. Cavalier Silvio Vicentini.
Sig. Giovanni Carlo Cittadini.
Sig. Marcheſe Emerico Bolognini.

Dal Signore Priore de Caporioni.

Sig. Baron Pompeo Scarlatti.
Sig. Antonio Amadei.
Sig. Conte Franceſco Mei.
Sig. Angelo Fagnani.
Sig. Gaetano Corettini.

XVII. Leges publicæ Scientiarum Academiæ Cervariæ, in Catalonia a Philippo V. Rege Catholico inſtitutæ, auctoritate Apoſtolica confirmantur, conceſſis Academiæ hujuſmodi nonnullis Privilegiis.

Dat. die 4. Dec. 1730. Pontif. I.

CLEMENS PAPA XII.

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Studiorum Univerſitates quantum Religioni ſtabiliendæ, propagandæ, & vindicandæ conferant.

IMperſcrutabilis Divinorum Judiciorum altitudo ſtatim atque humilitatem noſtram ad ſublime Apoſtolicæ Dignitatis culmen, nullo licet meritorum noſtrorum ſuffragio evexit, inter multiplices, & quæ nobis occurrerunt Apoſtolatus Univerſi curas ad propagandas confovendaſque ſtudiorum generalium Univerſitates, per quas ſpiritualibus Evangelicæ Diſciplinæ armis inviſibiles militantis Eccleſiæ hoſtes triumphali certamine profligantur, peculiari ſolicitudinis ſtudio mentis noſtræ aciem jure optimo convertimus. Hinc ubi operoſa Chriſtianorum Principum, præſertim chariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi V. Hiſpaniarum Regis Catholici, divinam rem in eorum Regnis non ſolum valido temporalium armorum, verum etiam cæleſti Sacrarum literarum clypeo tueri ſatagentium, Religio, ſi quas Univerſitates hujuſmodi ab eorumdem Principum locupleti manu, ad majorem Dei gloriam, eorum Regiæ largitatis laudem, & Populorum ſuorum ornamentum noviter erectas, & approbationis aliiſque Apoſtolicæ noſtræ liberalitatis inſignibus nobis exhibet decorandas, hilari paterni noſtri amoris amplexu eas excipimus, & illuſtria erigentium chariſmata laudantes, eaque æmulantes in Domino æquo animo, & provida manu omnia deſuper impartimur, quæ felici ipſarum Univerſitatum ſucceſſui, & perenni ſuorum fundatorum monumento conſpicimus in eadem Domino ſalubriter expedire.

Academia Cervariæ a Sereniſſ. Philippo V. Hiſpan. Rege erecta, privilegiis munita, ac ſalubberrimis firmata ſtatutis.

§. 1. Cum itaque, ſicut accepimus, chariſſimus in Chriſto filius noſter Philippus hoc nomine V. Hiſpaniarum Rex Catholicus, cupiens, prout vere Catholicum decet Regem, ut in ſingulis Regnis & Principatibus Regiæ ſuæ Ditioni ſubjectis, non ſolum temporalis, verum etiam ſpiritualis res, ad Divini nominis gloriam, & eccleſiaſticæ diſciplinæ augmentum efflorescat in dies; & attendens quantum ad id utilitatis afferre ſoleant approbatæ ſtudiorum generalium Univerſitates, unam ſtudii generalis hujuſmodi Univerſitatem in conſpicuo, & ſibi pergrato oppido Civitate nuncupato CERVARIÆ Celſonen. Diœceſ., quod nobiliſſima amenitate cœli, & ſoli ubertate ſupra collem, qui cognomine fluvio alluitur, ad umbilicum fere Provinciæ Catalauniæ poſitum exiſtit, maximis quibuſque non diſparem, & inter omnes Univerſitates hujuſmodi Europæ in ejus ædificii magnitudine æmulam pro adoleſcentibus, præſertim ex Principatu Catalauniæ oriundis, & ad eam pro inibi juris Canonici, Theologiæ, aliarumque eccleſiaſticarum ſcientiarum, & ingenuarum artium ſtudiis incumbere cupientibus, cum congruo Lectorum, Magiſtrorum, Præceptorum & Doctorum, Jus ac Theologiam, necnon ſcientias & artes præfatas legentium & docentium, illuc introductorum, Bidellorum, aliorumque Miniſtrorum eidem Univerſitati inſervientium numero, propriis regiis ejuſdem Philippi Regis ſumptibus erexerit & fundaverit; eamque ſic erectam & fundatam pro illius, necnon Juvenum, ac Lectorum, Magiſtrorum, Præceptorum, Doctorum, Bidellorum, aliorumque Miniſtrorum inibi inſervientium præfatorum congrua manutentione & ſuſtentatione redditibus Regiis dotaverit, ac etiam ditare voluerit, variiſque privilegiis, immunitatibus, gratiis, & exemptionibus ex ejus Regia liberalitate perpetuo donaverit, & ad ejuſdem Univerſitatis a præfato Philippo Rege, ut præfertur erectæ, fundatæ & dotatæ, illiuſque perſonarum, rerum, & Bonorum Spiritualium & temporalium curam, regimen, & adminiſtrationem, ac Juvenum præfatorum pro tempore recipiendorum & admittendorum receptionem, admiſſionem, victum, amictum, inſtructionem, diſciplinam, ſtudiorum directionem, aliaque ad providum ejuſdem Univerſitatis a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectæ & fundatæ, gubernium ſpectantia quomodolibet & pertinentia, infraſcripta Statuta deſuper edi curaverit tenoris ſequentis, videlicet.

Conſtitutiones Academiæ Cervarienſis.

TITULUS PRIMUS.

De Audientia Scholaſtici.

§. 2. Ut Academia Cervarienſis diſciplinarum omnium laude floreſcat, & diligentius exculta, nova ſemper pietatis ac literarum incrementa ſuſcipiat; neve, quaſi anarchiæ genus, turbulenter feratur; ſed certo & in perpetuum valituro jure gubernetur, Scholaſticus ſive Cancellarius, qui univerſam Academiæ Præfecturam obtinet, tanquam Pater præ omnibus ſolertius invigilet, ut Univerſitatis hujus Statuta & Sanctiones, quorum tutela ejus fidei & ſolicitudini concredita eſt, & ſuper quæ conſcientia ejus graviter oneratur, omnino tam a Doctoribus quam a Diſcipulis accurate ſerventur. Interim ſedulo etiam provideat & curam gerat, ut Scholares ſinguli vita & moribus ſpecimen virtutis & probitatis exhibeant; & ſtudio, quo par eſt, in literarias exercitationes incumbant, ac ſi quos deſides & flagitioſos, ſive ludo aut luxui deditos, & aliorum impietate & bonis artibus progreſſui officientes compererit, auctoritate ſua opportune in eos animadvertere non deſiſtat: Contra quos, ſi ſic oportere cenſuerit, ſummarie & de plano procedet.

De Vicario Scholaſtici ejuſque officio.

Poterit vero Scholaſticus ſive Cancellarius idoneum ſuæ juriſdictionis Vicarium conſtituere, qui Clericus quidem ſit, non tamen conjugatus, qui nec in Academia Cathedram obtineat,

nec

nec a Civitate Cervariæ sit oriundus, aut ibidem antea per juge decennium commoratus (quod tamen in Vice-Scholastico deputando non tenebitur observare) quique pro Tribunali jus cuique reddat, & causas tam civiles quam criminales attente discutiat. Præterea una cum Apparitoribus & Bidellis scholas crebro circumeat: Scholares suis etiam in hospitiis, modo ne Professorum convictores sint aut commensales, diu noctuque cum oportuerit invisat: Cui mox ingressuro inquilini domorum januas adaperire debeant: Qui otiosos insuper & male feriatos per plateas & compita intempestive oberrantes cogat in ædes proprias se recipere, ut ubique pacate utiliter & honeste Academicorum vita transigatur.

De modo procedendi in causis civilibus Scholarium.

In causis civilibus Scholarium summarie procedatur; In iis præcipue, quæ modicam summam non excedunt, videlicet mille regalium. Cum vero res ea fuerit, quæ plenariam cognitionem desideret, ut litigantium commodo laborum & impensarum ratio habeatur, quam brevius fieri potest examinanda & definienda erit. Regula autem & norma judicialiter procedendi sit juxta Audientiam Ecclesiasticam Illerdensem.

Ne quid Academia detrimenti capiat, Curia Sæcularis, ab Scholastico ejusve Judice requisita, opem & auxilium, dummodo pro exercenda sive tuenda jurisdictione desideraverint, ipsis impertiri debeat, expensis tamen Academiæ, si ob id ab Urbe longius proficisci contigerit.

De causis criminalibus.

Judex Academicus (in criminalibus præsertim) soli Notario, examen Testium non committat. Si tamen id cogente aliquando necessitate fecerit, personam integram ipsi conjungat; nec ullum pignus ratione debiti civilis ab Scholaribus auferri, aut eorum libros venundari patiatur, nisi adversus eos, quos prope diem de fuga suspectos esse constiterit.

Apparitor Cancellarii mandatum pignoris capiendi non nisi Tabellione præsente exequatur, nec nisi confecto Inventario, juxta quod res hujusmodi hastæ publicæ subjiciantur; neque interim pignora ipse, sed fidus sequester ab Scholastico vel Judice designandus detineat. Scholarium arcas & armaria quovis quæsito prætextu aperire non audeat, nisi Scholastici vel ejus Judicis facultate de scripto ostenderit. Si secus fecerit, prima vice quinquaginta regalibus hospitali adjudicandis mulctetur; secunda in annum ab officio a Scholastico suspendatur.

Officiales omnes a Cancellario destinandi Academiæ foro non gaudeant, quin prius habuerint deputationis ejusdem legitimum documentum, & jurato caverint pecunias a nemine, ultra quod jura sanxerint, accepturos; Quas si aliquando, tametsi sui muneris obeundi obtentu, fraudulenter extorserint, pœna quadrupli coerceantur hospitalis compendio assignanda.

De Visitatione Scholarum quolibet mense per Judicem facienda.

Judex unoquoque mense singula docentium invisat Gymnasia; atque ut commodius suo muneri satisfaciat, aliquis Professorum pro diversitate facultatum eumdem sociabit. Quod etiam, cum opus visum fuerit, Cancellarius ipse præstabit, ut ita in docendis & addiscendis bonarum artium disciplinis majora sint tum Præceptorum tum Discipulorum incitamenta; quos non spes tantum præmiorum alliciat, sed metus quoque pœnarum absterreat, dum tantam a Scholarcha super hisce rebus diligentiam & vigilantiam noverint adhiberi.

Nunquam Judex permittat Pauperes per scholas stipem cogere, sed ad valvas tantum Academiæ subsistere.

Cancellarius per se interfit præcipuis Academiæ functionibus, ut rite & de more peragantur; idque tantum per Vice-Scholasticum a se constituendum præstare possit, si justa de causa e Civitate Cervariæ adfuturus sit, aut si adfuerit, valetudine impediatur.

TITULUS II.

De Concilio Academiæ.

De loco cogendi Concilium.

§. 3. Concilium sive Definitorum, sive plenum, non alio cogi possit, quam in locum Academiæ ad id peculiariter destinatum; nec quin pridie omnes Concilio interfuturi & laturi suffragia ab altero Bidello per schedam Scholastici unam signatam, & rem, quæ in eodem Concilio discutienda sit, continentem, convocentur; nisi secus fieri pro negotiorum qualitate aliquando expediat. Quod si plerique accedere subdole renuerint, vel sub pœna præstiti, vel alio congruenti juris remedio adigantur.

Locorum assignatio professionibus in Aula Conciliari.

In Aula Conciliari sint duæ mensæ, altera ante Scholasticum, supra quam campanula & Statuta Academiæ collocentur; e regione altera, in qua Secretarius habeat binos codices, alterum ad Decreta Academica, alterum ad mandata describenda: Theologi & utriusque Juris Professores promiscue inter se, servato tamen antiquitatis ordine, assideant: Deinde Medici: ac demum postremis subsellis Philosophi; atque ita pariter inter singulos ex singulis harum classium juxta gradus antiquitatem sessio disponatur, præterquam in propugnatione Thesium, ubi antiquior in ea facultate principem locum obtinebit. Caveat omnino Scholasticus, ne in dicendis sententiis ordo prævertatur, neve convicia, offensiones aut jurgia suboriantur.

Bidellus per se, vel si legitime impediatur, per personam idoneam, postquam singulos Concilio accessuros, exhibita præfata scheda, de re agitanda certiores fecerit, eam postmodum sub pœna unius regalis Secretario tradat, qui statim Concilio adfidentibus, eamdem recitet, & transcribat in codicem pro exordio resolutionis Conciliaris mox capiendæ: Quod si præstare neglexerit, duorum regalium mulctam sustinebit.

De numero ad hujusmodi habenda Concilia requisito.

Definitorum Concilium (in quo præsertim de rebus ad annuos Academiæ redditus spectantibus, & Officialium renunciatione agi debet) legitime haberi non possit, nisi tredecim Doctores aut Magistri adfuerint ex Definitorum classe, Concilium vero plenum (in quo de cæteris ad Academiam pertinentibus deliberandum est) viceno Doctorum aut Magistrorum numero, præter Scholasticum constabit.

De suffragiis.

In utroque autem, vel viva voce vel per secretum Scrutinium, si res ita postulet, aut ita fieri Suffragatorum quilibet desideraverit, Doctorum aut Magistrorum suffragia excipiantur.

Si omnes quasi per instinctum & afflatum in eamdem ire velint sententiam, sat erit, Scholasticum palam sciscitari, num quis dissentiat, ut ejus quoque suffragium in acta referatur. Dum vero palam voce feruntur suffragia, suum postremus pronunciet Scholasticus, ne libertati vocalium officiat: mille merapetinos, si secus faxit, ad compendium Hospitalis persolvat.

Si res in Concilio discutienda secreto indigeat, ne quod sancitum decretumve fuerit, quibus par non est, innotescat, Scholasticus cunctos silentii Sacramento obligabit.

Semel decreta nec rescindenda, nec iterum proponenda.

Quæ semel rite per Concilium decreta fuerint, non rescindantur, nec rursus proponantur, nisi tres ex quatuor Concilii partibus rationabiliter id expedire censuerint; nec Scholasticus ipse, quin exequantur, aut impedire aut retardare possit; mulctam alioquin sex mille merapetinorum pro singulis vicibus incursurus,

Hospitali applicandam; & nihil demum, ultra quod præscriptum est in scheda, in ullo cætu agitetur.

De absentium suffragiis.

Nemo (tametsi jus suffragii cæteroquin habeat, vel sit ipse Cancellarius) illi Concilio interfit, in quo de re ad ejus damnum aut commodum manifesto & præcipue pertinente agi debeat; nec absens, quamvis legitime impeditus, suffragium suum uni ex eligentibus demandare possit.

Si quem vero ex iis, qui adsunt, impetrata prius a Cancellario venia, cœtu abire contigerit, dummodo rem, de qua in concilio agitur, probe intellexerit, fas erit illi propriam sententiam Secretario aperire, & ferendi suffragii vicem demandare, ut inter cætera præsentium suffragia recenseatur.

Fores Aulæ Conciliaris Magister silentii circumsistat, ut præsto sit ad campanulæ sonitum Cancellarii vocantis imperio.

De electionibus officiorum.

In rebus gratiosis a Concilio definiendis per albos nigrosve calculos Scrutinium peragatur, illis concessam, his vero negatam gratiam indicantibus. Electio officiorum, distributis per Secretarium tesserulis, & a singulis a Cancellario ad infimi subsellii Doctores in loculos immissis, rite peragatur; mox per Secretarium palam & aperte colligendis & promulgandis: atque is demum habeatur electus, in quem pars Concilii major consenserit. Cæterum si in Scrutinio ita in plures dispertiri suffragia contigerit, ut ad nullum debitus eorumdem numerus perveniat, rursus ineunda erit electio inter eos dumtaxat, in quos major pars suffragiis annuerit.

Conciliis omnibus Cancellarius ipse interfit; ejus tamen locum & vicem, si absens fuerit, Ecclesiasticus antiquior subeat. Si quando res occurrerit digna conciliari consultatione, & convocationis schedulam Scholasticus exhibere detrectaverit, Professores omnes proprietarios apud Antiquiorem convenire licebit; & dummodo e tribus duæ partes consentiant, duo ex ipsis una cum Academiæ Secretario schedam requirent a Cancellario; quam si non impetrent, antiquior Ecclesiasticus schedulam Academico ritu signabit, & Concilio mox cogendo præsidebit.

De peragendis a Secretario.

Secretarius in librum quotannis ad id paratum referat perspicue & diligenter, quæcumque a Concilio fuerint decreta; parique sedulitate singulorum describat suffragia, nulliusque roboris & momenti censeantur ea, quæ in Conciliari codice rite non fuerint consignata. Si vero contigerit, attestationem conciliaris decreti exhiberi oportere, sat erit affirmare, in id majorem Concilii partem consensisse, quin sigillatim fiat suffragiorum recensio. Petenti etiam proprii suffragii, quod in Concilio tulit, attestationem, eam Secretarius ad Cancellarii jussum præstabit.

Quæ contra Constitut. in Conciliis decerni contigerit, irrita declaranda.

Si in Concilio, sive Definitorum, sive pleno, adversus ipsas Academiæ Constitutiones aliquid decernatur, sit ipso jure irritum & inane; Quod proinde in ipso palam consessu Secretarius pronunciabit, ut Syndicus, qui propterea singulis Conciliis interesse tenebitur, Suffragatores obtestetur, ne velint Constitutionibus refragari. Quod si minime impetretur, a Scholastico rogabit, ut irrita Concilii acta declaret. Quod si Secretarius & Syndicus ipse, aut aliquem veriti, aut alio quovis respectu satisfacere muneri suo neglexerint, quilibet e Concilio poterit hoc munus obire; Syndicus vero & Secretarius & officio & salario illius anni priventur.

Ubi Concilium aut juxta Constitutiones aut extra ordinem negotium aliquod Doctoribus vel Magistris conficiendum injunxerit, illud suscipere, & diligenter obire ad præscriptum Concilii obligentur; nec ipsis recusatio, quam major Concilii pars non probaverit, suffragetur. Professuris autem procul ab Academia intra vel extra Provinciam ejusdem Academiæ causa, sive perpetuam sive temporalem Cathedram obtineant, præterquamquod ex privilegio præsentes censeantur, competens salarium attribuatur, tria videlicet regalia argentea octo juliorum proprietariis extra Cataloniæ Principatum, duo vero cæteris professoribus: Si intra Provinciam, duo regalia proprietariis, cæteris sesqui Regale. In hujusmodi vero personarum electione & causæ statum & personæ industriam singuli, suffragia laturi, accurate perpendant pro majori Academiæ bono.

Salarium Academiæ causa absentibus dandum.

Nulli præterea demandetur commissio ad eum locum, in quo propria negotia habuerit; neque lectionum tempore Professor proprietarius eligatur, nisi pro utilitate & rei momento ita censuerint duæ ex tribus Concilii partibus.

Concilium autem Commissario tempus præfigat negotio transigendo, quod aliqua de causa prorogari poterit. Cæterum si ad Regiam Matritensem sit decernenda legatio, tam licentia quam termini præfixio, ejusdemque prorogatio ad Supremum Regium Concilium pertinebunt omnino.

Tempus tamen absentiæ præfigendum.

Pro negotiis intra Civitatem obeundis explicandisve, præsertim extraordinariis, procuratio alicui a Concilio demandetur. Secretarius postridie mandatum in scriptis tradat Commissariis, qui si id ofcitanter præstiterint, vel intra terminum a Concilio præfixum illa non confecerint, negotiorum ejusmodi procuratio ab ipsis ad alios transferatur. Præterea ipse Secretarius diebus, quibus cogi solet Concilium, relegat, quæ data sint mandata ex ipso mandatorum Codice, quem ea propter paratum habeat. Scholasticus vero pro suo jure quibusve negotiis transigendis adesse poterit.

De negotiis in Civitate obeundis.

Si plura sint Academiæ negotia, quam ut ordinariis, quæ cogi solent, Conciliis explicari possint, liceat semel in hebdomada Proprietarium Theologiæ Professorem, & duos pariter juris utriusque Proprietarios, Secretario & Syndico præsentibus, convenire, qui mature de re habito Consilio, quod æquum justumque fuerit, decernant; ne si diutius ea de re Concilii sententia expectanda foret, negotiorum opportunitatibus, & Academiæ commodis detrimentum afferatur.

In negotiorum pluralitate peculiares habendi consessus.

Cum sæpe contingat, negotia hujusmodi in deliberationem cadere, quæ ita peculiariter ad aliarum facultatum Doctores pertineant, ut cæteri non satis commode illa cognoscere & explicare possint, ea de re Concilium nihil ante decernat, quam illius facultatis Professores, consultatione super articulo propositio maturius habita, audiantur.

In rebus aliarum facultatum Doctores tangentibus decernendis, horum prius requirenda Sententia.

Ne Secretarius in transcribendis suffragiis, Conciliique decretis, querimoniis (ut contingere facile est) sit obnoxius; Scholasticus & Doctor antiquior diligenter inspiciant, num singula fideliter in acta relata sint, quibus deinde subscribat Antiquior, & infra Secretarius, absoluto statim Conventu antequam Conciliarem Aulam egrediantur. Si vero prolixiori calamo seu scriptione res egeat, id ipsum postridie præstari poterit. Quoties hoc prætermiserit Secretarius, quingentis marapetinis mulctabitur, ærario Academiæ inferendis.

De suffragiis, decretisque scribendis.

Nulli unquam Commissario poterit delegare Concilium, ut ad Thesaurarium Academiæ solvendi mandatum decernat, aut expediat; nec ipse Scholasticus mandata hujusmodi ad eumdem Thesaurarium per se decernere; alioquin irrita sint omnino & inania; nec eorum ratio uspiam habeatur, nisi toto approbasse Concilio per Secretarium & Ratiocinatores

Quæ sine Supremi Consilii Regii approbatione fieri nequeant.

subscri-

subscripta fuerint. Nulla pariter sive Scholastico sive Concilio sit facultas vel salarium creandi vel vetus augendi. Si vero res ita suadeat, & duæ ex tribus Concilii partibus consentiant, utrumque licebit; non tamen prius quam Supremi Regii Consilii & consensus & approbatio accesserit. Si secus fiat, dependant in mulctam singuli Suffragatores duo regalia octo juliorum, quæ Bibliothecæ Universitatis assignentur.

Pro stipe eroganda Definitores in Concilio quantitatem sex regalium octo juliorum non excedant, in quo tamen omnino supplicum indigentiæ, & Academiæ status ratio habeatur.

Caveat omnino Concilium ab impensis injustis decernendis, alioquin de suo Academiæ damna compensare singuli tenebuntur.

TITULUS III.

De Definitoribus.

Quæ Cathedræ perpetuæ sint.

§. 4. Cathedras perpetuas obtinentes ipso jure Definitores habeantur, necnon & Professores Emeriti seu Jubilati.

Cathedræ vero perpetuæ sunt: nimirum septem; Sacræ Theologiæ primaria, & Vespertina; Decretalium, Decreti Gratiani, Concilii Tridentini: Primaria, & Vespertina Pandectarum; Primaria, & Vespertina Codicis, Primaria & Vespertina Medicinæ, Prognosticorum, Philosophiæ Moralis, Matheseos, Rhetorices.

Professores proprietarii ex hisce antiquiores octo, totidem ex Doctoribus seu Magistris, temporales Cathedras Regentibus, Definitores, & Scholasticus, duos eligere debeant, & ejusmodi electio ita pariter ab octo aliis Proprietariis deinceps singulis biennis repetatur; nunquam vero eosdem rursus eligere liceat, nisi post aliud biennium, cui tamen sanctioni derogari poterit, ubi id suaserit optime merita de rebus gestis industria personæ, & tres ex quatuor Concilii partibus consenserint.

Biennalis hæc electio fiat postera die ad Festum Sancti Lucæ, nec quidquam aliud eo Concilio agi possit.

Concilium Definitorum, quod pro rerum opportunitate Scholasticus convocari mandaverit, ratum & legitimum non æstimetur, in quo major pars ex Doctoribus seu Magistris, qui sunt ipso jure Definitores, non interfuerit.

TITULUS IV.

De Consiliariis.

Quæ requirantur ad hoc ut quis in Consiliarium eligi possit.

§. 5. Quatuor Consiliarii ab Scholastico renunciati eligantur, vita, moribus, ingenio probatissimi, qui saltem per annum Academiæ albo fuerint inscripti, nulliusque Doctoris sive alterius famulatui sint addicti. Primus pro Regnis Castellæ, Legionis, & Navarræ: Secundus pro Regnis Aragoniæ, & Valentiæ: Tertius pro Cataloniæ Principatu: Quartus pro exteris, qui Cervariam Studiorum causa confluxerint; Uniuscujusque vero classis cura ad unumquemque ex præfatis Consiliariis pertinebit.

Consiliariorum officium post anni lapsum expiret; & penes eosdem sit jus, imposterum singulis annis, Judice tamen Academiæ & Tabellione præsentibus, sibi Successores idoneos, ex Regnis designatis oriundos, præfato ordine eligendi. In hujusmodi autem electionibus convivia, compotationes & alia luxus incitamenta Scholasticus omnino vetabit.

Consiliarii munere semel functus, non nisi post triennium, rursus eligatur. Si vero durante officio ab Academia abfuturus sit, idoneum Proconsiliarium sufficiet, eaque de re Judicem certiorem faciat. Si intra annum redierit, quod reliquum est temporis, per se explebit. Proconsiliarius autem anno proxime sequenti eligi non poterit in Consiliarium, tametsi exiguo tempore Proconsiliarii munus exercuerit.

Consiliarii officium post anni lapsum expiret.

Quod sit illorum officium.

Consiliarii, quibus etiam jus ferendi suffragium in Concilio pleno conceditur, postquam electi fuerint, de servandis Academiæ Constitutionibus & Statutis ad suum officium pertinentibus palam jurejurando se obstringant; curentque insuper diligentius, quæ inter Scholares sibi commissos emendatione digna deprehenderint, ad Academiæ Judicem incunctanter deferre; eumque ex officio, quoties noctu compita aut ædes Scholarium inviserit, sociare debebunt. Quod tamen nec crebro, nec sine magna causa Consiliariis Judex injunget. Illos vero nunquam per se dumtaxat hoc munus obire patiatur, ne inconsulta nimis cæteroquin Juventus temere in pericula conjiciatur.

TITULUS V.

De Professoribus Grammaticæ Latinæ, & Græcæ.

Norma Scholarum S. J. servanda.

§. 6. Discipuli omnes in quatuor Classes distributi, latinam linguam gradatim a primo ad quartum annum a Grammaticæ Præceptoribus doceantur; qui sedulo incumbant, ne quid in his primoribus literarum exercitationibus, & teneriori scientiarum tyrocinio, quod utile visum fuerit, prætermittant; atque ut in docendo non præposterus ordo, sed certa regula adhibeatur; norma Scholarum Societatis Jesu ad amussim servanda præfigitur.

Plerique ex hisce felicioris & præstantioris ingenii, linguæ etiam Græcæ rudimentis imbuantur, qui cæteris ejusdem classis Condiscipulis, literas dumtaxat latinas excolentibus, consessu in Academiæ functionibus præcedant.

Qui sint Auditores admittendi.

Eos dumtaxat Auditores admitti liceat, qui primis literarum elementis, recte legendi scilicet, scribendique regulis sint edocti, & Christianæ Fidei rudimentis congruenter instructi.

Persona deputanda, quæ strepitus componat, ac de Magis. Grammaticæ inquirat.

Diffinitorum Concilium personam aliquam idoneam deputabit, cujus munus sit, Pueros nondum scholas ingressos sæpe in vestibulo jurgiis perstrepentes componere, & diligentius inquirere, an Magistri Grammatices ex præscripto Academiæ doceant, servatis rite temporum intervallis; mulctam alioquin subituri, ut reliqui Academiæ professores. Quidquid vero mulctæ nomine deberi contigerit, ex anni salario detrahatur Societatis Jesu Rectori persolvendo.

Cursus Studii Grammaticæ quatuor annis absolvendus quo disponi debeat ordine.

Primo anno Magister Auditores suos diligenter edoceat ex arte Nebrisensi declinationum conjugationumque Regulas, iisque congruam exercitationem subjungat; Græca vero Grammatica imbuendis, legendi rationem præscribat, & vim divisionemque Græcanicarum literarum, mox articulorum declinationes, & pleraque, alias præsertim faciliores, demonstret usque ad eas, quas Græci contractas appellant.

Anno secundo crebriori præludio Discipulos, in re superioris anniversatos, ad nominum genera, verborumque præterita solerter addiscenda promoveat; & regulas ipsas, quas memoriter callere debent, frequenter construere jubeat. Græcæ autem linguæ studiosis declinationes contractas, eteroclita, pronomina, & primas barytonorum verborum conjugationes, qua par sit, perspicuitate explicabit.

Tam primo autem quam altero anno Magistri Auditores suos utilioribus tam latinæ quam Græcæ linguæ exercitamentis frequenter acuant, & diligenter informent.

Anno tertio universam Nebrisensem artem, quæ Orationis partes amplectitur, diligenter Præceptor persequatur, atque perficiat, mox Torrellæ Syntaxim aggressurus. Selectiores autem vel Tullii vel Sancti Hieronymi Epistolas quotidiana exercitatione tractandas interpretabitur, monebitque identidem, qua ratione eas, quas didicerint regulas, tamquam in Archetypo Discipuli facilius deprehendant. Absolvat quoque pro Græcis Conjugationes Barytones. Insuper explanet verba circumflexa, & definentia in *ut*, addita quoque alicujus Græci Scriptoris prælectione, & constructione, ut facilius Præceptorum usum, quæ sibi tradita sunt, Discipuli addiscant.

Quarto denique anno majori Auditorum utilitati & profectui omnibus numeris expletam latine Syntaxeos seriem exponat; Qui crebris præludant declamationibus; Oratores quoque & Historicos probatæ latinitatis præ manibus habeant continenter. Extemporales etiam lucubrationes ter saltem in hebdomadam Magistro præscribente contexant: quæ pariter, ut ad Orthographiæ Regulas exacte sint, sedulo curandam erit. Usus autem latino sermone colloquendi sit inter Discipulos & Præceptores in ipsis Gymnasiis assiduus. Non dispari studio Græcæ etiam linguæ studiosi auctores aliquos percurrant diligentius, in quibus Græcanici Sermonis structuram animadvertant; & varias, quas insigniores præsertim scriptis suis dialectos inseruerint, Doricam scilicet, Æolicam, Ionicam, & Atticam, Magistro facem præferente, deprehendant. Pensum aliquod, veluti preces, quæ usu sunt in Ecclesia exercitationis gratia Græco donent Idiomate, aut easdem paraphrastice in latinum vertant, & Luciani Dialogos, vel Sanctorum Chrysostomi, & Basilii fragmenta quædam, ad libitum Præceptoris.

Libri semel præscripti non immutandi.

Libri semel ad docendam tam latinam quam Græcam linguam præscripti non immutentur, quod etiam in illis servabitur, qui ad humaniorum literarum disciplinam pertinent.

De horis Studii, ac vacationibus.

In his quatuor Grammaticæ classibus per annum ultra canicularium dierum intervalla, quæ permittuntur, docendi munus intermittere non liceat; reliquo tamen æstivo tempore erit statas docendi horas decurtari, aut cessationem pomeridianam jubere poterit Cancellarius. In quavis hebdomada, si festus præter Dominicum, non occurrat, die Jovis a Lectionibus vacent. Singulis vero lectionum diebus binas ante, totidemque cum dimidia post meridiem, horas docendo, citius aut serius ad Scholastici nutum pro anni tempore inchoandas.

Examen promovendorum ad superiorem Classem.

Ut Grammatices studiosi a prima ad alteram, & deinceps classem digne ascendant, quod bis vel ter in singulos annos fieri debet, coram Professoribus, altero Sacræ Theologiæ, altero Juris Canonici anniversaria in studiorum instauratione ab Academico Consilio destinandis, examen habeatur, cui pariter Rector Societatis Jesu Collegii Cervariensis intersit, qui jurejurando se obstringant, munus hoc juxta Academiæ sanctiones, & conscientiæ normam expleturos, & diligenter exquirant e re nata Alumnorum progressum, num videlicet possint utiliter ad superiorem classem promoveri.

Qui inhabilis compertus fuerit, in eadem classe detineatur, non ante progressurus, quam satis examinatoribus se profecisse probaverit. Quod si per biennium non profecerit (nisi in causa fuissent vel absentia vel affecta valetudo) & a morum disciplina deflexerit, a scholis expellatur, atque hujusmodi censura præsente Magistro fiat, ad cujus classem cooptandi sunt Scholares.

Qui Grammaticam alibi didicerit, & ad hanc Academiam accedat, unam sive alteram classem aggressurus, eisdem quoque circa examen legibus teneatur; quibus Græcæ etiam linguæ studiosi subjaceant, qui si ob desidiam non excellant, ad alteram classem non admittantur; si ob rudem indolem, ad latinos redeant, eorum jure censendi. E tribus præfatis Examinatoribus, duorum suffragia jus faciant, & eisdem quoties hanc præstabunt Academiæ operam, unum regale octo juliorum ex publico ærario persolvatur.

Ante ingressum in Gymnasia Missæ interesse debent Auditores.

Omnes Grammaticæ, Latinæ, & Græcæ linguæ, & humaniorum quoque literarum cultores, priusquam Gymnasia mane ingrediantur, Augusto Missæ Sacrificio, quod in Academiæ Sacello statо tempore peragetur, quotidie intersint, ubi duo saltem ex Præceptoribus præsto esse debeant, qui Puerorum animos ad pietatis normam componant, & in officio Religionis contineant.

Postrema hebdom. die Doctr. Christianam edocendi.

Postrema quoque hebdomadis die Pueros, palæstra pomeridiana functos, singuli Præceptores in ipso Gymnasio Doctrinam Christianam diligenter erudiant, eorum animos optimis lactantes morum institutis, & sensu pietatis.

Ac prima mensis Dominica Sacramento Altaris reficiendi.

Prima singulorum mensium Dominica die omnes Grammaticæ, & literarum humaniorum Alumni Sacramento Pœnitentiæ rite expiati in ipso Academiæ Sacello ad Sacrum Eucharistiæ Mysterium, quo decet, fervore animi accedant. Altera autem Dominica Philosophiæ, & Astronomiæ studiosi: Tertia Medicinæ: Quarta demum Juris utriusque & Theologiæ Auditores; Hanc enim laudabilem consuetudinem ab omnibus Academiæ Scholaribus omnino observari statuitur.

Scholæ Grammatices quater in anno a Scholarcha invisendæ.

Scholarcha, seu ipsius jussu Academiæ Judex, comitante literarum humaniorum Professore, crebro invisat, quater saltem quotannis Grammaticorum Gymnasia, & solerter inquirat, num Constitutiones, & Statuta Academiæ, quæ ad studiorum regimen spectant, retineantur, sua auctoritate, si quid contra Sanctiones irrepserit, emendaturus.

TITULUS VI.

De literarum humaniorum, seu Poetices, & Rhetorices Professore.

A Grammat. studio ad humaniores literas per examen promovendi.

§. 7. Ad humaniores literas gradum facere Scholaribus non concedatur, quin prævio examine perspicue constiterit, eos latinam Grammaticam hic vel alibi probe didicisse: Ut vero majori cum utilitate & progressu earumdem literarum curriculum aggrediantur, norma ipsa examinis in Grammatica mox præscripta rursus præfigitur, idemque feriarum, & lectionis tempus, & ordo, dempta solum semihorula pomeridiana.

Methodus servanda.

Mane igitur præcepta Rhetoricæ ex aliquo probato Auctore doceantur, adhibita ad selectas M. T. Ciceronis orationes quotidiana interpretatione, in quibus Discipuli tropos, figuras, & reliqua artis ornamenta, ad imitationem sedulo animadvertant; pomeridiano autem tempore syllabarum quantitas, ac universa Poeseos suppellex ad Virgilii opus exacta enucleetur.

Unoquoque Sabbato antemeridianæ lectioni ex libris Epigrammatum Martialis aliquid adjungatur, & ex lyricis Horatii post meridiem.

A prima autem die Junii ad decimam quintam Julii, Cæsaris Commentaria, aut Quintus Curtius, aut Valerius Maximus, Ciceronе

præter-

prætermisso, explicentur. Pro Virgilio, Ovidius in libris Fastorum, aut Tristium; vel Claudianus, sive Horatii Ars Poetica.

Omnibus quoque lectionum diebus præter Sabbatum, Discipuli pensum aliquod soluta oratione ante meridiem, metricisve adstrictum numeris post meridiem, domi conficiant, Scholam adlaturi; eaque plerumque Magister, errata adnotando, recitabit, ut sic Auditores de optimo scribendi genere, de sermonis nitore, & proprietate promoveantur.

Insuper ex hujusmodi pensis ita castigatis, quod emendatius Magistro videbitur, Sabbato, absolutis pomeridianis lectionibus, memoriter Alumnus in Gymnasio palam enunciabit, illuc convenientibus Grammaticæ, & humaniorum literarum cultoribus.

Tyronibus ad hæc nondum idoneis, vel narrationem aliquam Magister dictabit, quam ex tempore latine reddent, eamdemque postridie cultiori sermone contexerit, vel ipsis proponet fragmentum aliquod Ciceronis, aut Virgilii; quod versione alia latina pro suo quisque ingenio & facultate illustrabit.

Humaniorum literarum Professor, quotannis post dimidium mensis Julii optimos quosque, & præstantioris ingenii Alumnos legitime delectos, atque ordine paratos in ipsum Academiæ Theatrum publice producet, ut quantum in Oratoria & Poetica facultate profecerint, re ipsa ex tempore patefaciant; atque ut umbratilem hanc ingeniorum inter se velitationem candidati Juvenes alacrius aggrediantur, in hujusmodi literarii certaminis præmium insigniorum Oratorum & Poetarum libri iis, qui diligentiores comperti fuerint ad omnium incitamentum proponentur. Hunc autem actum dirimere, & de victoribus judicium præferre ad eos pertinebit, qui pro Grammaticis ad superiores Classes promovendis examinatores fuerunt.

Ut autem humaniores literæ, quæ diuturno squallore absoleverant, in hac Cervariensi Academia revirescant, duo publici Professores singulis Sabbatis, vel quibus libuerit diebus, universa diligentius perscrutentur; & quæ digna animadversione deprehenderint, ad Scholasticum deferent.

Ad Grammaticæ & Rhetorices Cathedras a Provinciali S. J. ex propria Societate destinandi.

Ad omnes Grammaticæ, & humaniorum literarum Cathedras Societatis Jesu Provincialis Professores ex propria Societate, eosque eruditione, virtute, prudentia eximios ad libitum destinabit. Quod si quem forte ex his minus idoneum esse contigerit, Scholasticus ea de re Provincialem admonebit, qui si opportune huic rei prospicere neglexerit, Scholasticus ipse Regium Consilium adibit.

TITULUS VII.

De Matheseos Professore.

§. 8. Utiliores pleræque Mathematicæ partes breviori, & magis perspicua, quam fieri poterit, methodo biennio tradantur.

Anno videlicet primo Geometrica, Perspectiva, Arithmetica, & Agrimensura, Euclidis itidem, & Astronomia cum Almageste, seu Arte magna Ptolomei, ac deinceps cum Christophoro Clavio. Anno secundo Gnomicæ, Cosmographia, Astrolabium, Radius Astronomicus, Lectio autem ineunda postremo tempore pomeridiano ad sesquihoræ spatium; & Cathedra hæc vacationes, seu ferias habeat, ut reliquæ perpetuæ.

Instrumenta Mathematica Academ. impensis comparanda.

Academiæ impensis Instrumenta Mathematica, quæ necessaria visa fuerint, loco ad id comparato, palam exhibeantur, ut oculis subjecta fidelibus, quæ auribus exceperint studiosi, ipso etiam Præceptore docente, certius & exploratius assequantur.

Si Milites, Equites, Doctores, similesque Viri, qui aliis facultatibus operam non dent, Matheseos disciplinam velint addiscere, teneatur Professor iis erudiendis horam ante meridiem quotidie impendere; hujusmodi vero Discipuli Sanctionibus circa vestes Academicas constitutis non obligentur.

Hanc Cathedram non valeat obtinere, qui in eadem per biennium Auditor non fuerit; neque ad examen admitti, nisi adeo excellat, ut ex tribus duæ partes Concilii suffragentur. Quod si nemo oppositioni Cathedræ subscripserit, elapso mense Cancellarius Magistrum idoneum, sive sæcularem sive regularem exquiret, & Regio Consilio proponet.

Hanc Cathedram non valeat obtinere, qui per biennium Auditor non fuerit, nisi qui prius per biennium Auditor in Acad. fuerit.

Qui per biennium Mathematicas artes in hac Cervariensi Academia sedulo excoluerit, & velit Militiæ nomen dare, impensi laboris, & habilitatis testimonium ab Academia receptum Regiis Secretariis exhibeat: quod sibi prodesse poterit ad aliquod militiæ munus obtinendum.

TITULUS VIII.

De Artium, & Philosophiæ moralis Professoribus.

§. 9. Qui se ad Philosophiæ studium conferre cupient, non prius Albo seu Matriculæ inscribantur, quam eosdem probe latinam linguam tenere legitimo documento constiterit.

Ad Philosophiæ studium non admittendi latinæ linguæ ignari.

Probatio hujusmodi a singulis Grammaticæ Professoribus examinetur, qui quotannis jurato spondeant sese munus injunctum juste & fideliter obituros; in codicem referant Probatorum nomina, & pro singulis ex ærario Academiæ duo regalia argentea Examinatori persolvantur; nec aliquod ab examinatis eo nomine recipiatur.

Si vero contigerit, Scholarem aliquem ægre repulsam ferre, rursus poterit examinis causa Rhetorices Professorem adire, qui juratus pariter, quod æquum justumque sibi visum fuerit, hac de re pronunciabit.

Quo tempore legendæ Summulæ.

Non liceat, nisi post diem decimam quintam mensis Augusti, & obtenta a Cancellario venia, Summulas etiam privatim legere, quarum Lectorem Scholaribus conceditur sibi ad libitum deligere.

Singulis annis bini Artium Professores pro Sententia utraque legentes.

Singulis annis duo Artium Professores, alter pro Sententia Thomistarum, pro Jesuitarum alter, & unoquoque triennio unus pro Sententia Scoti, Philosophiæ cursum instituent, qui supervacaneis quæstionibus resecatis optima quæque, & utilia maxime deligentes, Auditores suos edocebunt. Anno primo Logicen, sive Dialecticam: Secundo Methaphisicorum libros: Tertio Phisicorum Aristotelis; Unde etiam rite quæstiones ad materiam pertinentes elicient, & succincte ac nervose discutient, non omissis peculiaribus tractatibus de Anima, de Ortu & Interitu, de Cœlo & Mundo, & de Meteoris.

Tempora lectionum Philosophiæ Moralis.

Philosophiæ moralis Prælector eodem triennio publice ab hora quarta pomeridiana ad quintam, Ethicam, Politicam, & Economicam ad Nicomachum dilucide & breviter explicabit. Cæteræ vero lectiones a Festo Sancti Lucæ ad Festum Dominicæ Resurrectionis ante meridiem ab hora octava ad decimam habeantur, post meridiem a tertia ad quintam; reliquo, quod superest, tempore ante meridiem ab hora septima ad nonam, post meridiem a tertia ad quintam. Hujusmodi temporum distributio & mensura in lectionibus ineundis æque servabitur in cæteris Facultatibus.

Horarum distributio.

Tempus sibi ad legendum quotidie præscriptum Professores ita dispertient, ut Primam horam dictandis exponendisve lectionibus impendant: Secundam pro exertationibus, in quibus scripta & exposita plenius discutiantur: Semihorula vero tam ante quam pomeridianas lectiones præeunte Scholares omnes, facto inter se pariter oppositarum Sententiarum Sectatores congressu, lectionem memoriter recitent, & argumenta hinc inde sibi vicissim objecta diluant. Huic

præludio solicite Professores interfint, ut nodos disputationum solvant.

Disputationes qualibet habendæ hebdomada.

Omnes hujusmodi Professores singulis Sabbatis a Festo S. Lucæ ad Quadragesimam ante meridiem ab hora nona ad undecimam, a Quadragesima vero ad anni lectivi finem, post meridiem ab hora quarta ad sextam, Thesim aliquam per Discipulum pro suggestu defendendam, alternatim proponant; ut incipiat Philosophiæ moralis Professor, & reliqui deinceps ordine prosequantur.

Hujusmodi autem Thesibus quatuor saltem oppositæ sententiæ Scholares argumentum pro se quisquam objiciant, ejusve difficultatem Doctores ipsi, seu Magistri augeant, & exacuant unumquodque argumentum per semihorulæ spatium duret, & Præsidenti quatuor regalia dentur, duo vero singulis argumenta proponentibus Magistris.

Hæc perutilis disputationum & controversiarum inter Discipulos exercitatio ab omnibus aliis Professoribus Medicinæ, necnon Theologiæ, in Academia retinebitur: In jure tamen civili & canonico ab iis tantum, qui temporales Cathedras obtinebunt.

Theses ejusmodi, sicuti & reliquas disputationes in carta manuscriptas gratis tribuendas Bidellus a Professore accipiat; & postquam ad Judicem subscribendas attulerit, pridie foribus Gymnasii majoris Artium affigat; neque eas prælo dari, exceptis iis, quæ in octava Conceptionis propugnantur, nec serico unquam uti licebit, etiamsi Theses typis mandari concedatur. Die vero propugnandarum Thesium tempora lectionibus præstituta tantisper diminuantur.

Tempore lectionum nequaquam liceat extraordinarias Theses defendere, nisi venia a Cancellario impetrata.

TITULUS IX.

De Medicinæ Professoribus.

Ad Medicinæ studium admittendi de latina lingua prius examinandi.

§. 10. Quoniam non ascensum, sed ruinam quærere videtur is, qui transiliendis gradibus neglecto ordine, ad superiora nititur, cum sit rudis inferiorum, cavetur, ne Scholares ante ad Medicinæ scientiam admittantur, quam circa latinam linguam a Rhetorices Professore examinati sint & approbati, & Artium Baccalaureatum in hac vel alia Universitate consecuti.

Cursus Medicinæ quatuor complendus annis.

Cursus Medicinæ quadriennio definiatur, ita tamen, ut tres priores annos Candidati theoricis dumtaxat præceptis, quartum autem praxi etiam incumbant, se Doctori alicui, ægris medenti, adjungentes; hanc quinto pariter anno prosequantur vel Cervariæ vel in Civitate Barchinonensi, Tarraconensi, Gerundensi, Herdensi, Dertusensi, aut Vicensi. Obligentur præterea ejusdem, apud quem se exercuerint, Doctoris afferre testimonium coram Urbis Prætore suscipiendum. Quarto tamen anno exacto poterunt Baccalaureatu insigniri; sed diploma gradus, nisi quintum praxis annum expleverint, non tradatur.

Medicinæ Professores, statis horis ante vel post meridiem singulis quibusque annis utiliores universæ Medicinæ tractatus, suum quisque propriæ Cathedræ congruentem, publice doceant, & diligenter explicent.

Chirurgiæ Professor, quæ ad hanc partem pertinent, triennio absolvat.

Tam Medicinæ quam Chirurgiæ Professores tractatus ordinem mox præscribendo distribuant, videlicet:

Methodus hocce in cursu servanda.

Primarius Medicinæ Anno primo Commentaria in tres primos libros Galeni de Morbo & Symptomate: Anno secundo de Elementis & humoribus: Anno tertio de Temperamentis: Anno quarto de Facultatibus. Vespertinus Anno primo de causis Symptomatum in tres posteriores Galeni libros de Morbo & Symptomate: Anno secundo Commentaria in tres libros primos Galeni de Morbo & Symptomate: Anno tertio Commentaria in duos libros Galeni de differentiis Febrium: Anno quarto de Pulsibus, & Urinis. Prognosticorum Anno primo de Curatione febris malignæ, & ejus Symptomate: Secundo de Curatione febrium: Tertio Commentaria in tres priores libros Galeni de morbo & symptomate: Quarto de Curatione effectuum. Methodi Anno primo de Sanguinis missione, & purgatione: Secundo de Methodo medendi: Tertio de morbis Mulierum & Puerorum: Quarto in tres libros priores Galeni de Morbo & Symptomate. Simplicium Anno primo de simplicium Medicamentorum facultatibus, & medicamentorum Compositione, & reliquum, quod pro cæteris annis ipsi præscribetur. Anatomes Anno primo de Ossibus, & Musculis: Secundo de Cavitate animali & Nervis: Tertio de Cavitate vitali & Arteriis: Quarto, quod ipsi assignabitur. Chirurgiæ Anno primo de Tumoribus: Secundo de Ulceribus: Tertio de Vulneribus & operationibus Chirurgicis; quos tractatus latino sermone conficiat, nec ipsi præterea per se nec per alium Tonstrinam facere licebit.

Lectionum tempus.

Harum porro lectionum tempus ita singulis præfiniendum erit, ut videlicet: Primarius ab hora octava ad nonam: Prognosticorum a nona ad decimam: Anatomes a decima ad undecimam ante meridianas. Vespertinus a secunda ad tertiam; Methodi a tertia ad quartam: Chirurgiæ a quarta ad quintam pomeridianas: Simplicium hora sibi præscribenda.

Theses singula proponendæ hebdomada.

Omnes autem ejusmodi Professores opportuna cujuslibet hebdomadis die, qua vacet a lectionibus, Thesim aliquam pro suggestu per Discipulum defendendam proponent, in qua eadem ratio & forma Superiori titulo indicta retinenda erit.

Singulis autem quibusque Kalendis Maji in Artis Medicæ majus Gymnasium una cum Secretario, ut omnia per eumdem in acta referantur, convenient; ubi mature inter se deliberabunt, num fortasse novum aliquem sequiori anno tractatum eorum vice, qui præsentibus Sanctionibus præscribuntur, pro Auditorum utilitate proponere expediat.

Hi omnes Academiæ Nosocomium gratis invisere, & Scholaribus, si qui ægri fuerint, mederi debebunt.

De Anatomicis sectionibus.

Professor Anatomes quotannis in loco Academiæ impensis sibi apte comparato, sex quidem universales, duodecim vero particulares Anatomicas dissectiones sub Scholarium oculis exhibebit; in quibus situm, naturam, usum, & partium corporis officium publice ostendet, docebit & tradet: videlicet particulariter tres oculorum, tres cordis, tres palmorum, tres laringium, quæ in Bovum aut Arietum dissectione fieri poterunt. Universaliter autem Primam, in qua sigillatim ostendat omnes exteriores & interiores abdominis partes, & thoracis cum dissectione capitis, ut inde demonstret quidquid cerebrum continet, ac nervos, qui ab eodem descendunt: Secundam, in qua non dispari cura partes omnes patefaciat ad regionem abdominis, thoracis, capitis, & ad genitalia pertinentes: Tertiam in venis, & arteriis perspicue demonstrabit distensionem omnium ramorum venæ portæ, ramificationum quoque venæ cavæ in partes inferiores & superiores, itidemque cæterarum venarum ramos tam in brachiis quam in cruribus; & demum arteriarum ramificationem: Quartam, in qua musculos pectoris, cervicis, capitis, brachii, & cruris diligenter ostendet: Quintam, in qua singula ossa apta explicatione indicabit, idque exhibito scheletro, ut in eo facilius atque commodius ossium humani

corporis

corporis invicem cohærentium universa compactio ob oculos ponatur: Sextam, in qua, canis viventis dissectione facta, cordis motum, usumque nervorum recurrentium, & vocem formantium, palam explanabit; hisque subdet pectoris & abdominis partium explicationem; & aliquando etiam plantis & herbis dissectis, earumdem naturam demonstrabit.

In loco dissectionum ultra scheletrum pro consueta partium demonstratione, statua insuper collocabitur, figuram hominis affabre repræsentans, circa quam Chirurgiæ Professor fasciis ad id paratis semel in hebdomadam Auditores suos rationem obligandi vulnera edoceat. Omnibus Anatomicis dissectionibus, Chirurgiæ non solum, sed etiam Medicinæ cultores intersint.

Præter Civitatis Cervariæ ex eorum cadaveribus, qui in Nosocomio moriuntur, Professori Anatomes tradi jubeat, quæ ad usum dissectionum exposcet: Pro singulis dissectionibus particularibus, quas juxta Sanctiones Professor Anatomes fecerit, binæ monetæ Cataloniæ libræ ex ærario Academiæ pendantur, & quatuor pro singulis universalibus.

Illud quoque curæ sit hujusmodi Professori, tractatus ad suam Cathedram pertinentes ita secernere & ordinare, ut quæcumque ad reliquos Medicinæ & Chirurgiæ Magistros peculiariter spectant, suis non interserat.

TITULUS X.

De Juris Canonici, & Civilis Professoribus.

Ad jura non admittendi nisi prius Logicen didicerint.

§. 11. Nullus ad Juris Civilis, aut Canonici studium admittatur, qui in latinitatis examine probatus non fuerit, & ex Philosophia Dialecticam saltem, seu Logicen non didicerit in hac Cervariensi Universitate, vel alibi.

Cathedras perpetuas in Jure Canonico obtinentes, scilicet Primariam, Vespertinam, Decreti Gratiani, Concilii Tridentini; & temporales Sexti, & Clementinarum, ita lectiones sibi in quadriennium præfixas digerant, ut majori semper discentium utilitati & progressui consulant. Si vero secus fecerint, pœnas condignas incurrant.

Methodus studii Juris.

Hujusmodi vero Titulos suis tractatibus inscribent: videlicet anno primo Professor primarius de Judiciis, aut Foro competenti: Vespertinus de Officio & potestate Judicis delegati: Decreti Gratiani de Principiis Juris Canonici ad primas distinctiones Decreti: Sexti vero, & Clementinarum Titulos, qui præscribentur.

Anno secundo primarius de Causa possessionis & proprietatis: Vespertinus de Jurejurando: Decreti super aliqua ex causis ejusdem Decreti Sexti, & Clementinarum, ut præscribetur.

Anno tertio Primarius de Præbendis, & Dignitatibus: Vespertinus de Rescriptis, aut Divortiis: Decreti de Pœnitentia: Sexti, & Clementinarum, ut supra.

Anno quarto Primarius de Simonia: Vespertinus de Usuris: Decreti de Consecratione: Sexti, & Clementinarum, ut supra.

De studio Concilii Tridentini.

Professor Tridentini methodum ad seriem Sessionum ejusdem Concilii retinebit, earumdem Sessionum prorogationes leviter attingens; cæteras vero Sessiones, quæ bipartitas de Dogmatica, & de Reformatione Sanctiones continent, fusius atque solertius explanabit, & biennio concludet. A mente Sac. Concilii nunquam recedat, eamque juxta Constitutiones Apostolicas, & Sacræ ejusdem Concilii Congregationis generalia Decreta interpretetur. Hanc Cathedram assecutus, Concilii explanationem ab ea parte prosequatur, ad quam Antecessor devenerat.

Qui temporales Decretalium Cathedras moderantur, libros quinque ipsarum Decretalium viva voce & continua oratione, tempore & forma ab Academia præscriptis, accurata ac perspicua methodo triennio interpretentur.

In ejusmodi autem explicatione non singulas Decretales singillatim persequantur, sed methodice Titulos ad instar Paratitiorum Andreæ Vallensis, Cironii, aut alterius probati Auctoris.

Methodus studii Juris civilis.

Jurium Civilium Professores, Primarius nempe & Vespertinus, Pandectarum Primarius, & Vespertinus Codicis; necnon temporales Cathedras Digesti Veteris, & Voluminis obtinentes, ad quadriennium præscriptos pariter Academiæ Sanctionibus Commentarios distribuent, & Auditoribus explicabunt.

Anno videlicet primo, Primarius Pandectarum ad Titulum de Liberis, & Posthumis: Vespertinus Pandectarum de Acquirenda possessione. Primarius Codicis de Locato, & Conducto: Vespertinus Codicis ad Senatus Consultum Trebellianum: Voluminis de Jure Fisci: Digesti veteris Tit. qui præscribetur.

Anno secundo Primarius Pandectarum de Vulgari & Pupillari substitutionibus: Vespertinus Pandectarum de Rebus Creditis. Primarius Codicis de Contrahenda stipulatione: Vespertinus Codicis, Qui testamenta facere possunt: Voluminis de Excusationibus munerum: Digesti veteris, ut supra.

Anno tertio, Primarius Pandectarum de Acquirenda, vel omittenda hæreditate: Vespertinus Pandectarum de Usucapionibus. Primarius Codicis de In integrum restitutionibus: Vespertinus Codicis ad Legem Falcidiam: Voluminis de Pascuis publicis, & privatis: Digesti veteris, ut supra.

Anno quarto, Primarius Pandectarum de Inofficioso testamento: Vespertinus Pandectarum de Appellationibus. Primarius Codicis de Accusationibus: Vespertinus Codicis de mortis causa Donationibus: Voluminis de Studiis liberalium artium, sive de jure Academico: Digesti veteris, ut supra.

Qui temporales Institutionum Justiniani Cathedras regunt, Institutiones easdem ad singulos Textus seu Paragraphos triennio suis Auditoribus interpretentur, ut prima juris elementa facili & simplici via, mox felicius & utilius addiscant: In quo tempus etiam & forma ab Academia præfinita, nec lente nec remisse, sed naviter & studiose serventur.

Omnes utriusque juris Professores, sive perpetui sive temporales, in primum quadriennium Tractatus suos, & Commentarios, quos in singulos annos de scripto Scholaribus tradere debent, ex albo desument, seu Edicto Academico. In alterum vero ad arbitratum suum, dummodo singulis Cathedris respondeant, deligere poterunt; nec intra illud octo annorum spatium eumdem Tractatum reponant. Ejusmodi Tractatuum delectus habeatur ineunte Majo coram Cancellario in singulos alterius quadriennii annos juxta normam, quæ Theologis præscripta est.

Cuivis in utroque jure Professori liceat Tractatum, a se quotannis cæteroquin edendum, ad proximum, vel ulteriorem etiam annum protrahere, si id ubertas utilitasque materiæ postulaverit: Et e contra plures quoque eodem anno Tractatus proferre, si ita breviter eorumdem materia circumscribi & absolvi possit.

Partitio horarum.

Professores Canonum in contexendis tractatibus quidquid in Sexto, Clementinis, Extravagantibus, Concilio Tridentino, & posterioribus Pontificiis Constitutionibus ex jure antiquo derogatum, correctumque diligenter animadvertant. Pari studio id ipsum præstent Professores Juris Civilis, ut collatione Legum Romanarum cum nostris facta, quid olim, quidve hodie in foro & praxi obtineat, Auditores funditus hauriant, & luculentius perspiciant.

Professores Primarii Canonum, Pandectarum, & Codicis hora nona antemeridiana ad decimam lectiones suas tradent; earumdem classium Vespertini hora secunda pomeridiana ad tertiam: Professores Decreti, & Concilii hora decima antemeridiana ad undecimam: Sexti, & Clementinarum Professores hora, quæ ipsis præfigetur: Professor Voluminis tertia pomeridiana ad quartam: Professor Digesti veteris hora, ut suprà statuenda.

Regentes Decretalium singulis lectionibus suis præsint ad sesquihoræ spatium alternis, ab hora secunda ad quintam post meridiem: In tertiam vero sesquihoræ partem viva voce, & continua oratione lectiones propositas explicabunt: Hora, quæ supereſt, ad Thesim ex visceribus rei, a Præceptore expositæ eductam, enixe disputandam & discutiendam tota impendatur. Unus ex Auditoribus Propugnatorem agat: tres argumenta adjiciant: Professor nodos controversiarum dissolvet & extricabit. Hujusmodi quotidianis exercitationibus Discipuli omnes alternatim vacent. Eadem omnino methodus, & temporis partitio Institutionum Civilium Regentibus adamussim servanda præscribitur; ita tamen, ut omnes incipiant post septimam & horam dimidiam ante meridianam.

Tam Proprietarii, quam Regentes Professores, quæ hactenus censita sunt pro Jure Canonico, & Civili docendo, & addiscendo, diligentissime servent; & provideant, ut a Discipulis observentur; horumque maxime habeatur ratio in cursus literarii probatione, quam nullatenus concedant Auditoribus, qui lectionibus singulis, ut statutis Academiæ præfinitur, non interfuerint. In hoc autem, severitate potius omnium acuant diligentiam, quam indulgentia negligentium foveant desidiam.

Theses proponendæ.

Regentes Decretalium, & Institutionum Civilium quibusque Dominicis diebus temporis lectivi pro suggestu Discipulum alternis producant, qui Thesim ex libro, quem eo anno interpretantur decerpendam, hyeme ab hora octava ad decimam, vere a septima ad nonam antemeridianas propugnet.

Adversus illam tam in Canonicis Thesibus, quam in Civilibus, proponant argumenta quatuor Studiosi ex quatuor Jurisprudentiæ classibus: videlicet Primum Studiosus quartæ classis: Secundum tertiæ: Tertium secundæ: Quartum primæ Argumenta proposita suscipiant, & vim difficultatis adaugeant, Primi Proprietarius Canonum vel juris Civilis, Secundi Regens Canonum vel juris Civilis, Tertii Baccalaureus juris Canonici vel Civilis.

Neque Scholaris censeatur cursum annuum legitime peregisse, qui semel Thesim aliquam eo anno non defenderit. Hujusmodi Theses in carta sint manuscripta.

Utriusque Juris proprietariis liceat, etiam tempore lectionum, Theses minores carta tamen non serico impressas, e superiori loco propugnare. Hoc etiam licebit Regentibus absque eo tamen, quod Theses Dominicis diebus præscriptas prætermittant. Cum in propugnatione Thesium minorum Proprietarius Patronum agit, & argumenta Scholares objiciunt, argumentorum vires tantum Proprietarii vel Doctores adaugeant. Juris Canonici Professores Theses Civiles propugnare poterunt, & Canonicas Jurisprudentiæ civilis Interpretes.

TITULUS XI.

De Theologiæ Professoribus.

§. 12. Inter Theologiæ Auditores nomen suum profiteri nemo valeat, quin Philosophiæ triennale curriculum, aut in hac Cervariensi aut in alia Universitate exegerit; idque constet, ac testatum sit sub Academiæ sigillo, in qua se studuisse affirmat.

Theologiæ Professores singulis annis sub primordia mensis Maji coram Scholastico, & Academiæ Scriba pro lectionibus mox suscipiendis eos Tractatus potissimum ad interpretationem Magistri Sententiarum mature deligant, quos Auditoribus utiliores fore censuerint.

Is vero ordo in hoc delectu servetur, ut primi sint ex gradus antiquitate tres Primarii sententiæ Sancti Thomæ, Scoti, & Doctoris Suarez; deinde eodem ordine Vespertini, tum Sacrorum Bibliorum, & moralis Theologiæ Professores; quæ diligenter in acta referet Secretarius in libris ad hæc destinatis.

Delectos vero Tractatus ita conficiant (resecatis omnino inutilibus quæstionibus) ut pleraque eorumdem Theoremata non tantum ratione fulciant, quam Sacrorum Bibliorum, Sanctorum Patrum, & Conciliorum auctoritatibus, tanquam solidioris veritatis fundamento, sustentent, præsertim adversus Hæreseon Septentrionalium, ac Jansenii, & Quesnelli Sectatores.

Tractatus insuper ejusmodi ita quotannis discernant, ut nunquam duo, diversæ licet scholæ, Professores eumdem prælegant; nec ullus, nisi quadriennium effluxerit, valeat iterare.

Scoti Cathedræ Præfectus præcipue caveat, ne in conficiendis ad prælectiones suas Tractatibus, a mente ejusdem Doctoris deflectat.

Sacrorum Bibliorum Professor & Interpres per idem quadriennium congruentes ex Veteri vel Novo Testamento Commentarios, vel decerptos ex Sacris Bibliis tractatus pro commodiori eorumdem interpretatione Scholaribus dictabit, quæstiones Theologiæ, ut vocant, scholasticæ, tanquam a suo scopo alienas non intermiscens. Qui insuper & Hebræam linguam vel ex Grammatica Bellarmini, vel alterius probati Auctoris, docebit, ut Bibliorum sensus arcanos facilius deprehendant; & ex iisdem fontibus quæcumque ad illius linguæ regulas, & sermonis proprietatem pertineant, explicabit.

Theologiæ moralis Professor identidem potiores de Morali doctrina tractatus edet, & Audientibus explanabit.

Singuli Theologiæ Professores, tum in publicis Gymnasiis, tum in privatis ædibus, si opportune visum fuerit, ita suos comparent Auditores, ut ex iisdem Tractatibus, quos consuetis prælectionibus exceperint, crebras dissertationes conficere usu addiscant.

Tres Primarii ab hora nona ad decimam: Theologiæ vero moralis Professor a decima ad undecimam ante meridiem lectiones producant: Vespertini a secunda ad tertiam: tertia vero ad quartam pomeridianas Bibliorum Interpres. Singulis hebdomadis Theses in Theologiæ facultate propugnentur, ut Artium & Medicinæ Professoribus præscriptum est.

TITULUS XII.

De Oppositione ad Cathedras.

§. 13. Quotiescumque Cathedram aliquam ex qualibet causa vacare contigerit, continuo Scholasticus edicta vacationis in scholis affigi, & per quindecim dies publicari mandet; quibus elapsis, si Cathedra fuerit Proprietatis seu perpetua; post triduum; post unam vero diem, si fuerit temporalis, jubeat ab Academiæ Scriba competitores admitti.

Nec interim negligat Substitutum idoneum, & gradu congruenti insignitum, Cathedræ vacanti sufficere, de consilio Professorum, ad quos illa noscitur pertinere.

Substituti munus hujusmodi gratuito exerceant, tam in casu vacationis, quam, si id fieri propter legitimum Professoris impedimentum, contingat; idemque in substitutionibus Ministrorum,

ſtrorum, quæ valetudinis cauſa fient, omnino ſervetur. Salarium vero, dum vacat Cathedra, in Academiæ compendium cedat.

Qui ad oppoſitionem hujuſmodi admitti nequeant.

Competitores omnes, antequam Oppoſitioni Cathedræ vacantis ſubſcribant, vel Licentiæ gradum adeptos eſſe oportebit, ſi Cathedra ſit perpetua, aut Baccalaureatum, ſi fuerit temporalis; dummodo inſuper curriculum ſtudiorum emenſi fuerint, quod requiritur ad Licentiam.

Gradus autem hujuſmodi uniuſcujuſque Cathedræ facultati ſinguli reſpondeant, veluti gradus Juris Canonici pro Cathedris Canonum, Civilis pro Civilibus, Theologiæ pro ejuſdem Cathedris. Veruntamen ad reliqua Juris utriuſque munia exercenda prædicti gradus promiſcue cenſeantur, quos neceſſe erit, vel in hac Cervarienſi Academia eſſe ſuſceptos, vel in eamdem legitime cooptatos.

Competitores ſinguli, qui Oppoſitioni ſubſcripſerint, ſi poſtmodum neque valetudine neque alia quavis cauſa legitima præpediti, ſtato tempore lege deſtiterint, a Cathedris primo vacaturis arceantur. Juſta vero de cauſa impeditis poterit ad modicum tempus Scholaſticus indulgere; quod tamen octo dierum ſpatium non excedat.

De prævio eorum examine.

Lectiones præviæ ad obtinendas Cathedras diebus tantum profeſtis in ipſo Academiæ Theatro, vel ſi opportunius viſum fuerit, in Gymnaſio, ante vel poſt meridiem a Candidatis habeantur, eo tamen ordine, ut poſtremo recitent gradu antiquiores. Scholaſticus in propriis ædibus præſente Academiæ Secretario & duobus Doctoribus antiquioribus, ſingula ſingulis Competitoribus, ad legendum capita aſſignet ex libro, qui remota omni fraude, ſorte ferri cuſpide ipſis inſpectantibus tripartito aperiatur, facta eiſdem optione, quod voluerint, eligendi; & pro hujuſmodi lectione contexenda, quæ in horæ ſpatium continua oratione producenda erit, integer naturalis dies ſingulis concedatur.

Quilibet, poſtquam lectionem abſolverit, ſententiam ſuam adverſus duos ex competitoribus, a Cancellario deſignandos, per ſemihorulæ ſpatium propugnabit; utriuſque tamen Juris Profeſſores hac lege non teneantur.

Si temporali Cathedra vacante, nullus intra tempus legitimum oppoſitioni ſubſcripſerit, Profeſſor, qui eamdem obtinebat, munus ſuum ad alterum uſque vacationis tempus proſequetur, quin peritiæ ſuæ novum periculum facere obligetur.

Præmittenda ad poſſeſſionem Cathedræ capiendam.

Omnibus, quæ ad Cathedrarum oppoſitionem pertinent, rite peractis, ſingulorum Competitorum tituli & merita, ab Academiæ Scriba literis authentice conſignata, Scholaſtici ipſius opera ad Supremum Regis Conſilium deferantur. Cathedram vero adeptis, non ante, poſſeſſionem inire liceat, quam jura ſive ſtipendia, quæ ad Academiam ſpectant, exſolverint, ſcilicet: Proprietarii quadraginta libras monetæ Cataloniæ: Regentes autem viginti; Ex quibus quadraginta Regalia Secretario, quinque ſingulis Bidellis, totidemque Cæremoniarum Magiſtro attribuantur, reliqua ſumma in ærarium inferatur. Fidei quoque profeſſionem emittant: Cancellario ejuſve Judici jurejurando obedientiam ſpondeant: ſeque in eadem verba Academiæ Sanctiones & mandata ſervaturos, ſuumque munus ſolerter expleturos obſtringant. Neque antequam hæc præſtiterint, ſalario fruantur.

Cathedræ exemptæ.

Cathedræ artis Grammaticæ (ad quas obtinendas nullus gradus requiritur) necnon Humaniorum literarum, Philoſophiæ, Theologiæ, & Sacrorum Bibliorum, quæ conceſſione Regia Profeſſoribus ex Ordine Sancti Dominici, Sancti Franciſci de Aſſiſio, ac Societatis Jeſu in perpetuum addicta ſunt, conſuetis ad Cathedras petendas Academiæ Sanctionibus non ſubjacebunt. Quoties autem ad eas primo aſſumuntur, Cathedris Grammaticæ ac Humaniorum literarum exceptis, prælectionem publice faciant; doctrinæ ſuæ ſpecimen præbituri.

Earumque diſtributio Religioſis Ordinibus.

Cathedræ prædictæ Regularibus deſtinatæ Regio diplomate die 15. Aprilis anno 1724. diſtributæ ſunt, ut infra: Primaria Theologiæ Cathedra Divi Thomæ Doctoris Angelici, & una Artium ex tribus Academiæ pro ejuſdem Sententia, Ordini Sancti Dominici: Primaria Theologiæ Joannis Duns Scoti Doctoris ſubtilis, & una Artium pro ejuſdem Sententia, Seraphico Ordini: Primaria Theologiæ Doctoris Suarez cum una pariter Artium ex tribus Academiæ pro ejuſdem Doctoris Sententia, Societati Jeſu.

Provinciales Sancti Dominici & Societatis Jeſu Lectores ex propria familia ad præfatas Cathedras Regi proponant, & eos undequaque eruditos, politiori doctrina ornatos, & magiſterii apud propria Collegia cum laude perfunctos. Si gradu convenienti præditi non fuerint, vel illum in Academia ſuſcipiant, vel in eamdem, ſi alibi ſuſceperint, cooptentur.

Quoniam vero vel Generalis Sancti Franciſci vel ejuſdem Commiſſarius jugiter in Hiſpania reſident, alterutrer pro tempore eamdem omnino curam & vigilantiam in proponendis ad eaſdem Cathedras ſui Ordinis Magiſtris per ſe adhibeat; quibus gradus, ſi quibus indigeant, gratis conferantur; cum & ipſi gratis id præſtent, eorum vero Cathedræ ſalarium Syndicus Ordinis accipiet, ut inde omne id, quod Regularis Profeſſor indigeat, expendatur; reliquum eleemoſynæ titulo eidem Ordini aſſignetur.

Prædicatorum, & Seraphici Inſtituti Regulares ad reliquas Cathedras aſpirare non valeant. Auditores autem ſæculares, qui Scoti mentem ſecuti fuerint, ad petendas Philoſophiæ & Theologiæ Cathedras tam pro S. Thomæ quam pro ſententia Suarez admitti poterunt.

TITULUS XIII.

De Gymnaſiorum diſtributione, & optione.

§. 14. Gymnaſia, ſeu Scholæ ita ſingulis Academiæ Profeſſoribus diſtribuantur, ut fiat in Claſſes partitio, Grammaticæ, Philoſophiæ, Theologiæ, Medicinæ, & Juris utriuſque juxta aptiorem loci opportunitatem, conceſſo antiquioribus cujuslibet Claſſis Profeſſoribus optionis jure; ita tamen, ut ea de re Scholaſticus certior fiat, qui demum dubia, & controverſias, ſi quæ oboriantur, prout ſuaſerit æquitas & utilitas, arbitrio ſuo judicare poterit.

TITULUS XIV.

De modo, forma, & temporibus Lectionum.

§. 15. Profeſſores Grammaticæ, Humaniorum literarum, Philoſophiæ, Aſtronomiæ, & qui temporales Cathedras Decretalium, & Inſtitutionum in utroque Jure obtinent, viva voce, & continua oratione, materias, ſinguli ad ſuas Cathedras ſpectantes, explicabunt. Adeò vero exactam ſibi præfiniti temporis rationem habebunt, ut ſingula omnino, quæ de ejuſdem diſtributione Academiæ Sanctionibus præſcripta ſunt, ſine fraude conſervent.

Artium Profeſſores, tametſi poſtremum curſus annum attigerint, ad finem uſque menſis Junii, ut cæteri, ſuas lectiones producant.

In Cathedris perpetuis Medicinæ, utriuſque Juris, & Theologiæ integrum horæ ſpatium, itaut nullus prætextus impedire vel interpellare valeat, lectionibus ſuis Profeſſores impendant; Cujus poſtremam partem, quæ quartam non excedat, explicatione eorum, quæ ſcripta Scholares exceperint, viva voce, & perpetua oratione concludant.

Sedulo curent præterea, ut omnes omnino Scholares ab initio ad finem plenas & integras lectiones audiant; nec eas certo tempore inchoandas retardent, dum plerique scholam adventuri moras nectunt; sed ita statutis Magistri adhærebunt, ut nec citius nec serius, quam par est, aut ingredi aut egredi palestram Discipulos patiantur.

Academiæ Judex, qui crebro Gymnasia invisere debebit, omnino caveat, ne lectionum tempora, ordo, & ratio, Scholarium tumultibus, rixis, clamoribus perturbentur; sed singulos in officio contineat, sæpiusque admoneat, & demum in refractarios, ut æquitas tulerit, animadvertat. Eos autem nunquam impunes abire sinet, quos tanta impudentia fuisse noverit, ut ad scholas, otiandi potius aut rixandi causa, quam disputandi & discendi studio, catervatim confluant, vel Professoribus ac Magistris præsertim docentibus negotium facessere non vereantur.

Pœnæ contra lectiones nulla justa causa omittentes.

Si Scholares omnes a primordio lectionum, scilicet a Festo Sancti Lucæ de mense Octobris, usque ad Natalem Domini, quatuor integras lectiones omiserint sine causa, eos Academiæ Judex, ut res ipsa postulat, acriter objurgabit. Si rursus tale aliquid commiserint per dies octo, propriis in ædibus in custodia detineantur. Quod si ter idem ausi fuerint, studiorum cursus hujusmodi, omissionibus intermedius, irritus omnino censeatur.

Præterea, si qui etiam neque ex valetudine neque alia justa de causa per aliquod spatium temporis, veluti in mensem integrum, sponte lectiones non audiverint, in cursuum probatione rejiciantur. Proinde ipsi Professores jurato spondeant, se in hisce probationibus, posthabitis omnibus privatis studiis, ad conscientiæ normam, & Academiæ præscripta cuncta moderaturos. Quod si aliquando in ancipiti hærerent, rem Scholastici judicio dirimendam proponent, qui etiam, ne nimia indulgentia & facilitate Scholarium desidiæ & negligentiæ ansam præbeat, intra æquitatis & justitiæ limites jus suum exercebit.

Lectionum temporibus nemo unquam Officialis docentes ex Cathedra Professores interpellet, neque eos ad Academiæ Concilium evocandi causa, vel ad alium Academiæ functionem, neque pro feriis denunciandis, vel alio prætextu. Duos insuper uno eodemque tempore literarios actus, ejusdem præsertim facultatis, celebrare non liceat. Universa autem lectionum, thesium, disputationum genera, & quidquid ad doctrinam in quavis scientia tradendam vel excolendam pertineat, tum a Præceptoribus tum a Scholaribus latine pertractanda esse statuimus. Si vero res hujusmodi sit, quæ aliquando vernaculum sermonem desideret, Castellano utantur, nec a præscripta docendi norma recedant.

Singuli omnium facultatum Professores in contexendis Tractatibus, ad propriam Cathedram pertinentibus, dabunt sedulam operam, ut nihil ab instituto suo alienum, nihil inutile suis Auditoribus proponant; ne singula singulis temere permisceant, & servandum in disciplinis tradendis ordinem cum discentium jactura pervertant. Hæc autem Cancellarius adamussim servari curabit, vitia, si quæ irrepserint, prout jus fasque fuerit, emendaturus.

TITULUS XV.

De absentia Professorum.

Pœnæ contra Professores eodem modo a lectionibus cessantes.

§. 16. Professor, qui per triginta dies continuos, computatis etiam non profestis in id temporis incidentibus, dummodo non sint ex principalibus, quæ tum æstivo tempore tum solemnibus Natalis, & Dominicæ Resurrectionis conceduntur, vel intermissos, sine causa a lectionibus cessaverit, & abfuerit, ipso facto Cathedra & Magisterio abdicetur. Scholasticus vero & Concilium, sufficiens tempus impeditis, aut rationabili de causa absuturis impertiatur; non tamen Cathedra destituatur, sed interim absentis vices & locum Substitutus Professor subeat.

Concessionis tempus nulli excedere liceat, ac proinde Bidellus Punctator, eo elapso, Judicem præsente Secretario adeat, ut eo admonito, quid præterea consilii capiendum sit, a Cancellario & Concilio decernatur.

Acad. Officialibus sine licentia scholastici abesse non liceat.

Academiæ Officiales citra Scholastici veniam abesse non possint, quibus tamen, etiam justa de causa, ultra octiduum lectionum tempore non concedatur, nec ultra mensem tempore feriato. Quod si non impetrata venia abfuerint, mulcta afficiantur; ac etiam duplo, si revocati redire cunctentur; mox etiam officio abdicentur, si moras ulterius nectere ausi fuerint.

TITULUS XVI.

De Repetitionibus Professorum Cathedras perpetuas obtinentium.

Repetitiones quo faciendæ tempore.

§. 17. A festo Dominicæ Resurrectionis ad finem usque cursus literarii, diebus feriatis occurrentibus, omnes Academiæ Professores, qui Cathedras perpetuas moderantur, in majori Universitatis Theatro repetitionem anniversariam, pridie in Gymnasio repetentes publicandam, ex materia, quam unusquisque publice tractat, erutam, in horæ spatium ex præscripto Academico habere teneantur. In eos, qui id prætermiserint, mulctam decem ducatorum Cancellarius irrogabit, quæ Bibliothecæ compendio assignetur.

Series repetitionum.

Theologi hujusmodi repetitiones ineant, nimirum Primarii tres Professores, hac ratione, ut antiquior præferatur: Similiter Vespertini: Sacrorum deinceps Bibliorum Professor, & moralis Theologiæ: Præterea Canonistæ, servato Cathedrarum ordine: mox Juristæ, Medici, Matheseos & Philosophiæ moralis. Literarum vero humaniorum Præceptor, qui ad ejusmodi receptionem non obligatur, orationem pro studiorum instauratione coram Academiæ cætu in festo Sancti Lucæ in semihoram habebit.

Repetentium Comitatus.

Bidelli, & Cæremoniarum Magister, Professores repetentes, ad Domos proprias euntes & redeuntes, ut moris est, in functionibus publicis comitentur. Quod si non præstiterint, ducati dimidium singuli persolvant ad Bibliothecæ compendium. Professoribus repetitiones suas Typis mandatas edere concedatur, quas etiam in Bibliothecam licebit inferre.

TITULUS XVII.

De Tractatibus, seu Materiis Professorum Bibliothecæ inferendis.

§. 18. Lucubrationes, quas pro Magisterii munere Professores de scripto per totum annum Scholaribus proponunt, ab iisdem nomine & anno, sua manu subscriptas, Scholastico, præsente Universitatis Scriba, qui rem in acta referat, die prima mensis Julii exhibeantur, ut in scriniis ipsius Academiæ serventur. Si quis vero ex Professoribus id facere recusaverit, mulctam decem ducatorum subeat, Bibliothecæ compendiis assignandam.

Hoc item præstabunt omnes Proprietarii, excepto Rhetorices Professore. Regentes præterea Sexti, & Clementinarum, Digesti veteris, & Voluminis, Methodi, Simplicium, Anatomes, & Chirurgiæ; Septem vero Professores Artium exacto triennio, sicuti qui Tractatum, seu materiam ultra annum, ut per statuta licet, extenderint, eam non nisi absolutam afferant, quod & Cancellario innotescere, & Secretarius in acta referre debeat.

Cancellarius curam gerat, ut Tractatus ejusmodi Bibliothecæ quamcito inferantur, in iisque

custodien-

custodiendis ordo, ratio, & quidquid pro reliquis Bibliothecæ libris statutum est, omnino servetur.

TITULUS XVIII.

De Salario Professorum Cathedras perpetuas obtinentium.

§. 19. Professores, qui Cathedram perpetuam sint adepti, infra semestre Doctoratus lauream consequi debeant, atque interim Cathedræ salarium ipsis non persolvatur. Quod si hujusmodi tempus elabi patiantur, & gradum, ut præscribitur, suscipere neglexerint, ipsa quoque Cathedra priventur.

Si intra sex menses gradu nondum suscepto, aut e vita excesserint, aut Cathedram alias deseruerint, eorum salarium in Academici Orarii compendium cedat.

Si contigerit, aliquem ex hujusmodi Professoribus, dimidio tamen cursu jam peracto, e vita migrare, ipsi salarium totius anni exolvatur; quemadmodum & Professoribus ob vicennale curriculum emeritis. Iis vero, qui, vel promoti fuerint, vel aliis de causis Cathedra se abdicaverint, ad diem dumtaxat, quo legere per se cessaverint, pro rata salarium dependatur.

TITULUS XIX.

De Professoribus emeritis.

Qui Lectores emeriti.

§. 20. Qui viginti annos continuos aut intermissos, aliquam Cathedram ex perpetuis, necnon partim Theologiæ, partim etiam Philosophiæ moralis legitime & laudabiliter juxta sanctiones Achademiæ in eadem rexerit, honore Professoris Emeriti decoretur, & salario, quoad vixerit, ut lectores cæteri perfruatur.

Salarium iis continuandum.

Qui Jubilationem assequi nequeant.

Hanc vacationem Professoris emeriti, vulgo Jubilationem, cæteri lectores Cathedrarum temporalium assequi non possint; neque ille, qui in regenda perpetua vel incuriæ nomine plus cæteris notatus & mulctatus sit, vel suum munus per substitutum obierit, nisi impeditus aut absens Academiæ causa fuisset.

Emeriti vacatio a Concilio petenda.

Quicumque vicennali cursu peracto Emeriti vacatione cupit honestari, id coram Concilio Definitorum petat. Concilium vero statim Ratiocinatoribus negotium dabit, ut præsente Secretario diligenter exquirant, num Professor vicennale curriculum juxta Academiæ sanctiones rite confecerit; cumque Concilium hoc legitime constare intellexerit, vacationem decernat.

Hujusmodi autem vacationis concedendæ solemnis mos erit, ut in Theatrum majus singuli Academiæ Doctores conveniant, & inaugurati Professoris laudes Collega ejusdem facultatis oratione, ex tempore palam habita, exornet.

Professor obtenta vacatione sacchari sex libras singulis Ratiocinatoribus distribuet, Secretario aureum, sive duplam, & duplæ dimidium Bidello majori erogabit.

Emeriti Jurium Professores nobiles cum liberis declarantur.

Magisterii vacationem adeptus poterit, si ita placuerit, diutius eidem Cathedræ præesse, & salario integro frui, dum probe in omnibus muneri satisfaciat: Juris vel canonici vel civilis Professor vacationem consecutus, quoad ipse vixerit, una cum liberis nobilitate, quam vocant Hidalguia, perfruatur.

TITULUS XX.

De Salario Professoris Emeriti, & eorum, qui ex hac vacatione Cathedras adipiscuntur.

§. 21. Qui Cathedram Professoris Emeriti obtinuerit, hoc superstite, salarium prioris Cathedræ, quam regebat, tantum percipiat: Item, qui secundam, & gradatim reliquas ejusdem classis Cathedras assequatur. Qui vero postremus fuerit, integrum salarium accipiat, cujus tamen tertia pars ex salario Professoris Emeriti deducatur. In Cathedris vero Theologiæ moralis, Philosophiæ moralis, Rhetoricorum, & Astronomiæ, & in iis, quæ Regularibus destinantur, Professoris Emeriti Cathedram adepto integrum exolvatur salarium, videlicet duæ partes ex Universitatis reditibus, altera vero ex salario dicti Professoris.

TITULUS XXI.

De Cathedrarum temporalium Curriculo.

§. 22. Septem cathedræ Artium & Chirurgiæ, tres Institutionum civilium, & tres Decretalium, triennio terminentur. Methodi vero Simplicium & Anatomes, Digesti veteris, Voluminis, Sexti, & Clementinarum, quadriennio. Lapsis igitur triennio vel quadriennio, statim vacantes Edicto publicentur juxta Academiæ sanctiones. Quod si cathedræ Artium vacaverint triennio nondum exacto, qui suffectus fuerit, eas tantummodo tempore, quod supereſt, obtineat.

Non perinde vero fiat in plerisque aliis; nam expleto tempore, quod prædecessoris curriculo deest, novum atque integrum, & sanctionibus Academiæ præfinitum docendi cursum Successores instituent.

In Grammaticæ Cathedris, quod pro eisdem peculiariter statutum est, observetur.

TITULUS XXII.

De Scholaribus albo inscribendis, & Cursuum probatione.

§. 23. Scholares omnes a Grammatica ad Theologiam, Academiæ albo seu matriculæ inscribantur; quod accurate præstabit Secretarius singulas seorsim describens facultates, & in qualibet singulorum nomina, & patriam, una cum die, mense, & anno; alioquin nec Foro gaudeant, nec privilegiis Academiæ, nec ratus eorum Cursus, nisi a die, qua Matriculæ inscripti fuerint, censeatur: Idque fiat infra dies quindecim post festum Sancti Lucæ, ut integro studiorum curriculo: vel infra quindecim post Natalem Domini, ut dimidiato satisfaciant; alioquin tempus a die Matriculæ dumtaxat æstimandum suffragetur. Matriculæ autem pro una scientia alteri accommodari non possit, adeout Civilis candidati cum expleto anno secundo Juris civilis Canonicum simul aggrediuntur, peculiari etiam Matricula Canonistarum indigeant. Matriculæ defectum supplere Cancellarius non valebit, nec hujusmodi lege Scholares solvere, neque ab altera facultate ad alteram transferre; & si quid hujusmodi contigerit, irritum censeatur, nisi id Tabellionis errore factum fuisset. Quod vero ad Fori privilegium attinet, ultra triennium non porrigatur, a postrema Matricula computandum.

De Matriculæ necessitate, distinctione quoad diversos Cursus &c.

A Baccalaureis, & in aliqua dignitate constitutis, pro matricula octo denarios Catalanos Secretarius exigat, a cæteris quarumcumque facultatum Scholaribus sex, a Grammaticis quatuor, a Professorum vero filiis nihil eò nomine accipiatur. Si Secretarius Matriculæ diem fraudulenter in actis aut postposuisse aut prætulisse compertus fuerit, citra spem veniæ privetur officio.

Quid pro Matricula dandum Secretario.

In Cursuum testimoniis peculiarem & distinctam cujuslibet Matriculæ, ante ab unoque susceptæ, mentionem faciat: Quod si prætermiserit, quadraginta regalibus prima vice, & imposterum octoginta, Bibliothecæ assignandis, mulctetur.

Si ex Matricula, testimonio Cursus inserta constiterit, Scholarem integre cursum non perfecisse, ad gradus examen non admittatur, nisi proxime sequenti anno, quod cursui deest, expleverit. Quod si ad tertiam anni lectivi partem sine causa a lectionibus abfuerit, ipsius cursus plane irritus judicetur. Hujusmodi supplementum cuilibet, qui cursum intermiserit, permittatur; Verum si hoc ex valetudine contigerit, cursus legitime inceptus pro confecto habebitur.

Juramentum ab Officialibus & Professoribus quot annis præstandum.

Omnes præterea Universitatis Ministri seu Officiales, qui ab Academia quemadmodum Professores salarium accipiunt, singulis annis ad festum Sancti Lucæ de mense Octobris Matriculæ inscribantur; quo die omnes pariter, qui in præsenti Academia Cathedras perpetuas vel temporales regunt, post emissam fidei professionem jurare obedientiam Scholastico ejusve Judici debeant; necnon se, omnes & singulas, quæ ad eos spectent, Academiæ sanctiones servaturos, & quidquid sibi, quod æquum justumque sit, Universitatis nomine injunctum fuerit, executuros.

De judicio Cursuum Scholarium.

Singulis annis post octavam Corporis Christi omnium Scholarium cursus, num rati num irriti censendi sint, diligenti examine, Academiæ Judici & Tabellione præsentibus, probentur.

Quid Judices debeant ad hoc examinare.

Omnes jurejurando promittant ad juris & conscientiæ regulas, & juxtà Academiæ Sanctiones sententiam dicturos; & illud præcipue animadvertant, num Scholares singuli in singulas hebdomadas pro suggestu Theses defenderint, ac omnibus, ad quas obligantur, lectionibus interfuerint: videlicet, tam illis, quæ dictantur, quam quæ viva Magistri voce excipiuntur, ut in Cathedris Decretalium, & Institutionum Civilium.

Probationes Cursuum a Theologis initium capiant: mox ad utriusque Juris Professores: deinde ad Medicos, & Artium lectores gradum facient.

Hujusmodi probationibus quilibet Scholaris per se ipse intersit, nisi aut valetudinis, aut alia justa absentiæ causa impediatur; quam tamen Cancellarius cognoscat, ut eam non nisi urgente necessitate admittat. Cursus eodem anno, quo perfectus est, probetur: Non nisi exacto anno probatio valeat, nec in proxime sequentem annum differri possit.

Pro Cursus probatione Artium cultores quatuor denarios Catalanos persolvant Secretario: Cæteri sex: Professorum filii gratis probentur.

Quod improbati cursus a nemine comprobari possint.

Improbatos & irritos Cursus nec ipse Cancellarius comprobare, nec privilegio aliquo confirmare possit, nisi manifesta injuria gravatos compererit.

Cursus vero alibi peracti ab Academia possint admitti.

Cursus licet in alia, quam in hac Cervariensi Academia peracti, admitti poterunt, dummodo legitime, & Academico more confectos fuisse constiterit. Quod tamen, inscio Scholastico, Academiæ Secretario non licebit. Idemque obtinebit pro Collegiis, Seminariis, vel Regularibus domibus Cataloniæ, ubi Artes & Theologia legitime doceantur. Caveat tamen Cancellarius, ne sub hoc obtentu non legitimi Cursus subrepant.

TITULUS XXIII.

De Regula ab Scholaribus, dum vacant Studiis, observanda.

Qua conditione Cursus legitimus, & completus censendus sit.

§. 24. Cujuscumque facultatis Auditores cursum in quavis scientia legitimum peregisse non censeantur, nisi in Philosophia per triennium, in Medicina vero, Jurisprudentia, & Theologia quadriennium diligenter statis horis tam ante quam post meridiem lectionibus tam ordinariis quam extraordinariis, necnon Thesibus propugnandis, & quibuslibet aliis consuetis literariis actibus interfuerint, prout singulis Academiæ leges præscribunt.

A quolibet Auditore semel in anno defendenda aliqua Thesis.

Omnes Philosophiæ, Medicinæ, Jurisprudentiæ, & Theologiæ Auditores quotannis semel Thesim aliquam in propria facultate ex iis, quæ ad singulas hebdomadas ex suggestu proponi solent, sub Magistri præsidio defendere parati sint, & ad ejusdem nutum defendant, nisi legitime impediantur.

Diligenter vero Scholasticus inquirat, an id ipsi præstiterint, præsertim cum pro Baccalaureatus examine veniam ab eodem Scholares petierint.

Curriculo ad Baccalaureatum legitime peracto, Philosophiæ, Medicinæ, & Theologiæ Studiosi in annum; in biennium vero utriusque Juris ad Academiæ placitum suæ unusquisque facultati diligenter incumbat, priusquam ipsis pro Licentiæ gradu examen subire concedatur.

Tempus post Baccalaureatum cæteris vacandi studiis.

Grammaticæ Latinæ & Græcæ, Humaniorum literarum, & Matheseos Candidati annorum rationem & numerum eisdem Academiæ Sanctionibus præscriptos observent. Artium quoque cultores Summulis, Logicæ, Metaphysicæ, Physicæ triennio dent operam, ut pariter Academicis legibus statuitur.

Medicinæ Auditores Anno Primo lectionibus Cathedrarum primariæ, Prognosticorum, & Anatomes horis antemeridianis interfint; post meridiem vero lectionibus Cathedræ Vespertinæ, & Methodi: Anno Secundo primariæ Prognosticorum & Anatomes ante meridiem; Methodi & Chirurgiæ post meridiem: Anno Tertio Primariæ & Anatomes ante meridiem; Methodi & Chirurgiæ post meridiem; Anno Quarto Primariæ Prognosticorum & Anatomes ante meridiem; Vespertinæ & Chirurgiæ post meridiem. Lectiones quoque simplicium, ut ipsis injungitur, non omittant.

Jurisprudentiæ Studiosi audiant Anno Primo ante meridiem Institutiones Civiles, ut in titulo decimo statuitur: Itidem Cathedræ Pandectarum Primariæ interfint: Mox accedant ad lectiones extraordinarias Institutionum primi & secundi libri; post meridiem Vespertinam Juris Canonici Cathedram adeant, tum in privatis exercitationibus sint frequentes: Anno Secundo ante meridiem Institutiones Civiles, ut in titulo decimo Cathedram Primariam Canonum, & lectiones extraordinarias Institutionum Civilium libri tertii & quarti audiant; post meridiem Pandectarum Cathedram Vespertinam, & in exercitationibus privatis interfint: Anno Tertio ante meridiem Institutiones Civiles, ut titulo X. Cathedram Codicis primariam, & lectiones extraordinarias libri primi & secundi Institutionum Civilium; post meridiem Cathedram Vespertinam Codicis, & easdem privatas exercitationes obeant: Anno Quarto ante meridiem lectiones extraordinarias Institutionum Civilium libri tertii & quarti, & Cathedram Decreti; post meridiem Cathedram Voluminis, & privatis pariter exercitationibus vacent. Cathedras Digesti veteris etiam audiant, ut ipsis præscribetur.

Qui Juri Canonico studeat, exacto prius in Jurisprudentia Civili biennio, id est anno tertio, audiant ante meridiem Institutiones civiles, ut titulo X., insuper & lectiones extraordinarias Institutionum civilium libri primi & secundi, & Cathedram Decreti; post meridiem audiant lectiones Decretalium, ut eodem titulo X.: Anno quarto ante meridiem lectiones extraordinarias Institutionum Civilium libri tertii & quarti, & Cathedram Concilii Tridentini; post meridiem Decretales, ut præfato titulo. Audiant quoque Cathedras Sexti, & Clementinarum horis sibi assignandis.

Porro Præceptores sedulo curabunt, ut Juris utriusque Studiosi quæcumque hac super re ipsis injuncta & præcepta fuerint, diligentissime præstent. In hoc idem non disparem diligentiam Cancellarius adhibebit, qui lectionum extraordinariarum distributionem ad Institutiones civiles antemeridianis horis explicandas, prout ipse utilius censuerit, temperabit.

Juris civilis Studiosi, si Juris hujusmodi quadriennio annuum Juris Canonici cursum adjunxerint, Juris utriusque Baccalaureatum consequi poterunt; idque vicissim pro Canonistis valeat.

Theologi in quadriennium tam ad Primariam quam ad Vespertinam ejusdem, quam sequuntur, sententiæ Cathedras assidui esse teneantur. Scotistæ autem ad Primariam propriæ sententiæ, & ad Vespertinam Doctoris Suarez. Verum omnes pariter Anno primo Philosophiæ morali, secundo, tertio, & quarto Cathedræ Sacrorum Bibliorum, & Theologiæ morali operam dabunt.

Scholaribus a Grammatica ad Theologiam nonnisi semel liceat exactum anni curriculum in eadem facultate repetere, nisi ob affectam valetudinem secus facere cogantur.

Ad Licentiæ gradum promovendi novum sui periculum facere teneantur.

Qui legitime Cursum ad Baccalaureatum peregerit, ut postmodum ad Licentiæ gradum promoveatur, iterum se exercere, & novum, ut in quavis facultate præscribitur, sui periculum facere obligetur.

TITULUS XXIV.

De Chirurgiæ Studiosis.

Chirurgiæ Auditores per examen admittendi.

§. 25. Ad Chirurgiæ studium se conferre volentes, congruenter in latino sermone, & Philosophia versati sint; qua de re, ut in Academia moris est, non aliter, quam prævio examine & approbatione admittantur. Præcipuos hujus artis Tractatus a Prælectore triennio excipient de Scripto. Quadriennium insuper experimentis Chirurgicis diligenter impendent in hac vel alia Civitate, in qua sit Collegium Chirurgorum, donec Magisterii honorem assequantur: quem non ante obtinebunt, quam lectionem ex Guidonis Tractatu de Vulneribus, Ulceribus, & Tumoribus sorte ducendam in semihoræ spatium habeant, & in tres continuas horas a Medicinæ & Chirurgiæ Professoribus examinentur & approbentur; nec non stipendia, quæ jure, & ex Academiæ præscripto pendi solent, persolvant: triginta videlicet libras monetæ Catalanæ, ex quibus viginti quatuor distribuantur inter Examinatores & Cancellarium, cui tamen duplex portio debetur; reliquum inter Secretarium & Ministros.

Qua conditione Magisterium iis conferendum.

Gradum ejusmodi consequutus pro toto Cataloniæ Principatu Chirurgiæ Magister censeatur, nec aliam sive Archiatri sive Collegii probationem aut licentiam desideret.

Quæ eorum sint Privilegia.

Qui Chirurgiæ triennium in hac Universitate legitime confecerit, ad Magisterium vel ex Collegio Barchinonensi, vel ex Archiatro obtinendum, dimidium solum persolvat distributionum, quas cæteri dependere obligantur. Eo præterea peculiari beneficio & privilegio gaudeat, ut pro suo jure in quavis Principatus parte Chirurgiam facere possit. Collegium vero Barchinonense nulli Magisterium demandare valeat, qui testimonium Academiæ Secretarii non exhibuerit, quo legitime constet, triennale curriculum rite & ex Academiæ Sanctionibus peregisse.

Chirurgiæ Studiosi uti veste Academica non astringantur, dummodo decenter alioquin incedant.

TITULUS XXV.

De stipendiis, sive pecuniæ distributionibus, ad gradus suscipiendos persolvendis.

Gradum aliquem suscepturi ad examen non admittendi nisi post datam statutam pecuniam.

§. 26. Qui gradum Baccalaureatus, Licentiæ, Doctoratus, sive Magisterii in qualibet facultate suscepturus sit, consuetam in hac Universitate apud Academiæ Secretarium pecuniæ summam deponat; alioquin eum nequaquam ad examen Cancellarius admittat. Ejusmodi vero pecunia partim in Academiæ compendium cedet, partim in Scholasticum, Doctores, & Ministros, qui hujusmodi actis ex officio interfuerint, distribuetur:

Quæ vero pro quolibet gradu sit summa.

Videlicet: Pro Baccalaureatu cujuscumque facultatis sex libræ monetæ Cataloniæ, ex quibus duodecim regalia Cancellario, sex Examinatoribus singulis, tria Bidellis singulis, unum singulis Apparitoribus, duo Cæremoniarum Magistro, decem Secretario, decem ærario Academiæ attribuantur.

Pro Baccalaureatu sex libræ monet. Catal.

Pro Licentiæ gradu in Jure canonico vel civili, octoginta libræ solvantur, quarum dimidia summa tribuatur ærario; ex altera vero Cancellario sex libræ: Patrono quatuor: tres singulis Examinatoribus: Secretario quatuor: Bidellis tres: una singulis Apparitoribus: una Cæremoniarum Magistro.

Pro Licentia in Jure 80. lib.

Pro Doctoratu in Jure canonico vel civili libræ centum & viginti quatuor; ex quibus quadraginta quatuor ærarium sibi vindicet, ex reliquis octoginta Cancellarius duodecim, sex Patronus, singuli Juris canonici vel civilis Doctores tres, cæteri aliarum facultatum Doctores vel Magistri, singuli singulas, Secretarius sex, singulas singuli Bidelli, singuli Apparitores singulas, unam Magister Cæremoniarum.

Pro Doctoratu in eodem 124. lib.

Pro Licentiæ gradu in Theologia, & Medicina libras sexaginta, ex quibus triginta sex ærario. Ex reliquis viginti quatuor Cancellario quatuor: Patrono duæ: singulæ singulis Examinatoribus: Secretario duæ: Bidellis, Apparitoribus, & Cæremoniarum Magistro singulæ dependantur.

Pro Licentia in Theolog. & Medic. 60. lib.

Pro Doctoratu in Theologia, & Medicina nonaginta quatuor libræ; ex quibus triginta quatuor ærario; ex reliquis sexaginta Cancellario octo: Patrono quatuor: duæ Medicinæ Doctoribus: Septem regalia cæteris Doctoribus, seu Magistris: singulis Bidellis sesqui libræ: singulis Apparitoribus singulæ: libra una Magistro Cæremoniarum.

Pro Doctoratu in eisdem 94. lib.

Pro Licentiæ gradu in Artibus quinquaginta libræ; ex quibus triginta ærario; ex viginti reliquis Cancellario tres: Patrono duæ: singulis Examinatoribus singulæ: Secretario duæ: Bidellis quatuordecim regalia: duodecim Apparitoribus: sex Magistro Cæremoniarum.

Pro Licentia in Artibus 50. lib.

Pro Magisterio in Artibus quinquaginta quatuor libræ; ex quibus viginti quatuor ærario; ex reliquis triginta Cancellario duæ: una Patrono: singulæ singulis Artium Magistris: cæteris Doctoribus septem solidi: Secretario duæ libræ: singulis Bidellis quinque regalia: singulis Apparitoribus quinque: & quinque Magistro Cæremoniarum.

Pro Magisterio in iis 50. lib.

Si quid ex pecuniarum summis ad distribuendas propinas assignatis supersit, in ærarium inferatur; si quid vero defuerit, ex eodem depromere liceat.

Quod superest ex assignatis in ærarium inferendum.

Ex summis, sive portionibus pecuniarum, quæ pro licentiis Canonum, Legum, Theologiæ, Medicinæ, & Artium, Academiæ ærario solvuntur, poterit pro arbitrio Cancellarii decerpi & erogari, quidquid pro impensis, ex more Academico fieri solitis, in licentiæ functionibus opus fuerit: videlicet triginta sex libræ in Licentiis utriusque Juris: Viginti quinque libræ in Licentiis Theologiæ, & Medicinæ: Viginti libræ in Licentiis Artium: ac demum pro Doctoratus seu Magisterii solemniis in quavis facultate duodecim libræ, quæ pro singulorum Doctoratuum, seu Magisteriorum collatione ex summa pariter ad Ærarium pertinente deducentur. Hæc autem impensa augeri non possit, tametsi plures eodem tempore Doctoratum seu Magisterium suscipiant.

Si quis Baccalaureatum, aut Licentiæ honorem petens, ab Examinatoribus repulsam patiatur, vel quia præfinitum legendi tempus non expleverit, vel quia dignum pro gradu suscipiendo peritiæ specimen non exhibuerit, pecunia ad id deposita non secus, acsi gradus

Ad gradus non admissi pecunias amittant.

conferretur, distribuenda erit. Candidato autem hujusmodi rursus examinando vel annum vel brevius etiam, si ita æquum videbitur, temporis spatium statuetur, addito tamen onere consuetas iterum impensas faciendi; quod si in altero examine defecerit, deinceps non admittatur.

In Anniversario Conceptionis B. Mariæ Virginis Theses propugnantibus Baccalaureatus gratis dandus.

Scholaribus, qui in Anniversario & solemni Octiduo juxta laudabilem præsentis Universitatis consuetudinem, Conceptioni B. Virginis Mariæ consecrato, Theses literias pro Academia propugnaverint, Baccalaureatus gratis, non tamen absque examine, conferatur.

Prætor Cervariæ, aut quicumque alius Magistratus, nocturnis horis, quibus in Academia pro Licentiis examen haberi solet, Doctorum seu Magistrorum famulos venientes & abeuntes nec impediat, nec remoretur.

Ceremoniæ in gradibus conferendis observandæ.

Dum in Academia Doctoratus & Magisteria solemniter conferuntur, Doctores seu Magistri, suæ quisque facultatis insignibus exornatus, huic celebritati intersint, ad quam ab ædibus Cancellarium deducent, quem a sinistris comitabitur Candidatus sola ornatus Epomide seu Almutio, a dextris autem Patronus; rursumque omnes, collatione gradus peracta, ab Academia ad easdem Cancellarii ædes rite & de more progredientur, ita tamen, ut Patronus, & recens Laurea insignitus locum, unusquisque proprio gradui destinatum, obtineat.

TITULUS XXVI.

De Examine ad Gradus promovendorum.

Ad gradus promovendi se cursus rite confeciſſe probare teneantur.

§. 27. Cum par æquumque sit, ut qui ad Academicos gradus adspirant, ingenium pariter omni solertia excolere, & doctrina cumulare satagant, jure optimo statuitur, ut Scholares omnes, qui pro quovis gradu ad examen vocandi fuerint, legitimis antea documentis Scholastico ostendant & probent, se cursus ex præscripto Academico constitutos, vel in hac ipsa Universitate vel alia, rite confeciſſe, atque ita, ut tempus præstitutum, & legitime computatum singulis gradibus respondeat;

Videlicet pro Artium Baccalaureatus tres ejusdem facultatis integros cursus confeciſſe oportet; tamen, ut nullum præfatis curſibus, vel Medicinæ, vel Theologiæ simul impendere liceat: Pro Medicina, post adeptum Artium Baccalaureatum, quadriennium: Pro utroque Jure, præter confectum Dialecticæ curriculum, quadriennium pariter juxta Sanctiones Academiæ: Pro Theologia quadriennium etiam absolviſſe, ac insuper acquisiviſſe in Artibus Baccalaureatum, vel saltem peregisse ad eumdem obtinendum legitimos cursus.

Examen quod esse debeat.

Qui Baccalaureatum in quacumque facultate obtinere velit, prælectionem ex tempore in semihoræ spatium habere debeat. Postmodum vero tres Doctores seu Magistri, vel perpetuam vel temporalem ejusdem facultatis Cathedram obtinentes, quibus dumtaxat in omni gradu jus examinandi tribuitur, ejusdem in illa Arte peritiam variis hinc inde quæsitis ad horam integram experimento severiori scrutentur & explorent.

Hoc autem tempus, ut etiam in Licentiæ gradibus, nec ipse Cancellarius contrahere, potius vero ut ad sesquihoram porrigatur, mandare possit. Candidatus tametsi quavis dignitate excellat, vel sit filius Magnatis Hispaniæ, stans & detecto capite ab antiquiori Doctore Baccalaureatum petat, nec ipsum tunc Bidelli comitentur.

Cancellarius post Festum Sancti Lucæ tres antiquiores ex unaquaque facultate Doctores, & singulis deinceps annis eodem ordine reliquos, destinabit, qui in eum annum ad Baccalaureatum promovendus rite examinent. Hi vero caveant, ne colluſorie cum Candidatis agant, eosque de proponendis examinis punctis, & argumentorum solutionibus ex composito præmoneant, aut suffragium suum de eorumdem approbatione illis patefaciant. Proinde jurato spondeant, injunctum sibi munus, qua par est diligentia, ad Academiæ præscriptum tam pro Baccalaureatu, quam pro Licentiæ gradu, obituros; seque nullatenus commissuros, ut examinis severitas labefactetur. Hujusmodi examina Secretarius in acta referet Codice ad id parato; quod si præstare neglexerit, decem ducata in Hospitalis compendium dependet.

Juramentum ab Examinatoribus præstandum.

De Suffragiis approbationis, vel improbationis.

Suffragia approbationis & reprobationis per tesserulas seu globulos literulis A & R signatos in Urnam cautim ab Examinatoribus conjiciantur, servato inter se antiquitatis ordine. Patronus autem in licentiis primum in ferendis suffragiis locum obtinebit, quæ Secretarius excipiat, & mox palam proferet, ut omnibus innotescant. Publicato semel Scrutinio, fas non sit, suffragia rursum accipere; neque etiam sub obtentu, quod aliquis imprudenter vel A pro R, vel R pro A, in Urnam injeciſſet.

Juramentum ab admiſſis præstandum.

Candidati rite examinati, priusquam Baccalaureatus honore decorentur, quod etiam in Licentiis & Magisteriis obtinebit, fidei, ut moris est, professione præmissa, in verba ex Academiæ formula præscripta jurabunt, se Immaculatam B. V. hujus Academiæ Patronæ Conceptionem, & Constitutionem Unigenitus san. me. Clementis XI. strenue propugnaturos. Privilegia insuper, prærogativas, & jurisdictionem præsentis Universitatis nunquam a se oppugnatum iri; & non solum ejusmodi gradum in alia Academia non susceپturos, sed neque subituros examen.

Ad Baccalaureatus Medicinæ, Juris utriusque, & Theologiæ examen Cancellarius aptum & certum temporis spatium præscribet, a Pentecoste ad Festum Sancti Joannis de mense Junii. Tres Examinatores, postquam uniuscujusque facultatis candidatos rite probarint, seorsim præterea illos diligentiori examine explorent, ac præmisso de justitia & æquitate retinenda jurejurando, inter singulos juxta eorumdem majus vel minus meritum & peritiam prælationis ordinem constituent. Secretarius rem in acta referet, & quem cuique obtigerit prælationis locum, in Baccalaureatus diplomate adscribet, simulque Candidatorum numerum recensebit; quod si vel hoc prætermiserit, vel prælationis seriem & ordinem inverterit, officio privetur.

Porro singuli post primum deinceps Baccalaurei præter stipendia jam præscripta pro singulis quibusque gradibus, quibus a primo Baccalaureo distant, bina insuper regalia pendent: Videlicet secundus in ordine regalia duo: Tertius quatuor: Quartus sex, & sic deinceps. In publicis Academiæ functionibus unicuique juxta Prælationis ordinem ipsis constitutum locus aut gradus, sive in incessu sive in sessionibus, aut dignior, aut inferior assignabitur.

Qua conditione Licentia in artibus danda.

Ad Licentiam in Artibus obtinendam Candidatus Philosophiæ Morali in Anno dare operam, atque ita se in illis ipsis artibus, quas triennio addiscit, exercere debebit, ut bis Thesibus propugnandis præsit, extraordinarias lectiones per tres menses habeat, & interpretationem ex tempore inter Competitores ad Cathedram Artium vacantem instituat.

Qua Medicinæ.

Ad Licentiam Medicinæ annus quintus experimentis practicis diligenter impensus exigitur, ut Academiæ Sanctiones præscribunt.

Qua Juris utriusque.

Ad Juris utriusque Licentiam biennio Candidatus exercitationi, quam vulgò *Paßantiam* dicunt, vacasse oportebit, exacto prius legitime

qua-

quadrienno: ad Baccalaureatus Juris civilis cultores explicent Anno primo Institutionum Justiniani Libros primum & secundum: tertium & quartum Anno secundo. Thesibus praeterea ex materia Civili pro arbitrio deligenda pro suggestu defendendis unoquoque anno praesideant, quibus Juris utriusque Professores interfint. Argumenta Scholares proponant, quorum primum quidem confirmabit & corroborabit Licentiatus, reliqua Baccalaurei. Juris Canonici Studiosi Institutiones Justiniani, ut Juristis praescribitur, explicabunt, & non secus propugnandis Thesibus praerunt, quae tamen ex controversiis Canonum depromantur. Decretales etiam Libri quinti Anno primo audient.

Ita pariter Juris utriusque Candidati in Academiae Gymnasiis super hisque Institutionibus, quae biennio explicantur, se exerceant, easque dumtaxat vacationes habeant, quae a Cancellario solemnibus praesertim diebus indicuntur. Commentationes autem hujusmodi in privatis quoque aedibus haberi poterunt, prout Cancellario visum fuerit, qui pro sua prudentia & arbitrio aptiorem & utiliorem harum Juris exercitationum distributionem, ordinem, & formam dispensabit.

Qua Theologiae.

Ad Licentiam Theologiae consequendam, emenso prius legitime quadriennio, singuli Candidati ex Tractatibus, quos a Professoribus exceperint, binos publice Tyronibus in annum exponant, & decerpta ex illis Themata pro suggestu propugnanda suscipiant.

Qua desint in singula facultate.

Ad obtinendum cujuslibet Licentiae gradum praelectio in horam integram instituatur. Mox per tres horas argumenta a tribus Doctoribus seu Magistris recentioribus contra expositam doctrinam proposita Licentiandus refutabit. Quo demum peracto, Doctores, qui saltem quinque praeter Patronum pro hujusmodi examine interesse debent, antiquitatis ordine inter ipsos servato, in duas continuas horas, quas maluerint difficultates ad universam ejus, qui laureandus est, facultatem pertinentes, objicient, quas ipse statim dissolvet atque explanabit.

Praeter argumenta a tribus Magistris junioribus proponenda, alius deinceps ab illis Doctor quartum instruat, quod tamen horae quadrantem non excedat; propositae vero difficultati ipsemet arguens, non autem Candidatus, satisfaciat.

In Artium Examine qui Professores locum habeant.

In Artium examine earumdem Professores, necnon Philosophiae Moralis, Matheseos, & Rhetorices tantummodo locum habeant. In Medicina ejusdem facultatis Professores, & Chirurgiae, dummodo Magisterium in Artibus jam obtinuerit; quod etiam in utroque Jure & Theologia servabitur; adeout Examinatoris nunquam fungi possit, qui simul Cathedram & Doctoratum non obtineat.

Examinatorum numerus Academiae Sanctionibus praescriptus in hujusmodi unoquoque examine observetur. Caeterum si contigerit non constare numerum ex Professoribus, vel quod absint, vel quia Doctoratu aut Magisterio insigniti non sint, adsciscatur Doctor seu Magister antiquior ex iis, qui Cathedrarum oppositiones, substitutiones, aliasque literarias Academiae exercitationes frequentare solent.

Cancellarius, praeterquam necessitate urgente, neminem ex iis Professoribus, qui ad Licentiae examen, seu probationem convenerunt, e Sacello egredi, nisi post absolutum examen, patiatur. Occlusae Januae Claves junior Doctor asservabit. Ad lectionem, argumenta, & quaestiones rite instituendas & peragendas Cancellarius, ut moris est, certi temporis intervalla constituet, & pro singulis dispensabit; nunquam vero patiatur, Licentiae Scrutinium in horas antemeridianas & pomeridianas dividi, sed totum Scrutinium post meridiem celebrabitur, citius vel serius pro temporum varietate, ut Cancellario placuerit inchoandum.

Postridie ejus diei, quo Licentiae examen habitum fuerit, Primarii facultatis illius Professores vacationem antemeridianam a lectionibus habeant.

Si post Licentiae Scrutinium paria inter se tam approbationis quam reprobationis Doctorum suffragia fuisse contigerit, Cancellarius parti, quae videbitur aequior, adhaerebit; sique Cancellarius suffragiis approbationis accesserit, id Secretarius in acta referet, ac in ipso gradus diplomate, quod Candidato tradetur, innuere etiam, & exprimere debebit.

Quotiescumque Licentiae Doctoratus seu Magisterii Scrutinium sive examen primo quoque tempore habendum erit, Cancellarius sex dies ante indici & publicari mandet, ut quisque suum praelationis ordine locum obtinere possit; nec unquam eodem die duplex pro Licentia habeatur examen.

Qui in hac Universitate Licentiam consecutus fuerit, jurato spondeat, nequaquam se ejusdem facultatis Doctoratum seu Magisterium in alia Regni Aragoniae Universitate susceperturum.

Tam in Licentiae quam in Doctoratus & Magisterii insignibus recipiendis Patronum agat Doctor antiquior. In Licentiis vero & Magisteriis Regularium antiquior ex ipsa familia Doctor vel Magister eligi poterit a Regulari Candidato.

In Licentiis Patroni dumtaxat munus erit, argumenta & quaestiones Candidato propositas dilucidare, & si quando oportuerit, eisdem per se respondere.

Puncta ad praelectionem assignanda.

Textus seu puncta, ad praelectionem assignanda, qualitati gradus suscipiendi respondeant, scilicet in Artibus ex Logica Aristotelis ad Baccalaureatum, ex Physicis ad Licentiam, in Medicina ex Hyppocratis Aphorismis, ad utrumque gradum. In Jure Civili ex Institutionibus Justiniani ad Baccalaureatum: ex Pandectis ad Licentiam. In Jure Canonico ex Decretalibus ad Baccalaureatum: ex Decreto Gratiani ad Licentiam. Pro Theologia ex Magistro Sententiarum ad utrumque gradum. Ut autem fraus omnino absit, Tituli seu Capita sorte ducantur coram Scholastico una cum Tabellione, qui rem actis consignet, & tribus recentioribus Magistris, si examen fuerit pro Licentia, cum duobus vero, si pro Baccalaureato.

Laureandus, praesertim in Licentia, ex tripartita sortitione Titulum vel caput eligat, unde Doctores Textum ad praelectionem designent. Tempus vero pro illa contexenda viginti quatuor horarum in minori gradu, & triginta sex in majori assignetur.

Candidati intra horam a tempore conditionis, punctum, ex quo lectionem conficere debebunt, singulis Examinatoribus praesentandum curent.

In Doctoratus seu Magisterii collatione, praeter consuetum de more Academico celebritatis apparatum, Laureandus, ex subjecta quisque propriae facultatis materia, orationem in horae quadrantem instituet. Philosophus videlicet ex Ethicis Aristotelis, Medicus ex Aphorismis Hippocratis, Jurista ex tribus posterioribus libris Justiniani Codicis, Canonista ex Detreto Gratiani, Theologus ex Sacris Bibliis.

Dum Magisteria seu Doctoratus solemni ritu in Academia conferuntur, qui duplici Magisterio seu Doctoratu est praeditus, cujus maluerit, facultatis caetui se adjungere poterit. Si vero Cathedram obtinuerit, se inter Professores facultatis ejusdem Cathedrae pro Doctoratu vel Magisterio in ea conferendo exhibebit; Quod non dispari jure in reliquis Academiae functionibus servandum erit. Distributiones vero,

vulgo propinæ, ipsi conferantur ex qualitate gradus, quem ea occasione præseferet. Nemo, quamvis Cathedram Proprietatis obtineat, nisi idem Doctorali seu Magistrali Laurea insignitus sit, hujusmodi functionibus interesse possit.

TITULUS XXVII.

De Repetitionibus Licentiandorum.

Quid præstandum a Baccalaureis ante Licentiæ examen.

§. 28. Cum compertum sit, neminem Magisterii honore merito decorari posse, nisi convenienti temporis intervallo præclare se in illa ipsa disciplina exercuerit, quam profiteri debet, & satis luculenta industriæ suæ argumenta præbuerit, hoc legitime sancitur, ut videlicet;

Omnes Baccalaurei, cujuscumque facultatis fuerint, antequam ad examen Licentiæ recipiantur, lectionem in horam integram instituant, & palam enuncient super aliquo propriæ facultatis Textu, qui sibi opportunior & gratior visus fuerit, ad doctrinæ suæ specimen exhibendum. Huic solemni præludio interfint Patronus, & plerique facultatis Doctores seu Magistri, qui Baccalaureum a propriis ædibus ad Academiam comitentur, præeuntibus ex more Bidellis & Cœremoniarum Magistro, qui muneri rite in omnibus satisfaciat. Prælectione vero peracta, duo ex Baccalaureis pro ingenii viribus in semihorulæ spatium argumenta instruent, quæ ab ipso Candidato erudita interpretatione, quæ tamen quadrantem horæ non excedat, illustranda erunt. Mox Humaniorum Literarum Alumnus accurante Præceptore, pro re nata coronidem in Academiæ laudes imponet.

Candidatus repetitionem aggressurus, prius veniam a Cancellario impetrabit, qui diem horamque reliquis etiam Academiæ functionibus opportunam præstituet.

Hujusmodi repetitionis tempus quatuor dies ante in Gymnasio una cum Theoremate propugnando publicetur, illamque insuper Candidatus ipse octo ante dies Patrono approbandum subjicier.

Nemini liceat repetitionem ante promulgare, quam distributiones, vulgo propinas, pro licentiæ Scrutinio, simulque quadraginta quinque Regalia saltem intra quindecim a repetitione dies penes Academiæ Secretarium deposuerit, nisi vel ægritudine vel justo alio, quod Cancellarius noverit, impedimento retardatus; ex illis vero decem sibi vindicet ærarium, decem Patronus accipiat, sex Professor Rhetorices, duo singuli Baccalaurei argumenta proponentes, tria Bidellus minor, totidemque Cæremoniarum Magister, septem Bidellus major, qui repetitionis Gymnasium ex Academiæ suppellectili, ut moris est exornabit, adeout aliunde quæsitam superinducere non liceat; Sicuti nec sumptus ultra hic præscriptos augere, quod diligenter in omnibus Academiæ functionibus caveat Cancellarius; si secus fiat, repetitio irrita & inanis censeatur.

TITULUS XXVIII.

De Gradibus in Academiam cooptandis.

Gradus in aliis Academiis susceptis non cooptandi nisi prævio examine.

§. 29. Gradus in aliis Academiis rite susceptis, nisi prævio examine, & persoluta dimidia stipendiorum parte, quæ persolvi consuevit, in hanc Cervariensem aggregari, seu cooptari non possint. Hæc autem stipendiorum portio inter eosdem distribuetur, inter quos in collationibus graduum integre distribuitur.

Baccalaureatus alibi susceptus in hanc Universitatem non cooptetur, nisi præter examen modo præscriptum, illum insuper certo collatum, ac tot cursus a Candidato rite confectos esse, quot in hac Cervariensi Academia requiruntur, legitimis documentis ostendatur.

Si quis autem non modo Baccalaureatum, sed & licentiam in alia Universitate assecutus, huic aggregari velit, non ad ipsius quidem Baccalaureatus, verum ad Licentiæ dumtaxat obligetur examen. Quod etiam pro obtinendo insuper Doctoratu ipsi suffragetur.

Laudatis hic Universitatibus exceptis.

Quod si legitimo documento constiterit, hujusmodi gradus in Academia Salmantina, Complutensi, Vallisolitana, & Oscensi susceptos esse, tum ab examine tum ab hac solutione immunes erunt, præterquam a decem Regalibus, quæ pro hujusmodi cooptationis testimonio Secretario persolvuntur.

Qui Rhetoricæ, sive Matheseos in hac Universitate Cathedram obtinuerunt, & Magisterium in Artibus alibi etiam, quam in Academia Salmanticensi, Complutensi, Vallisoletana, aut Oscensi consecuti fuissent, gradus illius incorporationem sine examine consequi poterunt; Stipendia tamen non secus, ac si examen intercesserit, iis, ad quos pertineat, distribuenda persolvent.

Quid præstandum in cooptandis Doctoratibus.

In Doctoratibus cooptandis ea tantum sit celebritas, ut Doctores seu Magistri in locum Academiæ consuetum conveniant, & novus Collega palam ab omnibus rite admittatur, cui sessio in hac Universitate concessa intelligatur a die non suscepti, sed cooptati gradus.

Qui nec gradum in hac Universitate receperint, nec alibi susceptum in eamdem legitime cooptarint, ad regendas Cathedras, & plerasque Academicas functiones, ut in Statutis præscribitur, pro munere obeundas non admittantur.

TITULUS XXIX.

De Doctorum, seu Magistrorum consessu, & præcedentia.

§. 30. In quovis Doctorum seu Magistrorum congressu ita sessionis ordo digeratur, ut inter Theologos & Jurisconsultos, qui promiscue assidere debent, gradu antiquior præferatur: quos deinceps Medici excipiant: & postremo loco Philosophi, prout in titulo secundo sancitum est. Hic ordo pro omnium graduum & Professionum classe etiam inter Scholares, cum occasio tulerit, observabitur.

Cum singularum facultatum peculiares congressus habentur, antiquior ex Doctoribus, qui convenerunt, dummodo sit Professor ordinarius, primum in subselliis; si vero alienæ facultatis Doctores interfuerint, proximum ab eo locum obtineant.

Cum Cancellarius Aulam ingreditur, ut assertionibus publicis, aliisque actibus pro munere interfit, Candidatus paulisper subsistat, brevem narrationem eorum, quæ tunc tractantur, atterat, veniamque urbana, ut moris est, salutatione ab eodem petat. Hunc vero honorem tam ipse quam arguentes Cancellario tantum, præterea nemini, exhibeant.

TITULUS XXX.

De loco Exteris in Academia concedendo.

§. 31. In publicis & solemnibus Doctorum seu Magistrorum Conventibus, nemini liceat, excepto Conservatore, inter Doctores eisdem assidere. In cæteris vero plerisque functionibus poterunt ad Scholastici arbitratum exteri Doctores admitti, ac Viri etiam præclari, aut in aliqua dignitate constituti; ut & Prætor Cervariæ, quibus post antiquiorem locus assignetur.

Cum Cervariæ Civitas Academicis actibus intererit, post antiquiorem Prætor assidebit, a quo deinceps decuriones; idemque obtineat, si quando Civitatis Commissarios ad Academiæ Conventum rite & solemniter congregatum, verba facere oportebit.

Cum

Cum Cancellarius, & Doctores seu Magistri de more convenientes propugnationi Thesium intersunt, idem sessionis ordo inter eosdem servetur, ac in publicis Conventus Academici functionibus; neque Facultas præcedet, sed antiquior Concilii Doctor, ut moris est, principem locum obtinebit.

In literaria Palestra exercitationibus, aut Thesibus pro suggestu defendendis locus, ut Statuta præscribunt, exteris Doctoribus a Cancellario assignetur. Verum si Doctor aliquis Salmanticensis fuerit, hospitis quidem sede recipiatur, primo tamen arguendi honore donetur.

TITULUS XXXI.

De Academiæ Conservatore.

Ex Cervariæ Magistratu Procer Academiæ Conservator eligendus. Quod ejus sit munus, locus, Privilegia.

§. 32. Cervariæ Civitati unum e sui Magistratus Proceribus eligere conceditur, qui Academiæ Conservatoris titulo & munere decoretur, eoque nomine, foro & privilegiis Academiæ ubivis locorum gaudeat. Inter Doctores post antiquiorem, locum obtineat, & distributionum in solemnibus Academiæ functionibus fieri solitis particeps sit. Quoties autem ejusmodi renunciatio fiet, Civitas ipsa certiorem ea de re faciat Academiæ Protectorem.

Conservator solemnioribus Academiæ functionibus publice interesse debebit; sique Matriti, vel alio principi loco commorari contigerit, ubi legatione Professor aliquis Academiæ nomine perfungatur, se illi socium adjunget.

TITULUS XXXII.

De eligendis Academiæ Officialibus.

Academiæ Officiales a Definitorum Concilio eligendi.

§. 33. Definitorum Concilium eos eligat Academiæ Officiales, quos ad obeunda proprii Ministerii munera magis idoneos censuerit, & Academiæ Protectorem, electionis hujusmodi certiorem faciat.

Rite electus poterit quidem justa de causa, quæ etiam ad Protectorem Academiæ deferatur, ab officio suspendi, non tamen removeri sine legitima & judiciali notione. Hæc autem ad Officiales audientiæ Scholastici, quos solus renunciat Cancellarius, non pertinent.

Si vacet officium ipsius anni decursu propter Possessoris obitum, aut remotionem ex delicto, sive ob quamlibet aliam causam, Concilio legitime coacto fiat electio; atque interim, si res ita exegerit, aliquem sufficiat Cancellarius.

Cum quis ejusmodi delictum aut scelus patraverit, aut vel in ordinariam privationis officii pœnam ipso jure inciderit, sive per sententiam Judicis juxta Academias Sanctiones, vel ex juris communis dispositione puniendus sit, tota causæ cognitio ad Cancellarium spectet.

Secretarius, Cappellanus major, & duo Bidelli a Rege nominandi.

Secretarius, Cappellanus major, & duo Bidelli, qui quoad vixerint, officium in Academia retinebunt, a Rege in præsentiarum nominandi sunt, cui Concilium Definitorum, Protectoris Academiæ opera, personas idoneas, per ternas, ut, aiunt, proponet.

Juramentum ab electoribus præstandum.

Magistri & Doctores, ad Concilium pro electione accedentes, jurent se, remota omni fraude, nihil in hujusmodi electionibus præ oculis habituros, nisi justitiam & æquitatem, nec quod dederint, suffragium indicaturos.

Nullus autem eligi possit, qui alicui ex Professoribus intra quartum cognationis gradum conjunctus sit.

Officiales singuli, priusquam munus aggrediantur, emissa fidei Professione, obedientiam Cancellario, ejusque Judici jurati spondeant, atque omni fide & integritate officio satisfacturos; quod quamdiu præstare neglexerint, tandiu salario carebunt.

TITULUS XXXIII.

De Officiorum incompatibilitate.

§. 34. Ut Cervariensis hujus Academiæ utilitati & splendori consulatur, duo officia vel salaria neminem aut consequi aut percipere posse statuitur; nec qui Civitatis Ministerio fungatur, ad Academiæ munera deligi, nisi Eligentibus constet, utrique posse probe & fideliter satisfacere.

TITULUS XXXIV.

De Academiæ Secretario.

§. 35. Academiæ Secretarius, qui nullibi præterea hujusmodi officio fungi poterit, sedulam rebus omnibus curam impendat, ac munus suum accurate ac solerter impleat, nihilque eorum, quæ pro Academiæ bono ejus fidei commissa sunt, negligat, aut parvi pendat.

Libros omnes seu Codices ad officium suum spectantes diligenter referat, digerat, & obsignet, ut singula suis locis apte disposita, nihilque in regestis Academiæ præposterum aut inconcinnum reperiatur.

Collationibus graduum Baccalaureatus intersit, quas (Codice ad id peculiariter destinato) actis ipse consignet, ab antiquiore Examinatore subscriptas; si hæc in alienum Codicem retulerit, quatuor regalibus Hospitali assignandis mulctetur. Singulos insuper Codices pro unaquaque facultate paratos habeat ad cursuum probationes. Hos autem alibi exactos per se ipse non admittat, quin Cancellarius ea de re consulatur, ut Titulo XXII. præscribitur. Si secus fecerit, octo regalium mulctam subeat.

Qua par est, cura & assiduitate Archivum Universitatis custodiat, & Diplomata, Instrumenta authentica, idque genus alia, quæ penes Academiam sunt, sive in Archivo, sive in Secretaria diligenter asservet. Horum omnium conficiat repertorium, & singula, cum occasio tulerit, sarta tecta exhibere teneatur; idemque de cætera Universitatis supellectili, ipsi vel aliis concredita, definitur.

Duabus Archivum clavibus obseretur, quarum altera sit penes Secretarium, altera penes juniorem Ratiocinatorem proprietarium; nec usquam aperiatur, nisi simul conveniant Archivista & Secretarius.

Illuc asservandæ inferantur Bullæ Pontificiæ, Diplomata Regia, Constitutiones Academiæ, & id genus documenta alia. Horum autem exemplaria ex Archetypis authentice transcripta in Secretariæ Scriniis ad opportuniorem usum collocentur; necnon quotannis libri omnes, in quibus decreta Academica, Matriculæ, visitationes, & Decreta Regia continentur.

Si oporterit documentum aliquod ex Archivo educi seu efferri, notula ibidem, ejusmodi eductionem indicans, reponenda erit. Curabit tamen Scholasticus, ut quod deductum, exportatumve fuerit, ocius in Archivum referatur.

Quolibet semestri Archivi Visitator deputandus.

Singulis quoque semestribus Archivi Visitatorem Academia deputabit, qui sedulo inquirat, num, quæ de eodem sancita sunt, legitime implentur; & si quod animadversione dignum compererit, Scholastico indicabit, ut pro rei opportunitate utilius remedium incommodo afferatur.

Munia Secretarii.

Secretarius in repertorium, quod universæ supellectilis sive mobilium Academiæ conficiet, si quid etiam ejusmodi præterea Academia comparaverit, referre debeat; aliàs Cancellarius nec pretii solvendi mandatum decernat, nec illud subscribat; ejusque sit solicite curare, ut hæc a Secretario juxta normam hic præscriptam observentur.

Literas ex Academici Concilii decreto conſcribendas, non niſi diligenter inſpectas, Secretarius ſubſignabit, quas ſi decreto Conciliari diſſentientes comperiet, Cancellarium illico admonebit, ut ad mentem Concilii, quod ſcriptum eſt, conformari imperet, quod etiam in conſultationibus aut relationibus ab Academia faciendis præſtandum erit.

Laureatis intra biduum vel citius, ſi mox diſceſſuri ſint, Diploma gradus tradet: Baccalaureis quidem minori obſignatum Academiæ ſigillo: majori verò cum appenſo Plumbo ex ſericis funiculis, facultatis ſtemmati concoloribus, Licentiatis & Doctoribus, ſeu Magiſtris.

In titulis præterea ſive privilegiis cujuſcumque gradus, comparatis rite ſuffragiis, Laureati approbationem conſuetis formulis exprimere debeat, videlicet: An nemine diſcrepante: an majori parte conſentiente, Scrutinium ſeu probatio peracta fuerit. Quod ſi prætermiſerit, prima vice viginti libras, altera quadraginta ſubſidio Hoſpitalis perſolvet; tertia vero res hujuſmodi ad Academiæ Protectorem deferenda erit.

Si Laureatus Diploma gradus deperdat, illud rurſum edere Secretarius teneatur, & ſeptem dumtaxat regalia hujuſce laboris nomine exiget.

Præſcriptam quoque regulam, ſive rationarium ſtipendiorum, quæ ipſi officii nomine debentur, palam & præſto habeat, ut quantum ſolvi oporteat, omnibus innoteſcat.

Stipendia in omni Scripturarum genere Secretario aſſignata.

§. 36. Pro Matricula, quod Titulo XXII. præſcribitur.

Pro incorporando unius vel plurium curſuum Teſtimonio, Regalia duo.

Pro Teſtimonio Matriculæ uniuſcujuſque anni, Regale unum.

Pro Teſtimonio uniuſcujuſque curſus in qualibet facultate, ſeſqui-Regale.

Pro Teſtimonio uniuſcujuſque lecturæ propugnationis theſium, aut præſidentiæ, & ſubſtitutionis Cathedræ, Regalia duo.

Pro ſingulis Titulis impreſſis, quos ſubſcriptione munierit, Regalis dimidium.

Pro teſtimonio poſſeſſionis Cathedræ, Regalia quatuor.

Pro Teſtimonio gradus Baccalaurei, Licentiati, Doctoris, aut incorporationis in qualibet facultate, Regalia quatuor.

Pro Teſtimonio praxis biennalis Medicinæ, Regalia octo.

Pro Teſtimonio alicujus conceſſionis, aut privilegii Univerſitatis, Regalia triginta, vel plus minuſve, ratione laboris impendendi.

Pro Teſtimonio alicujus Statuti Academiæ, Regalia quatuor.

Pro reliquis autem ſcripturis, quæ in hiſce Conſtitutionibus memorantur, quod ubique præſcribitur, perſolvetur. Pro illis vero, pro quibus, quia vel raro vel extra ordinem tradi continget, certa regula definiri non poteſt, veluti pro Teſtimonii, vel Decreti Concilii Academici, vel partis ejuſdem aut brevioris aut prolixioris, ſive rationem redditarum, & id genus ſimilium, ſtipendium ejuſmodi Secretarius exiget, quod, ratione habita laboris impenſi, æquum & juſtum ad conſcientiæ normam æſtimabit. Sique aliquis pro hiſce rebus nimio ſe cogi diſpendio putabit, Cancellarium adeat, ad cujus cognitionem & fidem pertinebit providere, ut exigendi modum Secretarius non excedat.

TITULUS XXXV.

De Oeconomo, ſeu redituum Academiæ Adminiſtratore.

§. 37. Definitorum Concilium, idoneum bonorum Academiæ Adminiſtratorem creabit, qui eadem ſarta tecta conſervare diligenter curet, ac redditus, proventus, & fructus ad eamdem pertinentes ſedulo ac fideliter colligere debeat. Cautionem tamen fidejuſſoriam ab eodem poſtulabit, nec niſi diligenti inquiſitione comprobatam admittat. Deinde vero tanquam legitimus Oeconomus exigendi munus ipſe ſuſcipiat, dabitque operam, nihil incuria ſua pereat, nihil inexactum ſuperſit, quod etiam legitimis documentis oſtendere teneatur. Accepti quoque tabulas in promptu habeant Ratiocinatores, ut quantum in bonis ſit Academiæ, aut ceſſerit in Ærarium, conſtet.

Oeconomus a Definitoribus eligendus: a quo fidejuſſoriam cautionem accipiant.

Adminiſtrator quotannis ſuæ adminiſtrationis rationem reddat, ac ſi quid de exactis Academiæ redditibus apud eum ſupererit, intra dies octo in Academiæ compendium deponat; quod ſi cunctetur, in eum executive procedatur. Pars etiam pro rata dierum dilatæ ſolutionis in ejuſdem ſalario deducatur in mulctam, & ſi quo efficaciori remedio opus ſit, illud Academia mature adhibere non prætermittat. Rationibus demum ſubductis accepti & expenſi, tabulæ Protectori exhibeantur.

Illius officii partes.

Legitime ſolviſſe Adminiſtrator non cenſeatur, niſi per ſchedam a Secretario, Scholaſtico, & duobus Ratiocinatoribus, ab Academia deſtinatis, ſubſcriptam.

Solutiones Adminiſtratoris irritæ niſi prius ſubſignentur.

Statis temporibus juxta Sanctiones Academiæ, annua Profeſſoribus, & Miniſtris ſalaria perſolvat; qua in re normam ſequatur omnino ſibi a Ratiocinatoribus præſcribendam, & a Secretario ſubſignandam, in cujus calce ſinguli Profeſſores & Miniſtri acceptilationem adſcribent.

Inter cæteras vero conditiones & pactiones, ad quas obligetur, illa præcipua ſit, ut debitam & convenientem pecuniam Noſocomio, & Academiæ Sacello ſive anticipet, ſive ad certam diem repræſentet.

Oeconomo in publicis Academiæ functionibus, quibus Miniſtros intereſſe moris eſt, proximus a Secretario locus deſtinetur.

TITULUS XXXVI.

De Syndico.

§. 38. In primo Concilio, quod a Feſto Sancti Lucæ convocabitur, Syndicus ad certum tempus pro rei opportunitate præfiniendum, eligatur, qui Profeſſor quidem in Academia non ſit, Doctoratus tamen Lauream in Jure Civili obtinuerit. Hic vero in primis legitimam præſtare cautionem omnino teneatur; & illud ſui præcipui muneris eſſe noverit, ut Univerſitatis Conſtitutiones, & Statuta ſarta tecta ſerventur, nec unquam contra eadem vel a Diffinitorum vel a Concilio pleno aliquid decernatur, ut Titulo ſecundo præſcribitur.

Quis & quando eligendus Syndicus.

Cavere etiam, & ſatagere debebit, ne quid ex conſuetis Academiæ redditibus vel minimum detrahatur; atque debitores, ſi ita oportuerit, ſtimulare & compellere, ne culpabili ipſius cunctatione pendendæ pecuniæ ſumma augeſcat, & poſtmodum ſolvendo non ſint; quod ſi fiat, ipſe de ſuo Academiæ damna compenſare teneatur. Lites proinde omnes & controverſias apud competentes Judices terminandas quamprimum, & expediendas curabit, ſique ea propter ab Urbe proficiſci ipſi neceſſe ſit, regalia quindecim ſingulis diebus attribuantur. Quod ſi non legitime impeditus proficiſci detractaverit, Academia Syndici ipſius impenſis hujuſmodi negotia perſonæ alicui idoneæ demandabit.

Quod ſit illius munus.

Præterea mulctas Hoſpitali, Orario, vel Bibliothecæ aſſignatas, in Codicem ſeu librum referat, quas exigat diligenter; ideoque ſæpius, quot quot indictæ ſint, a Scholaſtici Notario

percun-

percunctentur, qui eaſdem pariter in Codice deſcriptas habeat, ut Syndico manifeſtet.

Scholaſtici Alguaſilius nullum ante educat e carcere, cui mulcta aut ad Hoſpitalis aut ad Bibliothecæ compendium fuerit indicta, quin prius, quod debeat, perſolverit, ac per Syndici apocam legitime de ſolutione conſtiterit. Quod ſi ſecus fecerit, mulctam eamdem Alguaſilius incurrat. Qui ne forte præſentis Sanctionis ignoratione ſe excuſet, cum eumdem Scholaſticus officio præficiet, hac de re certiorem fieri mandavit.

Exactas mulctas in locum ad id deſtinatum poſt triduum deponere Syndicus præſente Secretario teneatur, dupli pœnam, ſi id præſtare neglexerit, ſubiturus.

Mulctæ ex Academiæ Sanctionibus irrogatæ, prout in ipſis præſcribitur, attribuantur. Ubi vero, cui attribuendæ ſint, non conſtiterit, in tres partes diſtribuentur: quarum una Judici: Delatori altera: tertia vel Orario, vel Bibliothecæ, vel Hoſpitali Academiæ adjudicetur.

Si Judicis aut Delatoris partes deſiderentur in ſolidum, vel Orario, vel Bibliothecæ, vel Hoſpitali adſcribantur.

TITULUS XXXVII.

De Bidellis, & Bibliotheca.

A Bidellis munus per ſe explendum.

§. 39. Duo Bidelli prævio diligenti examine deſtinentur, quorum alter ſeu major Gymnaſiis, alter ſeu minor Bibliothecæ vigilem curam impendat, & ſuum quiſque munus per ſe non per ſubſtitutum exerceat, niſi valetudo interpellet, aut Cancellarii venia acceſſerit.

Ad hæc officia nullus Doctor eligendus.

Ejuſmodi officia nullus Doctor aut Magiſter obtinere poſſit; Si vero ipſi, qui obtinent, vel ad Doctoratum vel ad Magiſterium promoveri voluerint, hujuſmodi munere ſe abdicabunt.

Majoris Bidelli munus.

Bidellus major tam ante quam poſt meridiem quamdiu Profeſſores Academiæ lectionibus & aliis literariis exercitationibus vacant, in ipſa Univerſitate continenter adſit, & diligenter obſervet, num eamdem rationem, formam, & tempus, ab Academia ſancitum & ordinatum, in docendo Profeſſores adimpleant.

Ut vero perſpicue & fideliter hæc exequatur, librum privatim apud ſe habeat tot libellis lectivorum dierum compactum, quot ſint Profeſſores. In ſingulis ſingulorum nomina, cathedram, tempus, & quidquid præterea opus ſit, diſtinctim referat, & digerat, ibidemque quotidianos ſingulorum defectus, vel dimidii horæ quadrantis, deſcribat, ut inde poſtmodum tanquam ex Autographo, addito tamen ipſius Bidelli juramento, mulctarum pro rata ſalarii perſolvendi ratio ineatur.

Quotannis Tabellas lectivorum dierum Academiæ ſumptibus typis impreſſas a Typographo accipiet, & ſingulis Profeſſoribus diſtribuet.

Minoris Bidelli, ſeu Bibliothecarii partes.

Bidellus vel in ipſis Academiæ ædibus habitet, vel prope Academiam, ut facilius ſuo muneri & promptius ſatisfaciat; ſi valetudine impediatur, Bidellus minor ejus vicem ſuppleat, cui proinde mulctarum liber ſeu codex commendetur, ne tanti momenti res memoriæ tantum concredatur.

Bidellus minor aperiendis & claudendis opportuno tempore Gymnaſiis præerit, quæ munda, & ſarcta tecta curabit; & quoties res flagitaverit, Præfectum Fabricæ ea de re admonebit. Bibliothecæ inſuper cuſtodiendæ onus ſuſcipiat, confecto prius Inventario, & data legitima cautione; quam ſi præſtare renuerit, officium alteri deferatur.

Singulis profeſtis diebus ad lectionum horas ante & pomeridianas in Bibliotheca præſto aderit, ut quicumque ſeu ex Profeſſoribus, ſeu Scholaribus eo convenerit, quos libuerit libros evolvere poſſit. Quoties vero hæc prætermiſerit, niſi legitime fuerit impeditus, Cancellarius eumdem duobus regalibus in ipſius Bibliothecæ compendium mulctabit.

Libros a Bibliotheca nunquam exportari aut extrahi, Bidellus patiatur, ad quod etiam in præſtanda cautione obligabitur. Si ſecus fecerit, ad Protectorem Academiæ res deferatur, qui de hac re admonitus, quid facto opus ſit, præcipiat.

Singulis annis a Cancellario viſitanda Bibliotheca.

Cancellarius adſcitis Magiſtro Theologiæ, Juris utriuſque Doctore, Profeſſore Rhetoricæ, & Medicinæ vel Artium Doctore, aut Magiſtro, qui primo poſt Feſtum Sancti Lucæ Concilio deligendi erunt, Bibliothecam quotannis inviſet; atque omnes ſolerter inquirant ex ejus Inventario, num quid ex libris deſit, & an propriorum vice alieni repoſiti ſint, vel ſinguli ſuis locis ante diſpoſiti, & quidquid præterea ad Bibliothecæ utilitatem noverint pertinere. Singulis Viſitatoribus Regalia quatuor, Cancellario octo pendantur qui curet omnino ejuſmodi anniverſariam Bibliothecæ inquiſitionem ſtato tempore renovari.

De Bibliothecæ Præfecto.

Deffinitorum Concilium Profeſſorem, vel perpetuam vel temporalem Cathedram obtinentem, Bibliothecæ Præfectum ad nutum deſtinabit, qui Bibliothecam crebro adire, & ſolicite curare debeat, ut muneri ſuo Bidellus ſatisfaciat, ut Librorum uſus omnibus expedite pateat, & quæ hac de re conſtituta ſunt, omnino retineantur. Viſitationi anniverſariæ ipſe quoque Bibliothecarius intererit; necnon ſtipendium, quod cæteris penditur, percipiet, præter tres libras eidem in ſingulos annos attributas.

Pecunia in coemendis libris inſumenda.

Singulis annis uſque ad vigeſimum Academiæ libris coemendis centum libras, deinceps vero unoquoque anno viginti libras expendet. Ut autem, qui comparandi ſunt libri, ſingulis Univerſitatis facultatibus congruenter reſpondeant, Cancellarius ſingulos uniuſcujuſque facultatis Doctores ſeu Magiſtros hac de re conſulere debebit.

TITULUS XXXVIII.

De Cæremoniarum Magiſtro.

Quis in Cæremoniarum Magiſtrum eligendus.

§. 40. Concilium Definitorum, accurato Competitorum examine præmiſſo, eum eligat Magiſtrum Cæremoniarum, qui non illiberali opificio, nec Civitatis; aut alterius perſonæ famulatui ſit addictus, ſed qui Academiæ mores, ritus, conſuetudines apprime noverit, & ſolerter percalluerit; ut probe per ſe ipſe, non per Subſtitutum, niſi quando legitime impediatur, officium ſuum adimplere poſſit.

Et quod illius ſit officium.

In omnibus præterea publicis Academiæ Functionibus, ſive literariis, ſive quibuſcumque, adeſſe teneatur, virgam manu geſtans aureo Univerſitatis ſtemmate inſignitam, ut ſingulæ ipſius ductu rite & de more peragantur; Ne in conſeſſibus Academiæ præſtitutus ſeſſionis ordo confundatur, neve in conferendi Doctoratus ſolemniis, aut ejuſmodi aliis, ullus ex Doctoribus ſeu Magiſtris, niſi Doctorali ſive Magiſtrali veſte interſit, neque inter Doctores extranei admittantur, exceptis Hiſpaniæ Magnatibus, & Proceribus.

In conſuetis Academiæ celebritatibus, quibus ſingillatim Doctores interſunt, veluti cum ad vacantes Cathedras publicæ lectiones habentur ex tempore, Doctores eoſdem a Theatri janua ad ſubſellia uſque comitetur, qui pariter una cum Magiſtro ſilentii eodem obſequio Cancellarium proſequetur, quotieſcumque ille ad Academicos hujuſmodi actus præſentia ſua acceſſerit.

Si quando Perſonam aliquam Regia Dignitate præcellentem Cervariam adventare contigerit,

tota Academia eodem Ordine, quo in Doctoratuum solemnitatibus incedit, debitam illis honoris & officii reverentiam exhibeat.

Academia ad invisendas Personas in excellenti aliqua Dignitate constitutas certos ex Professoribus Commissarios allegabit: videlicet ad Magnates Hispaniæ quatuor: duos vero ad Præfectos Militiæ Generales aut Regios Senatores, vel ad alios, quos eodem honoris officio dignos censuerit.

Ad Eminentissimos S. R. E. Cardinales octo: ad Archiepiscopos sex: ad Episcopos quatuor: duos ad Præfectos Generales Regularium Ordinum.

Cancellarius in Concilio Academico Professores allegandos deligat, quos duo Bidelli, Cœremoniarum Magister, & reliqui Academiæ Officiales, ut moris est, comitentur.

TITULUS XXXIX.

De Magistro silentii.

Quid a silentii Magistro fit præstandum.

§. 41. Magister silentii singulis Academiæ profestis diebus ab initio Lectionum, vestibula, & atria Gymnasiorum circumeat, rixantes Scholares deterreat, & in officio contineat, & vociferantes, qui Legentibus obstrepunt, componat aut coerceat, ut res Literaria, qua par est, tranquillitate pertractetur; quod si quis eidem monenti & imperanti resistere ausus fuerit, ab Academiæ Judice puniendus erit. Reliquis etiam solemnioribus Academiæ actibus idem intererit, ut quoties & ubicumque oportuerit, ministerio suo fungatur.

Si quæ sui sunt muneris non accurate præstiterit, ea de re Cœremoniarum Magister Cancellarium admoneat, qui illius incuriam cognoscet, & in eumdem animadvertet. Porro autem quemadmodum hic a Definitorum Concilio eligendus erit, ita ejusdem Concilii placito ab officio removeri poterit.

TITULUS XL.

De Horologii Academiæ Custode.

Quid a Custode Horologii.

§. 42. Minister idoneus ad Horologii custodiam a Definitorum Concilio constituatur, qui illud diluculo & post meridiem diebus singulis invisat, ut paribus intervallis horas indicet, & ad campanæ sonitum designet, cujus regulam sibi proponant Professores, ut præfinitum ab Academia docendi tempus legitime metiantur.

Horologii Custos campanam pulset pro solemniis in Academiæ Sacello celebrandis. Sedem locumque, ubi illud situm est sartum tectum curet, & quoties opus fuerit, ea de re Fabricæ Præfectum admoneat. Si muneri suo satis non fecerit, Fabricæ Præfectus ad Definitorum Concilium deferat.

TITULUS XLI.

De Scholarum Scopatorio.

§. 43. Definitorum Concilium aliquem destinandum curet, qui mundandis & verrendis Scholis incumbat, quod quidem semel in hebdomadam præstabit tempore lectivo, semel vero in mensem tempore feriato, ne situ fœda aut obsoleta sordescant; quique etiam tam ante quam post meridiem ante lectionum tempus Gymnasia & Cathedras circumspiciat, ne quod offendiculum mox lecturos moretur aut præpediat. Si negligenter munus suum agat, Bidellus alter rem Cancellario denunciet, qui pro incuria mulctam irrogabit.

TITULUS XLII.

De Academico Sacello.

§. 44. Ex quatuor Cappellaniis Academiæ Sacelli, quartam, quæ major est, Presbytero ad arbitratum suum Rex destinabit; Ad tres autem reliquas obtinendas idonei Presbyteri ab Universitatis Concilio ex ipsis, si fieri possit, Academiæ Scholaribus deligantur, quibus ex ejusdem Universitatis redditibus congruens annuum salarium attribuatur; videlicet, centum quinquaginta libræ Cappellano majori, reliquis tribus centum libræ singulis; nec poterunt nisi ex causa legitime removeri.

Ad majorem Cappellaniam Sacelli Academici Presbyter a Rege, ad cæteras cæteri ab Univers. Concilio destinandi.

Alter ex Cappellanis Sacrarii Ædituus constituatur, qui cautione præstita, & addito de iis, quæ ad officium suum pertinent rite peragendis juramento, Vasa Sacra, Vestes, & reliquam Sacrarii Supellectilem Inventario descriptam, par sit, decentia & munditia curandam & custodiendam suscipiat, & singula, quæ Missis celebrandis necessaria sunt, præparet ac disponat. Huic etiam ex Academiæ proventibus congrua merces assignabitur, triginta nimirum libræ die Natali Domini, totidemque die Natali Sancti Joannis Baptistæ.

De Sacrarii Ædituo, ejus officio, & mercede.

Cærei ad Sacelli solemnia necessarii ex Academiæ censu, non Sacristæ impensis, comparentur. Hi vero sumptus ad Protectoris Academiæ voluntatem faciendi & moderandi erunt, fietque solutio per mandatum ab ordinario Sacelli Visitatore subscribendum.

De Cæreis, eorumq; impensis.

Sacrista Clericum præficiet, qui Missis celebrandis ministret, & Sacrario inserviat, cui, præter vestem ministerio congruentem cum superpelliceo, quinquaginta regalia in Natali Domini, totidemque in festo Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ erogentur.

Missæ quotidie celebrandæ.

Presbyteri Cappellanias præfatas obtinentes quotidie Missas in Academiæ Sacello celebrare teneantur, horis pro majori opportunitate Professorum & Scholarium a Cancellario præfigendis.

Pro quibus applicandæ.

Missæ applicentur pro Rege ejusque in Regno Successoribus, pro Academiæ Benefactoribus, ejusdemque incremento, & in saniori doctrina, omnibus rejectis erroribus, firmitate; reservata intentione ipsis Presbyteris duobus tantum ad libitum diebus in singulas hebdomadas. In eo tamen Missarum numero computentur illæ, quas in Professorum & Doctorum funere celebrari sancitum est.

Anniversaria pro Rege Philippo V.

Justa Anniversaria Serenissimo Hispaniarum Regi Philippo V. Cervariensis hujus Universitatis Parenti & Fundatori præclarissimo, maxima, ut par est, celebritate perpetuo imposterum in Academiæ Sacello persolvantur.

Cappellanorum onera.

Cappellani solemnibus, quæ in Sacello Academiæ celebrantur, quibuscumque Festis interfint: videlicet, in die Sancti Lucæ: in commemoratione Anniversaria pro Academicis defunctis: in solemni octava Conceptionis Beatæ Virginis Mariæ: in Festo Corporis Christi: & aliis pro tempore indicendis; atque illis proinde ultra Salarium annuum quinquaginta regalia in Natali Domini, & totidem in Festo Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ dependantur.

Tabella ad Sacristiam affixa tam Cappellanos, quam Sacristam & Clericos, quid & quo tempore pro munere præstare debeant, descripto palam admonebit.

Antiquior Theologiæ Professor Sacelli Ordinarius Visitator.

Antiquior Theologiæ Professor singulis mensibus Academiæ Sacellum invisat, solerter inquisiturus, num Cappellani & Sacrista, quod suum est, accurate perficiant; eaque de re, si opus fuerit, Cancellarium admoneat, qui una cum Theologo Visitatore, & utriusque Juris Professore perpetuo semel quotannis Sacellum adeat, universaque & singula, quæ illud spectant, diligentiori examine perquirat.

Magistro Theologiæ, Visitatori ordinario, in Festo Nativitatis Domini gallinæ duodecim attribuentur.

TITULUS XLIII.

De Primicerio.

A quibus creandus Primicerius.

§. 45. Definitorum Concilium, quod post Festum Sancti Lucæ convocabitur, Sacris ante in Academiæ Sacello de implorando Divini Spiritus numine rite peractis, primum ex Theologorum Collegio, tum reliquis deinceps annis Juristarum, Medicorum, Philosophorum, Primicerium creabit, qui secundus a Cancellario solemnibus, quæ in ipso Academiæ Sacello celebrantur, Festis præsit; atque provideat, ut accurate & juxta ritum Universitatis peragantur, quique pecuniæ ea de causa expendendæ rationem habeat, quæ præsentibus distribui solet: duo nempe Regalia singulis Doctoribus, singula singulis Ministris, Primicerio, & Cancellario quatuor, dummodo præsentes fuerint: dispertiendam curet, ut nihil inde detrimenti Ærarium Academiæ patiatur.

Si res ejusmodi emerserit in negotiis a Primicerio transigendis, quam ipse Academiæ consultatione dignam censeat, a Cancellario Definitorum Concilium (in quo etiam post Cancellarium sedem habeat) congregari exposcat, ut, quod ratio suggesserit, decernatur.

Solvendi mandata pro expensis ad solemnia faciendis, præterquam ab aliis, ut cautum fuit, a Primicerio etiam subscribantur. Quod si aliter ea ab Oeconomo in reddendis rationibus exhibita fuerint, tanquam illegitima apud Ratiocinatores reprobentur.

TITULUS XLIV.

De Festo Conceptionis B. M. V., & ejus solemni ogdoade.

Quo tempore hujusmodi celebranda Festivitas.

§. 46. Quotannis tempore, Ascensionis Domini & Pentecostes celebritatem intercurrente, vel post octavam Corporis Christi, si ita pro ratione temporis opportunum videatur, tota Academia Festum Conceptionis Beatissimæ Virginis, Universitatis hujus Tutelaris & Titularis, Sacro octo dierum curriculo Academicis plausibus concelebrabit.

Octo illis diebus Theses proponendæ.

Academiæ Concilium a primordio mensis Januarii quatuor Professores, binos videlicet pro Sacris functionibus, binos autem pro Academicis accurate dirigendis, destinabit; singulis autem octavæ diebus omnium scientiarum Academiæ Professores, octo Alumnis ex Academiæ præscripto, qui præcipuum ingenii specimen præstiterint, ad generales Theses pro suggestu propugnandas omni cura & studio delectis, Patroni assideant; Ex Alumnis autem egeni & pauperes præferantur.

Orationes in laudem Conceptionis M. V. legendæ.

Singulis diebus, priusquam hujusmodi Theses propugnentur, orationes in laudem Immaculati Conceptus Virginis Matris Mariæ a Grammaticæ vel humaniorum literarum cultoribus publice habeantur, ab ipsis vel Grammaticæ vel humaniorum literarum Professoribus elucubrandæ, ex quibus tres latino, quarta Hispano carmine, tres aliæ rursus soluta oratione, & postremo una Græco idiomate.

Quo ordine proponendæ Theses.

Theses in hoc solemni octo dierum spatio Propugnandæ, ex Theologia, Jure Canonico, Jure Civili, Medicina, & Artibus seligantur. Professores ex ordine præsidebunt: Videlicet pro artibus, septem ipsarum Artium Professores, ac Philosophiæ moralis, & Matheseos Prælector: Pro Medicina, sex Medicinæ & Chirurgiæ Professores: Pro Jure Civili, Primarii Pandectarum, & Codicis, & Vespertini Digesti veteris, & Voluminis: Pro Jure Canonico, Primarius & Vespertinus Decretalium, Decreti, Concilii Tridentini, Sexti, & Clementinarum: Pro Theologia ejusdem facultatis Professores. Singulis Octavæ diebus hic ordo servandus erit: nimirum tribus prioribus diebus tres Theologiæ Professores, videlicet primus ex Schola Sancti Thomæ, secundus ex Doctrina Scoti, tertius ex Sententia Doctoris Suarez; Sed tertio quoque anno loco Professoris Theologiæ ex Doctrina Scoti, Professor Artium ejusdem Sententiæ uno ex tribus octavæ postremis diebus, substituatur: Die quarta unus ex Juris Canonici Professoribus: Die quinta ex Juris Civilis: Die sexta unus ex Medicinæ vel Chirurgiæ Professoribus: septima & octava die, vel duo Artium Professores, vel moralis Philosophiæ Professor cum altero Artium. Secundo vero quoque anno cedentibus alternatim Professoribus, altero Artium Sententiæ Sancti Thomæ, altero vero Suarez, alterutrius locum Matheseos Professor obtinebit.

Adversus harum Thesium Propugnatores ii dumtaxat, qui Doctorali seu Magistrali laurea decorati fuerint, argumenta proponent. Verumtamen in utroque Jure postremus arguendi locus temporalibus etiam Professoribus, Doctoratum licet non adeptis, concedi poterit.

Pensiones singulis solvendæ.

Singuli Patroni Regalia viginti: Sex autem argumenta proponentes: Regalia itidem viginti Grammaticæ, & Rhetoricæ Professores accipient: Alumnis autem, qui Panegyrim recitaverint, gratis cursuum probationes, & Matriculæ pro toto studiorum curriculo concedantur.

TITULUS XLV.

De Funere Academicorum.

§. 47. Singulis Professoribus vita defunctis in Sacello Universitatis Sacris solemnibus, Professorum & Doctorum interventu, justa persolvantur, & Missæ insuper viginti quatuor pro uniuscujusque Anima celebrentur. Cancellarii vero funus Parentali etiam oratione, ab oratoriæ Artis Præceptore, cui consuetum honorarium munus attribuetur, elucubranda & enuncianda decorabitur, & omnibus, quæ in Academia moris sunt, supremis officiis. Pro quibuslibet aliis Doctoribus seu Magistris, quos vita functos constiterit, duodecim in eodem Sacello Missæ applicentur.

TITULUS XLVI.

De Nosocomio, sive Hospitali Universitatis.

De Nosocomij Presbytero ejusque officio.

§. 48. Hospitalis regimini Presbyter idoneus ab Academiæ Concilio præficiatur, cui ex Inventario committatur universæ Supellectilis cura, quique sedulo animadvertere debeat, ut Scholares infirmi non aliter, quam Sanctionibus cautum est, recipiantur; ut nimirum testimonium matriculæ & paupertatis exhibeant, eosdemque contagione non laborare Primarius Medicinæ Professor attestetur. Post diem naturalem receptos Sacramentali pœnitentia expiandos curet; Morbo autem ingravescente sui muneris erit, nihil, quod in supremo illo discrimine Christiana Institutio præcipit, ad animarum salutem negligere.

Singulorum nomina, patriam, diemque receptionis in Codicem ad id paratum referat, ibidemque describat, quidquid in veste, vel alia quavis re secum attulerint, ut ipsis pristinam valetudinem adeptis restituatur. Quod si obierint, de re hujusmodi ad Cancellarii placitum, nisi prius id ægroti constituerint, disponatur.

Medico & Chirurgo Infirmos visitantibus Presbyter Hospitalis Præfectus interfit; itidemque, cum cibus ipsis ministratur.

Ex annuo Academiæ censu, centum quinquaginta librarum stipendium ipsi assignabitur; & quidquid præterea pro ægrotis salubrius alendis, curandis, & sustentandis opus fuerit, suppeditetur.

Præte-

De Præfecto, & Visitatore.

Præterea Concilium Academicum quotannis post Festum Sancti Lucæ perpetuum eligat Professorem, qui crebro, aut semel saltem in hebdomadam, Academiæ Nosocomium inviset, ut quæ ad ejusdem regimen ipsius Universitatis legibus comparata sunt, diligentius exequantur. Ipse verò Scholasticus singulis annis cum duobus Medicinæ Professoribus eodem accedat, ut Præfecto pariter & Visitatore præsentibus universa singillatim discutiat, & sedulo exploret.

Præfectus & Visitator personam idoneam, aut duas, si urgeat necessitas, ad Hospitalis ministerium constituant, quæ reficiendis ægrotis cibos præparet, cæteraque hujusmodi munera diligenter adimpleat, a qua Presbyter in dies singulos de expensis rationem repetat, quam ipse in singulas hebdomadas Visitatori reddat, quem etiam præcipue de extraordinariis & non modicis impensis consultet.

De Hospitalis Suppellectili.

Hospitale octo saltem ægrotis commode alendis & sustentandis paratam habeat Suppellectilem, vel etiam duodecim si ita ab Academiæ Consilio decernatur.

Visitatori Hospitalis ordinario in Festo Natalis Domini viginti quatuor gallinæ tribuantur.

TITULUS XLVII.

De Domibus conducendis, & Convictorum regimine.

Domus locandæ per æstimatores a Scholastico eligendos.

§. 49. Qui Studiorum causa ad hanc Cervariensem Academiam adveniunt, Domos Oppidanorum conducere, vel privatis pactionibus, vel certa pensionis lege cum locatoribus convenire non possint, sed res omnino per æstimatores ad id peculiariter destinatos transigatur.

Scholasticus igitur quotannis opportuno tempore duos eligat honestos, & integritate conspicuos Viros ex hac Civitate non oriundos, qui non alicujus gratia, non privato studio vel odio, aut proprii emolumenti cupiditate impulsi, sed justitiæ dumtaxat, & conscientiæ, ac veritatis sibi normam proponentes, domorum situm, magnitudinem, qualitatem rite ac fideliter inspiciant, & de hujusmodi locationibus judicium suum pronuncient, ac per Notarium in acta referendum curent. Quod si discordes in judicio vel æstimatione fuerint, iis adjungatur Rector Collegii Societatis Jesu, vel Guardianus Cappuccinorum, ut hoc moderamine adhibito majoris partis judicium observetur. Si vero vel Locator, vel ejus nomine alius quispiam præter æstimationem modo præscriptam majus aliquod pretium a Conductoribus accepisse deprehendatur quadruplum in usum Hospitalis Academiæ persolvet. Itidem si Conductores damnum aliquod, vitium, aut jacturam ædibus intulerint, præstari ab illis omnino curent æstimatores.

Sine Cancellarii consensu Scholares hospitio non recipiendi.

Nemo sine Cancellarii venia Scholares suas in ædes hospitio excipiat; quod tamen Professoribus Sacerdotibus, omnibusque licebit, qui Scholares intra quartum cognationis gradum sibi conjunctos accipere velint.

Si Academici, & ii, qui foro Academiæ non gaudent, in earumdem ædium conductione concurrant, Academici præferantur.

Singulis quoque annis de mense Augusti iidem Æstimatores coram Cancellario stipendium vel menstruum vel annuum a Scholaribus, qui in privatis Oppidanorum ædibus hospitantur, & victitant, persolvendum judicabunt; hoc vero circumstantiis omnibus rite inspectis & observatis pro diversa Studentium conditione diversimode constituent: Primæ videlicet, secundæ, & tertiæ classis, & ineunte mense Septembris ejusmodi taxa publicanda erit. Quod si Æstimatorum opiniones discrepant, eas dirimet sua sententia Cancellarius.

Æstimatoribus, & Notario quotannis viginti libræ ex Ærario dependantur.

De Baccalaureis Convictores alentibus.

Si quis Academiæ Baccalaureus viginti quinque annorum major, vita, moribus, honestate, ex duorum propriæ facultatis Professorum testimonio probatus, desideret, juxta Collegii consuetudinem & normam, domum suam ad suscipiendos & alendos Convictores instruere & comparare, veniam in scriptis a Cancellario impetrabit; quod fieri poterit a Festo Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ ad totum usque mensem Augusti. Utque securius morum honestati, studiorum progressui, & pietati Convictorum consulatur, quod ea de re Academiæ legibus sancitum est, se omnino servaturum obstringet. Quoniam vero plurimum conducit ad morum disciplinam, ut Scholares non solum publico, sed etiam privato regimine contineantur, assidue apud eumdem Tutorem cibum sument & pernoctabunt, atque ejusdem auctoritati in omnibus subjacebunt.

Baccalaureo plures quam duodecim Convictores non liceat admittere, eosque non diversarum facultatum, sed vel utriusque Juris, vel Theologiæ, sive Medicinæ, aut Artium Studiosos, vel Germanos & ejusdem Familiæ; nec Famula uti, nisi veniam de scripto a Cancellario ejusve Judice impetrarit.

Pro stipendiis etiam a Convictoribus in mensem aut annum Baccalaureo tutori persolvendis Æstimatores a Cancellario destinati taxam conficient.

Baccalaureis Convictores educantibus quid dandum præstita tamen cautione.

Universitatis Oeconomus de mandato Cancellarii per Secretarium subsignato singulis Baccalaureis, qui facultatem de scripto alendi & educandi Convictores obtinuerint, quinquaginta libras pro annona comparanda, impertietur; cautione tamen ab eisdem accepta, se æqualem summam ad præstituta tempora in Ærarium reposituros: videlicet viginti quinque libras ad Natalem Domini, & reliquas viginti quinque libras ad Festum Sancti Joannis de mense Junii.

Cancellarius ejusdemque Judex Convictorum ædes invisent, & solicite incumbent, ut legitime, quod sancitum est, observetur; ac præcipue, ut infra præscriptarum regularum norma ad unguem servanda custodiatur.

Regulæ servandæ a Baccalaureis, ejusque Convictoribus.

I. Baccalaureus singulorum Convictorum, quos receperit hospitio Nomina, Patriam, Parentes, aut ipsorum Curatores in Codicem describat.

II. Convictor initum semel in Baccalaurei ædibus hospitium, nonnisi post confectum annum, relinquet, dummodo causa hujusmodi non intercedat, quam Cancellarius justam comprobarit.

III. Convictores consuetis horis communi mensæ una cum Baccalaureo, valetudine non impedito, accumbent.

IV. Baccalaureo Convictorum tutelam & regimen deferere non liceat, quin duos ante menses hac de re Cancellarium admonuerit, veniamque ab eo perierit; qui, si æquum visum fuerit, petitioni huic indulgebit.

V. Idem nunquam ab hac Civitate sine Cancellarii venia proficiscatur.

VI. A die S. Lucæ usque ad diem primum mensis Martii post horam sextam vespertinam Baccalaureus januam ædium principalem observari mandabit; Exinde vero usque ad idem S. Lucæ Festum hora nona. Janua semel occlusa per totam illam noctem nunquam reserabitur, nisi repentina & inopinata alicujus ægroti necessitas aliter cogat, vel aliquis ex Convictorum Cognatis ad Cervariæ Civitatem noctu superveniat.

Convictoribus noctu ab ædibus

Legem hic præscriptam semel in mense post prandium vel cœnam Convictoribus prælegere

1730. abesse nullimode concedendum.

Baccalaureus teneatur. Baccalaureus nonnisi ex rationabili causa, de qua sibi constet, aliquem ex Convictoribus noctu ab ædibus abesse patiatur. Si quis vero per tres noctes abfuerit, hac de re Cancellarium certiorem faciat, qui causis absentiæ cognitis, & rigorose discussis, Convictori, prout jus fasque fuerit, vel ignoscet, vel in eumdem animadvertet. Quod si Baccalaureus id neglexerit, prima vice decem libras, secunda viginti Hospitali applicandas in mulctam dependet.

Diligenter idem Baccalaureus observet, num consuetis horis Convictores studio impendant, simulque eos admoneat, ut frequenter & accurate lectionibus Academicis interfint. Nunquam alea aut talis ludere patiatur; semel tamen in Hebdomadam, ac diebus Festis tempore, ad literarium pensum non destinato, alumnos convenienti ludo exerceri permittet.

Suspectæque fœminæ a vicinia removendæ.

Fœminas, præsertim suspectas, ab ædibus, ubi Alumni habitant, procul arceat; Si quid vero horum prætermiserit, a Cancellario, prout æquum visum fuerit, punietur.

TITULUS XLVIII.

De Academiæ Domicilio, & ejusdem octoginta Convictoribus.

§. 50. Ædes ad latera frontispicii Academiæ constitutas, alteras Cancellarius, alteras Judex inhabitet. Quæ a tergo ædificii sunt, alteras Algoasilius Scholastici & Magister silentii, alteras Bidelli occupent.

Editior Domicilii pars Gymnasiis Academiæ superimposita, reservato ad Nosocomii usum opportuniori loco, pro octoginta Scholaribus, ipsius Universitatis impensis & cura alendis atque educandis, constituetur.

Convictores quibus ex locis assumendi.

Hi porro ex toto Cataloniæ Principatu eligendi & assumendi erunt: Decem videlicet ex Archiepiscopatu Tarraconensi, cui Archipresbyteratus Ageren., & quodvis aliud nullius Diœcesis Territorium, pro hujus dumtaxat Sanctionis effectu, annexum censeatur: totidemque ex singulis aliis Episcopatibus: ex denis vero pro quibusque Philosophiæ, Medicinæ, Juris Civilis, Sacrorum Canonum, & Theologiæ Studiis bini assumantur.

Ad quos illorum spectet nominatio.

Archiepiscopus Tarraconensis, Episcopi Barchinonensis, Gerundensis, Ilerdensis, Dertusensis, Urgellensis, Vicensis, & Cælsonensis, aut, Sede vacante, Capitulorum Vicarii Generales decem Scholares nominent, ex sua quisque Diœcesi oriundos, legitimis & honestis Parentibus natos, optimis moribus & indole præditos, quos suis literis Scholastico Academiæ commendabunt, ut in Academiæ Domicilium recipiantur; quo recepti & cooptati, tenue quoddam subsidium persolvant, scilicet viginti libras ad Festum Sancti Lucæ, & totidem ad Festum Dominicæ Resurrectionis, ut sumptus, quos pro iis alendis & sustentandis Academia facit, aliqua saltem ex parte releventur.

A Cancellario vivendi norma illis danda.

Cancellarius de consilio Professorum Primarias Cathedras in Academia regentium, instituti rationem, vivendi normam, modum, & formam, Convictoribus præscribet, quorum regimini aliquis ex Professoribus, qui Clericus sit non conjugatus, præficietur.

Tempus Convictus.

Hujusmodi Convictores spatium temporis præfinitum habeant, quandiu Academiæ hospitio & victu uti possint: Artium videlicet Cultores in triennium vel in quadriennium, addito nimirum pro eorum libito quarto Philosophiæ Moralis anno, vulgo de Passantia, & ad totum deinceps facultatis, quam elegerint, conficiendum cursum, ac etiam ad Licentiæ Gradum obtinendum: Medici in quadriennium dumtaxat: Juris utriusque Cultores in sexennium: Theologi in quinquennium.

Si Artium Studiosus, post confectum Dialecticæ cursum, ad Jurisprudentiam se conferat, aut post Artium triennium, vel Theologiam, vel Medicinam aggrediatur totum quadriennium pro Artibus sibi concessum confecisse censebitur, adeo ut pro alia facultate addiscenda diutius, quam præscribitur, eo prætextu morari non possit.

Altero e Collegio discedente alter succedat.

Quotiescumque aliquis, qui pro Artium studio inter Convictores adscriptus sit, e Collegio egressus fuerit, alius item pro eadem facultate in ejus locum succedet. Quod & in cæteris facultatibus perpetuo servandum erit, sive quis totum tempus sibi attributum expleverit, sive dimidiatum aut intercisum reliquerit.

Cancellarius, cum Convictoris locus vacaverit, Præsulem, ad quem pertineat, conscium reddat, ut successorem ad annum mox secuturum præmittat.

Si quis in anni spatium ex quavis causa a Victu abfuerit, ipsius locus a successore occupetur.

Qui expellendi.

Qui ad Studium, ut par est, non incubuerit, aut mores suos, ut hos decet Convictores, ad honestatis regulas, & Academiæ præscripta non conformarit, citra spem veniæ expellatur; quod Cancellarius, prout sua fides & conscientia suaserit, rigorose præstabit.

Convictores secundum facultates distribuendi.

Convictores non secundum Diœceses, sed secundum diversas facultates, quibus operam dabunt in diversas classes distribuantur: videlicet, Artium, Medicinæ, Juris Canonici, Juris Civilis, & Theologiæ, ex quarum classium singulis ille, qui cæteris præcellet, earumdem Decanus a Cancellario constituatur.

Ædium divisio.

Professori, Collegii Præfecto, & facultatum Decanis melior & opportunior ædium pars præ cæteris Convictoribus ad incolendum assignabitur.

Convictores ejusmodi Academica veste, qua Scholares cæteri, induantur: Insuper vero Academiæ Stemma ex serico contextum vesti ad pectus affixum gestabunt.

Ex Convictoribus octo seligendi ad defendendas Theses in Octava Conceptionis M. V.

Alternis annis ex octoginta Academiæ Convictoribus octo seligantur, qui in solemni purissimæ Conceptionis B. V. Mariæ Octava Theses publice defendant, & in plerisque aliis Academicis actibus & functionibus inter omnes Universitatis Alumnos primas teneant.

TITULUS XLIX.

De Præfecto, sive Oeconomo Fabricæ Academiæ.

A Concilio Definitorum seligendus Oeconomus.

§. 51. Concilium Definitorum, quod post Festum Sancti Lucæ cogetur, unum ex Professoribus Cathedras perpetuas obtinentibus constituet, qui, quotiescumque oportuerit, per Bidellos admonitus, quidquid in Academiæ sive Gymnasiis sive ædibus reficiendum, reparandum restituendumve fuerit, quam primum opportune perfici curabit. Opifices autem ab eodem Concilio ad hujusmodi Ministerium destinatos adhibebit, quibus nullum salarium præter mercedem laboris impensi assignandum erit.

Mandata solvendi a Præfecto Fabricæ subscribenda.

Præfectus Fabricæ calcem, ligna, & quodlibet cæmenti genus (etiam sub hoc obtentu, ne videlicet sita pereant) citra Definitorum consensum, & legitimam præstitam cautionem, nec commodare nec mutuo dare possit; ac etiam Definitores adire teneatur, si expensæ immodicæ fieri debeant. Mandata solvendi, quæ ad fabricæ Præfecturam spectent, ut rata sint, & legitima, præter obsignationes consuetas & præscriptas, ab ipso Præfecto subscribantur.

Ab eodem Præfecto coram Definitoribus singulis annis reddenda ratio.

In Concilio Definitorum ante festum Sancti Lucæ Præfectus Fabricæ sui muneris rationem reddet; sique eisdem Definitoribus Præfecturæ tempus prorogari utile atque opportunum visum fuerit, proxime cogendo Concilio in eadem Præfectura confirmabitur.

Fabricæ Præfecto perdices duodecim, & totidem gallinæ in Natali Domini attribuentur.

TITULUS L.

De Veste, & honestate Academicorum.

Scholaribus vestium luxus.

§. 52. Scholares omnes Talari veste vel nigra aut subfusca, nunquam serica aut pretiosa, decenter induantur; nec luxum aut fastum præseferant, sed modeste, ut Academicos decet, ubique se gerant. Mulieres aut inhonestas aut utcumque suspectas nec apud se retineant nec invisant. Prætor autem Cervariæ, si quam impudentem & manifestam deprehenderit, statim a toto suæ Jurisdictionis Territorio exterminabit, idque ad solius Cancellarii requirentis informationem præstare teneatur; Scholaribus nec interdiu nec noctu arma gestare, aut apud se habere liceat.

Et Armorum delatio interdicenda.

Quæ ab eis fugienda.

Hinc cauponas, & popinas non adeant, nec crapulæ ac commessationibus assuescant, & ab injuriis & contumeliis inferendis, libellis famosis edendis, unde vel persona derisui seu ludibrio exponatur, vel alicujus existimatio aut fama lædi possit, omnino abstineant, super quibus vigilem omnino curam operamque Cancellarius impendat, ut in omnibus futura hujusmodi damna, qua par est diligentia provideat, & caveat. Injurias autem, & contumelias, si forte (quod absit) illatæ fuerint, debitis pœnis coerceat.

Qui Doctoratus Lauream non obtinuerit, Doctoralem vestem adhibere non possit, neque usus ensis, hujus Academiæ gradu decoratis concessus, vel ad artium Magistros, vel ad cujuscumque facultatis Licentiatos extendatur. Scholaribus vero cujuscumque conditionis aut gradus ensem gestare omnino interdictum sit.

Scholaribus usus ensis omnino interdicendus.

Nullatenus Scholaribus Judici sæculari noctu se se comites addere licebit; quod si unquam commiserint, ab Academia ejicientur. Itidem nunquam per plateas & compita larvati incedent: Prima vice decem diebus in Carcere detineantur: Secunda viginti: Tertia ab Urbe expellantur. Cervariæ Prætor larvarum usum nunquam permittat; nec ipse, aut Cancellarius scenicos actus, aut histrionicos, præsertim a festo Sancti Lucæ ad festum Sancti Joannis de mense Junii. Scholaribus non liceat infantes de Baptismo susçipere, nec rhedas, currus, sellas gestatorias, lecticas habere, aut equos alere, sed pedibus iter faciant, quoties ad Academiam ire pergunt. Si secus fecerint, decem librarum mulctam subeant.

De Ludis Scholaribus permittendis.

Per plateas & compita Civitatis a ludis etiam licitis cavebunt Scholares, alioquin per sex dies in carcere detinendi erunt. Festis tamen diebus extra muros, aut alio convenienti loco, se ludo animi causa oblectare poterunt, dummodo ultra regalis dimidium non deponant; ab aleis vero & talis perpetuo abstineant.

Scholaris poterit condictione repetere, quidquid pro ludo præter octo regalia exsolverit; quod si solutio facta non fuerit, creditori actio denegetur.

Nullus Cervariæ Oppidanus aut Incola domum suam pro ludo palam exercendo comparatam exhibeat, mille alioquin regalium mulctam subiturus Academiæ Bibliothecæ assignandam.

Scholarium contractus irriti.

Scholaris, qui vel sit filiusfamilias, vel suo adhuc Curatori subjaceat, vel subjacere possit, tametsi viginti quinque annorum major fuerit; si quid per se vel per alium aut emerit aut mutuo acceperit, irritum & inane censeatur, atque Judicii limine creditor repellatur, nisi contractui ineundo Judicis Academici notio & authoritas intercesserit.

Infamia notati non admittendi.

Cancellarius ejusque Judex nunquam scholis interesse patiantur juris aut facti infamia notatos, sed eos expellant, & ex albo etiam Academiæ expugnent.

Professores vero omnes ita se gerant vita, moribus, incessu, gravitate, virtute, cæterisque animi dotibus, ut ex iis Alumni velut ex uno fonte non tam doctrinæ præcepta, quam probitatis documenta audiant.

TITULUS LI.

De Privilegiis Academicorum.

§. 53. Hujus Academiæ Doctores, Magistri, Licentiati, Baccalaurei, Scholares, Officiarii eisdem gaudeant Regiis privilegiis, honoribus, prærogativis, gratiis, Immunitatibus, quibus in Academia Salmantina, Complutensi, Vallisoletana, & Oscensi hujusmodi personarum classes perfruuntur, & gaudent. Quibus præterea quamdiu in Academia vel doctrinæ vel ministerii causa versantur, quemadmodum Ecclesiastici Cervariæ, & ipsi a vectigalibus, quæ Cives Magistratui, aut Civitati Cervariensi persolvunt, immunes erunt. Verumtamen circa vinum, oleum, cæteraque ad victum & annonam pertinentia, coemenda, eadem lege, qua cæteri, obligentur; dummodo in hisce eodem etiam, quo Ecclesiastici, jure censeantur.

Academici a vectigalibus non secus ac cæteri Ecclesiastici immunes.

TITULUS LII.

De Redditibus Academiæ, Ratiociniis, & Administrationis forma.

§. 54. Omnes redditus, & proventus, bona, census, resque frugiferæ, quæ vel in præsentiarum possidet, vel imposterum Academia possidebit, ordine digesta, in Codicem ad id paratum distincte referantur, ex quo vel locandarum rerum, vel rationum subducendarum regula sit in promptu.

Reddit. omnes &c. in Codicem referendi.

Ex redditu autem, qui ære alieno, & oneribus dissolutis annuatim supersit, res stabiles & frugiferæ comparentur. Bona stabilia præsertim alienare Academia proprio jure nequaquam possit. In Concilio Definitorum, quod post festum Sancti Lucæ convocabitur, Doctores quatuor sive Magistri eligantur, ex quibus duo saltem Professores sint, qui perpetuam Cathedram obtineant, duo vero in Canonico vel Civili jure Doctores, quorum officium in biennium duret, ita tamen, ut binis remotis, bini rursus in singulos annos assumantur. Hi vero Doctores seu Magistri quot annis mense Septembris coram Scholastico, Academiæ Scriba interveniente, exhibitam ab Oeconomo, seu Administratore accepti rationem cognoscent, & ponderabunt. Scholasticus, Scriba, & præfati quatuor Ratiocinatores summa sedulitate tanti momenti rem pertractabunt, ne propter eorum negligentiam aliquid Academiæ detrimentum patiatur.

Quatuor eligendi Ratiocinatores ad cognoscendam exhibitam ab Oeconomo rationem.

Inter Cancellarium, Ratiocinatores & Secretarium, absoluto ratiocinio, centum libræ ex æquis partibus distribuantur; duplex tamen portio Cancellario tradatur.

Præmium Ratiocinatorum Cancellarii, & Secretarii.

Academiæ Secretarius alternis mensibus, quidquid in Academiæ compendium vel ex collatione graduum, vel ex Cathedrarum adeptione, aut aliis id genus juribus ad eamdem pertinentibus collegerit, apud eosdem profiteri, & de singulis rationem reddere teneatur.

Secretarius illis rationem reddere debet.

Syndicus pariter senis quibusque mensibus hoc idem de mulctis seu pœnis pecuniariis, sive a Scholastico ejusve Judice, sive per Statuta inflictis a se, vel exactis, aut ex officio exigendis, præstabit. Præterea post redditas ab Oeconomo rationes, quidquid ex redditibus exigendum supersit, prout sui muneris est, quantocius exigere non prætermittat.

Syndicus quoque senis quibusque mensibus.

TITU-

TITULUS LIII.

De Academica Typographia.

De Typographiæ Præsidentibus.

§. 55. Alternis annis Definitorum Concilium duos eligat Professores, alterum perpetuum, temporalem alterum, quibus Typographiæ procurandæ onus & cura incumbat, quique diligenter attendant num Typographus, qui vel Universitatis nomine, vel conductionis titulo excudendi munus susceperit, suo muneri probe satisfaciat: accepti & expensi tabulas digerant: & ab eodem Typographo rationes repetant, ut quidquid exigendorum reliqui fiat, quamprimum exigatur: ac census denique ex præli usu profecti apud Oeconomum, seu redditum Administratorem deponantur.

Solvendi mandata, pro impensis ad Typographiam curandam vel instruendam faciendis, præter subscriptiones Academico jure sancitas, a duobus Commissariis subscribantur. Quod item in redditu ex ipsa Typographia percipiendo, & in ærarium inferendo servetur. In Natali Domini singulis Typographiæ Commissariis perdices duodecim tribuantur.

Typographi Privilegia.

Typographus, dum hanc Academiæ officinam rexerit, foro & privilegiis Academicorum perfruatur.

TITULUS LIV.

De Salario Professorum, Cathedras perpetuas obtinentium.

§. 56. Ex tribus primariis Theologiæ Cathedris in annuum salarium accipiant singulæ biscentum libras 200. Lib.
Vespertinæ Cathedræ Theologiæ singulæ 150. Lib.
Cathedra Sac. Bibliorum 150. Lib.
Cathedræ Theologiæ Moralis 150. Lib.
Cathedræ Philosophiæ Moralis 150. Lib.
Cathedræ Primariæ Juris Canonici, & Civilis, singulæ 450. Lib.
Cathedræ Vespertinæ Juris Canonici, & Civilis, singulæ 400. Lib.
Cathedra Decreti 350. Lib.
Cathedra Conc. Trid. 300. Lib.
Cathedra Primaria Medicinæ 380. Lib.
Cathedra Vespertina Medicinæ 300. Lib.
Cathedra Prognosticorum 200. Lib.
Cathedra Matheseos 200. Lib.
Cathedra Rhetorices 200. Lib.

Cum in solvendo, pro rata salariorum, tam Professorum quam Officialium pars aliqua ex hisce, mulctarum nomine deducenda erit, annus Academicus secundum dies utiles, non continuos computetur.

TITULUS LV.

De Salario Professorum, Cathedras Temporales obtinentium.

§. 57. Temporales Cathedræ Decretalium, Sexti, Clementinarum, necnon Institutionum Civilium, & Digesti Veteris singulæ 200. Lib.
Cathedra Methodi 180. Lib.
Cathedra Simplicium 200. Lib.
Cathedra Chirurgiæ 200. Lib.
Septem Cathedræ Artium singulæ 150. Lib.

TITULUS LVI.

De Salario Professorum Grammaticæ Latinæ, & Græcæ.

Salaria Professoribus linguæ Latinæ, & Græcæ debita Rectori Collegii Sancti Bernardi S. J. persolvenda.

§. 58. Cathedræ Grammaticæ Latinæ, & Græcæ singulæ centum libras, quas Cervariæ Civitas Rectori Societatis Jesu Collegii Sancti Bernardi ejusdem Civitatis, prout in eorumdem Instituto de more cautum est, persolvet: Centum videlicet libras mense Septembri: centum vero mense Decembri: centum mense Martio: & centum mense Junio. Quotannis autem mense Augusto solutionem hanc, Secretario & Oeconomo inspectantibus, legitimis documentis Cancellario probabit, idque Secretarius, ut reliqua Professorum salaria, in Codicem transcribet.

Cancellarius insuper curet solutiones hujusmodi statis temporibus adimpleri, perinde ac in cæteris Professorum salariis.

TITULUS LVII.

De Salario Officialium Academiæ.

Oeconomo Salarium a Definitoribus assignandum.

§. 59. Secretarius 120. Lib.
Œconomus vero salarium, quod ipsi Definitorum Concilium, consulto Academiæ Protectore, assignabit; nec semel statutum augeri poterit, nisi aliter temporum circumstantiæ suaserint, & ejusdem Protectoris placitum accedat.
Syndicus 80. Lib.
Magister Cœremoniarum 100. Lib.
Bidellus Major 150. Lib.
Bidellus Minor 100. Lib.
Magister Silentii 70. Lib.
Bidellus Scholarum Grammaticæs 60. Lib.
Custos seu Rector Horologii Academiæ 40. Lib.
Scholarum Verruus, qui vulgo Scopator 40. Lib.

TITULUS LVIII.

De Salario Officialium Audientiæ Scholastici.

§. 60. Judex 250. Lib.
Notarius 50. Lib.
Aguasilius 100. Lib.
Fiscalis 50. Lib.
Cursor 20. Lib.
Custos seu Janitor Carceris 30. Lib.

Omnia ejusmodi salaria ex redditu Academiæ, eodemque Professoribus & Ministris tempore persolvantur.

TITULUS LIX.

De Feriis.

§. 61. *October* habet dies feriatos
18. Sancti Lucæ Evangelistæ. Hac die fit solemnis studiorum instauratio. Professores Academiæ juxta Concilium Tridentinum Juramento se obstringunt, & proxima die Lectiones instituunt.
28 Simonis, & Judæ Apostolorum.

November.

1 Festum omnium Sanctorum.
2 Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum.
25 Catharinæ Virg. & Mart.
30 Andreæ Apostoli.

December.

6 Nicolai Episcopi & Confessoris.
7 Ambrosii Episcopi & Confessoris, & Ecclesiæ Doctoris.
8 Conceptio B. M. V.
13 Luciæ Virg. & Mart.
19 Natalis dies Fundatoris Academiæ, quo etiam prima ejusdem jacta sunt fundamenta.
21. Thomæ Apostoli.
25. Nativitas D. N. Jesu Christi. Reliqui qui supersunt dies sunt feriati.

Januarius.

1 Circumcisio Domini.
6 Epiphaniæ Domini.
7 Raymundi de Pennafort Confessoris.
17 Antonii Abbatis.
20 Fabiani, & Sebastiani Martyrum.
25 Conversio S. Pauli Apostoli.

Februarius.

2 Purificatio B. M. V.
3 Blasii Episcopi & Confessoris.
24 Mathiæ Apostoli.
Feria secunda & tertia post Dominicam Quinquagesimæ, & feria quarta Cinerum Lectiones vacant.

Martius.

1 Angelorum Custodum.
7 Thomæ de Aquino Confessorls, & Ecclesiæ Doctoris.
12 Gregorii Papæ & Confessoris, & Ecclesiæ Doctoris.
19 Joseph Sponsi B. M. V.
20 Joachim Confessoris.
21 Benedicti Abbatis.
25 Annuntiationis B. M. V.
A Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis vacant Lectiones.

Aprilis.

23 Georgii Martyris.
25 Marci Evangelistæ.

Majus.

1 Philippi, & Jacobi Apostolorum.
3 Inventio S. Crucis.
8 Apparitio S. Michaelis Archangeli.
In Ascensione Domini, Dominica Pentecostes, feria secunda & tertia sequentibus, & in Festo Corporis Christi, Lectiones vacant.

Junius.

11 Barnabæ Apostoli.
13 Antonii de Padua Confessoris.
24 Nativitatis S. Joannis Baptistæ.
29 Petri, & Pauli Apostolorum.
Hinc ad Festum Sancti Lucæ Artium, Matheseos, Medicinæ, utriusque Juris, ac Theologiæ Lectiones vacant.

Julius.

2 Visitationis B. M. V.
14 Bonaventuræ Episcopi & Confessoris & Ecclesiæ Doctoris.
Ab hac die usque ad Festum Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis Grammaticæ, & Humaniorum literarum vacant Lectiones.

Augustus.

16 Rocchi Confessoris.
20 Bernardi Abbatis.
24 Bartholomæi Apostoli.
28 Augustini Episcopi & Confessoris, & Ecclesiæ Doctoris.

September.

8 Nativitatis B. M. V.
21 Matthæi Apostoli.
29 Dedicationis Sancti Michaelis Archangeli.
30 Hieronymi Patroni, & Confessoris, & Ecclesiæ Doctoris.
Omnibus hebdomadis, quibus præter Dominicam Festum aliud non occurret, feria quinta vacant lectiones: Item & diebus singulis, quibus in Catalonia, & Civitate Cervariæ Festum de præcepto colitur.

Dies interciſi, quibus videlicet Lectiones pomeridianæ vacant.

S. 62. Pervigilium Ascensionis Domini.
Pervigilium Pentecostes.
Pridie solemnitatis Corporis Christi.
Pervigilium S. Joannis Baptistæ.
Pervigilium Nativitatis Domini.
Cæteri, qui supersunt anni dies, sunt lectivi.

Quicumque Professor dimidium temporis, ad lectionem præfiniti, per incuriam omiserit, mulctam subeat pro tota lectione: Pro dimidia vero tantum, si aliquam ejusdem temporis partem dimidia inferiorem non legerit. Mulctæ a Professoribus Lectiones omittentibus persolvendæ.

Mulctæ pariter, ob negligentiam Professorum infligendæ, secundum dies utiles, ut supradicto titulo LIV. sancitum est, non vero continuos computentur.

L. Card. Picus. Loco ✠ sigilli.
L. Card. Belluga. Loco ✠ sigilli.

S. 63. Cum autem, sicut etiam accepimus ex Universitatis a præfato Philippo Rege, sicut præfertur, erectæ, & fundatæ, aliisque præmissis præfatis, idem Philippus Rex firmam spem, fiduciamque habeat in illo, qui bonæ menti occurrit, quod Universitas ab eo sic, ut præfertur, erecta & fundata hujusmodi, gratia adjuvante Domini, qui pie cæptis assiduum suæ benedictionis præbet incrementum, felici temporum successu celebre, & innumerum proborum virorum ad procurandos militanti Ecclesiæ triumphos evasura sit, propugnaculum: Proptereaque, ut illa firmior subsistat, & in dies gratior in conspectu ejusdem Domini appareat, idem Philippus Rex erectionem & fundationem Universitatis præfatæ, ab eo, ut præfertur, erectæ & fundatæ; necnon Statuta desuper, ut præfertur, edita, benigno Apostolicæ nostræ approbationis & confirmationis robore communiri, eidemque Universitati ab eodem Philippo Rege, ut præfertur, erectæ & fundatæ, ac Scholaribus, necnon Lectoribus, Magistris, Præceptoribus, Doctoribus, Bidellis, aliisque Ministris in ea nunc & pro tempore existentibus præfatis, omnia & singula infrascripta a nobis, ut infra, concedi, indulgeri, elargiri, ac statui, plurimum cupiat; Pro parte Regis Catholici porrectæ SS. D. N. preces pro confirmatione Academiæ hujusmodi ejusque statutorum obtinenda.

S. 64. Nos, qui ad Christianorum Principum Religionem in iis, quæ ad animorum eruditionem elevandam per eorum Regiam largitatem studia promovere non desinunt, adjutricem nostræ quoque liberalitatis dexteram, ut præfertur, protendimus, eamque, quantum in Domino possumus, confovemus; Proptereaque laudabilibus, & Regia quidem charitate dignis, dicti Philippi Regis votis annuere, ac Universitatem ab eo, ut præfertur, erectam & fundatam hujusmodi, ut illa per Apostolicæ quoque liberalitatis opem nunc, & perpetuis inde futuris temporibus felici successui, & a præfato Philippo Rege concupitæ coalescat stabilitati, specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, ac Scholasticum, Scholares, Lectores, Magistros, Præceptores, Doctores, Bidellos, aliosque Ministros Universitatis ab eodem Philippo Rege, ut præfertur, erectæ & fundatæ, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes & absolutas fore censentes; necnon denominationes, nuncupationes, situationes, statum, & qualitates, Universitatis a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectæ & fundatæ hujusmodi, illiusque erectionis & fundationis præ- Eam cum bonis omnibus, ac privilegiis, immunit, statutis &c. confirmat.

fatarum

fatarum tenores, ac bonorum ei applicatorum & appropriatorum quantitates, ac omnia & singula privilegia, gratias, exemptiones, & immunitates, quibus illa a præfato Philippo Rege, ut præfertur, donata extitit & existit de præsenti, pro expressis habentes, de Ven. fratrum nostrorum Ludovici Pico, & Ludovici Belluga & Moncada respective nuncupatorum S. R. E. Cardinalium consilio, quibus a fel. rec. Benedicto Papa XIII. Prædecessore Nostro omnia & singula præmissa, ac infrascripta ab eis examinanda, commissa fuerunt, quæque sic commissa, & per eos examinata, concedenda, sancitum fuit: Motu præprio & ex certa scientia, & Apostolicæ potestatis plenitudine, meraque liberalitate nostris erectionem & fundationem Universitatis studii generalis in præfato Oppido, a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectæ & fundatæ hujusmodi cum omnibus & singulis inde secutis, & ab eodem Philippo Rege pro bono ejusdem Universitatis ab eo, ut præfertur, erectæ & fundatæ hujusmodi, ac Scholarium, & Præceptorum, Magistrorum, Doctorum, Bidellorum, aliorumque Ministrorum in ea nunc, & pro tempore existentium præfatorum regimine, gubernio, directione, ac morum & disciplinæ laudabili cultu desuper quomodolibet provide dispositis, statutis & decretis; necnon bonorum omnium & singulorum a præfato Philippo Rege eidem Universitati ab eo, ut præfertur, erectæ & fundatæ, applicatorum & appropriatorum, applicationem & appropriationem, omniaque & singula privilegia, gratias, exemptiones, & immunitates a præfato Philippo Rege eidem Universitati, ab eo, ut præfertur, erectæ & fundatæ, Regia ejus auctoritate quomodolibet, ut præfertur, concessa & elargita, necnon omnia & singula præinserta Statuta desuper edita præfata, eorumque plenum & integrum tenorem de verbo ad verbum, nullo eorum verbo penitus omisso, pœnasque in eis contentas quascumque, in contrafacientes quomodolibet inflictas, Apostolica auctoritate perpetuo confirmamus & approbamus, eisque & eorum quibuslibet Apostolicæ perpetuæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos, tam juris quam facti, & solemnitatum, aliosque quantumvis substantiales defectus, si qui in eorum omnibus & singulis præfatis, & eorum quolibet quomodolibet intervenerint, supplemus; præinsertaque, ac desuper edita Statuta præfata per Universitatis, a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectæ & fundatæ hujusmodi, Scholares, Lectores, Præceptores, Magistros, Doctores, Bidellos, aliosque Ministros & personas in ea nunc, & pro tempore existentes præfatos, ac quoscumque alios, ad quos nunc quomodolibet spectat & pertinet, & pro tempore spectabit & pertinebit, sub pœnis eis desuper inflictis, perinde acsi a nobis emanassent, firmiter & inviolabiliter observari debere, Apostolica auctoritate præfata perpetuo decernimus & statuimus.

Cæteras in Principatu Catalaunen. Universitates abstrahens, earum bona Academiæ Cervarien. applicat.

§. 65. Et attendentes, quod in Principatu præfato, una videlitet in Tarraconen., ac alia in Ilerden., ac alia in Vicen., & alia in Gerunden., ac reliqua Studiorum generalium hujusmodi Universitates in Barchinonen. respective Civitatibus, vel Diœcesibus erectæ & fundatæ, necnon unum sub Sanctissimæ Conceptionis B. Mariæ Virginis, ac alterum Sedi Apostolicæ immediate subjectum, Studiorum hujusmodi Collegia sub Assumptionis ejusdem Beatæ Mariæ Virginis respective invocationibus seu titulis in præfata Ilerden. Civitate a nonnullis Christifidelibus pro certis alumnis, & quoad secundo dictum Collegium juxta illius fundationem debite qualificatis, utriusque Juris studio vacare cupientibus, & quoad Collegium secundo dictum, ad illud ad nominationem certarum personarum de eorumdem Alumnorum, ut præfertur, qualificatorum personis faciendam introducendis, pie pariter erecta & fundata reperiuntur.

§. 66. Nos ad erigenda ejusdem Philippi Regis erga Universitatis, ab eo, ut præfertur, erectæ & fundatæ, & a Nobis per præsentes, ut præfertur, approbatæ hujusmodi, felicem & ab ipso Philippo Rege laudabiliter concupitum successum, vota, ut plures huc illuc emanantes scientiarum rivuli in unum aggregati, copiosum earumdem scientarum illas sitientibus exhibeant fontem, Tarraconen., Ilerden., Vicen., Gerunden., & Barchinonen. Universitates præfatas, & earum quamlibet, abstrahentes, eas sic a nobis abstractas, una cum omnibus & singulis illarum & cujuslibet earum respective bonis, juribus, actionibus, proprietatibus, rebus, bibliothecis, libris, scamnis, Sedibus, aliisque utensilibus quibuscumque, ad earum quamlibet quomodolibet respective spectantibus & pertinentibus, dictæ Universitati a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectæ & fundatæ, & a Nobis per præsentes, ut præfertur, approbatæ; ita quod ex omnibus & singulis Universitatibus a nobis, ut præfertur, abstractis, & ut infra uniendis, una dumtaxat Studii generaliis Universitas in Principatu præfato constituatur, & existat, liceatque infrascripto Universitatis, a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectæ & fundatæ, & a Nobis per præsentes, etiam ut præfertur, approbatæ hujusmodi, Scholastico nunc & pro tempore existenti, veram, realem, corporalem, & actualem omnium & singulorum respective bonorum, rerum, proprietatum, jurium & actionum ad Universitates a Nobis, ut præfertur, abstractas hujusmodi, & earum quamlibet respective spectantium & pertinentium, necnon Bibliothecarum, Librorum, scamnorum, sedium, aliorumque utensilium, in eis & earum qualibet respective existentium præfatorum, possessione propria auctoritate ejusdem Universitatis a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectæ & fundatæ, & a Nobis per præsentes, etiam ut præfertur, approbatæ nomine libere apprehendere, & apprehensam perpetuo retinere, necnon omnes & singulos respective omnium & singulorum bonorum, rerum, proprietatum, jurium, & actionum præfatorum respective fructus, redditus, & proventus in quacumque re consistentes, & undecumque provenientes, percipere, erigere, levare, locare, dislocare, eosque, supportatis tamen prius & adimpletis omnibus & singulis bonorum hujusmodi oneribus, si quæ super illis imposita sint, ab eisdem Universitatibus a Nobis, ut præfertur, abstractis, & ab earum qualibet adimpleri debitis, ad quorum omnium adimplementum & supportationem Universitatem, a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectam & fundatam, & a Nobis per præsentes, etiam ut præfertur, approbatam hujusmodi, expresse teneri, & obligatam esse volumus; necnon Bibliothecas, Libros, scamna, sedes, aliaque omnia & singula utensilia præfata in Scholarium, ac Lectorum, Magistrorum, & Præceptorum, Doctorum & Bidellorum, aliorumque Ministrorum in ea nunc & pro tempore existentium præfatorum manutentionem, usus, utilitatem, & commodum, cujusvis licentia desuper minime requisita, convertere, motu, scientia, & Apostolicæ potestatis plenitudine præfatis, perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus.

Quorum possessionem a Scholastico Acad. nomine cupiendam concedit.

§. 67. Necnon unum & alterum Collegia præfata, cum pariter omnibus & singulis illorum respective bonis, rebus, proprietatibus, illorumque

Ei subjicit Collegia duo Ilerdensia etiam re-

fundatæ, ac a Nobis per præsentes etiam, ut fructibus, redditibus, proventibus, juribus, privilegiis, gratiis, indultis, & statutis, quæ omnia & singula, necnon activum nominantium, & passivum nominandarum personarum respective jus, & uni & alteri Collegiis hujusmodi respective incumbentia onera, quæ per unum & alterum Collegia præfata, ut prius adimpleri respective debeant, firma & illæsa remaneant ad Universitatem, a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectam & fundatam, & a Nobis per præsentes etiam, ut præfertur, approbatam hujusmodi; licet Ven. Frater modernus Episcopus Ilerdensis secundo dictum Collegium, ut infra transferri renuat, illiusque bonorum fructus, qui fere omnes ex ejusdem Sedis liberalitate proveniunt, Seminario puerorum Ecclesiastico Ilerdensi applicare prætendat, & seu jam fructus, redditus, & proventus hujusmodi eidem Seminario ordinaria ejus auctoritate, nulliter tamen, & de facto applicaverit & appropriaverit, & quatenus, ut præfertur applicati & appropriati fuerint, ad hoc, ut Universitas a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erecta & fundata, & a Nobis per præsentes etiam, ut præfertur, approbata hujusmodi, una dumtaxat fæcunda Studiorum & doctissimorum Virorum nutrix existat, & mater, applicationem & appropriationem hujusmodi a præfato Episcopo Ilerdensi, uti nulliter & indebite factas, annullantes & amoventes, Apostolica auctoritate, motuque & scientia præfatis similiter, perpetuo transferimus, eidemque Universitati a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectæ & fundatæ, ac a Nobis per præsentes etiam, ut præfertur, approbatæ subjicimus, & subjecta esse volumus.

Privilegia omnia Universitatis Salamanticen. eidem confirmat.

§. 68. Ac eidem Universitati a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectæ & fundatæ, ac a Nobis per præsentes etiam, ut præfertur, approbatæ, illiusque Scholastico, Scholaribus, Lectoribus, Magistris, Præceptoribus, Doctoribus, Bidellis, aliisque personis in ea nunc & pro tempore existentibus, ut ipsi omnibus & quibuscumque privilegiis, indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis, præeminentiis, prærogativis, antelationibus, & honoribus tam Apostolica, Imperiali, Regia, aut Ducali, auctoritatibus, quam aliàs quomodolibet pro tempore concessis, & quibus omnes & singulæ Studiorum generalium hujusmodi, *& præsertim Salamantin.* Universitates, illarumque respective Scholastici, Scholares, Præceptores, Magistri, Lectores, Doctores, Bidelli, aliæque personæ in eis & earum qualibet existentes, quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur & gaudent, non solum ad eorum instar, sed pariformiter & æque principaliter, in omnibus & per omnia, & omnino quoad omnia; dummodo tamen illa sint in usu, nec revocata, nec sub aliqua revocatione comprehensa, ac Sacris Canonibus, Constitutionibus Apostolicis, & Concilii Tridentini decretis non adversentur, uti, frui, potiri, & gaudere libere & licite possint & valeant, eadem Apostolica auctoritate concedimus, & indulgemus.

§. 69. Ac insuper Scholastico Universitatis præfatæ a dicto Philippo Rege, ut præfertur, erectæ & fundatæ, & a Nobis per præsentes etiam; ut præfertur, approbatæ, nunc & pro tempore existenti præfato, ut ipse personas ipsas, quas in ipsa Universitate a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erecta & fundata, & a Nobis per præsentes etiam, ut præfertur, approbata, vel etiam alibi in quavis alia Studii generalis Universitate per debitum tempus studuisse, ac scientia & moribus idoneos esse repererit, ad præfatas Jurium, Artium, ac Theologiæ facultates, ac Baccalaureatus, etiam formati, Licentiaturæ, Doctoratusque & Magisterii gradus, servata forma Concilii Viennen., ac aliàs juxta præfatæ Universitatis Salamantin. consuetudines, & præfata ipsius a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectæ & fundatæ, & a Nobis per præsentes etiam, ut præfertur, approbatæ Universitatis præinserta statuta hujusmodi promovere, & eorumdem graduum respective insignia ad eosdem gradus sic respective promotis exhibere, & ad dictos gradus sic per illum promoti, postea publice & privatim, etiam in omnibus aliis Studiorum generalium Universitatibus facultates ipsas interpretari, & alios docere, & de eis disputare, actusque gradui seu gradibus hujusmodi convenientes, exercere, ac omnibus pariter privilegiis, prærogativis, gratiis, favoribus, & indultis, quibus alii in aliis Universitatibus hujusmodi juxta illarum Constitutiones & mores ad gradus præfatos promoti de jure, usu, stylo, vel consuetudine, aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, frui, potiri & gaudere poterunt in futurum in omnibus & per omnia perinde, acsi in aliis Universitatibus hujusmodi gradus ipsos juxta illarum consuetudines & mores vere suscepissent, etiam uti, frui, potiri & gaudere, etiam libere & licite possint & valeant, licentiam tribuimus, & facultatem.

Præceptores, cæterosque Academ. hujus Officiales a residentia in Beneficiis Ecclesiast. dispensat, quoscumque fructus præter quotidianas distributiones ab eis percipi concedens.

§. 70. Necnon Scholastico, Scholaribus, Lectoribus, Magistris, Præceptoribus, Doctoribus, Bidellis, aliisque personis in Universitate a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erecta & fundata, ac a Nobis per præsentes etiam, ut præfertur, approbata hujusmodi, nunc & pro tempore existentibus, ut ipsi & eorum quilibet nunc & perpetuis inde futuris temporibus in Universitate a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erecta & fundata, ac a Nobis per præsentes etiam, ut præfertur, approbata hujusmodi, in quacumque facultate licita & honesta, per octo menses continuos, vel interpolatim legendo, aut aliàs literarum Studia hujusmodi, Studio insistendo, omnium & singulorum Beneficiorum Ecclesiasticorum per eos & eorum quemlibet in quibusvis Ecclesiis, sive locis obtentorum fructus, redditus, & proventus, etiamsi Canonicatus, & Præbendæ, Dignitates, Personatus, administrationes & officia, etiam electiva in Cathedralibus, Metropolitanis & Collegiatis Ecclesiis, & Dignitates ipsæ in Cathedralibus & Metropolitanis post Pontificales majores, & in Collegiatis Ecclesiis hujusmodi principales fuerint, cum omnimoda & ea, qua si in Ecclesiis sive locis hujusmodi personaliter residerent, integritate percipere, exceptis dumtaxat distributionibus quotidianis, libere percipere, exigere, levare, locare, dislocare, arrendare, ac in eorum usus & utilitatem convertere, & invitos, donec tamen & quousque in ipsa Universitate a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erecta & fundata, & a Nobis per præsentes, etiam ut præfertur, approbata, Cathedras moderando, aut studiis vacando moram fecerint, ad residentiam apud easdem Ecclesias ratione Beneficiorum præfatorum per eos, ut præfertur, obtentorum faciendam, a quoquam minime compelli possint.

Eis præcepto Paschali in Cappella Academ. satisfacere indulget.

§. 71. Et ad excitandum, non solum per temporalia, verum etiam per spiritualia privilegia, iter ad earumdem Scientiarum appetitum, eisdem Universitatis a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectæ & fundatæ, & a Nobis per præsentes etiam, ut præfertur, approbatæ hujusmodi, Scholastico, Scholaribus, Lectoribus, Magistris, Præceptoribus, Doctoribus, Bidellis, aliisque Ministris nunc & pro tempore existentibus præfatis & eorum cuilibet, ut ipsi in eorum Universitatis a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectæ &

præfer-

præfertur, approbatæ hujuſmodi, Cappella, ſeu Oratorio annuo præcepto Paſchali ſatisfacere; cum hoc tamen, quod ſingulis annis omnium & ſingulorum Scholaſtici, Scholarium, Lectorum, Magiſtrorum, Præceptorum, Doctorum, Bidellorum, aliorumque Miniſtrorum præfatorum, qui in Cappella ſeu Oratorio hujuſmodi Præcepto præfato ſatisfecerint, notula a Scholaſtico nunc & pro tempore exiſtente præfato, ſeu ab alio, ad id ab eodem Scholaſtico deputato, ſubſcripta, unicuique uniuſcujuſque Parrochialis Eccleſiæ, in cujus Parrochialis Eccleſiæ limitibus Parrochialibus Scholares, Lectores, Magiſtri, Præceptores, Doctores, Bidelli, aliique Miniſtri præfati, & eorum quilibet reſpective extiterint, reſpective Rectori exhibeatur, ſimiliter libere & licite poſſint & valeant, eadem Apoſtolica auctoritate, etiam perpetuo concedimus & indulgemus.

In eaque ſtatutis diebus vere pœnitentibus, ac S. Euchariſtiæ Sacramen. ſumentibus plenariam elargitur Indulgentiam.

§. 72. Ac præterea omnibus & ſingulis in Univerſitate a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erecta & fundata, & a Nobis per præſentes etiam, ut præfertur, approbata hujuſmodi, nunc & pro tempore exiſtentibus præfatis, qui ſingulis per præinſerta ſtatuta hujuſmodi ſtatutis diebus, vere pœnitentes & confeſſi, ac Sacra Communione refecti in Cappella, ſeu Oratorio hujuſmodi pias ad Deum pro Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, hæreſum extirpatione, hæreticorum & infidelium converſione, Principum Chriſtianorum pace & concordia, ac Romani Pontificis pro tempore exiſtentis ſalute, preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum veniam & remiſſionem, eadem Apoſtolica auctoritate etiam perpetuo concedimus, & elargimur.

In ejus Typographia Concluſiones imprimi concedit.

§. 73. Necnon, ut in dictæ Univerſitatis a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectæ & fundatæ, & a Nobis per præſentes etiam, ut præfertur, approbatæ, Typographia omnes & ſingulæ Concluſiones in ea proponendæ & definiendæ, necnon privilegia ei conceſſa, ac præinſerta ſtatuta edita, & pro bono ejuſdem Univerſitatis a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectæ & fundatæ, & a Nobis per præſentes etiam, ut præfertur, approbatæ; ac Scholarium, Lectorum, Magiſtrorum, Præceptorum, Doctorum, Bidellorum, aliorumque Miniſtrorum hujuſmodi regimine pro tempore edenda decreta, abſque ullo alio, quam illius Scholaſtici nunc & pro tempore exiſtentis permiſſu, edi & prælo dari poſſint, licentiam impartimur.

Scholaſtico totalem Academiæ juriſdictionem, regimen &c. delegat, eumque Judicem in cauſis ad eam ſpectantibus conſtituit.

§. 74. Porro, ut ſalubri & felici Univerſitatis a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectæ & fundatæ, & a Nobis per præſentes etiam, ut præfertur, approbatæ hujuſmodi regimini conſulamus, illius Scholaſticum nunc & pro tempore exiſtentem præfatum, in ejuſdem Univerſitatis a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectæ & fundatæ, & a Nobis per præſentes etiam, ut præfertur, approbatæ Cancellarium & Rectorem, penes quem univerſa ipſius Univerſitatis a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectæ & fundatæ, & a Nobis per præſentes etiam, ut præfertur, approbatæ hujuſmodi cura, regimen, adminiſtratio, ac juriſdictio tam civilis quam criminalis, & tam gubernativa, quam Oeconomica, uti verum & legitimum illius Præſulem, Patrem, & Judicem privative quoad quoſcumque alios, plene reſideat; ita quod liceat Scholaſtico nunc & pro tempore exiſtenti præfato omnia & ſingula ejuſdem Univerſitatis a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectæ & fundatæ, & a Nobis per præſentes etiam, ut præfertur, approbatæ, bona & jura in ejuſdem Univerſitatis a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectæ & fundatæ, ac a Nobis per præſentes etiam, ut præfertur, approbatæ, utilitatem & conſervationem, nec non augmentum, adminiſtrare & defendere, & ſeu adminiſtrari & defendi facere, necnon Studia, Scholas, Scholares, Magiſtros, Lectores, Præceptores, Doctores, Bidellos, alioſque Miniſtros inibi pro tempore exiſtentes, dirigere, viſitare, corrigere & punire, necnon quaſcumque lites & cauſas tam civiles quam criminales, dictam Univerſitatem a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectam & fundatam, & a Nobis per præſentes etiam, ut præfertur, approbatam, tangentes, etiam inter Scholares, Lectores, Magiſtros, Præceptores, Doctores, Bidellos, alioſque Miniſtros præfatos, & eorum quemlibet, ac alias ex una & altera partibus nunc introductas & pendentes, & pro tempore quomodolibet introducendas & movendas in futurum judicare, definire, fineque debito terminare, & ſententias deſuper latas & ferendas, etiam per cenſuras, aliaſque pœnas eccleſiaſticas, uti vero, legitimo & competente Judice exequi; necnon præinſerta, & a Nobis per præſentes, ut præfertur, approbata ſtatuta præfata, ſub pœnis in contrafacientes & rebelles ſtatutis & inflictis, inviolabiliter obſervari facere, eaque interpretari; & ſi rerum & temporum ratio id ſuaſerit, moderari, aliaque de novo, dummodo tamen illa præfati Concilii Tridentini Decretis, Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac Sacris Canonibus præfatis non adverſentur, condere, conditaque ſimiliter, ut præfertur, obſervari facere; necnon dicere & gerere omnia & ſingula alia, quæ provido ejuſdem Univerſitatis a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectæ & fundatæ, & a Nobis per præſentes etiam, ut præfertur approbatæ, regimini, illiuſque tranquillo ſtatui pro tempore expedire dignoſcuntur, Apoſtolica auctoritate, motu, ſcientia & poteſtatis plenitudine præfatis pariter perpetuo conſtituimus & deputamus.

Canonicatus nonnullarum Eccleſ. illius Profeſſoribus conferendos applicat, ac decernit.

§. 75. Cæterum Nos, ut cupientes abſconditum in agro literarum ſtudii, acquirere ſcientiæ Theſaurum, qui ſuos non ſolum provehit poſſeſſores, & illuſtrat; verum etiam Domum Dei inſignit, & decorat, habiliori ejuſdem Theſauri ad eorum cupiditatis ſatietatem, divini ſervitii decorem, ſpirituale animarum ſubſidium, afficiantur amore, unum & unam ex Tarraconenſi, ac unum & unam ex Barchinonenſi, ac unum & unam ex Ilerdenſi, ac unum & unam ex Gerundenſi, ac unum & unam ex Vicenſi, ac unum & unam ex Urgellenſi, ac unum & unam ex Derthuſenſi, ac unum & unam reſpective Canonicatum & Præbendam ex Celſonenſi reſpective Eccleſiarum, & earum cujuslibet reſpective Canonicatibus & Præbendis, illum & illam videlicet ex eiſdem reſpective Canonicatibus & Præbendis, qui & quæ primum per ceſſum etiam ex cauſa permutationis, vel deceſſum, ſeu privationem, aut quamvis aliam dimiſſionem vel amiſſionem, illos & illas reſpective obtinentis, ſeu reſpective obtinentium, aut alias quovis modo, etiam in quibuſcumque menſibus Nobis, & Romanis Pontificibus pro tempore exiſtentibus, Sedique præfatæ per quaſcumque Conſtitutiones Apoſtolicas, vel noſtras & Cancellariæ Apoſtolicæ regulas editas vel edendas, aut alias quomodolibet reſervatis, aut Ordinariis Collatoribus, etiam per Conſtitutiones & regulas eaſdem, ſeu literas alternativarum, aut alia privilegia & indulta, etiam S. R. E. Cardinalibus, etiam de Latere Legatis, Vicelegatis, dictæque Sedis Nunciis conceſſa, competentibus reſpective, vacare contigerit, unicuique ex Clericis, ſeu Presbyteris Profeſſoribus Academiæ, ſeu proprietatis, ſive regentiæ Cathedram, in Univerſitate præfata

a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erecta & fundata, & a Nobis per præsentes etiam, ut præfertur, approbata, obtinentibus, ab Academia, videlicet Collegio Definitorum, vulgo nuncupato, Clauſtro de *Deputados* -- Univerſitatis a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectæ & fundatæ, & a Nobis per præſentes etiam, ut præfertur, approbatæ hujuſmodi, ceſſantibus tamen reſervationibus & affectionibus Apoſtolicis nominandis ſeu præſentandis, & a pro tempore exiſtente Cancellario præfato, non tamen in Vacationibus Sedi Apoſtolicæ præfatæ reſervatis, inſtituendis, & cum hoc tamen, quod ipſi, qui pro tempore de Canonicatibus & Præbendis, ut infra per nos affectis, proviſi fuerint, poſt eorumdem reſpective Canonicatuum & Præbendarum ab eis adeptam poſſeſſionem ad perſonalem reſidentiam apud eorum reſpective Eccleſias ratione eorumdem reſpective Canonicatuum & Præbendarum faciendam, ſe conferre omnino teneantur, auctoritate ac motu paribus perpetuo afficimus, & ex nunc affectos eſſe volumus; dictoſque Canonicatus & Præbendas, ſic affectos & affectas, quoties illos & illas impoſterum pariter per ceſſum, etiam ex cauſa permutationis, ſeu deceſſum aut privationem, vel quamvis aliam dimiſſionem, aut amiſſionem, illos & illas pro tempore reſpective obtinentium, vel alias quovis modo, etiamſi ex illo quævis generalis reſervatio, etiam in corpore juris clauſa reſultet, etiam apud Sedem præfatam, etiam in aliquo ex menſibus, in quibus vacantium Beneficiorum eccleſiaſticorum collatio, proviſio, & quævis alia diſpoſitio Nobis, & dictæ Sedi etiam per Conſtitutiones & regulas eaſdem reſervata extiterit, ſeu Ordinariis Collatoribus etiam per Conſtitutiones & Regulas præfatas, vel alternativarum literas, aut alia privilegia & indulta hactenus conceſſa & impoſterum concedenda, competentibus, quocumque tempore ex illos & illas pro tempore obtinentium reſpective perſonis vacare contigerit, etiamſi illi & illæ alias diſpoſitioni Apoſtolicæ quomodolibet reſervati & reſervatæ, ſeu quacumque affectione, etiam ratione cujuſcumque familiaritatis, etiam noſtræ, affecti & affectæ extiterint, Clericis ſeu Presbyteris Profeſſoribus Academiæ, ſeu Proprietatis ſive Regentiæ Cathedram in Univerſitate præfata a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erecta & fundata, & a Nobis per præſentes etiam, ut præfertur, approbata obtinentibus præfatis, omnino conferri debere; alioquin præſentationes, inſtitutiones, collationeſque quaſcumque aliis, quam Profeſſoribus præfatis pro tempore factas, nullas & invalidas nulliuſque roboris vel momenti fore & eſſe, nullique jus aut coloratum titulum poſſidendi tribui poſſe.

Præſentium Literarum ſuper hoc validatio.

§. 76. Eaſdem præſentes nullo unquam tempore ex eo, quod cauſæ, propter quas illæ emanarunt, coram locorum Ordinariis, etiam tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatis, vel alibi examinatæ, verificatæ & juſtificatæ; ac etiamſi Ordinarii, Capitula præfata, ſeu alii, ad id quomodolibet intereſſe habentes, vocati non fuerint, neque illis conſenſerint, aut alio quocumque prætextu de intentionis noſtræ, vel alio quovis defectu, notari, impugnari, invalidari, ad terminos juris reduci, in jus vel controverſiam revocari, aut adverſus illas quodcumque juris, facti vel gratiæ, aut Oris aperitionis remedium, impetrari poſſe; nec eas ſub quibuſvis unionum, annexionum, incorporationum, ſuppreſſionum, extinctionum, ſeparationum, diſmembrationum, applicationum, appropriationum, translationum, affectionum, etiam effectum ſuum non ſortitarum; aliorumque ſimilium vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, modificationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus per Nos, ſeu alios Romanos Pontifices ſucceſſores noſtros, aut Sedem eamdem, etiam cum quibuſvis derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis; necnon irritantibus & aliis decretis, pro tempore factis præfatis, etiamſi de eiſdem præſentibus, earumque toto tenore, & data ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua mentio fiat, comprehendi; ſed tanquam ad fidei Catholicæ, & Divini Cultus favorem, ac publicam utilitatem, & ſalutem conceſſas, ſemper validas & efficaces eſſe & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere debere, ac quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & eum, in quo antea quomodolibet erant, ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenarie reintegratas, ac de novo etiam ſub quacumque poſteriori data per Scholaſticum, Scholares, Magiſtros, Lectores, Præceptores, Doctores, Bidellos, alioſque Miniſtros præfatæ Univerſitatis a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectæ & fundatæ, & a Nobis per præſentes etiam, ut præfertur, approbatæ, nunc & pro tempore exiſtentes præfatos, ac alios, quos eædem præſentes concernent, quandocumque eligenda, conceſſas eſſe.

§. 77. Sicque, & non alias per quoſcumque Judices Ordinarios & delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac præfatæ S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, dictæque Sedis Nuncios, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, definiendi & interpretandi facultate, judicari, definiri & interpretari debere; & quidquid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus.

Deputatio Protectorum.

§. 78. Quo circa Ven. Fratribus noſtris Archiepiſcopo Tarraconenſi, & Epiſcopo Gerundenſi, ac dilecto filio Scholaſtico Univerſitatis a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectæ & fundatæ, & a Nobis per præſentes etiam, ut præfertur, approbatæ præfatæ, nunc & pro tempore exiſtentibus, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi & eorum quilibet per ſe vel alium ſeu alios, etiamſi ſint extra loca, in quibus deputati ſunt Conſervatores & Judices, ipſis Univerſitatis a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectæ & fundatæ, & a Nobis per præſentes etiam, ut præfertur, approbatæ, Doctoribus, Magiſtris, Lectoribus, Scholaribus, Bidellis, aliiſque Univerſitatis a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectæ & fundatæ, & a Nobis per præſentes etiam, ut præfertur, approbatæ, hujuſmodi Miniſtris & perſonis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, non permittant, eos ſuper libertatibus, privilegiis, indultis, & bonis, rebus, ac juribus, ad ipſas communiter vel diviſim ſpectantibus, a quibuſvis indebite moleſtari, vel eis gravamina, damna, ſive injurias irrogari; aut privilegia, conceſſiones & indulta hujuſmodi infringi vel impugnari quoquo modo futuris Univerſitatis a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectæ & fundatæ, & a Nobis per præſentes etiam, ut præfertur, approbatæ præfatæ, Doctoribus, Lectoribus, Magiſtris, Scholaribus, Bidellis, aliiſque Univerſitatis a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectæ & fundatæ, & a Nobis per præſentes etiam, ut præfertur, approbatæ, hujuſmodi Miniſtris & perſonis, cum ab eis, vel ipſorum aliquo, aut eorum Procuratoribus, ſuper his requiſiti fuerint de prædictis & aliis perſonis quibuslibet ſuper aſſignatione, translatione dictorum Collegiorum, a Nobis ad Univerſitatem a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectam & funda-

tam,

tam, & a Nobis per præsentes etiam, ut præfertur, approbatam præfatam, illorumque respective bonorum, ac rerum, & jurium præfatorum, & aliorum eis nunc concessorum, & pro tempore concedendorum observatione; necnon de quibuslibet molestiis, injuriis, atque damnis, cæterisque tam realibus quam personalibus actionibus præsentibus & futuris, in illis videlicet, quæ judicialem requirunt indaginem, summarie, simpliciter & de plano, ac sine strepitu & figura Judicis; in aliis vero, prout qualitas eorum exegerit, Justitiæ complementum, occupatores seu detentores, præsumptores, molestatores, & injuriatores, necnon contradictores quoslibet & rebelles cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, quandocumque & quotiescumque expediens fuerit, auctoritate Apostolica per censuras, aliasque pœnas ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Cum hoc tamen, quod in casu controversiarum cum Episcopis, si ad censuras deveniendum sit, facta tecta esse debeat, & in praxi retineatur dispositio Textus in Capitulo: *Quia Pontificali: de Offic. Judic. Deleg. in 6.* alias, ejusdem Textus forma non observata, censuræ ipsæ nullæ sint eo ipso: quodque in omni processura, quæ extra Universitatem a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectam & fundatam, & a Nobis per præsentes etiam, ut præfertur, approbatam præfatam, fieri contigerit, antequam ad cujuscumque mandati executionem procedatur, id Ordinario loci notificetur, quodque demum omnia & singula, quæ a Sacris Canonibus ac Constitutionibus Apostolicis, & a Concilio Tridentino præfato quoad hujusmodi Conservatorum facultates statuta sunt, observentur.

Derogatio contrariorum.

§. 79. Non obstantibus tam fe. re. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris Nostri, quibus cavetur, ne aliquis extra Civitatem suam vel Diœcesim, nisi in certis expressis casibus, & in illis ultra unam dietam a fine suæ Diœcesis ad judicium evocetur: seu ne Judices & Conservatores, a Sede præfata deputati, extra Civitatem & Diœcesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere; sive alii vel aliis vices suas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine Diœcesis eorumdem trahere præsumant; ac de duabus dietis in Concilio generali, dummodo ultra quatuor dietas aliquis auctoritate præsentium non trahatur: seu quod de aliis, quam de manifestis injuriis, ac de violentiis, & aliis, quæ judicialem requirunt indaginem, pœnis, in eas, si secus egerint, & in id procurantes, adjectis, Conservatores se nullatenus intromittant: quam aliis quibuscumque Constitutionibus a Romanis Pontificibus prædecessoribus Nostris tam de Judicibus delegatis & Conservatoribus, quam personis ultra certum numerum ad judicium non vocandis, aut aliis, editis, quæ jurisdictioni a Nobis, ut præfertur, tradita, aut potestati, ejusque libero exercitio quomodolibet possent in hac parte obstare: aliisque Apostolicis, etiam in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis, specialibus vel generalibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon Tarraconen., Ilerden., Vicen., Urgellen., Dertusen., Gerunden., Barchinonen., ac Celsonen. Ecclesiarum præfatarum, & Universitatum, ac Collegiorum, ut præfertur, unitarum & translatorum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, respective statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, respective eis & earum ac eorum cuilibet, ac eisdem Tarraconen., Ilerden., Vicen., Urgellen., Dertusen., Gerunden., Barchinonen., ac Celsonen. Ecclesiis, illarumque respective Præsulibus nunc & pro tempore existentibus: necnon earum cujuslibet Capitulis, ac quibusvis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis: necnon irritantibus, aliisque decretis præfatis, etiam ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, vel aliorum Principum instantiam, seu etiam motu pari, etiam Consistoriali in genere vel in specie, ac alias quomodolibet concessis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus in nostris literis habenda sit mentio specialis, earum tenores eisdem nostris præsentibus, perinde acsi de verbo ad verbum nihil penitus omisso, pro expressis habentes, illis alias eorumque singulis in suo robore permansuris, specialiter & expresse, motu, scientia, & potestatis plenitudine præfatis Apostolica auctoritate specialiter & expresse, latissime ac plenissime derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto, & earum personis, locis, & ordinibus, ac propriis nominibus mentionem.

Declaratio, quod per Canonicatus sic designatos, & conferendos Datariæ Apostolicæ suis in juribus præjudicium non afferatur.

§. 80. Volumus autem, quod tam in mensibus Sedi præfatæ reservatis, quam aliis reservationibus & affectionibus Apostolicis pro tempore occurrentibus, ad Canonicatus & Præbendas a Nobis per præsentes, ut præfertur, affectos & affectas, hujusmodi nominati, eorumdem Canonicatuum & Præbendarum provisionem a Sede Apostolica præfata impetrare; ac solita jura, Datariæ & Cancellariæ Apostolicis debita, ut antea, solvere omnino teneantur; alias præsentes nostræ literæ quoad effectionem hujusmodi nullæ sint eo ipso.

Fides Transumptorum.

§. 81. Quodque earumdem præsentium transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus ubique adhibeatur fides, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

§. 82. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrarum confirmationis, approbationis, roboris, adjectionis, defectuum suppletionis, decreti, statuti, abstractionis, voluntatis, unionis, annexionis, incorporationis, translationis, subjectionis, concessionis, indulti, licentiæ, tributionis, constitutionis, deputationis, affectionis, mandati, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo trigesimo, Pridie Nonas Decembris, Pontificatus nostri anno Primo.

XVIII.

Generali Congregationis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum facultas datur constituendi duos Concionatores in qualibet Provincia, tres vero in Grandioribus.

Benedictus XIII. Constitut. dat. 3. Octobr. 1727. Clericis Congregationis Scholarum Piarum, ut Scholarum exercitio valerent incumbere, eis Prædicationis munus interdixit, ademta etiam Superioribus facultate Patentes hujusmodi concedendi Literas.

Dat. die 14. Dec. 1730. Pontif. I.

Clemens Papa XII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Alias pro parte dilecti filii Adolphi a S. Georgio, tunc existentis Præpositi Generalis Congregationis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum nuncupat. fel. rec. Benedicto PP. XIII. Prædecessori Nostro exposito, quod Ven. Servus Dei dictæ Congregationis Institutor prævidens, quam grave damnum Scholarum Piarum hujusmodi exercitio Conciones, Adventus, & Quadragesimæ tempore extra prædictæ Congregationis Ecclesias habendæ, allaturæ fuissent, in suis Constitutionibus auctoritate Apostolica confirmatis tertia part. Cap. VII. de Concionatoribus cavebatur expresse in hæc verba -- Nemo publice prædicabit, nisi a Generali vel Provinciali licentiam obtinuerit; tempore vero Adventus & Quadragesimæ extra nostras Ecclesias nemo nostrorum prædicabit, & extra id tempus nonnisi ex urgentissima causa, & de Provincialis consensu -- & in eadem expositione subjuncta, tametsi successu temporis extra easdem Ecclesias a variis Capitulis Generalibus declaratum fuisset, esse penes Præpositum Generalem concedere facultatem concionandi; ac subinde variæ cautelæ, ut insurgenti olim prævio malo occurreretur; adjectæ fuissent, nihilominus experientia magistra dictus Adolphus edoctus, per conciones hujusmodi ministerio earumdem Scholarum tristissimam eversionem imminere, & quod verbi Dei Prædicatores majori anni parte extra domos memoratæ Congregationis commorantes, scholis addici nequibant, imo sæpe hoc prætextu etiam eas subterfugiebant; idem Benedictus Prædecessor ea, quæ per præinsertam Constitutionum particulam disposita erant, in posterum firmiter atque inviolabiliter servari, ac ullo modo convelli vel labefactari possent, providere, ac ejusdem Adolpho votis hac in re favorabiliter annuere volens, præinsertam particulam ex Constitutionibus ipsius Congregationis excerptam auctoritate Apostolica perpetuo confirmavit & approbavit: illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjecit: ac omnia & singula per eam disposita inconcusse observari mandavit, & eidem Adolpho, & pro tempore existenti Præposito Generali supradictæ Congregationis facultatem super præmissis dispensandi dicta auctoritate ademit: & alias, prout in ejusdem Benedicti Prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 3. Octobris 1727. expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plene & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Cap. Constitut. de Concionatoribus a Gen. vel Provinc. approbandis.

Cui damno esse soleat Scholis Concionatorum multitudo in Congregatione.

Quid a Benedicto XIII. statutum hac super re: *quod supra explicavimus.*

§. 2. Cum autem, sicut dilectus filius modernus Præpositus Generalis Congregationis hujusmodi, Nobis nuper exponi fecit, communis sententia in ea semper fuerit, quod in supradicta Congregatione Religiosi ministerio prædicationis, etiam Adventus & Quadragesimæ tempore, existerent, quemadmodum nonnullis retro abhinc annis in more habuit, ut ex sequentibus Capitulorum Generalium ipsius Congregationis decretis manifeste colligitur, quæ in vim ejusmodi Constitutionum facultatem habent illas mutandi, cum ex sex vocalium partibus, quinque illarum variationi consensum præstent. Primo autem decreto in Capitulo Generali anno 1686. celebrato, ubi nonnulli Religiosi antiani, graduque decorati, observantiæ amantissimi, qui per plures annos dictum Servum Dei Fundatorem agnoverant ac tractaverant, & de illius sancta mente bene instructi erant super Constitutionum hujusmodi puncto circa concionatores, decretum & declaratum fuit omnium suffragiis, esse penes Generalem tribuere facultatem concionandi, etiam tempore Adventus & Quadragesimæ extra Ecclesias memoratæ Congregationis: ac in alio Capitulo Generali anni 1718. leguntur hæc sequentia verba, videlicet: Censuerunt Patres Capitulares suffragiis secretis triginta duobus ex triginta tribus, quod nemo ex nostris a P. Generali dispensetur pro concionibus extra nostras Ecclesias habendis quotidie tempore Adventus & Quadragesimæ, nisi ii, qui non solum scientiarum cursum laudabiliter expleverint, sed etiam in Rethoricæ studiis non mediocriter versati fuerint, & insuper scholas ipsas per octo annos diligenter exercuerint. Antequam vero tale munus publice, ut supra, subeant concionandi, teneantur in principali domo Provinciæ in publico Refectorio vel Ecclesia nostra plures conciones suas Provincialis arbitrio recitare. Attento itaque hoc decreto nonnulli ex prædictis Religiosis tempore Generalatus ipsius Adolphi ad eum recursum habuerunt pro consecutione literarum patentium super facultate concionandi, adducendo, sese octo annorum Scholarum majorum cursum absolvisse; sed quia Institutum, quum omnium instantiis satisfieri vellet, præjudicatum, & ita numerus Magistrorum pro Scholis necessariis diminutus remanebat; & ex alia parte prædictus Adolpus cum a vi commendationum, quæ sibi fiebant, se eximere minime valeret, ejusmodi licentias concedere renuebat; eaque de causa rigorosa earumdem Constitutionum observantia per prædictas Benedicti Prædecessoris literas demandata, eidemque Adolpho facultas super præmissis adempta fuit. Quare dictus modernus Præpositus Generalis, ne Instituto prædicto ullo modo præjudicium afferatur, humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nonnulla Capitulorum Generalium decreta, facultatem Generali pro tempore concedentia, Patentes Concionatoris Literas dandi &c.

Quare a Benedicto his derogatum Decretis.

§. 3. Nos igitur ipsum modernum Præpositum Generalem specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut in posterum eidem Præposito Generali duos Concionatores in qualibet, tres vero in Provinciis grandioribus, deputare liceat, dummodo tamen concurrant requisita demandata in Capitulo Generali dicti anni 1718. Cum restrictione tamen, quod idem, & pro tempore existens Præpositus Generalis, Concionatores legitime electos ad exercitium Scholarum hujusmodi juxta formam Statuti constituere possit, quatenus necessitas urgeat; auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus & mandamus.

SS. D. Nostri Sententia.

§. 4. Decernentes pariter easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Præsentium Literarum firmitas.

§. 5. Non obstantibus prædictis Benedicti Prædecessoris literis, aliisque præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictæ Congregationis, aliisve

Obstantium derogatio.

quibusvis

quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, aut quavis firmitate alias roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis ac ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 14. Decembris 1730. Pontificatus Noſtri anno Primo.

F. Card. Oliverius.

Ex lib. menſis Decembris Taſſ. 16.

XIX. Extenſio Indulgentiæ perpetuæ in diebus Converſionis & Commemorationis Sancti Pauli Apoſtoli pro Eccleſiis Monialium Angelicarum nuncupat. Congregationis Sancti Pauli, Ordinis Sancti Auguſtini &c. Barnabitarum Mediolanen. Civitatis.

Hujuſmodi Iudulgentiam Eccleſiis hujuſce Congregationis conceſſit Innocent. XI. anno 1677. die 2. Decembris Conſtitut. XXIII in Tom. XI. pag. 219. . Cæleſtium munerum &c. eamque ad Monialium ejuſdem Inſtituti Eccleſias extendit Succeſſor Innocentius XII. anno 1697. die 14. Decembris, quæ in noſtro Bullario non reperitur.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dat. die 22. Dec. 1730. Pont. An. I.

Exordium.

COmmiſſi Nobis cælitus Apoſtolatus officii ratio exigit, ut paternam ſacrarum Virginum, quæ, oblitæ Populum ſuum & domum Patris ſui, Divinis obſequiis ſe ſe ſub ſuavi Religionis jugo devoverunt, curam gerentes, illarum religioſæ quieti, & felici progreſſui, quantum Nobis ex alto conceditur, conſulere jugiter ſtudeamus.

Indulgentia hujuſmodi ab Innocen. XI. conceſſa.

§. 1. Dudum ſiquidem fel. rec. Innocentius PP. XI. Prædeceſſor Noſter omnibus & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus vere pœnitentibus & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis Clericorum Regularium Congregationis Sancti Pauli decollati, Barnabitarum nuncupatorum, tam eatenus erectis quam poſterum quandocumque erigendis, & ubicumque locorum exiſtentibus, in Converſionis & Commemorationis ejuſdem Sancti Pauli Apoſtoli feſtis diebus a primis veſperis uſque ad occaſum ſolis dierum hujuſmodi annis ſingulis devote viſitaſſent, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effudiſſent, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam & remiſſionem perpetuis futuris temporibus miſericorditer in Domino conceſſit.

Ab Innocentio XII. ad Moniales quoque extenſa.

§. 2. Ac ſubinde rec. mem. Innocentius PP. XII. Prædeceſſor etiam Noſter, ſupplicationibus tunc exiſtentis Procuratoris Generalis dictæ Congregationis, ſibi ſuper hoc humiliter porrectis, inclinatus, plenariam omnium peccatorum Indulgentiam & remiſſionem a memorato Innocentio XI. Prædeceſſore conceſſam, ut præfertur, ad omnes & ſingulas Eccleſias Monialium ejuſdem Congregationis ſimiliter tam erectas quam poſterum erigendas, & ubicumque locorum exiſtentes, in perpetuum extendit & ampliavit, & alias prout in ipſorum Innocentii XI. die 11. Decembris 1677. & Innocentii XII. Prædeceſſoris literis deſuper in ſimili forma Brevis die 14. pariter Decembris 1697. reſpective expeditis, quarum tenores præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis, haberi volumus, uberius continetur.

A. S. Indulgentiarum Congreg. decretum antea, ſub hac extenſione hocce Monaſterium non comprehendi.

§. 3. Cum autem, ſicut accepimus poſtquam Eccleſia ſub titulo ejuſdem Sancti Pauli Monaſterii Monialium Angelicarum nuncupatarum Congregationis ipſius Sancti Pauli Civitatis Mediolanen. vigore enarratarum Innocentii XII. Prædeceſſoris literarum plenaria Indulgentia, & peccatorum remiſſione, ſic per eum extenſa, ſpatio plurium annorum pacifice potita & gaviſa fuerat, noviſſime motum fuiſſet dubium ab aliquot ex dictis Monialibus: Num ejuſmodi extenſio Eccleſiam præfati eorum Monaſterii comprehenderet; quod poſtmodum propoſitum in Congregatione tunc exiſtentium S. R. E. Cardinalium, Indulgentiis & Sacris Reliquiis præpoſitorum, per unius dumtaxat voti ſive ſuffragii præponderantiam negative reſolutum fuit cum ſubſecuta approbatione piæ mem. Benedicti XIII. Prædeceſſoris quoque noſtri, qui cauſam amplius non proponi mandavit; cumque negativa reſolutione, aliiſque præmiſſis non obſtantibus, adhuc locus eſſe dubium prædictum ulterius diſcutiendi, ſeu ad novam trutinam revocandi: ex hac vero lite ſeu controverſia, non modica animorum diſſidia ac perturbationes in Monaſterium prædictum invecta fuerint, quæ non modo de præſenti adhuc ibidem vigent, ſed ſi eamdem litem ſeu controverſiam diutius agitari ac perdurare contingeret, progreſſu temporis facile augeri & ingraveſcere poſſent.

Ei itaque a SS. D. N. benigne indulgetur cum omnimoda extenſione &c.

§. 4. Hinc eſt, quod Nos pro paſtorali noſtra, qua animarum ſaluti & tranquillitati proſpicere tenemur, ſolicitudine; necnon ſincero, quo eaſdem Moniales Angelicas proſequimur paternæ charitatis affectu, quamcumque ab eis occaſionem diſſentionum, quæ Divino Cultui ſummopere pernicioſæ forent, ipſiſque Monialibus ad apicem perfectionis, ad quam per emiſſorum ab eis votorum ſemitam contendere debent, aſſequendam, impedimento eſſent, prorſus ſubmovere volentes: præviaque matura deliberatione noſtra, litem ac controverſiam prædictam, cujus ſtatum & merita, aliaque etiam neceſſario exprimenda, præſentibus quoque pro plene & ſufficienter expreſſis ac ſpecificatis haberi volumus, a ſupradicta Congregatione Cardinalium, aliiſque Tribunalibus quibuſcumque ad Nos harum ſerie avocantes, ac penitus & omnino extinguentes, Indulgentiam & peccatorum remiſſionem in diebus feſtis Converſionis & Commemorationis Sancti Pauli Apoſtoli ad Eccleſias Monialium dictæ Congregationis, ab ipſo Innocentio XII. Prædeceſſore, ſicut præmittitur, extenſam, ac deſuper expeditas ejus literas prædictas, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus; ac, quatenus opus ſit, Indulgentiam & peccatorum remiſſionem, ac Innocentii XII. Prædeceſſoris literas præfatas, tam ad dictam Eccleſiam Sancti Pauli Civitatis Mediolanen. Monialium, Angelicarum nuncupatarum, Congregationis ejuſdem Sancti Pauli Ordinis Sancti Auguſtini, quam ad alias omnes & ſingulas Eccleſias hactenus erectas & deinceps erigendas, & ubicumque exiſtentes, Monialium Angelicarum hujuſmodi, quæ de præſenti vivunt, ac deinceps vivent ſub Regula ipſius Sancti Auguſtini, ac ſervant ac ſervabunt Conſtitutiones particulares juſſu Sancti Caroli Borromæi compilatas, ex ſeu ſuper Conſtitutionibus dictorum Clericorum Regularium pro Congregatione Monialium Angelicarum Sancti Pauli ſub hoc expreſſo titulo ſeu denominatione ab eodem S. Carolo approbatas, ac ſucceſſive a bon. mem. Federico, dum viveret, S. R. E. præfatæ Cardinali Borromæo nuncupato; hujus Sanctæ Sedis auctoritate confirmatas; itaut omnes & ſinguli utriuſque ſexus Chriſtifideles, qui vere ſimiliter pœnitentes & confeſſi, ac Sacra Com-

munione

munione refecti, aliquam ex Ecclesiis Monialium Angelicarum præfatarum eisdem diebus festis Conversionis & Commemorationis Sancti Pauli Apostoli a primis Vesperis usque ad occasum solis annis singulis devote visitaverint, ibique, ut præfertur, oraverint, eamdem plenariam Indulgentiam & remissionem consequantur, auctoritate & tenore præfatis perpetuo pariter extendimus & ampliamus; seu eisdem fidelibus, diebus supra expressis, præmissa in dictis Ecclesiis Monialium Angelicarum peragentibus, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam & remissionem in perpetuum itidem de novo concedimus.

Literarum harum robur.

§. 5. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 22. Decembris 1730. Pontificatus Nostri Anno Primo.

F. Card. Oliverius.

XX. Confirmatio Brevis Leonis X. quo Canonici Metropolitanæ Ecclesiæ Florentinæ in Notarios Sedis Apostolicæ creantur.

Dat. die 2. Januar. 1731. Pontif. An. I.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

APostolatus officium, quod Divinæ Sapientiæ altitudo humilitati Nostræ, nullo licet meritorum Nostrorum suffragio, committere dignata est, salubriter exequi, adspirante superni favoris aura, jugiter satagentes, ea, quæ ex Romanorum Pontificum prædecessorum Nostrorum, & hujus Sanctæ Sedis benignitate ad insignium Metropolitanarum Ecclesiarum dignitatem tuendam, personarumque in eis Altissimo assidue famulantium honorem augendum processerunt, confirmationis Nostræ patrocinio, cum id a Nobis petitur, libenter constabilimus, prout temporum & locorum ratio postulat, rectoque ordini consentaneum esse in Domino arbitramur.

Leo X. Florentinæ Ecclesiæ Canonicos, Notarios Sedis Apostolicæ creavit, singula cæterorum Notariorum privilegia elargiendo.

§. 1. Dudum siquidem fe. re. Leo Papa X. prædecessor Noster Metropolitanæ Ecclesiæ Florentin., in qua per multos annos, cum in minoribus constitutus esset, Canonicatum & Præbendam obtinuerat, illiusque Capituli & Canonicorum decori ac splendori providere volens, statuit, quod perpetuis futuris temporibus Archidiaconus, & alii in dicta Ecclesia Dignitates habentes, ac Canonici pro tempore existentes, sui & Apostolicæ Sedis Notarii forent & esse censerentur, ac Rocchetto, Cappa, & Habitu, per ejusdem Sedis Notarios de numero participan. gestari solito, ubi, & quoties eis placuisset, uti possent: Habitumque, Rocchettum & Cappam hujusmodi in Choro Ecclesiæ præfatæ, quando divinis Officiis, ac Processionibus & Funeribus interessent, & aliis quibusvis actibus, in quibus cum Cottis & Almutiis interesse eatenus consueverant, cum illis similiter placeret, deferre & gestare valerent: ac insuper indulsit, Dignitates, Canonicatus, & Præbendas pro tempore inibi obtinentibus, ac eorum cuilibet, ut omnibus & singulis honoribus, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, gratiis, favoribus, & indultis, quibus cæteri sui, dictæque Sedis Notarii, etiam de numero participan. hujusmodi gaudebant, & gaudere poterant quomodolibet in futurum, sine tamen eorumdem Notariorum de numero participan. præjudicio, itidem gaudere: ipsis vero Archidiacono & Capitulo Ecclesiæ prædictæ dumtaxat, ut Notarios & Tabelliones publicos, ac Judices Ordinarios creare, & quoscumque natalium defectum patientes legitimare, respective possent & valerent: necnon Sacerdotibus, in dicta Ecclesia pariter pro tempore residentibus, Missas per horam ante diluculum & usque ad mediam horam post meridiem, quoties eis id pro auditorum consolatione expedire videretur, in præfata Ecclesia tantum celebrandi, licentiam concessit: & alias, prout uberius continetur in ejusdem Leonis prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis expeditis tenoris qui sequitur videlicet.

Concessit quoque ut in Ecclesia hujusmodi Missæ celebrari possint per horam ante diluculum, & usque ad mediam horam post meridiem.

Tenor Privilegii Leonis X.

§. 2. Dilectis filiis Archidiacono & Capitulo Ecclesiæ Florentin. LEO PAPA X. *Dilecti filii, salutem & Apostolicam Benedictionem.* In supremo militantis Ecclesiæ Solio Divina dispositione locati, ad Ecclesiarum omnium potissime Metropolitanarum insignium statum, salubriter & prospere dirigendum paterno & solicito studio intendentes, prout ex debito pastoralis officii obligamur, illarum profectibus libenter intendimus, & his, quæ pro incremento Divini cultus in illis profutura cognoscimus, ut in eis majestas Altissimi jugiter collaudetur, quantum cum Deo possumus favorem benignum impartimur. Sane cum ad Ecclesiam vestram Florentinam, quæ jam mille annis effluxis sub invocatione Sanctæ Reparatæ fundata, & Cathedralis a centum & quinquaginta annis citra in Metropolitanam sub invocatione Beatæ Mariæ de Flore erecta, illiusque Fabrica opere murorum magno ac sumptuoso inchoata, & per fe. re. Eugenium Papam IV. prædecessorem Nostrum propriis manibus consecrata fuit, & in qua quinque Dignitates, & triginta septem Canonicatus, totidemque Præbendæ, quorum major pars de jurepatronatus laicorum, videlicet dilectorum Consulum Artis Lanæ Civitatis Florentinæ, & aliorum Civium dictæ Civitatis existunt per nobiliores & locupletiores dictæ Civitatis Cives obtineri soliti, ac quinquaginta & ultra perpetuæ Cappellaniæ, seu simplicia Beneficia instituta esse noscuntur, & in qua Nos quoque per multos annos, dum in minoribus essemus, Canonici fuimus, antequam elucescat dies usque ad Vesperas confluat Christifidelium multitudo ad ibi Missas & alia Divina Officia audiendum in numero copioso, & si Missæ inibi per horam ante diem usque ad Vesperas celebrari possent, eorumdem fidelium devotio & concursus cum spirituali consolatione augeretur, ac pro salute animarum, aliorumque tam vivorum quam defunctorum preces ad Deum copiosius effunderentur, aliaque multiplicia bona agerentur; & si præterea statueretur, quod de cætero, fili Archidiacone, tu, & alii inibi Dignitatem pro tempore obtinentes, & Canonici

ejusdem pro tempore existentes, Apostolicæ Sedis Notarii essetis, & habitum, per dictæ Sedis Notarios de numero participantium gestari solitum, in Choro dictæ Ecclesiæ, quando Divinis præsentes estis & Funeralibus & Processionibus, aliisque publicis actibus, in quibus hactenus Cottis linteis & Almutiis consuevistis uti, omnino teneremini; ex hoc profecto dicta Ecclesia suorum membrorum nobiliori & digniori vestitu amicta, & circumdata varietate, se longe pulchriorem, & magis decoram Gloriosissimæ Dei Genitrici, cui est specialiter dedicata, procul dubio exhiberet. Et volentes propterea desuper opportune providere, dilecti quoque filii Nostri Julii Sanctæ Mariæ in Dominica Diaconi Cardinalis de Medicis Nostri secundum carnem fratris Patruelis, qui Florentinæ Ecclesiæ ex dispensatione & concessione Apostolica præesse dignoscitur, respectu Nos inducente, Motu proprio, non ad vestram, aut alicujus vestrum, aut aliorum pro vobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, & ex certa scientia, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus & ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus vos, fili Archidiacone, & alii in dicta Ecclesia pro tempore Dignitates obtinentes, ac illius Canonici pro tempore existentes, Nostri & dictæ Sedis Notarii sitis & esse censeamini, ac Rocchetto, Cappa, & Habitu hujusmodi, ubi & quoties vobis placuerit, uti libere possitis; illumque & Rocchettum & Cappam hujusmodi in Choro dictæ Ecclesiæ, quando Divinis, & Processionibus, ac Funeralibus interfueritis, & aliis quibusvis actibus, in quibus cum Cottis & Almutiis interesse hactenus consueviştis, cum vobis placuerit, deferre & gestare valeatis; necnon vobis & cuilibet vestrum, Dignitates ac Canonicatus & Præbendas pro tempore inibi obtinentes, omnibus & singulis honoribus, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, gratiis, favoribus, & indultis, quibus cæteri Nostri & dictæ Sedis Notarii, etiam de dicto participantium numero existentes, utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, sine tamen eorumdem de numero participantium existentium Notariorum hujusmodi præjudicio, uti, potiri, & gaudere; quodque vos, filii Archidiacone & Capitulum, dumtaxat Notarios & Tabelliones publicos, ac Judices ordinarios, qui idonei, & sufficientis literaturæ fuerint, recepto prius ab eis de Notariatus & Tabellionatus ac Judicaturæ hujusmodi officiis fideliter exercendis juxta formam præsentibus annotatam solito juramento, creare, & de officiis ipsis per pennam & calamare investire: & naturales spurios, manseres incestuosos, bastardos, & ex quocumque illicito & damnato coitu procreatos, pro tempore præsentes & absentes, vivis sive mortuis eorum parentibus, ad natales legitimos & primæva naturæ jura restituere & reintegrare; & cum eis, solvendo ab ipsis omnem genituræ maculam, quod in quibuscumque parentum, agnatorum, ac aliorum bonis tam ex testamento quam ab intestato, absque tamen ab intestato succedere debentium præjudicio, succedere: & ad quævis honores, dignitates, & officia publica & privata recipi & admitti, illaque gerere & exercere, & parentum signis & armis absque ulla differentia uti, & de illorum familia nominari possint, dispensare libere & licite valeatis, indulgemus, plenamque ad præmissa etiam concedimus facultatem. Sacerdotibus vero in dicta Ecclesia pro tempore residentibus, Missas per horam ante diluculum & usque ad mediam horam post meridiem, quoties eis id pro Auditorum consolatione expedire videbitur, in præfata Ecclesia dumtaxat celebrandi, eisdem auctoritate & tenore licentiam elargimur. Non obstan. de certo Apostolicæ Sedis Notariorum numero, cui etiamsi ad illum deventum non sit, per hoc aliàs non intendimus derogare, & aliis Apostolicis, ac in Provincialibus Conciliis editis specialibus vel generalibus Constitutionibus & ordinationibus, & dictæ Ecclesiæ juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Forma autem juramenti, quod dicti Tabelliones creandi præstabunt, hæc est -- Ego N. ab hac hora in antea fidelis ero Beatis Apostolis Petro & Paulo, & S. R. E. ac Domino meo D. Leoni Papæ X. suisque Successoribus canonice intrantibus, & non ero in consilio, auxilio, consensu, vel facto, ut vitam perdant, aut membrum, vel capiantur mala captione: consilium, quod mihi per se vel literas, aut Nuncium manifestabunt, ad eorum damnum scienter, nemini pandam; Si vero ad mei notitiam aliquid devenire contingat, quod in periculum Romani Pontificis, aut Ecclesiæ Romanæ vergeret, seu grave damnum illud pro posse impediam; & si hoc impedire non possem, procurabo bona fide contra omnes homines id ad notitiam præfati Domini Nostri Papæ perferri: Papatum Romanum, & Regalia Sancti Petri, ac jura ipsius Ecclesiæ specialiter, si qua eadem Ecclesia in Civitate vel Terra, de qua oriundus sum, habeat, adjutor eis ero ad defendendum, retinendum, & recuperandum: contra omnes homines Tabellionatus officium fideliter exercebo: contractus, in quibus exigitur consensus partium, fideliter faciam nil addendo vel minuendo, nisi de consensu partium, quod substantiam contractus immutet. Si vero ad conficiendum aliquod instrumentum unius solius partis sit requirenda voluntas, hoc ipsum faciam, ut scilicet nil addam, vel minuam, quod immutet facti substantiam: de aliquo contractu, in quo sciam intervenire vim vel fraudem, instrumentum non conficiam: Contractus in Protocollum redigam, & postquam in Protocollum redegero, malitiose non differam contra voluntatem illorum, vel illius, quorum, seu cujus est contractus super eo conficere publicum instrumentum, salvo meo justo & consueto salario. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Datum Florentiæ sub Annulo Piscatoris die 8. Januarii 1516. Pontificatus Nostri Anno Tertio. Ja. Sadoletus.

A SS. D. N. confirmatur.

§. 3. Cum autem, sicut pro parte dilectorum filiorum Capituli & Canonicorum prædictæ Ecclesiæ Florentin. Nobis nuper expositum fuit, ipsi præmissa Apostolici muniminis Nostri præsidio roborari plurimum desiderent, Nos, qui memoratam Ecclesiam Florentin. antiquitatis laude multiplicibusque aliis nominibus conspicuam, illiusque Capitulum & Canonicos sincero & præcipuo semper complexi fuimus, ac etiamnum complectimur paternæ charitatis affectu, dictorum Exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere cupientes, illorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, & ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorumdem Exponentium nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinsertas Leonis Prædecessoris literas, ac in eis contenta (citra tamen exemptionem a Jurisdictione Ordinarii

facultа-

facultatem Notarios & Judices creandi, ac legitimandi, & absque eo, quod Capitulum & Canonici prædicti aliquod emolumentum a Camera & Palatio Nostris Apostolicis, vel quarumvis literarum Apostolicarum expeditionem gratis, ullo unquam tempore prætendere possint) auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo approbamus & confirmamus, illisque perpetuæ & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Firmitas præsentium Literarum cum derogatione quorumcumque contrariorum.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere; ac illis, ad quos spectat & spectabit in futurum, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, dictæque Sedis Nuncios, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & diffiniri debere, ac irritum & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstan. Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus Constitutionibus & ordinationibus, necnon omnibus & singulis illis, quæ in præinsertis Leonis prædecessoris literis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Cæterum non intendimus per præsentes supradictas, Juspatronatus in aliquo approbare, neque ullam Dignitatum, Canonicatuum, & Præbendarum hujusmodi, aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ per dictæ Ecclesiæ Florentin. Canonicos, & inibi Dignitates hujusmodi obtinentes pro tempore possideri, seu in quibus, vel ad quæ jus haberi contigerit, reservationem sive affectionem Nostræ, ac Romanorum Pontificum Successorum Nostrorum, ac Sedi præfatæ collationi & dispositioni inducere.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 2. Januarii 1731. Pontificatus Nostri Anno Primo.

F. Card. Oliverius.

XXI. Confirmatur concessio a Leone X. anno 1515. facta Notario & Cancellario Nationis Florentinæ de Urbe, ut quæcumque acta judicialia & contentiosa libere & licite conficere possit: quod officium in Urbe restituitur.

Leo PP. X. ut ex subjecta Constitutione Sanctissimi Domini Nostri, aliaque ejusdem Leonis PP. dat. 1519. in Bullar. num. XXXIII. constat, Consuli Nationis Florentinæ facultatem Mercatorum Nationis in Urbe causas cognoscendi, Notariumque sibi, ac Cancellarium eligendi tribuit: Innocentius vero XII. Constit. Ad Radicitus *dat. ann. 1692. 31. Augusti particularia omnia Tribunalia suppressit.*

Dat. die 4. Januar. 1731. Pontif. I.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Consul, aliique Nationis Florentinæ in Alma Urbe nostra degentes, quod fel. rec. Leo Papa X. Prædecessor Noster per quasdam suas die 12. Junii 1515. Pontificatus sui anno Tertio expeditas literas, inter alia privilegia dictæ Nationi Florentinæ de Urbe per eum concessa, facultatem tribuit illius Consuli, pro tempore existenti, jus dicendi in causis vertentibus inter Mercatores & Nationales Florentinos hujusmodi, & ad hunc effectum deputandi Cancellarium, qui esse debere publicus Notarius Matriculatus, sive descriptus in Archivio Romanæ Curiæ, facta eidem Notario potestate, nedum conficiendi acta, contractus & stipulationes pro Mercatoribus & Nationalibus præfatis, verum etiam cætera omnia peragendi, quæ ad publici Notarii ejusmodi Officium spectabant, & aliàs, prout in supradictis Leonis Prædecessoris literis uberius continetur.

Privilegium a Leone X. concessum Consuli Nationis Florentinæ.

Quo data Cancellario hujusce Nationis facultas conficiendi ea omnia, quæ cæteri Urbis Notarii conficiunt.

§. 2. Et exinde usque ad annum 1692., quo rec. mem. Innocentius Papa XII. Prædecessor etiam Noster, dicti Consulis Florentini, aliaque particularia Urbis præfata Tribunalia suppressit, illorumque jurisdictionem abolevit; Notarius & Cancellarius præfatus itidem pro tempore existens non modo omnia acta & contractus inter dictos Mercatores Nationales perficere, sed qua Urbis Notarius testamenta, donationes, aliosque contractus pro quibuscumque personis cujusvis Nationis existen. stipulari consuevit; ac propterea comparebat coram omnibus Judicibus ordinariis aliorum Tribunalium dictæ Urbis pro interpositione decretorum in contractibus minorum & mulierum: per ejus acta citabantur coram Judicibus præfatis interesse habentes in eisdem contractibus: adibantur hæreditates cum Edictis Citatoriis; deputabantur Tutores: reproducebantur interpellationes & dictæ, ut vocant: fiebant descriptiones & inventaria cum similibus interpellationibus: & alii actus judiciales, sicuti ex longa serie ejusmodi actuum statim a dicto anno 1515. incipientium, qui in officio ipsius consulatus asservantur, constare dicitur.

Hæc vero concessio ab Innocen. XII. suppressa in suppressione Tribunalium particular.

Ante hujusmodi suppressionem per hunc Notarium omnia judicialia acta pro cujuscumque generis personis fiebant.

§. 3. Licetque post suppressionem particularium Tribunalium ab Innocentio Prædecessore factam, ut præmittitur, jurisdictio ejusdem Consulis sublata fuerit; Salvum tamen ac præservatum remansit illius, nonnullorumque aliorum similium Notariorum officium, donec aliter provideretur; quin tamen ulla hactenus desuper capta sit provisio seu resolutio, itaut prædictus Notarius & Cancellarius, quoties postmodum eum agere contingit, ministerio alicujus Judicis ad acta Judicialia exequenda ratione testamentorum aut contractuum pro personis tam præfatæ Florentinæ quam alterius cujuslibet Nationis, sive occasione mandatorum de immittendo in possessionem, delendo vincula, transferendo & resignando loca montium, & officia vacabilia consignando & describendo, aut propter inhibitiones dotales, decreta absolutoria, monitoria, citationes pro interpositione decretorum hujusmodi, edicta ad adeundas hæreditates, dictas, deputationes Curatorum ad lites, & id genus alia, illa auctoritate diversorum Judicum, ac ut plurimum Locumtenentis in Civilibus, & Auditoris Gubernatoris Urbis præfatæ, ac primi & secundi Collateralium Curiæ Capitolinæ, perfici & expediri curavit; quæ omnia comperta fuerunt dilecto filio nostro Vincentio S. R. E. Presbytero Cardinali Petra nuncupato, qui tanquam Visitator officiorum Notariorum seu Tabellionum Urbis prædictæ a piæ mem. Benedicto XIII. Prædecessore quoque nostro constitutus, illud Consulatus Florentini perinde ac alia perlustravit.

Per Innocentii PP. dictam Constit. non læsum hujus Notarii officium.

§. 4. Unde idem Benedictus Prædecessor animum advertens ad præmissa, & ad suppressionem Tribunalium particularium, necnon præservationem officii Notarii Consulatus hujusmodi, ac desuper capiendæ, nec eatenus captæ provisionis; quodque Notarius dicti Consulatus pergebat non solum Testamenta, ac publica Instrumenta rogare, sed acta quoque Judicialia

A Ben. XIII. statutum super validitate hujusmodi actorum examen, nominatisque commissum Judicibus.

con-

conficere coram aliquo ex sibi benevisis Judicibus, ejusdem Urbis per diversa illius Tribunalia vagando, quemadmodum ipsi Vincentio Cardinali in Visitatione hujusmodi officii innotuerat: simulque considerans hanc Judicum variationem arbitrio ipsius Notarii, seu partium, minime convenire, in sua successive anno 1728. super reformatione Tribunalium Urbis præfatæ edita Constitutione omnino opportunum judicavit, ut cognosceretur, an ista facultas conficiendi acta Judicialia persistere seu remanere deberet exercenda per dictum Notarium, & in quibus casibus, & inter quas personas; & quatenus id ei competeret, coram quo peculiari Judice id permitti valeret; & demum quonam modo consuli posset rationibus ejusdem Notarii: deputavitque Congregationem particularem, quæ constabat tunc extantibus, Auditore suo Decano, Auditore Rotæ Romanæ, Vicesgerente Vicarii Urbis, Primo Locumtenente itidem in Civilibus Auditoris generalis Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ, Auditore Signaturæ Justitiæ, Commissario generali ejusdem Cameræ, necnon primo Collaterali præfatæ Curiæ Capitolinæ; qui auditis Notariis Tribunalium Urbis, prædicta omnia præfata discuterent, ac recognoscerent, quidque super præmissis in futurum servandum foret, eidem Benedicto Prædecessori cum eorum voto referrent, ut ipse, quod hac in re expediens esset, decernere valeret, idque infra sex menses a die promulgationis dictæ Constitutionis fieri voluit, quo termino elapso idem Notarius omnino abstineret a conficiendis actibus Judicialibus coram quocumque Judice sub pœna centum scutorum monetæ, & nullitatis actorum hujusmodi, & aliàs, prout in enarrata Constitutione plenius etiam continetur.

Quo non completo data ad tempus facultas omnia similia acta conficiendi.

§. 5. Porro expirato termino sex mensium sic assignatorum intra quem dicta Congregatio particularis haberi nequiverat, Consul aliique præfati Nationis Florentinæ, ne prædictus Notarius suspensus remaneret a confectione actorum Judicialium, petierunt a memorato Benedicto Prædecessore prorogationem ejusdem termini ad tempus ei benevisum, remissaque per eum Instantia hujusmodi Auditori suo prædicto, is plures prorogationes concessit, citatis Seniore Causarum Cameræ Apostolicæ ac Capitolinæ Curiarum præfatarum Notariis; sicque continuatum fuit usque ad nostram assumptionem ad Apostolatus officium, postquam ab Auditore nostro novam prorogationem quinque aliorum mensium obtinuerunt.

Reintegratio, & confirmatio hujusce Notariatus per SS. D. N. cum omnibus facultatibus &c. ac Deputatio Judicis, quo coram omnia Judicialia acta confici debeant.

§. 6. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, difficile admodum sit cogere Congregationem particularem prædictam, tot viris, ratione munerum sibi incumbentium multiplicibus negotiis continuo occupatis, atque distractis, compositam; per Notarios vero Tribunalium Urbis præfatæ jure controverti, ac in dubium revocari nequeat facultas Notarii dicti Consulatus perficiendi quælibet acta judicialia indiscriminatim in quavis causa, & pro quibuscumque personis, ut pote quia lex ipsius Leonis Prædecessoris hanc facultatem illi diserte tribuit, eique suffragetur observantia ex anno 1515. initium desumens, nec usquam interrupta, quandoquidem per dua sæcula & ultra non uti Cancellarius Consulatus Florentini præfati, sed qua publicus Urbis Notarius acta hujusmodi judicialia gessit independenter a jurisdictione ipsius Consulis, & uti talis plurium annorum spatio diversis S. R. E. præfatæ Cardinalibus, ac præsertim Sacri eorumdem Cardinalium Collegii Decanis, in causis & negotiis eorum Monasteriorum, aut Ecclesiarum, ac præcipue Ostien. & Veliternen., ac Nobis ipsis, dum Cadinalatus honore fungebamur, quandiu Ecclesiæ Tusculanæ præfuimus, in rebus eamdem Ecclesiam spectantibus inserviit: Cumque non minus certa sit reservatio providendi officio dicti Notarii in suppressione Tribunalium particularium, sicut præmittitur, facta, exponentes prædicti tametsi præfata Congregatio particularis deputata reperiatur, eidem Notario assignari plurimum desiderent aliquem ex dictis Judicibus Ordinariis Urbis, coram quo omnia acta judicialia & contentiosa conficere valeat: quandoquidem inde ipsi Notario providebitur juxta reservationem hujusmodi, tolleturque libertas vagandi & conveniendi Judices ad sui libitum; sicque dirimentur ac constabilientur, quæ in dicta Congregatione particulari discutienda erant; Nos eorumdem exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus benigne, annuere: necnon indemnitati ac rectæ administrationi officii Notarii hujusmodi prospicere volentes, ipsorumque exponentium singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet inhodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolven. & absolutas fore censentes, ac præfatorum Leonis, Innocentii, ac Benedicti Prædecessorum literarum, Constitutionum, & dispositionum tenores, & alia quæcumque etiam specificam & individuam mentionem & expressionem requirentia, præsentibus pro plene & sufficienter expressis & specificatis habentes: Supplicationibus eorumdem exponentium nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, dilecto filio moderno ac pro tempore existenti Notario & Cancellario dicti Consulatus Florentini, ut ipse (salva ac firma remanente suppressione & abolitione Tribunalis ejusdem Consulatus ac jurisdictionis illius Consulis) omnia & quæcumque acta judicialia sive contentiosa deinceps quoque perpetuis futuris temporibus conficere libere, licite & valide possit, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus & indulgemus; atque Almæ Urbis præfatæ Gubernatorem, seu ejus in Civilibus Locumtenentem, nunc pariter & pro tempore existentem, coram quo ejusmodi acta Judicialia sive contentiosa facere & exequi valeat ac debeat, auctoritate & tenore præfatis constituimus & deputamus.

Præsentium Literarum firmitas.

§. 7. Decernentes ipsas præsentes literas etiam ex eo quod supradicti Notarii & alii quicumque in præmissis jus seu interesse habentes vel habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi fuerint, de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ vel alio quovis defectu notari, argui vel impugnari nullatenus posse; sed semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac dicto Notario & Cancellario aliisque, ad quos spectat & quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari, sicque & non aliter per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & diffiniri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Cum contrariorum, obstantium &c. derogatione.

§. 8. Non obstantibus omnibus & singulis præmissis: necnon, quatenus opus sit, nostra & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo: necnon recolendæ mem. Pii Papæ IV. similiter Prædecessoris Nostri de gratiis

qualecumque intereſſe Cameræ Apoſtolicæ concernen. in dicta Camera intra certum inibi præſcriptum tempus præſentandis & regiſtrandis, itaut præſentes in ea præſentari & regiſtrari nullo unquam tempore neceſſe ſit: aliiſque Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Urbis & Tribunalium præfatorum, & quibuſvis aliis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis: eorumque reformationibus, & novis additionibus, ſtylis, uſibus, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, idem importantes, mentio ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium & ſingulorum tenores, acſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata exprimerentur & inſererentur, præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 4. Januarii 1731. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

F. Card. Oliverius.

XXII. Conſtitutio, qua prævia confirmatione & innovatione alterius Conſtitutionis ſan. me. Pauli PP. IV. anno 1555. editæ, decernitur, Decanatum S. R. E. Cardinalium Collegii ipſo jure deferendum eſſe Cardinali antiquiori Epiſcopo, qui tempore vacationis ipſius Decanatus in Romana Curia præſens, vel ex cauſa publica, ac Romani Pontificis deſtinatione dumtaxat, non tamen ratione reſidentiæ apud aliam Eccleſiam ſibi commiſſam, a dicta Curia abſens fuerit; aliaque inſuper ſtatuuntur & ordinantur tam circa ejuſmodi Decanatum quam circa ſex Epiſcopatus Suburbicarios, eiſdem Cardinalibus aſſignari ſolitos pro titulo ſui Cardinalatus.

Dat. die 10. Januar. 1731. Pontif. I.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Procœmium. PAſtorale officium, quo Dominici Gregis regimini per ineffabilem Divinæ bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum noſtrorum ſuffragio, præſidemus, exigit, ut inter graviſſimas multipliceſque Apoſtolicæ ſervitutis curas, quibus aſſidue premimur, ad ea, quæ Sacrum Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Collegium, Sedis B. Petri & univerſæ Eccleſiæ Senatum ampliſſimum ſpectant, rite ac recte conſtituenda atque ordinanda, peculiari ſtudio advigilemus.

Paulus IV. Decanat. antiquiori Cardinali Epiſcopo Romæ commoranti adjudicavit. §. 1. Dudum ſiquidem fel. rec. Paulus PP. IV. Prædeceſſor Noſter, provide conſiderans, eoſdem S. R. E. Cardinales in partem Apoſtolicæ ſolicitudinis vocari, ut pro tempore exiſtenti Romano Pontifici in ipſius univerſalis Eccleſiæ adminiſtratione aſſiſtant, iſque eorum conſilio agenda diſponat, ac partem præcipuam Sacri Corporis, & membra ipſius Romani Pontificis exiſtere: ſimulque attendens, dicti Collegii Cardinalium Decanum ſingulari negotiorum hujus Sanctæ Sedis notitia ac peritia, quæ abſque diutina continuaque in Romana Curia reſidentia vix haberi poteſt, præditum eſſe oportere: habita ſuper his cum tunc exiſtentibus ejuſdem S. R. E. Cardinalibus in Conſiſtorio ſuo ſecreto, matura deliberatione de illorum conſilio, & unanimi aſſenſu ſancivit, quod Decanatus prædicti Sacri Collegii de cætero perpetuis futuris temporibus non niſi ad Epiſcopum Cardinalem antiquiorem in Curia præſentem, aut ex cauſa publica abſentem, & extra Curiam per Romanum Pontificem deſtinatum, devenire poſſet, & aliàs, prout in Conſtitutione ipſius Pauli Prædeceſſoris, anno Incarnationis Dominicæ 1555. undecimo Kalendas Septembris Pontificatus ſui anno primo edita, uberius continetur.

Clemens PP. XI. declaravit Cardinalibus ad Decanatum obtinendum minime ſuffragari, reſidentiam in Epiſcopatibus vel Archiepiſcopatibus non ſuburbicariis. §. 2. Cumque poſtmodum ſubortum fuiſſet dubium: An juxta ſenſum iſtius Conſtitutionis Decanatus ejuſmodi deferri deberet Epiſcopis Cardinalibus promotione antiquioribus, qui occurrente dicti Decanatus vacatione ab ipſa quidem Curia abeſſent, ſed apud Metropolitanas ſeu Cathedrales Eccleſias reſiderent, quarum regimen & adminiſtrationem una cum aliqua ex ſex Cathedralibus Eccleſiis Suburbicariis, quæ Cardinalibus antiquioribus pro titulo ſui Cardinalatus aſſignari conſueverunt, ex conceſſione Apoſtolica retinerentur, rec. mem. Clemens Papa XI. Prædeceſſor etiam noſter hujus quæſtionis, quam dirimi volebat, diſcuſſionem commiſit ſeptem ejuſdem Curiæ Prælatis doctrina, prudentia & integritate præſtantibus, qui, re univerſa accuratiſſime, ut par erat, expenſa, unanimiter cenſuerunt, minime ſuffragari ipſis Epiſcopis Cardinalibus antiquioribus ad hujuſmodi Decanatum obtinendum eorum a Romana Curia abſentiam ex cauſa ſuæ reſidentiæ apud Metropolitanas ſeu Cathedrales Eccleſias, quibus ex Apoſtolica diſpenſatione præerant: Quam quidem ſententiam idem Clemens Prædeceſſor non modo probavit, ac perpetuis itidem futuris temporibus inconcuſſe obſervari mandavit; ſed inſuper in ſuo quoque Conſiſtorio Secreto die 3. menſis Martii MDCCXXI. habito palam recitari, & inter acta Conſiſtorialia referri, atque cuſtodiri juſſit.

Contraria declarationi huic Bened. XIII. Conſtitutio. §. 3. Quamquam vero piæ mem. Benedictus Papa XIII. Prædeceſſor pariter noſter per quaſdam ſuas ſub plumbo anno item Incarnationis Dominicæ 1724. ſeptimo Idus Septembris Pontificatus ſui anno primo, abſentiam a Curia præfata Epiſcopis Cardinalibus antiquioribus, dummodo apud Metropolitanas ſeu Cathedrales Eccleſias, quas in adminiſtrationem obtinent, perſonaliter reſideant, in affectione ejuſdem Decanatus nullatenus obeſſe; ſed Decanatum hujuſmodi, ipſo jure deferri prædictis Epiſcopis Cardinalibus antiquioribus abſentibus, & apud dictas Metropolitanas ſeu Cathedrales Eccleſias actu reſidentibus, ſtatuere tunc opportunum duxerit, prout in ejus literis præfatis, quarum perinde, ac ſupradictæ Pauli Prædeceſſoris Conſtitutionis tenores, præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis haberi volumus, plenius etiam continetur.

Quibus de cauſis motus ſit SS. D. Noſter Pauli IV. Conſtit. confirmare? §. 4. Nos tamen ad graviſſima, quibus memorata Pauli Prædeceſſoris ſanctio niti dignoſcitur, rationum momenta, noſtræ dirigentes conſiderationis intuitum, aliiſque juſtis & rationabilibus cauſis animum noſtrum moventibus, adducti, poſt deliberationem, quam ſuper præmiſſis cum pluribus ex Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. prædictæ Cardinalibus habuimus diligentem, de eorum conſilio, ac etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac noſtra perpetua valitura Conſtitutione illam Pauli Prædeceſſoris confirmantes ac innovantes, decernimus & mandamus, ut deinceps quotieſcumque Decanatus prædictus quomodolibet vacaverit, ipſo jure in

Declar. Decanatum hujuſmodi ipſo

jure deferendum esse Cardinali antiquiori tempore vacationis in Curia præsenti, vel ex publica causa, & Rom. Pontif. destinatione dumtaxat absenti.

eumdem Decanatum succedat Episcopus Cardinalis antiquior, qui tempore illius vacationis in dicta Curia præsens sit, vel qui ex causa publica, & Romani Pontificis destinatione dumtaxat, non tamen ratione, seu ex causa residentiæ in Metropolitana seu Cathedrali Ecclesia, cujus regimen & administrationem ex Indulto Apostolico retineat, ab eadem Curia tunc temporis absens reperiatur.

Declaratio, quod antiquitas non sit intelligenda de tempore assumptionis ad Cardinal., sed de anterioritate in ordine Episcopali.

§. 5. Quod vero attinet ad alteram controversiam, aliàs circa ipsum Decanatum excitatam: Num scilicet in ejus assecutione Cardinalis anterior in ordine Episcopali, sed posterior in Cardinalatu, præferendus esset Cardinali posteriori in ordine Episcopali, sed anteriori in Cardinalatu? Declarationem a Benedicto Prædecessore in literis suis præfatis desuper editam tenore præsentium approbantes, pro majori illius firmitate ac potiori cautela iterum statuimus, antiquitatem inter Episcopos Cardinales in dicta Curia præsentes non esse metiendam sive ducendam a tempore suæ promotionis ad Cardinalatus honorem, sed a tempore eorum ingressus in ordinem Episcopalem, itaut Decanatus ejusdem Sacri Collegii ad antiquiorem in ordine Episcopali, tametsi posteriorem in Cardinalatu, pervenire debeat, & qui prius alicui ex dictis sex Ecclesiis Suburbicariis præfectus fuerit, præferatur in assecutione Decanatus hujusmodi alteri, qui ante ipsum ad Cardinalatus Dignitatem promotus fuisset.

Quod admitti non debeat optio Ecclesiæ Suburbicariæ, nisi fiat a Card. præsenti in Curia, vel dd. dumtaxat de causis absenti.

§. 6. Ad hæc sancimus, atque declaramus, non nisi a Cardinalibus, qui fuerint in præfata Curia præsentes tempore ipso vacationis alicujus ex dictis sex Cathedralibus Ecclesiis Suburbicariis, pro titulo Cardinalatus assignari solitis, vel ab eadem Curia absentes similiter ex causa publica, & destinatione Romani Pontificis tantum, non tamen ex causa residentiæ apud aliam sibi commissam Ecclesiam, ut præfertur, optari posse Cathedralem Ecclesiam Suburbicariam sic vacantem; nec Cardinales ab ipsa Curia absentes, præterquam in solo casu superius expresso, ad optionem ejusmodi, etiam per Procuratorem ex eodem Collegio specialiter deputatum, admittendos fore; revocantes proinde & cassantes, irritaque prorsus & inania decernentes quælibet Indulta optandi Ecclesias Suburbicarias præfatas in absentia, ac per Procuratorem, ex alia quacumque causa, etiam residentiæ apud alteram Ecclesiam a Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris hactenus forsan concessa, quæ tamen nondum sint executioni demandata. Licetque Nobis persuasum sit Successores Nostros, ejusmodi Indulta, quæ non modico eisdem Suburbicariis Ecclesiis, earumque Diœcesibus inferre possent detrimentum, minime esse concessuros, sicuti Nos ipsi ab eorum concessione omnino abstinere intendimus; nihilominus si quæ contra hanc nostram dispositionem quandocumque & qualitercumque tribui contigerit, illa subreptitie obtenta censeri debere, nullique propterea, perinde ac si non emanassent, suffragari posse, itidem statuimus.

In casu evenientis vacationis alicujus ex Suburbicariis Ecclesiis, quo tempore quis Cardinalis Episcopus Romæ reperiatur ex legitima causa, an illam optare possit, nihil statuit.

§. 7. Porro si quando evenerit Cardinales, Patriarchali, Primatiali, Archiepiscopali, vel Cathedrali Ecclesiæ præfectos, in dicta Curia ex legitima causa, aut Sedis Apostolicæ licentia præsentes tum reperiri, cum factus fuerit locus vacationi alicujus ex sex Ecclesiis Suburbicariis hujusmodi, nostræ, ac Romani Pontificis pro tempore existentis, partes erunt animum sedulo advertere & deliberare, dum absolventur a vinculo, quo priori Ecclesiæ tenentur ad effectum optandi & assequendi Ecclesiam vacantem ex dictis Suburbicariis, utrum expediat eis concedere, administrationis seu alio nomine, retentionem alterius Ecclesiæ, cui antea præerant: ac in primis, utrum ambæ sint invicem adeo propinquæ, ut Pastoralem curam utrique commode impendere, suumque ministerium recte implere valeant. Cæterum non possumus non summopere eos commendare, qui, ut omnem curam & studium suum in utilitatem Ecclesiæ jam sibi commissæ conferre pergant, nec de vigilantia ei debita quicquam detrahatur, ultro ab ejusmodi optione abstinent, quemadmodum superioribus temporibus plures Cardinales, memores saluberrimi illius Tridentinorum Patrum moniti (valde nimirum felicem illum esse censendum, cui unam Ecclesiam bene ac fructuose, & cum animarum sibi commissarum salute, regere contigerit) summa cum laude fecerunt.

Statuitur, ut Cardinalibus a Presbyterali ad Episcopalem ordinem ascendentibus, semel tantum ab una ad aliam Ecclesiam transire liceat.

§. 8. Præterea considerantes, Cardinalibus veteri more facultatem competere optandi aliam ex sex Suburbicariis Ecclesiis, quoties vacaverit, dimissa priore, quæ sibi in titulum assignata fuerat; id vero si frequenter fiat, spirituale incommodum asserre posse Gregibus, quorum Pastores ita crebro mutentur, volumus, ut imposterum Cardinales, qui ab ordine Presbyterorum ad illum Episcopatum ascendentes, unam ex prædictis Ecclesiis Suburbicariis obtinuerint, deinceps ad aliam, priore dimissa, ac Romano Pontifice approbante, semel tantum transire possint: Salva tamen illis semper atque illæsa facultate optandi, prævia dimissione prioris, Ecclesiam Ostien., quæ peculiaribus gaudet prærogativis, ac præsertim illa, quod Cardinalis, qui ei præest, Pontificem Maximum solemni ritu, Pallio etiam adhibito, consecrare soleat.

S. R. E. Cardinales quamvis Summo assistentes Pontifici, per se, nisi legitime fuerint impediti, harum quoque Ecclesiarum Visitationem inire tenentur, & relationem Pontif. exhibere.

§. 9. Demum, etsi minime dubitemus, quin Venerabiles Fratres nostri ipsius S. R. E. Cardinales, Episcopi sex Cathedralium Ecclesiarum præfatarum, omnibus incumbentis sibi muneris partibus cumulate hactenus satisfecerint, idemque posthac de eis, necnon aliis, qui ejusmodi Ecclesiis præficientur, Nobis merito polliceamur; pro nostra tamen Pastorali solicitudine, quæ nunquam in hoc nimia esse potest, ad eorum memoriam revocandum duximus, teneri ipsos, etiamsi in dicta Curia, ut Romano assistant Pontifici, commorentur, Ecclesias & Diœceses suas ad præscriptum Sacrorum Canonum & Decretorum Concilii Tridentini, visitare per se ipsos, aut si legitime impediti fuerint, per suum Vicarium in Spiritualibus Generalem, aliumve probum, & ad id idoneum virum Ecclesiasticum; necnon relationem status eorumdem Ecclesiarum & Diœcesum, quibus præsunt, ipsi Pontifici, juxta Constitutionem similis mem. Sixti PP. V. Prædecessoris quoque nostri, quæ incipit, *Romanus Pontifex &c.* exhibere, ac cætera, quæ ad Episcopale officium pertinent, diligenter præstare. Qua sane in re maxime decet, eos pro sublimi, quem in Ecclesia Dei tenent, honoris & Dignitatis gradu, aliis omnibus Antistibus exemplo, quod ii sequentur, prælucere.

Harum Literarum firmitas, & observantia.

§. 10. Decernentes pariter ipsas præsentes literas, & in eis dispositas quæcumque, etiam ex eo, quod ejusdem S. R. E. Cardinales in præmissis jus vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati seu auditi fuerint, sive ex alia quacumque causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aliove quolibet etiam formali & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, aut in controversiam vocari, vel adversus illa aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari vel impetrari, seu impetrato, vel etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus

concesso vel emanato, quempiam in Judicio vel extra illud uti, seu se juvari posse; sed easdem præsentes literas semper & perpetuo firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere: ac ab illis, ad quos spectat & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia inviolabiliter observari, & illis respective pleniſſime suffragari. Sicque & non aliter per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ipsosque Cardinales, etiam de Latere Legatos, ac Sacrum Collegium, & quosvis alios quacumque præeminentia & potestate fungentes & functuros, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere: ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§. 11. Non obstantibus præmissis, & præsertim Benedicti Prædecessoris literis, aliisque quibusvis generalibus vel specialibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis etiam Consistorialibus, ac nostris & Cancellariæ Apostolicæ Regulis: etiam, quatenus opus sit illa, de jure quæsito non tollendo: & alia, quod Cardinales in Constitutionibus & Regulis per Nos edendis non comprehendantur, nisi illæ eorumdem Cardinalium favorem concernant, vel de ipsorum seu majoris partis eorum Consilio editæ fuerint: necnon decretis Consistorialibus, dictique Sacri Collegii, aliisve etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia, roboratis statutis, stylis, usibus, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, facultatibus, indultis, & literis Apostolicis eisdem Collegio & Cardinalibus sub quibusvis verborum tenoribus & formis, ac cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & efficacissimis & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac etiam Consistorialiter, & alias quomodolibet & ex quavis causa, etiam hic forsan necessario exprimenda, in contrarium præmissorum concessis, emanatis, editis, confirmatis, approbatis, ac pluries & quantiscumque vicibus innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma adhoc servanda foret, illorum omnium & singulorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse ac pleniſſime & ampliſſime derogamus, & derogatum esse volumus, & mandamus: cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 12. Volumus quoque, & earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio & extra illud adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 10. Januarii 1731. Pontificatus nostri Anno Primo.

F. Cardinalis Oliverius.

Immunitates & exemptiones, quibuscumque & quomodocumque, etiam Ordinibus Regularibus, Societatis Jesu, Ordinis Prædicatorum, & Eremitarum S. Augustini, nuper concessæ in damnum Cameræ Apostolicæ, revocantur, vel ad terminos juris reducuntur, atque alia pro æquo & congruo stabiliuntur. XXIII.

CLEMENS EPISCOPUS,

Dat. die 13. Januar. An. 1731. Pont. 1.

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

ROmanum Pontificem, videlicet Servum illum, quem constituit Dominus super familiam suam, non solum spiritualium, sed etiam temporalium ejusdem familiæ indemnitati consulere decet, ut sublatis exemptionibus, indigentiæ injuriosis, paterna vigeat charitas, quæ parum æquam filiorum prædilectionem ignorans, singulis onus imponat, quod vires sustinere valeant; ac tribuat, quod eorumdem merita exigunt; Quapropter innovans ea, quæ olim ab aliis Romanis Pontificibus Prædecessoribus suis pro temporum qualitate sancita fuerunt, alia decernit & statuit, quæ subinde pro diversa rerum, temporum ac personarum conditione, conspicit in Domino salubriter expedire.

Quam gravi damno usque adeo fuerit Status Ecclesiastico & Communitatibus tanta exemptionum multiplicitas.

§. 1. Cum itaque, sicut accepimus, per quasdam immunitates & exemptiones a vectigalium, aliorumque onerum publicorum solutione, a nonnullis Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris, & Sede Apostolica, illiusque forsan de latere Legatis, ac aliis ejusdem Sedis & Cameræ Nostræ Apostolicæ Officialibus & Ministris, ad importunas supplicantium preces, per viam *Motus proprii*, sive aliàs quomodolibet concessa reperiantur, Cameræ prædictæ, ac Communitates, & Universitates Civitatum, Oppidorum, Terrarum, & Locorum temporalis S. R. E. ditionis in gravissimis, quibus propter magnos sumptus, antehac in causam publicam factos, multaque onera propterea imposita, premuntur angustiis, maximam reddituum & proventuum suorum diminutionem patiantur, & plurimi Subditi Nostri, ac præcipue pauperiores, in quos ejus, quod cæteris, iisque, ut plurimum locupletioribus per immunitates & exemptiones hujusmodi remittitur, onus derivari necesse est, ingenti damno efficiantur.

Revocatio, & annullatio omnium hujusm. exemptionum.

§. 2. Hinc Nos, Cameræ, Communitatum, & Universitatum, Subditorumque Nostrorum indemnitati & levamini, quantum cum Domino possumus, æque principaliter consulere cupientes, ac fe. re. Sixti V. Pauli etiam V. Urbani VIII. Alexandri VII. Clementis X. Alexandri VIII. Innocentii XII. aliorumque Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum, qui Constitutiones similium exemptionum & immunitatum revocatorias ediderunt, vestigiis inhærentes: necnon quarumcumque concessionum, immunitatum, & exemptionum hujusmodi, literarumque Apostolicarum sub Plumbo, ac in forma Brevis sub annulo Piscatoris, cedularum *Motus proprii*, & Chirographorum, cujusvis Romani Pontificis Prædecessoris Nostri manu subscriptorum, ac aliarum literarum & subscripturarum desuper quomodolibet editarum, pluriesque etiam confirmatarum tenores, etiam veriores, & datas, ac occasiones, & alia etiam speciali ac individua expressione dignas, præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis, respective habentes: *Motu proprio*, non ad cujusdam Nobis super hoc oblatæ petitionis

instan-

instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac Nostra perpetuo valitura Constitutione, omnes & quascumque exemptiones ac immunitates a solutione subsidii triennalis, necnon quarti illi adjuncti, Taxarum Equorum, Tallearum, Censuum, Archivii, Foglietæ, Triremium utensilium, Dohanarum quarumcumque Urbis, Taxæ Portus Anconæ, Quatrenorum, Tractarum, Pedagiorum, Vectigalium, Collectarum, Macinatus tam Urbis quam universi Status tertii julii superadditi, literarum Portus, & quarumlibet aliorum onerum, & munerum personalium, realium, & mixtorum, ordinariorum & extraordinariorum, solitorum & insolitorum, Cameralium quorumcumque, ac etiam eorum, quæ per Communitates, Universitates, directe vel indirecte pro eorumdem onerum Cameralium solutione, publicorumque munerum supportatione, ac pro Viis ac Pontibus construendis, instaurandis, muniendis, & manutenendis, aliisque indigentiis & usibus quibuscumque, tam Cameræ quam Communitatum & Universitatum prædictarum, seu aliàs indicta & imposita, ac exigi solita sunt: necnon ab obligatione recipiendi Milites, & Sedis prædictæ Officiales, Baroncellos, & Executores, aliosque Justitiæ Ministros, eisque utensilia, & alia necessaria subministrandi, per Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, ac eamdem Sedem Apostolicam, & quosvis Scuis & Cameræ prædictarum Officiales & Ministros, quacumque auctoritate & potestate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, etiam Camerarios, cæterosque, etiam speciali nota & expressione dignos, ac specialem ad id facultatem habentes. Quibusvis Communitatibus, Civitatibus, Terris, Oppidis, & Locis ditionis temporalis prædictæ S. R. E. ac etiam quibuscumque Feudatariis, Censuariis, Dominis locorum, Familiis Nobilibus, Baronibus, Comitibus, Marchionibus, Ducibus, Principibus, & aliis cujusvis status, gradus, & conditionis, & præeminentiæ existentibus, ac quavis dignitate, etiam Ecclesiastica, & auctoritate prædictis, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, qui Castra, & jurisdictiones intra limites dictæ ditionis temporalis ejusdem S. R. E. possiden., etiam qui nihil ratione Castrorum, & jurisdictionum hujusmodi Sedi prædictæ, seu aliàs, persolvunt, & tam Incolis quam extraneis, & forensibus bona stabilia, seu mobilia, vel se moventia habentibus & tenentibus, seu possidentibus, omniumque supradictorum Colonis & Laboratoribus, Factoribus, Ministris, & Famulis, etiam in recompensam laborum, damnorum, expensarum, vel meritorum, sive illorum intuitu, & contemplatione, ac ex alia quacumque, quantumvis favorabili aut urgentissima, specialiter exprimenda causa, sub quibuscumque verborum formis & expressionibus, etiamsi in Appaltuum, & locationum Cameralium instrumentis, quantumvis auctoritate Apostolica confirmatis, permissum & cautum sit, eas observari debere, ac cum quibusvis clausulis & decretis, etiam motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus, etiam concistorialiter, alias quomodocumque & qualitercumque in genere vel in specie ad vitam vel ad tempus sive in perpetuum concessas & datas, ac pluries & iteratis vicibus confirmatas & approbatas, revalidatas & innovatas, & inde etiam, Judicis auctoritate secuta, quæcumque, necnon quascumque literas, etiam Apostolicas sub Plumbo, vel in prædicta forma Brevis *Motus proprii*, Cedulas, Chirographa, & Scripturas hujusmodi, ex nunc perpetuo revocamus, tollimus, abrogamus, irritamus, abolemus, viribusque & effectu penitus & omnino vacuamus: & revocata, cassata, sublata, abrogata, irrita, abolita, annullata, viribusque & effectu vacua esse: nec ulli prorsus in petitorio, aut possessorio etiam summariissimo contra Nostrarum præsentium tenorem & dispositionem, suffragari posse; Sed prædictos omnes exemptos ad omnium & singulorum onerum prædictorum solutionem & supportationem pro rata, eos tangente, imposterum realiter & cum effectu teneri in omnibus & per omnia, perinde ac si hujusmodi exemptiones & immunitates eis & eorum cuilibet nullatenus concessa fuissent: nec literæ, ac cedulæ, *Motus proprii*, Chirographa, & Scripturæ hujusmodi nunquam emanassent, motu, scientia, deliberatione, potestatis plenitudine prædictis decernimus, statuimus, & ordinamus.

Revocatio ad terminos juris exemptionum Ordinibus Religiosis concessarum.

§. 3. Præterea omnia & quæcumque privilegia & indulta, personis tam sæcularibus quam cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti, ac Societatis, etiam Jesu, Regularibus, etiam Ordinis Prædicatorum super similibus immunitatibus & exemptionibus, per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores Nostros concessa, ad limites juris communis, pro usu proprio personarum Ecclesiasticarum, illorumque victu & vestibus tantum, habito respectu ad numerum personarum, motu, scientia, deliberatione, & tenore paribus reducimus.

Ac etiam Ordinibus Mendicantium, & præcipue editarum super hoc a Bened. XIII. Constitut.

§. 4. Similia pariter & alia quæcumque privilegia, indulta, ac Apostolicæ Constitutiones, per Romanos Pontifices Prædecessores Nostros hactenus editæ, & præcipue per re. me. Benedictum PP. XIII., pariter Prædecessorem Nostrum, favore Regularium Mendicantium, bona stabilia tam in particulari quam in communi possidentium, & pecuniarum usum retinentium, ad eum statum, in quo Regulares ipsi ante Constitutiones ipsas, & præsertim Prædicatorum ante unam, quæ incipit, *Pretiosus*, sub datum Setiæ Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo septimo, ad eorumdem, necnon Eremitarum S. Augustini Ordinum respective Fratres, ante alteram, quæ incipit, *Libenter*, sub datum eodem Anno Incarnationis Dominicæ 1727. Kalendis Januarii, ad eorumdem Eremitarum respective favorem, ab eodem Benedicto respective editas Constitutiones, reperiebantur, reducimus, & reponimus; Necnon quamdam subinde inter ejusdem Ordinis Prædicatorum Fratres prædictos, & Cameram Apostolicam desuper vigore cujusdam Cedulæ *Motus proprii*, ejusdem Benedicti ipsius manu sub die 10. mensis Decembris Anni Domini 1728. signatæ, initam concordiam, perinde ac si illa nunquam inita fuisset, de medio tollimus, illamque penitus & omnino abrogamus. Ea vero Indulta, Constitutiones Apostolicas, cæteraque concessa per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, Regularibus Mendicantibus, altissimam paupertatem vere profitentibus, nullaque Bona stabilia, ac pecuniarum usum, nec in particulari nec in communi retinentibus, in eodem statu exemptionum, quibus antea gaudebant, juxta eosdem terminos juris communis servari volumus, atque mandamus.

Exemptiones quoque Collegiis Urbis concessas pro solo vestitu, & victu suffragari statuit.

§. 5. Illa vero, quæ nonnullis Collegiis in Alma Urbe Nostra existentibus per dilectos filios Clericos Regulares Societatis Jesu, sive alios quoscumque ministrari consuetis, similiter a Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris concessa fuerunt, & quibus ipsi hactenus gavisi sunt, quoad victum & vestitum dumtaxat, non autem, ut vulgo dicitur a *Fundaco*, & *Magazzeno*, prout antehac observatum fuit, suffragari volumus & decernimus.

§. 6. Ac demum similia privilegia & indulta

Irritatio Indultorum omnium Nepotibus Decessorum Roman. Pontific. concessorum.

Nepotibus & aliis Consanguineis vel Affinibus quorumcumque Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum pro tempore viventium, ac illis respective concessa, itidem revocamus & abolemus, ac revocata & abolita esse ac censeri debere volumus & statuimus; declarantes, illa nemini eorumdem Nepotum, sive Consanguineorum, vel Affinium, a die Nostræ ad summi Apostolatus apicem assumptionis, suffragari posse & debere, seu potuisse ac debuisse.

Sub hac Constitut. non comprehendi exemptiones Ecclesiasticis de jure competentes; Vel a Camera Apost. Appaltator. concessas.

§. 7. Per præmissa autem non intendimus revocari exemptiones & immunitates, quibuscumque personis Ecclesiasticis tam sæcularibus quam Regularibus de jure competentes, neque Thesaurariis, Appaltatoribus, & Conductoribus bonorum, introituum, & jurium dictæ Cameræ Nostræ, ab ipsa Camera, vel ab aliis illius nomine in appaltuum & locationum Instrumentis, & illorum ratione, ex contractu, tituloque vere oneroso concessas.

Prout etiam vi contractus, vel ex onerosa causa obtentas, in Camera tamen examinandas.

§. 8. Insuper a revocationibus & aliis supradictis excipimus, & exemptas esse volumus & declaramus, immunitates & exemptiones quibusvis Universitatibus & Personis datas & concessas in vim contractus ex causa vere onerosa, videlicet congrue & effectualis pecuniarum solutionis, & non aliàs, eidem Cameræ Apostolicæ, vel ipsis Communitatibus legitime factæ, vel ex aliis rationabilibus causis per Nos cognoscendis & approbandis, ut infra, ac etiam declarandis, quas etiam causas onerosas non nisi legitimas & licitas ac honestas, prout de jure, approbare intendimus; Et propterea quicumque illas obtinent, eas in dicta Camera citato dilecto filio ipsius Cameræ Commissario generali, verificare, & in ipsa Camera examinari & admitti facere teneantur; etiamsi concessiones eorumdem immunitatum & exemptionum, ac literæ, Cedulæ *Motus proprii*, Chirographa, & alia Scripturæ desuper emanatæ, & emanata, aliàs in Camera prædicta admissæ & admissa, ac in illa, ejusque libris registratæ & registrata fuerint, & sint; quatenus tamen causæ onerosæ hujusmodi pro vere onerosis & legitimis, ut præfertur, aliàs in eadem Camera verificatæ & approbatæ, ac prævia judiciali discussione non sint legitime habitæ: Quo casu ad indicationem tantum, non autem ad aliam verificationem, eosdem obtinentes teneri volumus. Interim vero quamdiu non fuerint verificatæ, minime suffragari, & præsentis revocationis effectum retardare non posse declaramus.

Neque Privilegia S. R. E. Cardinalibus, Cameræ Apostol. Clericis, aliisque Cameralibus, Prælatis Domesticis Curiæ Rom. Officialibus, & Familiaribus S. S. concessa.

§. 9. Præterea Nostræ intentionis non est, sub hujusmodi revocationibus, aliisque supradictis comprehendere immunitates & exemptiones, eisdem S. R. E. Cardinalibus ratione dignitatis Cardinalatus, & Cameræ prædictæ Clericis Præsidentibus, aliisque Cameralibus, qui in eadem Camera sederunt & sedent, concedi seu admitti solitas; Nec illas, quibus Prælati & Officiales Romanæ Curiæ, ac Prælati Domestici, Cubicularii Secreti, ac Secretarii & Familiares & continui Commensales Nostri, & Romani Pontificis pro tempore existentis, & in Rotulo descripti, gaudent, & gaudere consueverunt, durante vita ejusdem Romani Pontificis, eorumque servitio; Neque illas ob numerum duodecim filiorum, a Prædecessoribus Nostris, & aliis supra expressis, concessas, quas tamen ad terminos Constitutionis piæ me. Pii PP. IV. Prædecessoris pariter Nostri, quæ incipit: *Licet fe. re. Paulus*, cujus tenore his præsentibus pro plene & sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi, illamque exacte & adamussim juxta illius seriem & tenorem ac dispositionem in omnibus & per omnia servari debere volumus: & aliarum Constitutionum Apostolicarum super hujusmodi exemptionum declaratione editarum, & ad illas tantum & pro tempore & personis, ac eo modo & forma, quibus de jure communi illis competunt, & aliàs juxta ipsius juris communis, ac prædictarum & aliarum Constitutionum Apostolicarum dispositionem reducimus; neque aliter, quam ut præfertur, sive in possessorio, sive in petitorio suffragari volumus & decernimus.

De cæteris quibuscumque exemptionibus ab Officialibus Cameræ non admittendis.

§. 10. Cæterum Appaltatoribus, Thesaurariis, Depositariis, Commissariis, Executoribus, & cæteris Agentibus, Ministris Cameræ prædictæ, ac Communitatum & Universitatum prædictarum, earumdem serie præsentium districte inhibemus, ne contra ipsarum præsentium dispositionem, immunitates & exemptiones, nisi ut præfertur, exceptas, ac eas quas ex causa vere onerosa concessas, in Camera prædicta, ut præfertur admitti contigerit, ullatenus admittant; sique secus fecerint, id nemini eorum in suis computis seu rationibus per eamdem Cameram admitti volumus, sed eorum damno id cessurum esse declaramus.

Avocatio, ac omnimoda suppressio litium causa hujus. exemptionum motarum.

§. 11. Postremo lites quaslibet occasione Privilegiorum & Indultorum, necnon immunitatum & exemptionum hujusmodi, quomodolibet motas, & in quibusvis Tribunalibus pendentes, illarum omnium & singularum statum & merita, nominaque & cognomina Judicum & Collitigantium quorumvis, & speciali mentione dignorum, & alia etiam de necessitate specialiter exprimenda, eisdem præsentibus pro plene & sufficienter expressis habentes, a quibuscumque Tribunalibus hujusmodi ad Nos earum serie præsentium avocamus; illasque penitus & omnino perpetuo supprimimus & extinguimus, ac pro suppressis & extinctis haberi volumus & declaramus, ac partibus perpetuum super his silentium imponimus.

Præsentium Literarum firmitas remota quavis secus agendi, judicandi &c. occasione, prætextu &c.

§. 12. Decernentes easdem præsentes, ac omnia & singula in illis contenta, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis, sive eorum aliquo, interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, ac ad ea vocati & auditi, seu causæ, propter quas illæ emanarunt, adductæ, verificatæ, seu aliàs sufficienter, aut etiam ullatenus justificatæ non fuerint: aut ex alia quantumlibet legitima, pia, juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, occasione, & capite, etiam in corpore juris clausa, etiam enormis, enormissima, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, nullitatis aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quorumvis interesse habentium consensus, aut alio quovis quantumvis magno & substantiali ac inexcogitato defectu, notari, impugnari, & invalidari, restringi, retractari, in jus vel controversiam revocari, suspendi, limitari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aut aliud quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut impetrato, seu etiam motu simili concesso, quempiam in Judicio vel extra illud, uti, seu se juvare posse; neque easdem præsentes sub quibusvis similium vel dissimilium Constitutionum, ac revocationum & ordinationum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, & aliis contrariis dispositionibus, pro tempore quomodolibet factis, comprehendi aut comprehensas censeri; sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum & validissimum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac sub quacumque posteriori data, quatenus opus sit, de novo concessas, perpetuoque validas, firmas, & efficaces existere & fore: suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere: ac omnibus, ad quos

spectat,

ſpectat, & quomodocumque ſpectabit, inviolabiliter obſervari. Sicque, & non aliàs in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios & extraordinarios, ac Commiſſarios, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & ejuſdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & quoſvis earumdem Sedis & Cameræ Officiales & Miniſtros, ac alios quoſcumque, quavis auctoritate & poteſtate fungentes, nunc & pro tempore exiſtentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, definiendi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari, definiri & interpretari debere: ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Earumdem obſervantia.

§. 13. Quo circa dilectis filiis, Noſtro, ac prædictæ S. R. E. Camerario, ſeu Procamerario, necnon Vicecamerario, Theſaurario, ac Clericis Præſidentibus, Commiſſario, & aliis dictæ Cameræ Officialibus, ad quos ſpectat, per Apoſtolica ſcripta præcipimus & mandamus, ut eaſdem præſentes, & in eis contenta quæcumque, in omnibus & ſingulis firmiter & inviolabiliter obſervent, & faciant ab aliis obſervari; contradictores quoslibet & rebelles, ac præmiſſis non parentes, per ſententias, cenſuras, & pœnas eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, omni & quacumque appellatione, recurſu, & reclamatione remotis, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii Sæcularis.

Obſtantium derogatio: addita nonnullarum exemptionum ſpeciali mentione.

§. 14. Non obſtantibus prædictarum litium pendentia, necnon re. me. Bonifacii PP. VIII. de una, & in Concilio generali de duabus dietis, dummodo quis ultra tres dietas extra ſuam Civitatem, vel Diœceſim ad Judicium, earumdem vigore præſentium, non trahatur: necnon una ad Ordinis Prædicatorum, ac altera prædicti Benedicti Prædeceſſoris ad Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini, reſpective, favorem Ordinis, Conſtitutionibus prædictis: necnon Concordia cum prædicta Camera Noſtra, deſuper, ut præfertur, celebrata, cæteriſque gratiis & exemptionibus favore quarumcumque perſonarum a ſolutione onerum Cameralium, & aliorum quorumcumque, ſive temporaliter & ad vitam per eumdem Benedictum Prædeceſſorem quomodolibet indultis, etiam per Chirographa & Cedulas *Motus proprii* quomodolibet conceſſis, aliiſque omnibus & ſingulis præmiſſis; necnon Noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula de jure quæſito non tollendo, ac, quatenus opus ſit, prædicti Pii Prædeceſſoris de gratiis, qualecumque intereſſe dictæ Cameræ concernentibus, in eadem Camera præſentandis & regiſtrandis, itaut præſentes in ea præſentari, aut regiſtrari nunquam neceſſe ſit: aliiſque Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, vel Provincialibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus Conſtitutionibus & ordinationibus, necnon Provinciarum, Civitatum, Terrarum, Oppidorum, Caſtrorum, & aliorum dicti Status tam mediate quam immediate ſubjectorum Locorum, Statutis, etiam confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, conceſſionibus, exemptionibus, immunitatibus, licentiis, facultatibus, confirmationibus, Chirographis, Cedulis *Motuum propriorum*, & aliis ſcripturis & literis, etiam Apoſtolicis Legatis, Prolegatis, Gubernatoribus, Prætoribus, aliiſque Officialibus prædictis, ac quibuſvis aliis, etiam Communitatibus, Univerſitatibus, Monaſteriis, Hoſpitalibus, etiam S. Joannis Hieroſolymitani, aliiſque piis, & non piis Locis, etiam ſpeciali nota & mentione dignis, etiam motu, ſcientia, & poteſtate paribus, ac etiam Conſiſtorialiter, & de eorumdem Cardinalium conſilio & conſenſu, ſub quibuſcumque verborum formis & tenoribus, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis Decretis, etiam in vim contractus jurati; & Camerali obligatione vallati, & quovis alio robore & cautela firmati, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, editis, factis, & pluries ac iteratis vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis; Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi in illis caveatur expreſſe, quod nullo unquam tempore ſub ſimilium vel diſſimilium facultatum, licentiarum, conceſſionum, privilegiorum, & aliarum gratiarum prædictarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis quibuſcumque contrariis diſpoſitionibus, pro tempore edendis comprehendantur, ſed ſemper ab illis excepta, & quoties illa emanarent, toties in priſtinum & validiſſimum ſtatum, etiam ſub poſteriori data per eos, quibus conceſſa ſunt, eligenda, reſtituta, repoſita, & plenarie reintegrata, ac de novo conceſſa ſint & eſſe cenſeantur: necnon pro illorum ſufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret; tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis habentes, harum ſerie ſpecialiter & expreſſe, ac latiſſime & pleniſſime derogamus, & derogatum eſſe etiam volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Per præſentes autem non intendimus omnibus & ſingulis aliis privilegiis, indultis, & conceſſionibus ab eodem Benedicto Prædeceſſore Prædicatorum, & Eremitarum Sancti Auguſtini, Ordinibus prædictis, & eorum cuilibet, reſpective conceſſis, ac in una ad unius, & altera ejuſdem Benedicti Prædeceſſoris Conſtitutionibus prædictis, ad alterius Ordinum prædictorum reſpective favorem, ut præfertur, editis, quomodolibet contentis & expreſſis, in aliquo præjudicare.

§. 15. Volumus autem, & Apoſtolica auctoritate decernimus, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio & extra illud adhibeatur, quæ ipſis originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Paginæ hujuſce integritas ſervanda &c.

§. 16. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Noſtræ revocationis, abrogationis, abolitionis, ſtatuti, ordinationis, reductionis, repoſitionis, exceptionis, declarationis, inhibitionis, litium ſuppreſſionis, & extinctionis, ſilentii impoſitionis, decreti, præcepti, mandati, derogationis, intentionis & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo primo, Idibus Januarii, Pontificatus Noſtri Anno Primo.

A. Card. Pro-Datarius.
F. Card. Oliverius.

Viſa

De Curia I. Archiepiſcopus Ancyranus.
Lucas Martinettus.

Reg. in Sec. Brevium.

XXIV.

Vicario, & Officialibus Generalibus Congregationis Galliarum Ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini Excalceatorum nuncupat. indulgetur, ut poſt vacationem novemdecim, aut viginti circiter menſium ab eorum officiis ad alia eligi poſſint.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. die 18. Januar. Anno Dom. 1731. Pontif. I.

Expoſtulatio Procuratoris Cong. Galliarum hujuſce Ordinis: Scilicet ex obſervantia nonnullorum Capit. Conſtitut. Officiales Generales ſæpe per quadriennium ineligibiles fieri.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Timotheus a Sancto Franciſco Saleſio, Procurator generalis Congregationis Galliarum Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini Excalceatorum nuncupatorum, quod juxta ſeſſ. 10. cap. 2. tertiæ partis Conſtitutionum dictæ Congregationis illius Vicarius generalis, abſoluto ſuo officio, omneſque Officiales generales, qui per dua Capitula immediate ſubſequentia & completa ad aliquod officium, cui competit votum, promoti fuerint, per biennium ineligibiles remanere debeant: ac inſuper quod juxta ſeſſ. 1. cap. 3. ejuſdem tertiæ partis Capitulum generale prædictæ Congregationis de triennio in triennium feria ſexta ante Feſtum Sancti Michaelis Archangeli celebrari ſolet: necnon juxta ſeſſ. 1. cap. 11. ejuſmodi tertiæ partis ſingulæ Provinciæ ſingulis bienniis feria ſexta ante Dominicam tertiam poſt Feſtum Reſurrectionis Dominicæ Capitulum generale celebrare conſueverunt; unde fit, ut, eodem Capitulo generali quatuor circiter menſibus poſt Capituli generalis celebrationem ſæpius adveniente, iidem Vicarius generalis, & alii Officiales generales in prædicto Capitulo abſoluti juxta primum ſeſſ. ſupradictum in Capitulo Provinciali poſt viginti circiter menſes ſubſequenti ineligibiles ſint, & conſequenter per quatuor ferè annos ad omnia officia Provincialia inhabiles remanentes: quod ſane bono Provinciarum non mediocriter nocet; ſic enim Provinciæ hujuſmodi auxiliis virorum, quos zelus & experientia in rebus Religionis verſatiſſimos fecerunt, privantur: ſic quandoque minus digni ad officia elevantur: & denique bonum ſpirituale ſive temporale earumdem Provinciarum deperit.

Conceſſio de qua in Summ.

§. 1. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dictus Timotheus Procurator generalis, ut impoſterum Vicarius generalis, ac omnes Officiales generales abſoluti, in Capitulo generali ſubſequente Capitulum Provinciale quatuor circiter menſibus in Capitulo Provinciali proxime futuro eligibiles ſint, itaut ipſis novemdecim aut viginti circiter menſibus vacaſſe ſufficiat, per Nos ſtatui & ordinari plurimum deſideret. Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſum Timotheum Procuratorem generalem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ejuſdem Timothei Procuratoris generalis precibus auctoritate Apoſtolica tenore præſentium benigne indulgemus.

(Harum literarum robur.

§. 2. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper validas & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri, & obtinere; ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore quomodolibet ſpectabit, in omnibus & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari & diffiniri debere; ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtan. præmiſſis, ac Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dictæ Congregationis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus & ſingulis illorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Contrariorum derogatio.

§. 3. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides tam in Judicio quam extra illud habeatur, quæ præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Fides Tranſumptorum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 18. Januarii 1731. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

F. Card. Oliverius.

XXV.

Votantibus Signaturæ Juſtitiæ conceditur uſus Mantelli Magni, & Pilei Pontificalis cum illorum ornamentis in ſolemnibus equitationibus &c.

Eiſdem Votantibus Galeri rediminculum, vulgò Cordone, *Violacei coloris conceſſit Benedictus XIII. Conſt.* Romani Pontificis &c. *die* 12. *Julii* 1727.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dat. die 25. Januarii Anno 1731. Pontif. An. I.

Exordium.

CReditæ Nobis divinitus diſpenſationis ratio poſtulat, ut illos, qui laudabilem in gravibus Noſtris & Apoſtolicæ Sedis miniſteriis operam impendunt, peculiari paternæ charitatis affectu proſequentes, gratias & privilegia eis in præmium, laborum ſuorum a Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus Noſtris prudenti liberalitate conceſſa; uberiori benignitate ampliamus, ſicut eorum meritis convenire arbitramur.

Uſus Cordonis violacei Votantibus Signaturæ conceſſus a Bened. XIII.

§. 1. Aliàs ſiquidem Benedictus XIII. Prædeceſſor Noſter tunc & pro tempore exiſtentibus Signaturæ noſtræ Juſtitiæ, tunc ſuæ, Votantibus, ut ipſi Galeri rediminculum, Cordone vulgariter nuncupat. coloris Violacei quibuſvis functionibus & actibus publicis ac privatis ubique deferre & geſtare libere & licite poſſent & valerent, conceſſit & indulſit, & alias prout in ipſius Benedicti Prædeceſſoris deſuper in ſimili forma Brevis die 12. Julii 1727. expeditis, quarum tenorem præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſo ac inſerto haberi volumus, uberius continetur.

Eiſdem Mantello Magno, cæteriſque ſuprad. uti conceditur.

§. 2. Nunc autem Nos ad præclara dilectorum filiorum modernorum Votantium Signaturæ Juſtitiæ hujuſmodi merita paternæ dirigentes conſiderationis intuitum, ac benigne perpendentes, quantum ex eorum Tribunali ſeu Collegio Romanæ Curiæ decoris, quantumve ex ſedulo illorum labore Eccleſiæ Catholicæ proveniat utilitatis; eoſque proinde, ac illorum Succeſſores, ut eo alacrius fidem, operam, induſtriamque, atque ſedulitatem in hujus Sanctæ Sedis

obſequium

obsequium adhibere studeant, amplioris favore gratiæ prosequi volentes, & ipsorum modernorum Votantium singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, Motu proprio, ac ex certa scientia & mera liberalitate Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, prædictis modernis & pro tempore existentibus Votantibus Signaturæ Justitiæ hujusmodi usum Mantelli Magni, *Mantellone* vulgariter nuncupato, ac Pilei Pontificalis, ac eorumdem ornamentorum, quibus Cappellani Nostri, & Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Cameræ Apostolicæ Clerici Præsidentes in solemnibus equitationibus utuntur & fruuntur, tenore præsentium concedimus pariter & indulgemus.

Hujusce concessionis firmitas.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac illis, ad quod spectat & pro tempore spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & alios quoslibet quacumque præeminentia & potestate fungentes & functuros, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 25. Januarii 1731. Pontificatus Nostri Anno Primo.

F. Cardinalis Oliverius.

XXVI. Confirmatur Breve Benedicti XIII. super dismembratione quorumdam Conventuum a Provincia Terræ Laboris Ordinis Fratrum B. M. de Monte Carmelo, ac erectione Provinciæ Neapolitan.

Dat. die 27. Januarii Anno 1731. Pontif. I.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

EX injuncto Nobis divinitus Pastoralis officii munere illis, quæ pro felici Religiosorum Virorum directione & tranquillitate provide prudenterque ab hac Sancta Sede constituta esse noscuntur, ut firma semper atque illibata perstant, libenter, cum id a Nobis petitur, Apostolici muniminis Nostri præsidium adjungimus.

Causæ erectionis Provinciæ Neapolitanæ a Bened. PP. XIII. factæ.

§. 1. Alias siquidem fe. re. Benedictus PP. XIII. Prædecessor Noster ad sedanda gravia animorum dissidia, quæ inter Religiosos Conventus Carmeli Majoris nuncupati Civitatis Neapolitan. Provinciæ Terræ Laboris Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo, ac reliquos Fratres Provinciæ hujusmodi intercedebant, eumdem Conventum Carmeli Majoris cum decem ejus Grangiis, necnon quinque alios Conventus a prædicta Provincia dismembravit, illosque in novam ipsius Ordinis Provinciam Neapolitanam denominandam erexit, facta tunc existenti Procuratori Generali dicti Ordinis potestate novæ Provinciæ sic erectæ incorporandi alium Conventum, Montis Sancti itidem nuncupatum, Civitatis & Ordinis præfatorum, qui dudum Acephalus, ac independens reperiebatur; statuitque, ut electio Prioris Provincialis, cæterorumque Superiorum & Officialium ejusdem novæ Provinciæ ad præscriptum Constitutionum dicti Ordinis, Apostoca auctoritate confirmatarum, quamprimum fieret, & alias, prout uberius continetur in ipsius Benedicti Prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis expeditis, tenoris, qui sequitur videlicet: BENEDICTUS PP. XIII. *Ad perpetuam rei memoriam.* Inter gravissimas Apostolicæ servitutis curas &c.

Cætera legere est in Constitutione LVI. in Tom. XIII. pag. 165.

Ad petitionem Fratrum Provinciæ ejusdem.

§. 2. Cum autem, sicut pro parte dilectorum filiorum Fratrum supradictæ Provinciæ Terræ Laboris Nobis nuper expositum fuit, præfatæ Benedicti Prædecessoris literæ ante quinquennium executioni demandatæ fuerint, ex eo vero tempore dicta Provincia summa quiete & pace religiosa, benedicente Domino, fruatur, non sine modico in ea regularis disciplinæ incremento; ac interim bina ibidem Capitula Provincialia sine ulla vel minima perturbatione celebrata fuerint, ac propterea ipsi Exponentes præmissa pro majori eorum robore & subsistentia, exactioreque observantia, Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri summopere desiderent; Nos eorumdem Exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, illorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinsertas Benedicti Prædecessoris literas, cum omnibus & singulis in eis contentis, eadem auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Literæ Benedicti PP. confirmantur.

Addita Brevis hujusce validitate, & observantia.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inconcusse observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & alios quoslibet quacumque præeminentia & potestate fungentes & functuros, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Cum contrariorum derogatione.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus & singulis illis, quæ in præinsertis literis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 27. Januarii 1731. Pontificatus Nostri Anno Primo.

F. Card. Oliverius.

XXVII. Confirmatur Resolutio nuperi Capituli Generalis Ordinis Carmelitarum Excalceatorum, ac Breve confirmationis Benedicti Papæ XIII. circa nonnulla humilitatis officia per ejusdem Ordinis Donatos exercenda, cum derogatione cujusdam decreti ab Auditore ejusdem

Papæ ſuper hoc editi: additaque declaratione, quod ab eiſdem obeundis officiis cæteri Ordinis Fratres exempti non intelligantur.

Laudatas Benedicti XIII. literas datas die 22. Junii 1728.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. die 8. Martii Anno Dom. 1731. Pontif. I.

Expoſitio facti.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Præpoſitus ac Procurator Generalis Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Excalceatorum nuncupatorum, quod tametſi in eodem Ordine Donati, ſive Converſi, pari obedientiæ voto & vinculo, ac Clerici ſeu Chorales adſtricti ſint, licetque Conſtitutionibus ipſius Ordinis auctoritate Apoſtolica confirmatis part. 1. cap. 14., ubi agitur de vita communi, caveatur expreſſe, ut in tabella officiorum humilia quæque etiam Superioribus injungantur, ne quid vel ad charitatem vel ad humilitatem deſideretur; necnon in Rubrica dicti Ordinis itidem part. 1. cap. 5. §. 11. de modo ſcribendi ejuſmodi tabellam officiorum diſerte ſtatuatur, partes Superioris eſſe eamdem tabellam quolibet die Sabbati conſcribere, ipſaque officia cunctis prudenter diſtribuere: adjecto tamen, quod quamvis ad officia omnia, maxime humiliationi deſervientia, omnes etiam Prælati deſignandi ſint, miniſteria tamen, quæ ad Chorum & Altare pertinent, iis tantummodo committantur, qui ſciant & poſſint illa debite explere; nihilominus cum anno 1726. Diffinitorium Provinciale Provinciæ Venetiarum Ordinis prædicti demandaſſet, ut Fratres Donati illius Provinciæ certis feſtivis ac feriatis anni diebus primæ menſæ in Refectorio inſervire tenerentur, reſervata Superioribus localibus auctoritate, debitam ſibi obedientiam a dictis Fratribus Donatis, ubi alias eorum opera utendum judicarent, exigendi: utque in domo Novitiatui deputata, & alibi ubicumque Fratres Donati Novitii reperirentur, in communi tabella officiorum ejuſmodi, deſervitores primæ menſæ, terſores ſeu lotores ſcutellarum, & ad munera humilitatis, ut vocant, deſtinarentur; pro parte Fratrum Donatorum Provinciæ præfatæ lis & cauſa adverſus Superiores ejuſdem Provinciæ ſuper hac ordinatione Definitorii Provincialis, ac gravamine ſibi exinde, ut prætendebant, irrogato, mota fuit coram Congregatione tunc exiſtentium S. R. E. Cardinalium negotiis & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſita, quæ die 6. Auguſti 1727. juſſit deſuper exquiri votum Capituli Generalis tunc proxime celebrandi Ordinis præfati, ac interim dictos Fratres Donatos teneri ſupplere officia humilitatis hujuſmodi prudenti Superiorum localium arbitrio; verum iiſdem Fratribus Donatis tali decreto proviſionali minime acquieſcentibus, cauſaque die 5. menſis Septembris ſubſequentis repropoſita, ipſa Congregatio Cardinalium perſtitit in decretis: mandavitque votum dicti Capituli Generalis exquirendum, ad formam inſtructionis confectæ per S. R. E. præfatæ Cardinalem, qui ad ejuſmodi cauſam eidem Congregationi Cardinalium referendam deputatus fuerat; unde cum in præmiſſorum executionem die 28. menſis Aprilis 1728. in Capitulo Generali dicti Ordinis tunc celebrato propoſitum fuiſſet illius Vocalibus ibidem una congregatis: An ex vi ſuarum legum cenſerent teneri Fratres Donatos exercere munera humilitatis terſoris ſcutellarum, & ſervitoris primæ menſæ, ſicuti exercent cæteri Religioſi chorales, etiam Sacerdotes; a quinquaginta ex quinquaginta ſeptem Vocalibus hujuſmodi, affirmative & per ſecreta ſuffragia reſponſum fuit; ac poſtmodum fel. record. Benedictus Papa XIII. Prædeceſſor Noſter per ſuas in ſimili forma Brevis die 22. Junii ejuſdem anni 1728. expeditas literas enarratam Capituli Generalis reſolutionem, toto illius tenore inſerto, confirmavit: dictiſque Fratribus Donatis perpetuum ſuper hac quæſtione ſilentium impoſuit, nec amplius audiendos decrevit. Porro hiſce Benedicti Prædeceſſoris literis, quoad earum ſubſtantiam per ipſos Fratres Donatos acceptatis, humiles eidem Benedicto Prædeceſſori preces exhiberi curarunt, quibus etſi nihil aliud petiiſſent, quam ut declarare vellet non comprehendere in ejuſmodi literis illos Fratres Donatos, quibus aliquod ex ſequentibus officiis, nimirum Veſtiarii, Miniſtri cellæ vinariæ, Præpoſiti rei ruſticæ, Quæſtoris eleemoſynarum, Coqui, Subſacriſtæ, & Janitoris aſſignatum foret, prodiit tamen die 3. Septembris præfati anni 1728. a tunc exiſtente Auditore memorati Benedicti Prædeceſſoris decretum, quo declaratur, dictas literas non comprehendere Fratres Donatos non ſolum præfata, ſed & alia in ipſo decreto expreſſa, ac etiam illis ſimilia officia exercentes; & inſuper illos non teneri, nec obligatos eſſe gerere munera prædicta terſoris ſcutellarum, & ſervitoris primæ menſæ, & alias prout in dicto decreto, cujus perinde, ac præfatarum Benedicti Prædeceſſoris literarum tenores præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis & ad verbum inſertis haberi volumus, uberius continetur.

Ex Ordinis Conſtitut. humilia quæque officia Superioribus quoque injungenda:

Chori tamen, Altariſque ſervitium peritis tantummodo committendum.

Decret. Definitorii Provinciæ Venetæ an. 1726. de dictis humilitatis officiis Donatis imponendis.

§. 1. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, declaratio a dicto Auditore Benedicti Prædeceſſoris ſic edita, nimis vaga & ampla dignoſcatur, tam quia plures complectitur Officiales, quam per ipſoſmet Fratres Donatos petitum fuerat, latumque præbet aditum alios quoque addendi prætextu ſimilium officiorum: tum quia eiſdem Officialibus abſolute & indefinite abſque limitatione temporis exemptionem tribuit, tametſi plura ex dictis officiis nonniſi interpolatam ac minime continuam operam expoſcant, nec impediant, quo minus illa gerentes munera humilitatis ſubire valeant; quibus etiam accedit, quod ſi iſtiuſmodi declaratio, utpote quæ juxta ſuum verum ſenſum omnes Fratres Donatos a dictis muneribus exemptos reddit, cum eorum ſingulos aliquo in ſuis Conventibus officio fungi oporteat, locum ſibi vindicaret, non modicæ turbæ, ac confuſio inveherentur in alias quoque dicti Ordinis Provincias, ubi hoc exemplo exacta ſupradictarum Conſtitutionum circa hujuſmodi munera humilitatis vigens obſervantia immutari vellet; ipſi Præpoſitus & Procurator Generales opportunum in præmiſſis remedium, quo univerſi Ordinis prædicti paci & tranquillitati proſpiciatur, dictarumque Conſtitutionum diſpoſitio quoad præfata munera humilitatis in omnibus illius Provinciis æqualiter ſervetur, a Nobis adhiberi ſummopere deſiderent; Nos eorumdem Præpoſiti & Procuratoris Generalium votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, eorumque ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus illorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, reſolutionem ſupradicti Capituli Generalis, expeditaſque ſuper illius confirmatione Benedicti Prædeceſſoris literas præfatas cum omnibus & ſingulis in eis contentis Apoſtolica auctoritate tenore præſentium approbamus & confirmamus; illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus. Decre-

Hæc vero exceptio nimium vaga cum eſſet;

Donatorum recurſus tamquam a gravamine.

Cognita cauſa a Congr. Epiſc. & Regularium.

Votumque Gen. Capituli exquiſitum.

Ac reſponſum, Donatos ad hujuſmodi obeunda officia teneri:

Quod a Benedicto XIII. confirmati;

Impoſitumque iiſdem ſuper hoc ſilentium.

Per ejuſdem Pontificis Auditorem excepti ii, quibus aliquod munus foret aſſignatum.

Capituli Generalis laudata reſolutio,

Ac Benedicti PP. Literæ confirmatur;

tum

Cum irritatione dicti Decreti Auditoris Benedicti XIII.

Et cum declaratione, quod ad eadem obeunda officia singuli Ordinis Fratres teneantur.

tum vero per Auditorem ejusdem Benedicti Prædecessoris editum, sicut præmittitur, revocamus, ac e medio tollimus. Declarantes tamen resolutionem Capituli Generalis, & literas præfatas ita juxta dicti Ordinis Constitutiones accipiendas, atque intelligendas fore, ut omnibus ipsius Ordinis Fratribus communes sint, ac esse censeantur, & tam Chorales cujusvis status, gradus, & conditionis existant, quam Donatos complectantur, atque munere humilitatis exerceri debeant ab iis, quos a suis Superioribus, quacumque pro tempore occurrente necessitate vel occasione, ad illa gerenda deputari, vel in tabella, per Superiorem secundum Rubricam Ordinis prædicti fieri solita, describi contigerit: Ipsisque propterea Superioribus, ac Subprioribus harum serie præcipimus, ut in demandandis ejusmodi muneribus humilitatis, & in conficienda tabella præfata, pari discretione & charitate erga Fratres Donatos utantur, qua utuntur in Clericos seu Chorales: & sicuti his dicta munera injungere, eosve in tabella describere non consueverunt, quando aliis laboriosis ac extraordinariis occupationibus destinentur, ita quoque agant cum Donatis, qui id genus occupationes, sive ratione proprii officii sive alterius negotii, aut ministerii sibi commissi subire debuerunt: volentes & statuentes, quod quemadmodum obligatio omnes tenet, ac æque Clericis quam Donatis imposita reperitur, æqua quoque sit & servetur inter omnes discretionis ratio sine differentia inter Clericos & Donatos hujusmodi. Ac decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac ab omnibus & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inconcusse observari, ac eis respective suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Præsentium Literarum firmitas:

Ac obstan. quorumcumque derogatio.

§. 2. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis Ordinis & Provinciarum ejusmodi, illorumque Domorum & Conventuum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, aut quavis firmitate alia roboratis statutis, stylis, usibus & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda Fides.

§. 3. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in Judicio quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 8. Martii Pontificatus Nostri Anno Primo.

F. Card. Oliverius.

Christi Fidelibus Sæcularibus ac Regularibus Hispaniarum conceditur recitatio Officii & Missæ S. Antolini Martyris cum Oratione & Lectionibus propriis secundi & tertii Nocturni. XXVIII.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dat. die 17. Martii Anno Dom. 1731. Pontif. I.

Exordium.

EXigit Apostolicæ servitutis ministerium, quod imbecillitati nostræ committere voluit divina Dignatio, ut pia sublimiorum Principum Orthodoxæ Fidei tuendæ & propagandæ zelo, aliisque multiplicibus in Ecclesia Dei meritis conspicuorum, vota, quibus Beatorum Martyrum, Cælestis Hierusalem Civium, immarcescibili Gloriæ Corona redimitorum, veneratio in terris promovetur, ad exauditionis gratiam paterna charitate admittamus.

Philippi Hispaniarum Regis preces SS. D. N. porrectæ.

§. 1. Itaque piis charissimi in Christo Filii Nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici precibus, nobis super hoc humiliter porrectis, favorabiliter annuere cupientes de Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, Sacris Ritibus propositorum Consilio, ut in omnibus Regnis & Dominiis ipsi Philippo subjectis singulis annis Officium diei Festi Sancti Antolini Martyris cum Oratione & Lectionibus propriis secundi & tertii Nocturni tantum, dummodo reliqua sumantur de communi sub ritu duplici minori, servatis tamen Rubricis, ab omnibus Christi fidelibus Sæcularibus & Regularibus utriusque sexus recitari, & Missa respective celebrari possit, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus & indulgemus.

Recitatio Officii S. Antolini concessa.

Cum obstantium derogatione.

§. 2. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§. 3. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ab omnibus, & ubique tam in judicio quam extra habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 17. Martii 1731. Pontificatus Nostri Anno primo.

F. Card. Oliverius.

Literæ Processus Sanctissimi Domini Nostri Clementis Papæ XII. publicatæ die Cœnæ Domini anno 1731. XXIX.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Dat. die 22. Martii Anno Dom. 1731. Pontif. I.

PAstoralis Romani Pontificis vigilantia & solicitudo &c.

Cætera consulto omittuntur cum pluries repetita habeantur in præcedentibus Tomis.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo trigesimo, 11. Kal. Aprilis Pontificatus Nostri Anno Primo.

F. A. Arch. Theod. Datarius.
F. Card. Oliverius.
Visa de Curia I. Archiep. Ancyranus.
N. Stivanus.
Loco ✠ Plumbi.
Registrata in Secretaria Brevium.

Con-

XXX.

Confirmatur Decretum Congregationis Episcoporum & Regularium, quo cavetur, ne Sacerdotes Ordinis Hospitalarii S. Hippoliti Mexican. Prælaturas Ordinis obtinere possint, aut Provinciæ Assistentes eligi.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. die 19. Aprilis 1731. Pontif. An. I.

EManavit nuper a Congregatione Vener. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præposita, decretum tenoris, qui sequitur videlicet. Suplicante Generali Ordinis Hospitalarii Sancti Hippoliti Mexici Sacræ Congregationi Episcoporum & Regularium pro facultate habendi in suis Hospitalibus duos Sacerdotes sui Ordinis, non obstantibus &c., & annuente ipsa Sacra Congregatione pro gratia, additis quibusdam conditionibus, & præcipue, quod Sacerdotes prædicti regulares eligi non possint ad Prælaturas Religionis: excepto tamen, quod possint esse Discreti Conventuum, Magistri Novitiorum, ac Provinciæ Assistentes; iterum Orator ipse dedit preces pro deletione prædictæ exceptionis ab enunciato Decreto.

Decr. Congregationis:

Ne Sacerdotes hujus Ordinis Prælaturas in eo possint obtinere, nonnullis exceptis officiis.

Nova Decreti confirmatio;

§. 1. Sacra idcirco eadem Congregatio Eminentissimorum & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præposita, re matura discussa, Referente Eminentissimo Cardinale Belluga Ponente, benigne rescripsit -- Promoti ad Sacros Ordines non possint habere aliquam Prælaturam in Religione, nisi cum Apostolica dispensatione juxta decretum Sacræ Congregationis sub die 30. Septembris, 1729., quod iterum confirmatur: sed tantum esse possint Discreti Conventuum, & Magistri Novitiorum; non vero Provinciæ Assistentes. Romæ die 15. Martii 1731. Card. Franciscus Barberinus Præfectus. A. Archiepiscopus Petren. Secretarius -- Cum autem, sicut pro parte dilecti filii moderni Prioris Generalis ejusdem Ordinis nobis subinde expositum fuit, ipse decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret: Nos ipsum Priorem Generalem specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis &c. excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus: salva tamen semper in præmissis auctoritate prædictæ Congreg. Cardinalium.

Addito quod dd. Sacerdotes, nec Provinciæ Assistentes esse queant:

Quæ omnia per SS. confirmantur.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat & spectabit in futurum, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Harum Literarum observantia.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon, quatenus opus sit dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Obstantium derogatio.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 19. Aprilis 1731. Pontificatus Nostri Anno Primo.

F. Card. Oliverius.

XXXI.

Constitutio, qua Clericis Regularibus Pauperibus Matris Dei, a *Scholis piis* nuncupat. facultas asseritur tradendi prima rudimenta literarum, disciplinasque liberales Latinas & Græcas, atque etiam majores Scientias, adolescentibus, etiam Nobilibus, novaque condendi Juvenum Collegia, Seminaria, & Convictus, ac Regulares Domos, prævio dumtaxat Ordinariorum consensu.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Dat. die 1. Maji Anno 1731. Pontif. I.

Procœmium.

NObis, quibus a Christo Domino totius Ecclesiæ cura commissa est, proba & recta institutio juvenilis in sanctæ Religionis præceptis, honestisque artibus, toneros adolescentium animos imbuens, cordi esse debet; unde ad summi Dei gloriam plurima & maxima bona in Ecclesiam, totamque Rempublicam Christianam, provenire noscuntur. Quare si pios & doctos Viros, in laudando hujusmodi officio laborantes, peculiari charitate complectimur, eos gratiis Apostolicis foveri & ornari satagentes, nos id agere putamus, quod muneri Nostro, Deoque Omnipotenti, cujus honorem præ oculis habemus, maxime convenit.

Causæ editæ hujusce Constitutionis.

§. 1. Quum ergo Nobis innotuerit, varias, interque se discrepantes opiniones, ac voces de proprio officio, præcipuoque Instituto Congregationis dilectorum filiorum Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei, qui a *Scholis piis* denominantur, in modo & ratione instituendi adolescentes, illorum curæ commissos, eosdemque in Scholas recipiendi, percrebuisse: deque statutis a fe. re. Gregorio PP. XV. Prædecessore Nostro eidem Congregationi Apostolica auctoritate confirmatis, ac de complurium aliorum Romanorum Pontificum tam sub Plumbo quam sub Annulo Piscatoris in forma Brevis pro dicta Congregatione editis Apostolicis literis, præcipue vero piæ memoriæ Pauli V. jam dicti Gregorii XV. Urbani VIII. Alexandri VII., ac utriusque Clementis IX. & X. non una sententia audiretur; Nos quascumque controversias & dissentiones, ex hac discrepantia opinionum, dictorumque statutorum, ac literarum vario sensu ortas, & fortasse orituras, pro Nostri Apostolatus munere de medio tollere volentes: & benevolentiam, qua eosdem Clericos Regulares ob assiduos labores & studia, quæ in proximi bonum & utilitatem impendunt, semper prosecuti fuimus, amplius demonstrare cupientes, nuper Motu proprio, ex certa Scientia, & deliberatione Nostra, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Venerabilibus fratribus Nostris, Prospero Marefuschio, eorumdem Clericorum Regularium Pro-

A SS. D. N. deputata Congregatio.

tectore

rectore, Leandro de Porzia, & Petro Aloysio Carafa Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, ad rem hanc maturo consilio examinandam jussu Nostro delectis, particularem Congregationem instituimus, cui Venerabilem fratrem Archiepiscopum Nazianzenum, Auditorem Nostrum, Secretarium assignavimus.

§. 2. Huic autem Congregationi, præviis facultatibus necessariis instructæ, commisimus & mandavimus, ut de omnibus & singulis tam in forma Brevis quam sub Plumbo, eosdem Clericos Regulares respicientibus, Apostolicis literis & statutis mature perpensis, edocti in subsequentia Capita sedulo inquirerent.

Per quam inquireretur.

Primo: An prædictis Clericis Regularibus in suis publicis Scholis præter scribendi, legendi, & computandi regulas, atque etiam Grammaticen., Scientias Majores tradere liceat.

An hisce Clericis Grammat., ac Majores Scientias tradere liceat.

Secundo: An Ipsi ad easdem suas Scholas pueros etiam Divites, Nobilesque admittere possint.

An Divites, Nobilesque pueros admittere; Seminaria, & Collegia in curam habere; Et Regulares Domos absq; aliorum Regularium consensu condere possint.

Tertio: An in suam curam, & regimen Juvenum Collegia, Seminaria, & Convictus habere itidem possint.

Quarto quæsitum est: An Privilegium Apostolicum eis concedendum, ut Regulares Domos sine aliorum Regularium consensu condere possint, ubi tamen eis pro numero, a Constitutionibus Apostolicis præfixo, Religiosis alendis sufficientes reditus citra mendicandi & quæstuandi necessitatem aliàs suppetant.

Ad singula Capita responsum affirmative.

§. 3. Itaque hujusmodi Congregatio Particularis die XIII. Aprilis proxime præteriti habita, dictorum Clericorum Regularium statutis, cæterisque Romanorum Pontificum in forma Brevis, & sub Plumbo, varias ob causas olim confectis Apostolicis literis, quemadmodum præceperamus, diligenter inspectis & ponderatis, nemine discrepante in hanc sententiam uno ore devenit, quam prædictus Auditor Noster Archiepiscopus Nazianzenus die insequenti Nobis exposuit.

Ad *primum*, Clericos Regulares pauperes Matris Dei, qui a *Scholis piis* denominantur, teneri prima rudimenta Catholicæ Fidei, Grammaticæ, & Computorum regulas tradere Adolescentulis ad formam Constitutionum Ordinis sui: Licere etiam eisdem Scientias Majores in suis publicis Scholis tradere, dummodo tamen apud eos Constitutiones Ordinis quoad Scholas minores serventur.

Ad *secundum*, Eosdem Clericos Regulares teneri admittere pueros Pauperes, & licere eis admittere pueros Divites, & Nobiles.

Ad *tertium*, posse ad formam Capitulorum generalium.

Ad *quartum* pro gratia Privilegii eis concedendi responsum est, ad formam scilicet indulti felicis recordationis Prædecessoris Nostri Clementis PP. IX. Fratribus Excalceatis Ordinis Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo concessi die 6. Octobris anni 1668.

§. 4. Quare nos prædictos Clericos Regulares specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, illosque, & eorum quemlibet, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisve ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, tam a jure quam ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existerent, & ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supradictorum statutorum, & Pauli V. Gregorii XV. Urbani VIII. Alexandri VII., & utriusque Clementis IX. & X. antecessorum Nostrorum Pontificum Romanorum tam sub Plumbo quam in forma Brevis editas Literas, eosdem Clericos Regulares quomodolibet respicientes, & quæcumque in Capitulis Generalibus decreta ab eis condita, illorumque omnium & singulorum tenores, etiam veriores, ac datas, præsentibus pro plene & sufficienter expressis habentes, quascumque contentiones, discordias, & lites, si quæ forsan quomodolibet ubivis locorum super hujusmodi statutorum & literarum Apostolicarum interpretatione, & vero sensu, contra eosdem Clericos Regulares exortæ essent, & coram quibuscumque Judicibus introductæ, & indecisæ pendentes haberentur, aut imposterum oriri unquam possent, ad Nos & Sedem Apostolicam avocantes, ac penitus supprimentes & extinguentes: ac super eis perpetuum silentium imponentes, Motu proprio, ex certa scientia, & deliberatione Nostra, deque Apostolicæ Potestatis plenitudine, de consilio memoratæ Congregationis Particularis, Decreta superius expressa & enunciata, ut deinceps semper, ac perpetuo vigeant, & ubique locorum ab iisdem Clericis Regularibus, illorumque Præposito, & Procuratore Generalibus, cæterisque Superioribus, & personis quibuscumque observentur, Apostolica auctoritate confirmamus & approbamus; illisque Nostræ firmitatis robur adjicimus, & quatenus opus sit, quæ in supradictis decretis continentur, tam scilicet quoad Majorum Scientiarum traditionem, quam quoad admissionem Nobilium, ac Divitum Puerorum ad eorum Scholas, quam denique quoad curam & regimen Collegiorum, Seminariorum, & Convictuum, de novo concedimus, & omni meliori modo, Suprema ac Apostolica Potestate Nostra impertimur, omnes & singulos tam juris quam facti, & circumstantiarum defectus, si qui in eis quomodolibet intervenissent, plene supplentes.

Quascumque lites super his exortas ad se avocans, ac dirimens.

Ac Constitut. & Decr. eosdem Clericos Regulares super hoc respicientibus robur adjiciens SS. D. N.

In supradictis Capitib. contenta pet eos præstari posse concedit.

§. 5. Ne vero in posterum quisquam ubivis locorum & gentium contra præmissa novas controversias & dissentiones excitare, eisdemque Clericis Regularibus de his molestiam aliquam inferre audeat, quæ a dicta Congregatione particulari explicata sunt, & a Nobis approbata, ac de novo concessa, decretisque prædictis continentur, statutorum & literarum Apostolicarum tam sub Plumbo quam in forma Brevis hujusmodi, esse verum, germanum, sincerum & indubium sensum; idque omne a quibuscumque etiam speciali nota dignis, & vigore Constitutionum Apostolicarum, nostrarumque, & Cancellariæ Apostolicæ Regularum, specialiter & individue exprimendis, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, locorum Ordinariis, & quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium & Militarium; necnon etiam Congregationem quorumcumque aliorum Clericorum Regularium, etiam Societatis Jesu, & cujusvis alterius Regularis Instituti personis Regularibus, omnino servandum esse, neque eisdem Statutis & Literis Apostolicis, superius expressis, ullam aliam interpretationem tribui posse; neque eisdem Clericis Regularibus Matris Dei, qui a *Scholis piis* denominantur, ex suis statutis, literisque Apostolicis, iisdem concessis, præsertim Pauli V. incipientibus: *Ad ea*: Scientias Majores profiteri unquam interdictum, & vetitum fuisse; immo etiam in suis publicis Scholis easdem Scientias Majores adolescentibus cujuscumque Ordinis & Conditionis tradere & perlegere licuisse & licere, Apostolica auctoritate nostra decernimus & declaramus.

Et hunc genuinum quarumcumq; Literarum Apostolicar. sensum fuisse & esse declarata, cæteris quibuscumq; sic intelligendum.

§. 6. Demum iisdem Clericis Regularibus pauperibus Matris Dei, qui a *Scholis piis* denominantur, illorumque Præposito Generali, & Superioribus quocumque nomine nuncupatis, concedimus, ut ubique locorum, in suo tamen singulari districtu, Domos & Conventus regulares juxta Concilii Tridentini decreta, pro pueris cujuscumque Ordinis & Conditionis, in quibusvis liberalibus disciplinis Latinis & Græcis, & Scientiis, etiam Majoribus, a se instituendis, Collegia,

Iisdem Collegia, ac Domos tum Regulares tum ad Juvenes alendos, Majoribusque imbuendos literis erigere prævio Ordinarii tantummodo consensu fundare &c. concedit.

Collegia, Seminaria, & Convictus ex sola licentia Ordinariorum, nulloque aliarum personarum cujúsvis Ordinis, etiam Mendicantium, & cujuscumque Congregationis Clericorum Regularium, etiam Societatis Jesu, requisito consensu, condere, fundare, & erigere, libere & licite possint & valeant, etiam non servata distantia, quæ ab antecessoribus nostris Romanis Pontificibus ad centum & quadraginta cannas, sive aliud plus minus accuratum spatium ab uno ad aliud Religiosorum hominum Cœnobium seu Conventum, servanda præscribitur; dummodo tamen reditus ad alendum Religiosorum numerum, eis in Constitutionibus Apostolicis præscriptum citra necessitatem mendicandi & quæstuandi, ut præfertur sufficientes eis suppetant, dicta auctoritate nostra præsentium tenore licentiam & facultatem perpetuo impertimur.

Præsentium literarum firmitas, perpetuaque ac inviolabilis observantia.

§. 7. Volumus autem has literas nostras, & in eis contenta quæcumque, semper & perpetuo validas & efficaces esse & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; atque ab omnibus & singulis, ad quos quomodolibet nunc pertinet, & imposterum pertinebit, firmiter & inviolabiliter observari debere; nullove unquam tempore ex quocumque capite vel causa, quantumvis legitima & juridica, etiam ex eo, quod cujuscumque Ordinis Mendicantium, alteriusve Regularis Instituti, etiam individuam & expressam mentionem requirentis, Superiores, vel alii quicumque, in præmissis, & circa ea quomodolibet, & quavis ex causa, vigore privilegiorum eis & eorum cuilibet ab Apostolica Sede concessorum, jus vel interesse habentes, aut se habere prætendentes, illis non consenserint, neque ad id vocati, citati, nec auditi unquam fuerint: & causæ, propter quas hæ nostræ Literæ prodierint, adductæ, forsan comprobatæ & verificatæ non essent, de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis, vel invaliditatis vitio, sive intentionis nostræ, aut quolibet alio, quantumvis substantiali inexcogitato, ac specificam & individuam mentionem & expressionem requirente, defectu, notari, impugnari, invalidari, in jus vel controversiam vocari, vel ad viam & terminos juris, vel adversus illas restitutionis in integrum, aliudve juris, facti, vel gratiæ quodcumque remedium impetrari, sive etiam motu simili concesso & impetrato, uti vel juvari possint. Neque easdem præsentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisve contrariis dispositionibus, per Nos etiam, ac successores nostros Romanos Pontifices: etiam motu pari, sive etiam Consistorialiter, ac sub quibusvis tenoribus & formis, clausulis & decretis, etiamsi de iisdem præsentibus literis, earumque omni tenore ac data, specialis mentio fieret, pro tempore factis & concessis, ac faciendis & concedendis, comprehendi, decernimus; sed semper eas excipi, & quotiescumque prodierint, in pristinum ac validissimum, inque eum, in quo antea quomodolibet erant, statum restitutæ, repositæ, & plenarie reintegratæ censeantur, ac de novo sub quacumque etiam posteriori data per dictos Clericos Regulares Matris Dei, qui a *Scholis Piis* denominantur, quandocumque eligenda, eas concessas esse & fore censeri volumus; sicque, & non alias, in præmissis omnibus & singulis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & de Latere Legatos, Vicelegatos, Sedisque Apostolicæ Nuncios, & quoslibet alios, quavis auctoritate, potestate, prærogativa, honore, & privilegio fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, definiendi, & interpretandi facultate & auctoritate, judicari, definiri, & interpretari debere, præcipimus; & quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus.

Obstantium derogatio.

§. 8. Non obstantibus nostris, & Cancellariæ nostræ Regulis de jure quæsito non tollendo, deque gratiis non concedendis *ad instar*; necnon piæ memoriæ Clementis IV. Xisti IV. Julii II. & Clementis VIII. incipientibus: *Quoniam ad Institutum*; ac dicti Gregorii, incipientibus: *Quum alias*, atque Urbani prædicti, incipientibus: *Romanus Pontifex*, aliorumque antecessorum nostrorum Romanorum Pontificum Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, & quavis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus & privilegiis, quibus cavetur expresse, ne aliæ Domus Regulares seu Monasteria, Regularibus Fratrum Mendicantium Domibus, Cœnobiis, Conventibus, & Monasteriis adjacentia, nisi ad centum & quadraginta cannas, suæ aliud plus minus accuratum spatium, fundari & erigi possint; nec pro hujusmodi fundationibus, & erectionibus, locorum Ordinarii in Civitatibus & locis, suæ Ordinariæ Jurisdictionis subjectis, nisi vocatis & auditis aliorum, in iisdem Civitatibus & locis existentium Conventuum Prioribus, & Procuratoribus, & aliis interesse habentibus, & causa cognita, servatis servandis, prius constiterit in iisdem Civitatibus & locis novos Conventus erigendos, sine ullo aliorum detrimento, commode sustentari posse, licentiam impertiantur; licet etiam in contrarium præmissorum existerent indulta & literæ Apostolicæ eorumdem Mendicantium, & cujusvis Congregationis Clericorum Regularium, alteriusve Regularis Instituti, etiam specialiter & individue exprimendi, quæ pluries concessæ, approbatæ, & innovatæ essent; necnon ejusdem Congregationis Clericorum Regularium Matris Dei, etiam confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis prædictis & consuetudinibus.

§. 9. Quibus omnibus & singulis, quamvis pro eorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio, aut quævis expressio facienda, sive aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, illorum tenores his nostris pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, specialiter & expresse, motu, scientia, & deliberatione, & potestatis plenitudine, ad præmissorum effectum dumtaxat, plenissime derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 10. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis sive exemplis, etiam typis impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ, vel dictorum Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei, quæ a *Scholis Piis* denominantur, Præpositi Generalis munitis, eadem prorsus fides in Judicio & extra adhibeatur, quæ iisdem præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ, adhiberetur.

Solitæ conclusiones.

§. 11. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, approbationis, confirmationis, roboris, adjectionis, defectuum suppletionis, decreti, declarationis, concessionis, impartitionis, derogationis, & voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostoloruum ejus se noverit incursurum.

Datum

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo primo Kal. Maji Pontificatus Noſtri Anno Primo.

A. Datarius.

F. Card. Oliverius.

Viſa de Curia I. Archiep. Ancyranus.
Lucas Martinettus.

Reg. in Secret. Brevium.

XXXII. Benedicti XIII. literæ infirmantur, quibus Conventus Congregationis S. Sabinæ Provinciæ Lombardiæ Ordinis Prædicatorum Priori Provinciali ſubjiciebantur, data quoque Fratribus facultate ad alios Provinciæ ejuſdem Conventus ſtudiorum cauſa tranſeundi.

Innocentius XII. Conſtitut. dat. die 14. Junii 1695. Congregationem hanc erigens, eam Magiſtro Generali immediate ſubjectam voluit melioris diſciplinæ ſervandæ cauſa, ac omnimodam Fratribus ademit facultatem ad alios tranſeundi Conventus, prout infra.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dat. die 2. Maji Anno Dom. 1731. Pontif. I.

Exordium.

ROmanus Pontifex, ad Sacrarum Religionum & Congregationem ſalubrem directionem ac felicem progreſſum ex injuncto ſibi Apoſtolicæ ſervitutis munere jugiter intendens, ea, quæ certis rationabilibus ex cauſis deſuper a Prædeceſſoribus ſuis ſtatuta comperit, ipſa ſubinde experientia ſuadente, ac majoribus de cauſis interdum immutat & revocat: aliaſque in eis officii ſui partes interponit, prout, rerum ac temporum qualitatibus debite penſatis, in Domino expedire arbitramur.

Innocent. XII. erectas a ſe S. Sabinæ in Lombardia ac S. Marci Rom. Provincias ab omni Priorum Provincialium juriſdictione exemit:

§. 1. Dudum ſiquidem fel. rec. Innocentius PP. XII. Prædeceſſor Noſter regularem diſciplinam in Provinciis Lombardiæ & Romana Ordinis Fratrum Prædicatorum promovere: utque ad perfectam maturitatis frugem, adſpirante ſuperni favoris auxilio, provecta, Eccleſiam Domini uberioribus in dies bonorum operum fructibus lætificaret, Apoſtolica benignitate excolere cupiens, de tunc exiſtentium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, & Romanæ Curiæ Prælatorum ſuper diſciplina Regulari ejuſmodi deputatorum conſilio, per ſuas in ſimili forma Brevis die 14. menſis Junii 1695. expeditas literas, diverſos in eiſdem literis expreſſos Conventus utriuſque Provinciæ prædictæ, illorumque Fratres & perſonas cum omnibus & ſingulis eorum juribus, membris, & pertinentiis univerſis ab omni & quacumque juriſdictione, ſuperioritate, correctione, viſitatione, regimine, cura, & gubernio pro tempore exiſtentium Priorum Provincialium Provinciarum Lombardiæ & Romanæ hujuſmodi tam in ſpiritualibus quam in temporalibus perpetuo exemit, & plenarie liberavit: Ipſoſque Conventus in duas novas prædicti Ordinis Congregationes, unam ſcilicet Sanctæ Sabinæ Lombardiæ, & alteram Sancti Marci Romanæ reſpective Provinciarum nuncupandas, quæ pro tempore quoque exiſtenti Magiſtro Generali dicti Ordinis immediate ſubjacere deberent, itidem perpetuo erexit & inſtituit; in quibus quidem Conventibus, ad iſtas Congregationes ſic erectas & inſtitutas tunc ſpectantibus, & qui deinceps ſpectarent, Fratres omnes ad Regulæ, quam profeſſi fuiſſent, præſcriptum vitam inſtituere & componere, atque illa, quæ communem vitam, victum, & veſtitum concernerent, juxta Concil. Trid. & rec. mem. Clementis PP. VIII. Prædeceſſoris itidem noſtri decretorum tenorem fideliter & inviolabiliter obſervare omnino tenerentur: utrique vero Congregationi præfatæ de idoneo Vicario Generali ex Fratribus alicujus e Conventibus illius Congregationis, cui is præficiendus foret, qui illam adjuvante Domino proſpere dirigere valeret, quique in Conventibus ejuſmodi ſaltem per ſeptennium exactæ regularis obſervantiæ ſpecimen dediſſet, &, quantum fieri poſſet, alicui ex illis præfuiſſet, ab ipſo Magiſtro Generali de biennio in biennium provideretur, iſque eamdem prorſus juriſdictionem & auctoritatem haberet in Conventus, & Fratres ſuæ Congregationis, quam ſecundum Apoſtolicas, ac dicti Ordinis Conſtitutiones habent Priores Provinciales in ſuis reſpective Provinciis: vetuitque, ne Fratribus Congregationum prædictarum facultas tranſeundi ad alios extra illos Conventus facile concederetur, & aliàs, prout uberius continetur in ejuſdem Innocentii Prædeceſſoris literis, quæ plenariæ executioni ſucceſſive demandatæ, & exacte obſervatæ fuerunt per ſpatium triginta & octo annorum, inde effluxorum, in utraque Congregatione præfata, quemadmodum in illa Sancti Marci etiam num accurate ſervantur: ex eo autem tempore ſatis omnibus notum perſpectumque eſt, quantum antiqua regularis diſciplina, quoad ea potiſſime, quæ communem Religioſorum vitam ab omni vel ſpecie proprietatis plane alienam attinent, in utraque Congregatione hujuſmodi cum non minori univerſi Ordinis prædicti decore, quam fidelium ædificatione, ſuſceperit incrementi ac firmamenti. Poſtmodum vero piæ mem. Benedictus PP. XIII. etiam Prædeceſſor Noſter, qui dictam Provinciam Lombardiæ, utpote in eorumdem Fratrum Prædicatorum Ordini, dum in minoribus conſtitutus eſſet, nomen dederat, ac Religionis moribus & inſtitutis imbutus & enutritus fuerat, grata memoria, animoque proſequebatur, regularem obſervantiam in præfata Congregatione Sanctæ Sabinæ florere quidem agnoſcens, ſed per novam illam regiminis formam ab ipſo Innocentio Prædeceſſore inductam, potius intra ejuſdem Congregationis fines concluſam, quam ad totius Provinciæ Lombardiæ prætenſæ utilitatem amplificatam fuiſſe reputans, ipſam Regularem obſervantiam ad univerſam Provinciam hujuſmodi dilatandi deſiderio, Conventus dictæ Congregationis Sanctæ Sabinæ, eorumque Fratres denuo ſuppoſuit juriſdictioni, curæ, & poteſtati Prioris Provincialis Provinciæ Lombardiæ, ac ſi præfatæ Innocentii Prædeceſſoris literæ editæ non fuiſſent, & ſicuti dicta Provincia Lombardiæ in plures Regiones, quas Quartarla appellant, partita reperitur, ac ſingulis Religionibus Vicarius præficitur, qui abſente Priore Provinciali ſubjectis ſibi Conventibus advigilet, proſpiciatque; ita novam in eadem Provincia Regionem erigi mandavit, Sanctæ Sabinæ nomen retenturam, in qua Conventus ipſius Congregationis Sanctæ Sabinæ comprehenderentur, eique a dicto Priore Provinciali Vicarius præponeretur, variaſque præſcripſit Regulas, quas propagationi ejuſdem obſervantiæ in tota Provincia hujuſmodi accommodatas fore cenſuit: & inter alias, quod ubi in dicta nova Regione Sanctæ Sabinæ abundaret numerus Religioſorum ſtudentium, ii in alios Provinciæ prædictæ Conventus literarum ſtudiis deſtinatos per eumdem Priorem Provincialem mitti valerent, dummodo in hiſce Conventibus vigeret obſervantia, per Congregationem diſciplinæ Regulari præpoſitam approbata: quodque Fratres ipſius novæ Regionis in Priores, Lectores, Concionatores & Magiſtros Novitiorum in aliis

Deſignandoque a Magiſtro Gen. Vicario ex Fratribus earumdem Congr. ſubjecit.

Statuta ab Innocentio PP. pro diſciplina, ac regimine harum Congr. ſemper ſervata:

Ex illorum autem obſervantia magnum univerſo Ordini decus, & incrementum.

Bened. XIII. bene ſibi viſis ex cauſis Conventus Congregat. Lombardiæ Priori Provinciali ſubeſſe voluit.

ejusdem Provinciæ Conventibus extra illam Regionem eligi, & ad alia ibidem munia assumi possent, ratus hoc modo priscæ Regularis observantiæ spiritum ac cultum facilius per totam Provinciam diffusum & auctum iri; & alias, prout in ipsius Benedicti Prædecessoris literis in pari quoque forma Brevis die 5. Junii 1726. desuper emanatis, quorum perinde & priorum Innocentii Prædecessoris literarum hujusmodi tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, plenius etiam continetur.

Quale detrimentum strictiori Congr. hujusce disciplinæ afferre possit Priorum Provincialium indulgentia.

§. 2. Cum autem, sicut accepimus, pius ac laudabilis finis, quem unum & eumdem uterque laudatus Prædecessor sibi propositum fixumque habuerunt, exactissimam nimirum disciplinam Regularem in dicta Provincia Lombardiæ confovendi & propagandi, melius cumulatiusque obtineri valeat ex iis, quæ per memoratum Innocentium Prædecessorem dispositа fuerunt nedum quia illa ejusdem disciplinæ augmentum in utraque Congregatione præfata egregie juvisse, longa experientia edocuit; verum etiam, quia cum Superior commissi sibi Gregis forma esse debeat, unde subditi normam vivendi sumant, id sane sperari potest, si dicta Congregatio Sanctæ Sabinæ a Vicario suo Generali, qui arctius illius Institutum professus fuerit, prout antehac fiebat, gubernetur; secus vero si regatur per prædictum Priorem Provincialem, qui mitius Institutum sequitur, adeoque Religiosis ipsius Regionis Sanctæ Sabinæ assiduo severioris vitæ exemplo non valebit prælucere; præterquam quod magis ad progressum disciplinæ conferre dignoscitur difficultas in permittendo Fratribus dictæ Congregationis Sanctæ Sabinæ egressum ex ipsa Congregatione ad formam literarum Innocentii, quam facultas in illis Benedicti Prædecessorum præfatorum eisdem Fratribus attributa, libere transeundi ad alios dictæ Provinciæ Conventus pro exercendis ibidem Priorum, Lectorum, & aliis officiis, ubi illi, Reformatorum munere non fungentes, a Religiosis exigere, nec tenere poterunt, ut strictiorem, quam profitentur, observantiam quoad vitam communem, abstinentiam ab esu carnium, jejunia, silentium, & id genus alia amplectantur, quinimo inde eveniret, quod Fratres dictæ Congregationis Sanctæ Sabinæ, proprias sui Instituti obligationes in alienis Conventibus adimplere non valentes, ab illo sensim sine aliorum utilitate ac profectu descisserent, sicque cum totius Provinciæ detrimento antiquus disciplinæ cultorum numerus potius imminueretur, quam augeretur: Quibus etiam accedit, quod enarrata Innocentii Prædecessoris dispositio, illiusque executio magis conformis consentaneaque videatur menti præfatæ Congregationis, præpositæ eidem disciplinæ Regulari, utpote quæ ad illam instaurandam, nullam aptiorem opportunioremque rationem ac methodum invenire potuit, quam destinando aliquot Conventus in singulis Provinciis Religiosorum Ordinum, in quibus Regulæ puritas, ac vita communis exacte retinerentur & servarentur; ac unde Religiosi ad alios Conventus, ubi talis disciplina non vigeret, transire non possent; sicuti ex decretis per ejusmodi Congregationem, alias super hac re editis, apparet. Hinc est, quod Nos præfatæ Congregationis Sanctæ Sabinæ, illiusque Conventuum ac Fratrum felici prosperoque statui & regimini, religiosæque paci & tranquillitati, quantum cum Domino possumus, salubriter providere cupientes, dictosque Fratres specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutas fore censentes, præmissis aliisque justis ac rationabilibus causis animum nostrum moventibus, adducti, ac motu proprio & ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, supradictas Benedicti literas cum omnibus & singulis in eis contentis, harum serie revocamus, viribusque & effectu penitus & omnino vacuamus, illas vero Innocentii Prædecessorum, ac in eis pariter contenta quæcumque, prout eamdem Congregationem Sanctæ Sabinæ concernunt, confirmamus, approbamus, ac innovamus, atque eis inviolabilis & irrefragabilis Apostolicæ firmitatis vim, robur, & efficaciam adjungimus; necnon illa ad omnes & singulos Conventus, quos dicta Regio Sanctæ Sabinæ de præsenti complectitur & obtinet, & si quos alios ab ipsa Congregatione S. Sabinæ in futurum obtineri contigerit, extendimus & ampliamus.

Innocentianæ confirmantur, pristinoque robori restituuntur.

Statuta in hisce Sanctissimi D. N. Literis perpetuo observari præcipitur.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis & dignitatis existant; aliive quilibet, etiam specifica & individua mentione & expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ, propter quas ipsæ præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ & justificatæ fuerint, aut ex alia quantumvis legitima, juridica & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno & substantiali, individuamque expressionem requirente, defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, ad viam seu terminos juris vel Constitutionum dicti Ordinis reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia & potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in Judicio vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter & inconcusse observari & adimpleri; sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac dictæ S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & alios quoslibet, quacumque præeminentia & potestate fungentes & functuros, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Ac præsertim si Fratribus liberum sit ad alios Provinciæ Conventus transire.

Benedicti PP. Literæ revocantur.

Quibuscumque non obstantibus.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus & singulis, quæ in eisdem Innocentii Prædecessoris literis concessa sunt, non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides Transumptorum.

§. 5. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, &

sigillo

sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 2. Maji 1731. Pontificatus nostri anno Primo.

F. Card. Oliverius.

XXXIII. Conceduntur Privilegia Cappellanis Communibus Sanctitatis Suæ.

Huic similes sunt Constitut. a Prædecessoribus Pontificibus editæ, ad suæ Cappellæ Cappellanos ornandos privilegiis.

Dat. die 18. Maji 1731. Pont. An. 1.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

GRata familiaritatis obsequia, quæ dilecti filii Franciscus Velli Prænestin. Basilicæ S. Petri de Urbe Clericus beneficiatus, Philippus Vinciguerra Romanus Sæcularis, & Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Angeli in Foro Piscium etiam de Urbe Canonicus, Joannes Decius Soran., Dominicus Antonius Carlucci Perusin., Franciscus Feliciani pariter Romanus, Franciscus Xaverius Brunetti Senogallien. Civitatis, vel Diœcesis, Presbyteri, moderni Cappellæ Nostræ Pontificiæ Cappellani, familiares Nostri, Nobis & Apostolicæ Sedi hactenus impenderunt, & adhuc solicitis studiis impendere non desistunt, necnon vitæ ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis & virtutum merita, quibus eorum personas tam familiari experientia, quam etiam fide dignorum testimoniis, juvari percipimus, Nos inducunt, ut illis reddamur ad gratiam liberales. Hinc est, quod Nos volentes illas specialibus favoribus & gratiis &c.

Quæ sequuntur lege in laudatis Constitutionibus.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 18. Maji 1731. Pontificatus Nostri Anno Primo.

F. Card. Oliverius.

XXXIV. Confirmatur Decretum Magni Magistri, & Consilii Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, quo nonnulla statuuntur ad abusus tollendos in exmutitione Commendarum ejusdem Ordinis, earumque concessione.

Dat. die 18. Maji 1731. Pont. An. 1.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium. MIlitantis Ecclesiæ regimini divina dispositione præsidentes, illa, quæ pro felici, & proficua Dignitatum, & Munerum ecclesiasticorum quorumcumque, & præsertim Ordinum Militarium, egregiam Reipublicæ Christianæ operam navantium, provisione, ac præcavendis litibus & controversiis, quæ suboriri possent, provide prudenterque declarata & decreta fuisse noscuntur, ut firma atque illibata permaneant, Apostolici muniminis Nostri præsidio, cum id a Nobis petitur, libenter constabilimus.

Causæ editi Decreti a Consilio Hospitalis &c. §. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Magnus Magister, & Consilium Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, quod ipsi ad tollendos abusus, qui introducti fuerant in provisionibus Dignitatum & Præceptoriarum seu Commendarum dicti Hospitalis, de quibus aliqui statim post smutitionem, quæ aliud non est, quam pura nominatio, sibi jus esse disponendi, seu novam smutitionem petendi in casu obitus seu cessionis, aut resignationis nominatorum, existimabant, etiamsi jus stabile in illis minime acquisivissent, adeoque ob defectum eorumdem nominatorum ante collationem, seu adjudicationem Dignitatum & Præceptoriarum seu Commendarum hujusmodi, sic smutitarum, uti vacantes considerari nequirent, novissime declarationem & decretum, nemine discrepante, ediderunt, tenoris sequentis videlicet -- Fr. Dominus Antonius Manuel de Vilhena &c. Magister &c. Notum facimus & attestamur, qualiter infrascriptum Decretum extractum fuit ex libro Conciliorum in Cancellaria Nostra conservat., cujus tenor &c. -- Die 15. mensis Martii 1730. *ab Incarnatione* -- Eminentissimus & Reverendissimus D. Magnus Magister, & Ven. Consilium justis de causis moti, ac menti statutorum, & ordinationum Capitularium inhærentes, cum suffragiorum scrutinio, nemine discrepante, declaraverunt & decreverunt, ut quotiescumque in Venerandis Linguis, vel Prioratibus ad exmutitionem alicujus Dignitatis vel Commendæ, favore Fratris Antiani capacis ob concurrentium pluralitatem deventum fuit, ad novam Dignitatis seu Commendæ hujusmodi exmutitionem nullo quæsito colore, ingenio, vel causa procedi nequeat: Nec aliqui ad illius resignationem ab Eminentia Sua admitti valeat; quin potius alteri ex concurrentibus per Venerandum Concilium adjudicata extiterit; & subinde per illius cessum vel decessum, sive privationem vacaverit; tunc enim, adepto scilicet certo titulo, novam veramque vacationem induci, ac novæ exmutitioni locum esse dixerunt, sicque, & non aliter servari mandaverunt. -- Et quia ita se habet veritas &c. Datum Melitæ in Conventu nostro die 15. mensis Martii 1730. Reg. in Cancellaria &c. Bajulivus Frater Emanuel Pinto Vice-Cancellarius -- Loco ✠ sigilli magistralis --.

Decretum Consilii.

Magni Magistri ac Consilii expostulatio pro Decr. hujus Apostolica assequenda confirmatione. §. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti Exponentes, declarationem & decretum prædicta, quamvis æquissima, ac insimul etiam valida, & inviolabilia, utpote stabilimentis & ordinationibus Capitularibus conformia sint, nihilominus illa ad majorem cautelam, vim & securitatem ad ejusmodi abusus eradicandos Apostolicæ confirmationis Nostræ robore communiri summopere desiderent; Nos Magnum Magistrum, & Consilium prædictos specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, declarationem & decretum Magni Magistri, & Consilii prædictorum, facta ut præfertur, cum omnibus & singulis in eis expressis, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos juris & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Quæ eis conceditur.

Sicque semper ubique servari præcipitur. §. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Ma-

ac Magnum Magistrum, & Consilium, aliaque Tribunalia quæcumque Hospitalis prædicti, judicari & diffiniri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis; necnon dictorum Hospitalis Linguarum, & Prioratuum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, ac ordinationibus Capitularibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 18. Maji 1731. Pontificatus Nostri Anno Primo.

F. Card. Oliverius.

XXXV. Confirmatur Decretum Sac. Congregationis Episcoporum & Regularium, Procuratori Provinciæ Sancti Saturnini Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia, concedens Institutionem Collegii Missionariorum ejusdem Ordinis in Conventu Sanctæ Luciæ Oppidi Sancti Gavini Ussellen. Diœcesis.

Dat. die 21. Maji 1731. Pontif. An. I.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Per Provincialem hujusce Provinciæ expostulata Collegii institutionis confirmatio.

NUper pro parte dilecti filii Bonaventuræ a Mirabili, Ministri Provincialis Provinciæ Sancti Saturnini in Sardinia Ordinis Fratrum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, Nobis exposito, quod ipse ex unanimi totius Diffinitorii ejusdem Provinciæ consensu, Conventum Sanctæ Luciæ Oppidi Sancti Gavini Ussellen. Diœcesis signandum decreverat, ut juxta indulta Apostolica, & normam a fe. re. Innocentio Papa XI. prædecessore Nostro præscriptam, Collegium Missionariorum Fratrum dictæ Provinciæ inibi institueretur, magnum inde sperans animarum fructum & emolumentum; ideoque tam suo, quam commissæ sibi Provinciæ nomine Nobis supplicato, ut Collegium hujusmodi institutionem permittere, ac desuper beneplacitum Nostrum concedere de benignitate Apostolica dignaremur; Nos supplicem libellum, Nobis super præmissis porrectum, infrascriptæ Congregationi Cardinalium remisimus; Ipsa vero Congregatio Decretum edidit tenoris, qui sequitur, videlicet: Sacra Congregatio Eminentissimorum & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præposita, ad quam Sanctissimus Dominus Noster supplices preces benigne remisit, attenta relatione Procuratoris Generalis, ac re undique mature discussa, referente Eminentissimo Cardinali Belluga Ponente, benigne decrevit pro gratia, servatis tamen dispositis in Brevibus Ven. Innocentii XI. super fundatione Collegiorum Missionum, & sa. me. Benedicti XIII. incipien. *Nuper pro parte &c.* die 6. Septembris 1728., & Decreto ipsius Sacræ Congregationis diei 24. Januarii 1727. Romæ die 6. Aprilis 1731. I. A. Card. Davia. A. Archiepiscopus Petren. Secretarius. Loco ✠ sigilli.

Supplex Libellus S. Congregat. Episc. & Regul. remissus.

Congregationis Decretum.

§. 1. Cum autem, sicut dictus Bonaventura Minister Provincialis Nobis denuo exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri plurimum desideret, Nos ipsum Bonaventuram Ministrum Provincialem specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium. Confirmatur.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & diffiniri debere; ac irritum & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis; necnon, quatenus opus sit, Provinciæ & Ordinis prædictorum, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 21. Maji 1731. Pontificatus Nostri Anno Primo.

F. Card. Oliverius.

XXXVI. Confirmatur Decretum Capituli Generalis Congregationis Italiæ & Germaniæ Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, Excalceatorum nuncupatorum super separatione & dismembratione decem Conventuum a Provincia Romana, illorumque erectione in novam Provinciam Ferrariæ & Piceni nuncupandam, cum omnibus privilegiis &c. ac creatione novi officii Secretarii Diffinitorii, & Capituli Generalis.

Dat. die 21. Maji 1731. Pontif. I.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus moderanus Procurator Generalis Congregationis Italiæ & Germaniæ Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini, Discalceatorum nuncupatorum, quod in proximo præterito Capitulo Generali in hac alma Urbe Nostra sub præsidentia dilecti filii Nostri Josephi Renati S. R. E. Presbyteri Cardinalis Imperiali nuncupati, dicti Ordinis apud Nos & Sedem Apostolicam Protectoris, celebrato, a Diffinitorio Generali ipsius Congregationis ob justas & graves ratio-

nes

Per Diffinitorium Generale decem Conventus a Provin. Rom. sejuncti:

Novaque Ferrariæ & Piceni Provincia constituta.

Novumque Secret. Definitorii, & Capituli Generalis creatum officiū.

Decret. Diffinitorii Gen.

Conventus novam Provinciam constituentes.

nes ad instantiam Prioris Provincialis Provinciæ Romanæ, ejusque Definitorii Provincialis, ab hac Provincia decem Conventus in Ducatu Ferrarien., Piceno, & in Civitate Adriæ positi, qui cum aliis decem in Urbe prædicta, Tuscia, Umbria, & Latio respective sitis, eamdem Provinciam Romanam constituebant, sejuncti & separati, & in unam novam Provinciam Congregationis hujusmodi Ferrariæ & Piceni nuncupandam, quæ omnibus gratiis, facultatibus, & privilegiis, aliis Provinciis prædictæ Congregationis competentibus, frui & gaudere debeat, erecti fuerunt; & insuper in eodem Definitorio Generali decretum fuit, quod imposterum præter octo Officiales Generales memoratæ Congregationis unus novus Officialis Generalis addatur, qui sit Secretarius Definitorii, & Capituli Generalis, assumendus pro hac prima vice a dicta nova Provincia Ferrariæ & Piceni, & subinde successive ab aliis Provinciis: reservato desuper in omnibus Nostro, & hujus S. Sedis beneplacito; & alias, prout plenius continetur in ipsius Definitorii Generalis decreto, tenoris qui sequitur videlicet -- Ad humillimas preces Patris Provincialis, ejusque Definitorii Provinciæ Romanæ, petentium ex viginti Conventibus hinc inde dispersis, multumque ad invicem distantibus, quibus ad præsens integratur dicta Provincia Romana, pro feliciori ejusdem regimine, Conventuum minori dispendio, Religiosorumque quiete, aliisque urgentibus causis, disjunctis ac dismembratis decem Conventibus, siris in Ducatu Ferrarienſi, Piceno, & Civitate Adriæ, aliam institui novam Provinciam, nuncupandam Ferrariæ & Piceni, separatam a dicta Provincia Romana, remanenda ex aliis decem Conventibus, nempe duobus Romanis, tribus in Tuscia, duobus in Umbria, necnon Circuli S. Gregorii, & Frusinonis: Super quibus PP. Definitorii Generalis, mature perpensis adductis rationibus, & consideratis considerandis, Ad majorem Dei gloriam decreverunt, ut infra, reservato tamen super omnibus & singulis beneplacito Apostolico, videlicet: Quod deinceps Conventus Sancti Josephi Ferrariæ, SS. Augustini & Mauri Comacli, S. Joannis Bondeni, S. Laurentii Aquævivæ, S. Mariæ Misericordiarum Firmi, Sancti Angeli Custodis Asculi, S. Joseph Maceratæ, S. Nicolai Laureti, S. Augustini Oppidi S. Martini, & Sancti Spiritus Adriæ sint separati, sicut de facto separant & dismembrant a decem Conventibus supra indicatis Provinciæ Romanæ; Et præfati decem Conventus nominatim expressi in Ducatu Ferrarienſi, Piceno, & Adriæ erigantur, sicut de facto erigunt, in novam Provinciæ nuncupandam Ferrariæ & Piceni, dismembratam & separatam a prædicta Provincia Romana cum omnibus gratiis, privilegiis, & facultatibus, aliis respective Provinciis competentibus: & præcipue, ut regatur a suo particulari Provinciali contradistincto a Provinciæ Romanæ, eligendo postquam Sanctissimus dignabitur præfatam dismembrationem & institutionem novæ Provinciæ auctoritate Apostolica approbare & confirmare, a Diffinitorio Generali una cum quatuor Definitoribus Provincialibus, septimo Vocali, & Secretario pro hac prima vice duraturis usque ad primum Capitulum Provinciale; Imposterum vero a Capitulo Provinciali, vel Definitorio Provinciali respective. Cui Provinciali pro tempore Ferrariæ & Piceni, competat jus congregandi Capitulum Provinciale in aliquo Conventu suæ Provinciæ, a Definitorio Provinciali deputando: necnon Definitorium Provinciale convocare: ad Capitulum Generale cum duobus discretis Generalibus, in Capitulo Provinciali electis, suffragaturus accedere: aliaque omnia peragendi, quæ aliis Provincialibus competunt. Cæterum PP. Definitorii volunt & declarant, Provinciam Romanam licet segregatam a præfatis decem Conventibus, remanere cum suis privilegiis, juribus, & pertinentiis, sine ullo præjudicio, ac si supradicta separatio facta non fuisset. Et ut pro bono pacis & justitiæ in electione Officiorum Generalium æquitas servetur, reservato pariter beneplacito Apostolico, PP. Definitorii Generalis decernunt, ut in futurum præter octo Officiales Generales Congregationis, videlicet Vicarium Generalem, Procuratorem Generalem, quatuor Diffinitores Generales, & duos Visitatores Generales, alter Officialis Generalis novus superaddatur, qui sit Secretarius Diffinitorii, & Capituli Generalis, cum voto in Capitulo Generali, & loco præcedentiæ ante Secretarium Generalem, & Socium Vicarii Generalis, seu Socii Vicarii Generalis; ita tamen, ut in hac prima electione assumatur ex Provincia noviter erecta Ferrariæ & Piceni, & deinceps ex aliis ad præscriptum Turni renovandi cum inclusione memoratæ novæ Provinciæ: Declarantes tamen, Officiales præsentes, Priores scilicet, Superiores, & cæteros Officiales ad præsens existentes in Conventibus, sæpedictæ novæ Provinciæ assignatis, usque ad primum Capitulum Provinciale post biennium celebrandum in eorum respective Officiis permanere: Tribuentes plenam facultatem prædicto Definitorio Generali annuali celebrando, cætera disponendi & stabiliendi, quæ in Domino judicaverint expedire, ad quamlibet confusionem removendam, tam in assignandis Religiosis sive Sacerdotibus sive Clericis sive Conversis pro utraque Provincia sufficientibus, quam in aliis quibuscumque, quæ ad stabilimentum & quietem earumdem proficere possint; Quod totum fuit per vota secreta, nemine discrepante, approbatum: Fr. Joseph Maria a S. Paula Vic. Generalis: Fr. Eustachius a S. Martino Secretarius Generalis.

Procuratoris ejusdem expostulatio pro Apost. obtinenda confirmatione.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, prædictus Procurator Generalis præmissa, quo firmius subsistant, & serventur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret; Nos ipsius Procuratoris Generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuentes, eumque specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, separationem & dismembrationem prædictorum decem Conventuum a Provincia Romana, & erectionem in novam Provinciam Ferrariæ & Piceni nuncupandam, a prædicto Capitulo Generali factas, ut præfertur, expeditumque desuper illius decretum præinsertum cum omnibus & singulis in eis contentis, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos juris & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus: Præterea primo proximo Definitorio Generali, in Conventu Jesus Mariæ de eadem Urbe habendo, pro hac prima vice Priorem Provincialem novæ Provinciæ Ferrariæ & Piceni hujusmodi eligendi, seu præsentem Provincialem Provinciæ Romanæ, ejusque Secretarium Provincialem natione Ferrarienſes transferendi; necnon quatuor Definitores Provinciales, & septimum vocalem Definitorii Provincialis pariter eligendi, aliasque dispositiones & ordina-

Quæ conceditur.

tiones utiles & neceſſarias pro ſtabilienda dictæ novæ Provinciæ quiete, faciendi, plenam & amplam facultatem auctoritate & tenore prædictis concedimus & impartimur;

Clauſulæ.

§. 2. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere; ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, in omnibus & per omnia pleniſſime ſuffragari & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari & definiri debere; ac iritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis; necnon, quatenus opus ſit, Provinciæ Romanæ ac Congregationis & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, aut quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis, ac ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 21. Maji 1731. Pontificatus noſtri anno Primo.

F. Card. Oliverius.

XXXVII. Confirmatur quædam Conſtitutio circa publicum Archivum Regiminis Bononien. cum declaratione, quod Eccleſiaſtici Sæculares & Regulares, ac ſinguli totius Legationis Notarii, ſub eadem comprehendantur.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. die 23. Maji 1731. Pontif. I.

ALias pro parte dilectorum filiorum Virorum Reformatorum ſtatus libertatis Civitatis noſtræ Bononien. fel. rec. Benedicto XIII. Prædeceſſori Noſtro expoſito, quod cum dudum bon. mem. Ferdinandus, dum viveret, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis de Abdua, in Civitate & Comitatu Noſtris Bononien. Sedis Apoſtolicæ tunc temporis de Latere Legatus, ad tollendos multiplices abuſus, qui in publicum ejuſdem Civitatis Archivum irrepſerant, novam pro bona ipſius Archivi directione edidiſſet conſtitutionem, illi hac in re aſſentientibus exponentibus prædictis, qui, ut Conſtitutio hujuſmodi omnes & ſingulas perſonas, Legationi Bononien. ſubjectas, arctius ligaret, a rec. mem. Clemente Papa XI. Prædeceſſore Noſtro poſtulaverant, quatenus illam Apoſtolicæ confirmationis præſidio roborare dignaretur; verum, quia tali confirmationi ſe ſe oppoſuerat Collegium Tabellionum ſeu Notariorum publicorum dictæ Civitatis, qui ſua privilegia & prærogativas exinde lædi cauſabantur, memoratus Clemens Prædeceſſor Congregationem particularem trium dilectorum etiam filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum, ut eamdem Conſtitutionem illiuſque tenorem examinarent, ac jura Collegii eorumdem Tabellionum audirent, deputaſſet: dictique Prælati poſt negotium mature diſcuſſum cenſuiſſent, ac ipſi Clementi Prædeceſſori retuliſſent, Conſtitutionem prædictam approbari poſſe cum certis tamen declarationibus & modificationibus, quæ utpote, ejuſdem Conſtitutionis deſtructivæ, dictis Exponentibus haud acceptæ probatæque fuerant: interimque enarrati abuſus magis in dies invaleſcerent, propterea quod præfata Conſtitutio minime obſervaretur; Ven. Fr. noſter Thomas Epiſcopus Prænestin. dictæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Ruffus nuncupatus, dum Legati hujuſmodi munere in eiſdem Civitate & Comitatu Bononien. fungebatur, Conſtitutionem prædictam ita reformare, moderari, ac temperari ſtuduerat, ut Collegio eorumdem Tabellionum quæcumque quærendi & reclamandi occaſio tolleretur, prout re ipſa præſtiterat, Conſtitutionem prædictam ſubinde approbante, atque per publicum Inſtrumentum acceptante Collegio dictorum Tabellionum: & in eadem expoſitione ſubjuncto, quod, ceſſante tunc quacumque oppoſitione & contradictione, ſupradicti Exponentes Conſtitutionem hujuſmodi Apoſtolicæ confirmationis robore muniri deſiderabant: Ipſe Benedictus Prædeceſſor, ſupplicationibus eorumdem Exponentium, ſibi ſuper hoc humiliter porrectis, inclinatus, per ſuas in ſimili forma Brevis die 26. Januarii 1729. expeditas literas prædictam Conſtitutionem a præfatis Ferdinando editam, & Thoma Epiſcopo, Cardinalibus & Legatis, reformatam, toto illius tenore in eiſdem ſuis literis inſerto, auctoritate Apoſtolica approbavit & confirmavit, & alias, prout in dictis Benedicti Prædeceſſoris literis uberius continetur.

Conſtit. pro bona Archivi directione a Card. de Abdua editum.

Propugnante Tabellionum Collegio.

Clemens XI. Particularis Congr. commiſit examini:

Reſponditque Congre-

§. 1. Cum autem, ſicut iidem Viri Reformatores nobis nuper exponi fecerunt, per Clerum Sæcularem & Regularem prædictæ Legationis, ac Notarios Curiæ Archiepiſcopalis Bononien. varia poſtmodum circa eorum in ejuſmodi Conſtitutione comprehenſionem promota fuiſſent dubia; dicti vero Exponentes, ut hoc novum impedimentum, quod præfatæ Conſtitutionis executioni objiciebatur, amoverent, denuo recurſum habuerint ad eumdem Benedictum Prædeceſſorem, a quo ipſi Congregationi particulari Prælatorum committi obtinuerunt, ut citatis prius Clero ejuſmodi aliiſque oppoſitoribus, cognoſcerent: Num illi ſub dicta Conſtitutione, Apoſtolica auctoritate, ſicut præmittitur, confirmata, comprehenderentur, nec ne? Et quia prædicti Prælati, durante reliquo tempore Pontificatus ejuſdem Benedicti Prædeceſſoris, inſimul convenire nequiverant, hujus quæſtionis examen per Nos quoque remitti impetrarint dictæ Congregationi Prælatorum, qui poſt rem accurate diſcuſſam animi ſui deſuper ſententiam noviſſime protulerunt, cupiantque Exponentes prædicti Conſtitutionem hujuſmodi, quam bono publico imprimis neceſſariam ac utilem arbitrantur, plenariæ tandem executioni demandatum iri: Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, ut in præmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, eoſdem Exponentes ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de memoratæ Congregationis particularis Prælatorum, qui partes tam verbo quam ſcriptis plene & diligenter audiverunt, conſilio prædictam Conſtitutionem, ut præfertur,

Eamdem itaque modificatam.

Bened. XIII. confirmavit.

Orta poſtmodum ſuper ejus obſervantia dubia,

Idem Pontifex Congregationi commiſit examinanda.

Sed nondum expenſa iterum SS.D.N. examini ſubjecit:

Declaratio, quod ſub dicta Conſtitu-

tione Ecclesiastici quicumque, & Notarii comprehendantur.

confirmatam, Ecclesiasticos tam Sæculares quam Regulares dictæ Legationis Bononien., & quoscumque Notarios, etiam Curiæ Archiepiscopalis comprehendere, eadem auctoritate tenore præsentium decernimus & declaramus; ita tamen, ut ad normam resolutionis die 31. Julii 1711. a dicta Congregatione particulari Prælatorum captæ, ubi agitur de personis Ecclesiasticis, ipsi Constitutioni contravenientibus, firma semper remanente nullitate præscripta in ejusmodi Constitutione in casu defectus Archiviationis, Ven. Frater modernus, ac pro tempore existens, Archiepiscopus Bononien. procedat ad alias pœnas, inflictas in prædicta Constitutione, cum hoc, quod applicatio pœnarum fiat semper favore Archivii præfati, prout in eadem Constitutione demandatur, excepta tamen jurisdictione Commissarii in ipsa Constitutione statuta, in qua idem Archiepiscopus se ingerere non possit.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes quoque, easdem præsentes literas semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia pleniſſime suffragari, & ab eis respective inconcusse observari; sicque, & non aliter, in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ prædictæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, eorumque Vicelegatos & quoscumque alios, qualibet præeminentia & potestate fungentes & functuros, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon quarumvis Ecclesiarum, Monasteriorum, Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Jesu, & Institutorum, ac quibuslibet aliis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, ac exemptionibus & immunitatibus, etiam in corpore juris clausis, quibusvis generaliter vel specialiter concessis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 23. Maji 1731. Pontificatus nostri anno Primo.

F. Card. Oliverius.

XXXVIII. Patribus Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Excalceatorum Recollectorum, qui saltem per biennium Hispanicam vel Lusitanicam vel Indicam Provincias Vicarii Provincialis munere fungentes gubernarint, conceditur Provinciæ Patres appellari: iisdemque, quibus isti gaudent, frui prærogativis ac præeminentiis.

Quæ hac super re statuerat Urbanus VIII. anno 1633. die 3. Decembris, legere est ex ipso harum Literarum contextu.

Dat. die 29. Maji 1731. Pont. I.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Expostulatio Procuratoris Generalis, seu facti series.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Gildardus Dufflos, Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Excalceatorum & Recollectorum, quod in Provinciis Excalceatorum dicti Ordinis ad Hispaniam, Lusitaniam, & Indicas Nationes pertinentibus, ii, qui Vicarii Provincialis munere functi sunt, titulo & præeminentiis Patrum Provinciæ minime gaudent; ideoque fel. rec. Urbanus PP. VIII. Prædecessor Noster per quasdam suas desuper in simili forma Brevis die 3. Decembris 1633. expeditas literas, quarum initium: *Religiosos viros &c.* nullum in prædictis Provinciis præeminentiis hujusmodi, nisi qui Minister Provincialis fuerit, frui & gaudere declaravit; & antea idem Urbanus Prædecessor per alias pariter suas literas in simili forma Brevis, die 13. Augusti 1625. emanatas, quæ incipiunt: *Creditum humilitatis &c.* facultatem liberam Superioribus Generalibus concessit, ut in casu vacationis Ministeriatus Provincialis in primo anno sui officii, vel iterum convocarent Capitulum pro electione novi Ministri, qui triennium absolveret, vel per Deputatos Vocales Vicarium Provincialem eligi curarent, qui pariter per residuum triennii cum omnibus facultatibus & oneribus Ministri Provincialis, solo nomine deficiente, gubernarent, & hæc secundo dictæ Urbani Prædecessoris literæ ad evitandas expensas necessario faciendas, si intra annum duo Capitula Provincialia celebrarentur, jam regulariter servantur; & alias, prout in binis ejusdem Urbani Prædecessoris literis, quarum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius dicitur contineri. Quare prædicti Vicarii Generales revera onus Ministeriatus portant non secus, ac si essent Ministri aliquando per biennium, quinimo & per fere triennium, ut recens in Provincia Sancti Gabrielis, & in illa Sancti Josephi ejusdem Ordinis accidisse memoratur, decedente in prima Ministro Provinciali infra mensem, & in secunda, Provinciis, infra semestre ab electione respective, quin præmium ob solum nominis defectum reportent.

Urban. VIII. declar. nullum in supradictis Provinciis præeminentiis Provinciæ frui posse nisi fuerit Minister Provincialis. Insuper, ut vacante primo anno sui officii Ministeriatu Provinciali, Vicarius Provinc. per Vocales eligeretur.

Vicarii Generales revera onus portant Ministeriatus.

Expostulatio præsens.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Gildardus, considerans congruum esse, ut qui pares sunt onere, pares sint & honore, nomine etiam dictarum Provinciarum, prædictas Urbani Prædecessoris literas, ut eis non obstantibus, illi tantum Vicarii Provinciales, qui ultra biennium Provinciam gubernarunt, vel imposterum gubernaverint, titulo & præeminentiis Patrum Provinciæ, post eos vero, qui Ministri Provinciales ante vel post eorum Vicariatum fuerint, gaudere debeant per Nos moderari, & concedi summopere desideret; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur dicti Gildardi votis hac in re, quantum cum Domino possumus, benigne annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præpositorum, qui referente dilecto filio nostro Ludovico ejusdem S. R. E. Cardinale Belluga nuncupat. rem undique mature discusserunt, consilio, ut Patres, qui saltem per biennium Provinciam uti Vicarii Provinciales gubernarunt, completo officio vocentur, & Patres Provinciæ sint, cum prærogativis, quibus isti gaudent, auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus & statuimus: salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Concessio per SS. D. N. de qua supra.

§. 2. De-

Clauſulæ.

§. 2. Decernentes pariter, ipſas præſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere; & illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari & definiri debere; ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obſtantibus prædictis Urbani Prædeceſſoris literis, aliiſque Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis; necnon, quatenus opus ſit, Provinciarum & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, aut quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis, ac ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 29. Maji 1731. Pontificatus noſtri anno Primo.

F. Card. Oliverius.

XXXIX. Ducatus Parmæ & Placentiæ cum utili Dominio ad Sedem Apoſtolicam cum omnibus juribus, pertinentiis &c. devolutus declaratur, quatenus ex Henrichetta, ejuſdem Ducatus Duciſſa, maſculina proles non naſcatur: vel nata, deficere contingat &c.

Ipſo jure ad Sedem Apoſtolicam devolutus, quatenus ex ultimi Ducis Vidua maſcula proles non naſcatur.

Pro potiori cautela adjecta hujuſmodi conditione acceptatur.

Mandatur Ducatus ejuſdem Vaſſallis, ut eo eveniente caſu neminem præter Sedē Apoſt. in Dominum agnoſcant &c.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. die 2c. Junii 1731. Pontif. I.

Ducatus Parmæ & Placentiæ Farneſiæ Domui in Feudum maſculinum datus;

CUm bon. mem. Antonius Farneſius, ultimus, dum viveret, Parmæ & Placentiæ Dux, nulla relicta prole maſculina, ſed dilecta in Chriſto filia Nobili Muliere Henrichetta Eſtenſi conjuge ſua, Parmæ & Placentiæ Duciſſa vidua, utero, ſicut accepimus, gerente, ab humanis non ita pridem deceſſerit; incertum autem ſit, an ipſa Henrichetta Duciſſa virilis ſexus prolem, quæ in ejuſmodi Ducatu Parmæ & Placentiæ, juxta legem Inveſtituræ de eo, Domui Farneſiæ in Feudum maſculinum a fel. rec. Paulo Papa III. Prædeceſſore Noſtro, & Sede Apoſtolica conceſſæ, ſuccedere valeat, in lucem ſit editura; Nos ejuſdem Sedis juribus ac rationibus pro commiſſa Nobis cœlitus Apoſtolici miniſterii ſolicitudine in omnem eventum mature ſalubriterque proſpicere volentes: tametſi, ut omnibus notum ac perſpectum eſt, probe ſciamus, quod ſi proles maſcula non naſcatur, vel nata poſtmodum deficiat, præfatus Ducatus Parmæ & Placentiæ cum omnibus ejus Civitatibus, Oppidis, Terris, locis, membris, juriſdictionibus, juribus, annexis, connexis, & dependentiis univerſis, de quibus dicti Antonius Dux & Domus Farneſia ab ipſo Paulo III., aliiſque Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus Noſtris, & hac Sancta Sede, inveſtiti fuerunt, ſeu illos & illa a Sede prædicta in feudum maſculinum hujuſmodi tenuerunt & habuerunt, ad eamdem Sedem & Cameram Apoſtolicam, tum ex forma ſupradictæ Inveſtituræ ſeu aliarum Apoſtolicarum conceſſionum de eis factarum, tum vigore Conſtitutionum Sancti Pii V. quarto Kalendas Aprilis anno Incarnationis Dominicæ MDLXVII. Pontificatus ſui anno ſecundo, aliorumque itidem Prædeceſſorum Noſtrorum ſucceſſive editarum, eo ipſo revertatur & revertantur, ac devolvatur & devolvantur, utileque eorum dominium cum directo conſolidetur, etiam abſque alia ulteriore pro parte dictæ Sedis acceptatione, declaratione, ac poſſeſſionis apprehenſione, prout diſponitur in præfatis Conſtitutionibus, ad quas in omnibus & per omnia relationem haberi volumus: Nihilominus pro potiori cautela, juraque juribus addendo, ac memoratis Conſtitutionibus inhærendo, ſi, & quando prolem maſculinam ejuſmodi non naſci, vel natam poſtmodum deficere contingat, prædictum Ducatum Parmæ & Placentiæ cum Civitatibus, Oppidis, Terris, locis, membris, juriſdictionibus, juribus, annexis, connexis, & dependentiis præfatis, ex nunc prout ex tunc ad eamdem Sedem Apoſtolicam reverſum & reverſa, devolutum & devoluta, ac utile eorum Dominium cum directo conſolidatum eſſe auctoritate Apoſtolica tenore præſentium decernimus & declaramus, ac reverſionem, devolutionem, utiliſque cum directo Dominio conſolidationem ejuſmodi acceptamus; Mandantes propterea ex nunc pariter, prout ex tunc, omnibus & ſingulis dicti Ducatus Parmæ & Placentiæ Communitatibus, Univerſitatibus, Gubernatoribus, Prætoribus, Magiſtratibus, Capitaneis, Caſtellanis, cæteriſque Officialibus, ac univerſis tam Laicis quam Eccleſiaſticis, Sæcularibus & Regularibus perſonis cujuſcumque Dignitatis, etiam Epiſcopalis, ac ſtatus, ordinis, & conditionis exiſtentibus, & quavis auctoritate, poteſtate, aut munere fungentibus, in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac ſub indignationis Noſtræ, aliiſque a jure & Apoſtolicis Conſtitutionibus inflictis pœnis, ipſo facto per tranſgreſſores incurrendis, ut eo caſu eveniente, neminem alium, quam Nos ſeu Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, ac Sedem præfatam, in ſuum, ac dicti Ducatus Parmæ & Placentiæ verum legitimum ac abſolutum Dominum agnoſcant, agnoſcereve audeant vel præſumant: Nobiſque dumtaxat, ſeu eidem Pontifici pro tempore exiſtenti, ac Sedi Apoſtolicæ, uti fideles decet ſubditos, nec cuiquam alteri, pareant & obediant; nullatenus attentis omnibus iis, quæ nulliter, injuſte, ac de facto in contrarium hactenus attentata fuerunt, & forſan in poſterum per quemcumque quomodolibet attentari poſſent. Quocirca dilecto filio Noſtro Georgio Spinulæ Tituli Sanctæ Agnetis S. R. E. Presbytero Cardinali Sanctæ Agnetis nuncupato, moderno, ſeu pro tempore exiſtenti in Civitate & Comitatu Bononien. Noſtro, & dictæ Sedis de Latere Legato, ultra facultates, ipſi Georgio Cardinali quoad eumdem Ducatum per Nos aliàs conceſſas, quas firmas & ſalvas eſſe volumus, & ad pro tempore exiſtentem Legatum hujuſmodi tenore præſentium extendimus, harum ſerie auctoritate præfata committimus atque injungimus, quatenus ipſe in eventum hujuſmodi, inſiſtendo pro jurium Apoſtolicorum tuitione ac conſervatione eatenus in dicto Ducatu geſtis, per ſe vel per dilectum filium Magiſtrum Jacobum Oddum Noſtrum itidem, & ipſius ſedis Notarium Protonotarium nuncupatum de numero participantium, ac in eodem Parmæ & Placentiæ Ducatu Commiſſarium, ſeu alium vel alios ab eis deputandum vel deputandos, pro uberiori ſimiliter cautela, corporalem, realem, & actualem poſſeſſionem Ducatus, Civitatum, Oppidorum, Terrarum, locorum, cæterorumque præfatorum, Noſtro, ſeu Romani Pontificis pro tem-

Commiſſio Bononien. Legato de poſſeſſione capienda.

pore existentis, Sedis, & Cameræ Apostolicæ; ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ nomine absque mora apprehendat, & apprehensam retineat: & quoslibet actus possessorios, necnon in Ducatu, Civitatibus, Oppidis, Terris, locis, aliisque prædictis quamcumque jurisdictionem civilem, criminalem, & mixtam exerceat; Nos enim eidem Georgio Cardinali, seu pro tempore existenti Legato, præmissa, ac alia omnia & singula, quæ ea occasione quoquomodo necessaria & opportuna fore duxerit, etiamsi talia forent, quæ specialem, specificam & expressam requirerent mentionem, faciendi, gerendi, & exequendi, ac in Ducatu, Civitatibus, Oppidis, Terris, locis, & aliis præfatis, ultra illas jam concessas & extensas, ut præfertur, omnibus quoque & singulis facultatibus, gratiis, & indultis, quæ in aliis Status Ecclesiastici Provinciis, seu ditionibus, existentibus dictæ Sedis de Latere Legatis competunt, ac quibus ipsi Legati potiuntur, utendi, plenam liberam ac omnimodam auctoritatem & potestatem impartimur; Reservantes cæteroquin Nobis, & eidem Sedi, ea deinceps circa prædictum Parmæ & Placentiæ Ducatum statuere, quæ adhibita prius cum Venerabilibus Fratribus Nostris ipsius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus desuper deliberatione matura, Sedis præfatæ rationes statuenda postulaverint.

Clausulæ. §. 1. Non obstantibus rec. mem. Pii Papæ IV. Prædecessoris quoque Nostri de gratiis qualecumque interesse, dictæ Cameræ concernentibus, intra certum tunc expressum tempus in eadem Camera præsentandis, ac registrandis, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus & Ordinationibus; necnon, quatenus opus sit, quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 2. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 20. Junii 1731. Pontificatus Nostri Anno Primo.

F. Cardinalis Oliverius.

XL. Moderato Mandato Benedicti XIII. super Cantu Gregoriano, quo Fratres totius Ordinis Minorum S. Francisci Excalceatorum, & Recollectorum illius vigore uti deberent, Fratribus Provinciæ Hispaniarum, & Indiarum Cantu simplici uti conceditur, dummodo in tota Provincia uniformis sit Cantus.

Dat. die 12. Julii 1731. Pont. An. I.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Gildardus Dufflos, Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Excalceatorum, & Recollectorum nuncupat. Familiæ Ultramontanæ, quod alias, nempe anno 1727. postquam tunc existens Minister Generalis dicti Ordinis per suas Enciclicas ad universum Ordinem directas de consilio fe. re. Benedicti XIII. Prædecessoris Nostri ordinaverat, ut Fratres in omnibus Conventibus & Provinciis totius Ordinis, etiam Fratrum Discalceatorum, Cantu Gregoriano in Divino Officio & Missa Conventuali uterentur; subinde idem Benedictus Prædecessor suo Rescripto, per Secretariam Status tunc expedito, Capitulo Generali ejusdem Ordinis in Civitate Mediolanen. tunc proximo celebrando mandavit, ut prædictum Cantum sub gravibus pœnis intimaret & præciperet, in cujus quidem debitam obedientiam Capitulum generale prædictum, die 4. Junii 1729. celebratum, facta prædicti Apostolici Mandati mentione, id ipsum sub privationis vocis activæ & passivæ pœna, a Guardianis contrafacientibus incurrenda, præcepit. Verum Provinciæ Hispaniarum & Indiarum dicti Ordinis a S. Petro de Alcantara institutæ, ab eo cum cæteris rigidissimis statutis modum canendi humilem & simplicem a musicis notis omnino alienum acceperunt, qui modus canendi humiliter & devote in Statutis earumdem Provinciarum Apostolica auctoritate factis & confirmatis præcipitur, & tum in honorem prædicti Sancti Petri, tum quia eorumdem Discalceatorum strictiori Instituto est conformis, magnamque semper devotionem in populo excitavit, & per duo ac amplius integra sæcula in dictis Provinciis servatus fuit.

Provinciæ Hispan. & Indiarum a S. Petro de Alcantara modum canendi humilem accepere;

Quem per duo sæcula servaverunt.

Causæ dispensationis. §. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, Religiosi in novo Cantu Gregoriano hujusmodi non levia incommoda & difficultates experiantur ob defectum peritorum, qui aliis præcepta musicæ tradant, ejusque libri pro servitio Chori, & aliorum ad id necessariorum, non nisi magnis expensis comparari possint: ac etiam quia grave nimis sit filiis, institutum tam mirabilis Sancti tanto tempore observatum immutare; Nobis propterea dictus Gildardus tam suo quam plurium ex dictis Provinciis nomine humiliter supplicari fecit, ut de opportuno remedio in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum Gildardum specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Mandatum, a memorato Benedicto Prædecessore Capitulo Generali super Cantu Gregoriano in Officio Divino & Missa Conventuali factum, & ab eodem Capitulo sub gravibus pœnis Guardianis Conventuum Provinciarum hujusmodi ordinatum & intimatum, ut præfertur, pro iis tantum Provinciis, in quibus totius Definitorii Provincialis consensus accesserit, & in quibus præteritis temporibus fuerit usus, Cantu simplici & non Gregoriano canendi: ita tamen, ut in unaquaque Provincia uniformis sit Cantus in tota Provincia, auctoritate Apostolica tenore præsentium moderamur.

Moderatio Mandati.

Clausulæ. §. 2. Decernentes, easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in præmissis

per

per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis; necnon, quatenus opus sit, Ordinis, & Provinciarum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, aut quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum Fides.

§. 4. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 12. Julii 1731. Pontificatus Nostri Anno Primo.

F. Card. Oliverius.

XLI. Dismembratur Oppidum Divionen. a Diœcesi Lingonen., & Civitatis titulo decoratur, ejusque Ecclesia, S. Stephano dicata, Cathedralis constituitur.

Dat. Anno 1731. Pontif. I.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

SUper specula militantis Ecclesiæ, eo disponente Domino, qui cunctis imperat, & cui omnia obediunt, nullis nostris licet suffragantibus meritis, constituti, ad Universas Orbis Ecclesias aciem nostræ meditationis, vigilis more Pastoris, intendimus; quidve locorum insignium felici statui & decori, quid illorum incolarum, & ad illa confluentium animarum saluti congruat, contemplari frequenter reflectimus; ac in locis ipsis, prout eorum necessitas postulat, & salus exigit animarum, sublimiumque Regum de Orthodoxa Religione optime meritorum vota exposcunt, novas Episcopales Sedes, Ecclesiasque pro excellenti Sedis Apostolicæ præeminentia plantamus; ut per novas plantationes hujusmodi, etiam nova Populorum adhæsio eidem militanti Ecclesiæ accrescat, Fideique Catholicæ professio inibi validius efflorcat: eademque loca dignoribus titulis illustrentur, & condignis favoribus attollantur, illorumque Incolæ & personæ honorabilium Præsulum assistentia, regimine, & doctrina suffulti, proficiant semper in fidem cum Divini Cultus propagatione, & quod in temporalibus sint adepti, non careant in spiritualibus incremento.

Causæ dismembrationis. Referuntur Divionensis Oppidi decora tum Sacra tum prophana.

§. 1. Sane, cum sicut ex insinuatione charissimi in Christo filii Nostri Ludovici Francorum & Navarræ Regis Christianissimi, Nobis nuper facta, accepimus, Oppidum Civitas nuncupatum Divionense Lingonen. Diœcesis satis celebre, & olim ordinaria, Regum prius, & deinde Burgundiæ Ducum Sedes, hodie vero totius Burgundiæ caput, valde insigne existat, & principem inter Gallicas Provincias locum teneat; in eo enim tertio unoquoque anno generalia aguntur Provinciæ Comitia, præter Magistratus suos, eorumque Judicum curas, quarum altera Balliviatus, altera Præsidialis dicitur, præter Tribunum capitalem ad ferendas adversus vagos & facinorosos sententias institutum, & Ærarii Regii, & rationum Regiarum, & monetalium, & aquarum saltuumque, & vectigalium rerum aulas, & qui honos duodecim præcipuarum in Regno Civitatum est supremum amplissimumque Senatum, & in quo Oppido triginta Civium millia recensentur, ultra advenarum multitudinem, quos sua desideria vel litium negotia, aut studia undequaque advocant. Ad loca vero Sacra, quod attinet paucæ apud Gallos Urbes esse noscantur, quæ nobiliora & ornatiora de Religiosis diversorum Ordinum utriusque sexus, & frequentibus familiis cenobia contineant, inter quæ illud Sancti Benigni, cui admirationem non moles sua, licet admiranda, sed tot Sanctorum, qui inibi requiescunt, corpora conciliant: Carthusianorum, ubi marmorea sepulchra visuntur præclara & immensa Domus: splendidum Societatis Jesu Collegium, ubi ad Theologiam usque studia percurruntur, duo, ubi tyrones ad res Sacras instituntur, Seminaria: amplum Hospitium pro educandis pueris, nutriendis senibus, curandis ægrotis, suscipiendis peregrinis consecratum: & Fesules Monasterium Fontanis juxta Oppidum prædictum Divionis in honorem S. Bernardi tam bene de Christiana Republica deque Sede Apostolica meriti, qui ibi natus est, mirifice extructum: dictumque Oppidum in septem Parochias distribuitur, quarum unaquæque suam ædem habet, aliqua elegantia conspicuam: inibique Cappella Regia nuncupata, eidem Sedi immediate subjecta, existit, quæ cum tot titulis, tot privilegiis gaudeat, hæc omnia vilia habet præsanctissima, & pretiosissima Hostia, quæ tanto Civium, & Peregrinorum concursu colitur, Philippo olim Duci a re. me. Eugenio Papa IV. Prædecessore Nostro dono data: necnon tres Collegiatæ Ecclesiæ, quarum primaria & antiquissima Sancti Stephani, a Sancto Benigno Burgundiæ Apostolo quarto jam sæculo condita, quæ deinde priscorum Burgundiæ, & postea Galliæ Regum liberalitate crevisse dignoscitur, structura insignis; Nuper enim restaurata, vel denuo potius ædificata, nulli ex majoribus Templis aut majestate aut ornamentis cedit, intus Altari, Romanum in morem composito, sumptuosis Cellis opere intestino, & sculptili foris cutri sua, & porta principe, & ipsa, quam respicit, Arca commendatur, singulari dignitate; primi enim Martyris nomine insignita Divionensium Ecclesiarum Mater, multisque ibi asservantur Reliquiis, & Sancti præsertim Medardi Corpore, Venerabilis pro secunda sui Territorii Ecclesia ab Episcopis Lingonen. habita est, cui Abbates præfuerunt ad Episcopos ipsos tam proximi, ut in Divionis, vicinorumque locorum pene multorum Pontificia hactenus exercuerint jura, & etiam ex quo religiosæ disciplinæ Ordines Sancti Augustini Canonicorum Regularium vinculis gravissimas ob causas a pie me. Paulo Papa V., etiam Prædecessore Nostro, liberati sunt, Pastorale & Crucem & Infulam gesserint; & inter illos multi fuere, & suo genere & suis meritis illustres, etiam Sanctæ Romanæ Eccclesiæ Cardinales, e quibus Carolus Borbonicus Antonii Navarræ Regis frater, & Henrici IV. Galliarum Regis patruus: quatuor aliæ itidem dignitates, Decanus videlicet, Cantor, Præpositus, & Thesaurarius, ac duodecim Canonici reperiuntur, divina Officia laudabiliter peragentes; his Musicorum Chorus & Clerici non pauci auxilio sunt: vestes, supellectiles, reliquaque omnia, quæ principes Ecclesias deceant, non desunt, & cum Ecclesia conjungitur splendida Domus commoda, mirumque in modum

S. Stephani Ecclesia, ejusque splendor ac dignitas.

spatiosa

spatiosa pro Antistitis habitatione; Inter has vero innumeras tam dictæ Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Stephani, quam Oppidi Divionensis hujusmodi dotes, ea reperiatur amplitudo distantia videlicet duodecim leucarum, quadraginta circiter milliaria Italica constituen. a Civitate Lingonen. per vias ispidas, & loca hyemali tempore glacie, & nivibus consita, per quæ ad Sacros Ordines promovendi ad Episcopatum Lingonen. ire compelluntur, in quarum molestiam & ii incidunt, qui edictis Regiis obtemperantes, in tabulas publicas quidvis referri velint, vel leve aliquod alicujus legis laxamentum ab Episcopo obtinere, sæpe vigentibus negotiis, vel qui, ob lites hoc iter suscipere adstricti, dum itur, redituque, quot ærumnas, quot inde incommoda patiantur, haud facile est dictis referre.

Oppidi hujus distantia a Diœces. Episcopo.

§. 2. Quibus malis Nos pro nostro Pastorali officio occurrere cupientes, ac provide considerantes Diœcesim Lingonen. tam in longitudine quam in latitudine amplissimam, regionemque Divionensem Populorum & Incolarum copia valde repletam, a Civitate Lingonen. esse adeo remotam, ut unicus Pastor tantam animarum multitudinem ea, qua par est, diligentiâ regere minime possit, attentis potissimum precibus ejusdem Ludovici Regis, qui, suorum Subditorum saluti & indemnitati intentus, solum Dei cultum Sanctæque Matris Ecclesiæ exaltationem præ oculis habens, aptissimum esse remedium duxit, regionem Divionensem prædictam ab eadem Diœcesi Lingonen. separare, & dismembrare, dictumque Oppidum Divionen. in Civitatem, ac Collegiatam Ecclesiam Sancti Stephani hujusmodi in Cathedralem, ibique Sedem Episcopalem erigere & collocare, præficiendo ei novum Episcopum, qui tum verbo tum exemplo boni operis ejusdem Regionis Incolas & Populos fructuose regere & gubernare non desinat.

Ludovici XV. Regis preces.

§. 3. His igitur, aliisque de causis, animum Nostrum moventibus, re prius in Congregatione Venerabilium fratrum Nostrorum ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, rebus Consistorialibus præpositæ, pluries mature discussa, piis ejusdem Ludovici Regis, cujus præclara in Catholicam Fidem, & Sedem Apostolicam, merita in dies augeri conspicimus, desideriis annuere volentes, ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ac Ven. etiam Fratrum Nostrorum prædictæ S. R. E. Cardinalium consilio & assensu, dictum Oppidum Divion., necnon districtum & territoria integre Archidiaconatus Divionen. per Ven. fratrem Nostrum Episcopum Eduen. a Ven. etiam Fratre Nostro Archiepiscopo Lugdunen. ad hoc negotium terminandum ab eadem Sede Apostolica in Commissarium electo, Subdelegatum assignatam delineatam cum omnibus suis confinibus & terminis, quæ in latitudinem & longitudinem per septuaginta quinque milliaria Italica se extendunt, & intra quæ ducentum & nonaginta Parochiæ, centum & triginta fidelium millia complectentes, numerantur, ab Ordinaria jurisdictione dicti Episcopi Lingonen., illis tamen sexaginta Parochialibus Ecclesiis, quas prædictus Episcopus Lingonen. in actu sui consensus super hoc sibi expresse reservavit dumtaxat exceptis, quæ sub ejusdem Episcopi Lingonen. jurisdictione & superioritate remanere debeant; de ejus expresso consensu, Apostolica auctoritate separamus, dismembramus, segregamus, & dividimus; illudque, ac ejus Clerum, necnon dilectum filium Archidiaconum Divionen. Archidiaconatusque titulum & dignitatem, de ejusdem moderni Archidiaconi consensu, ab Ecclesia Lingonen. ad infrascriptam Cathedralem Ecclesiam Sancti Stephani Divionen., itaut deinceps infrascripta Diœcesis Divionen., ea auctoritate polleat, iis honoribus, & privilegiis gaudeat, ea munia obeat, easque Ecclesias, prædictis tamen dicto Episcopo Lingonen., ut præfertur, reservatis, similiter dumtaxat exceptis iis, quæ additis, quos olim dictæ Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Stephani Abbas pro tempore existens administrabat, perlustrare & visitare possit & valeat, prout dum in prædicta Ecclesia Lingonen. suam habebat Sedem, perlustrare & visitare solebat & debebat, dicta Apostolica auctoritate transferimus: ipsique locum in ejusdem infrascriptæ Cathedralis Ecclesiæ Capitulo post illius Decanum assignamus, omniaque & singula facultates, honores, jura, & privilegia, quibus singuli dignitates in eadem infrascripta Cathedrali Ecclesia obtinentes, sive conjunctim inter se, sive erga illius Canonicos, fruuntur, potiuntur, & gaudent, quæcumque ea sint, quasi unus ex illis esset, & olim fuisset, eidem communia esse decernimus: & a moderni & pro tempore existentis Episcopi Lingonen. superioritate, jurisdictione, potestate, subjectione, visitatione, & correctione, ac quibusvis aliis juribus Episcopalibus prorsus & omnino eximimus & liberamus: ac Oppidum prædictum Civitatis, illiusque Incolas, Civium nomine ac titulo & honore decoramus, illudque in Civitatem Divionensem nuncupan., ac prædictam Collegiatam Sancti Stephani in Cathedralem Ecclesiam sub invocatione ejusdem Sancti Stephani erigimus, pro uno Episcopo Divionensi nuncupando, qui illi præest.

Quæ Divionensis Ecclesiæ esse debeat Diœcesis.

Idem Oppidum Civitatis nomine decoratur.

§. 4. Necnon Episcopalem Jurisdictionem, auctoritatem, & potestatem, omniaque alia & singula, quæ ordinis, jurisdictionis, & cujusvis alterius muneris Episcopalis sunt, & ad illa, ac Synodi Diœcesanæ convocationem & celebrationem spectant & pertinent, exercere; necnon quæ alii Episcopi in suis Ecclesiis, Civitatibus, & Diœcesibus de jure, usu, consuetudine, aut aliàs quomodolibet facere, & quibus uti solent & possunt, pariformiter & æque principaliter, ac absque ulla prorsus differentia, in suis Ecclesia, Civitate & Diœcesi Divionensi, etiam facere, gerere, & exercere, ac uti, frui, potiri & gaudere libere & licite possit & debeat: ac pro tempore existenti Archiepiscopo Lugdunen. jure Metropolitico, prout ante separationem & dismembrationem fuberat, subjaceat, cum Mensa, Sede, aliisque Insignibus Episcopalibus; necnon præeminentiis, honoribus, privilegiis, immunitatibus, gratiis spiritualibus & temporalibus, personalibus, realibus, & mixtis, quibus cæteræ Cathedrales similiter & pariformiter utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri & gaudere possunt & poterunt quomodolibet in futurum, de consilio & potestatis plenitudine similibus erigimus & instituimus.

Episcopatus jura asseruntur.

§. 5. Ac eidem sic erectæ & institutæ Ecclesiæ Divionensi, ipsum Oppidum sic in Civitatem erectum pro Civitate; necnon districtus & Territoria Archidiaconatus Divionen., ipsumque Archidiaconatum hujusmodi, ut supra a Diœcesi Lingonen. separata, pro Diœcesi; necnon Ecclesias pro Clero, & personas Sæculares pro Populo, de consilio, potestate & auctoritate paribus etiam perpetuo concedimus, attribuimus & assignamus.

Diœcesis termini.

Oppidum Divionense a tota Lingonen. Diœcesi segregatur.

§. 6. Civitatemque, Clerum, & Populum hujusmodi Episcopo Divionen. quoad Episcopalem, & Archiepiscopo Lugdunen. pro tempore existen., quoad Metropoliticam Ordinationem, Jurisdictionem, & Superioritatem, de similibus consilio & plenitudine subjicimus.

Metropolitico Lingonen. Archiepisc. juri subjicitur.

Et Ecclesia S. Stephani in Cathedralem erigitur.

§. 7. Et insuper Abbatia Sæcularis dictæ Collegiatæ Ecclesiæ S. Stephani in Cathedralem, ut supra erectæ, dignitatis inibi principalis existentis;

Dotis assignatio.

necnon Monasterii Sancti Petri Bessuensis Ord. Sancti Benedicti Congregationis Sancti Mauri, dictæ Lingonen. Diœcesis, ad quæ, Abbatiam videlicet, ac Monasterium hujusmodi, dum pro tempore vacant jus nominandi vigore concordatorum dudum inter Sedem Apostolicam & cla. me. Franciscum Primum, olim eorumdem Francorum Regem, super nominatione personarum, certis inibi expressis modis qualificatarum ad Ecclesias & Monasteria Regni Franciæ privilegio eligendi non suffulta pro tempore vacan. promovendarum per Regem Franciæ pro tempore existen. facien. initorum ad dictum Ludovicum Regem spectat & pertinet, quæque bon. mem. Franciscus de Clermont Episcopus, dum viveret Lingonen. Abbatiam videlicet in titulum, Monasterium vero hujusmodi in Commendam, in quam illud ex concessione Apostolica ad vitam obtineri consuevit, ad ejus vitam respective obtinebat, Commenda hujusmodi per obitum dicti Francisci Episcopi, Abbatiæ ac Monasterii hujusmodi, etiam dum viveret, Abbatis seu & perpetui Commendatarii, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ persolvit, cessante adhuc eo, quo ante Commendam ipsam quoad Monasterium hujusmodi vacabant, modo vacantium titulos collativos Abbatiæ ac Monasterii hujusmodi, ac in Monasterio & Abbatia prædictis nomina & denominationes Abbatum usque ad illa nominandi de ejusdem Ludovici Regis consensu, Apostolica auctoritate prædicta, etiam perpetuo supprimimus & extinguimus, ac Mensas Abbatiales Abbatiæ Sancti Stephani, ac Monasterii Sancti Petri Bassuensis hujusmodi, quarum fructus, Abbatiæ videlicet ad septingentos, Monasterii vero prædictorum ad quadringentos florenos auri in libris Cameræ taxati reperiuntur, in, & ex quibus Abbatiæ videlicet quatuor millia, Monasterii vero hujusmodi duodecim millia librarum Turronen., detractis omnibus respective oneribus, annuatim percipi poterunt, Mensa tamen Conventuali, a Mensa Abbatiali prædicti Monasterii Sancti Petri Bessuensis separata & disjuncta, firma, intacta & illæsa remanente, pariter supprimimus & extinguimus; ac dictarum Mensarum Abbatialium, ut præfertur, vacantium fructus, reditus, & proventus cujusvis quantitatis, qualitatis, naturæ, & speciei existant, prævia Abbatia Sancti Stephani & Monasterii Sancti Petri Bessuensis hujusmodi titulorum collativorum perpetua suppressione & extinctione, pro dote & Mensa Episcopali Ecclesiæ Divionen. simili auctoritate perpetuo unimus, annectimus, applicamus, & appropriamus, ac ad dictam Ecclesiam Sancti Stephani, in Cathedralem, ut præfertur erectam, etiam perpetuo transferimus, eique incorporamus.

Capitulum constituitur.

§. 8. Demum tam Decanatum, quam Cantoriam, Præposituram, & Thesaurariam; necnon duodecim Canonicatus, totidemque Præbendas in dicta Ecclesia Sancti Stephani, in Cathedralem, ut præfertur, erecta, respective obtinentes, Capitulum cum Mensa Capitulari sigillo & arca communibus, aliisque insignibus capitularibus constituant, & apud dictam Ecclesiam Divionensem residere, stallumque in Choro, ac vocem in Capitulo ipsius; necnon in actibus ac functionibus Ecclesiasticis intra & extra illam ubilibet, juxta eorum respective antianitatem receptionis dumtaxat, absque ulla alia cujusvis gradus seu qualitatis distinctione, & in ipsa Ecclesia singulis diebus horas Canonicas tam diurnas quam nocturnas, & Missas, servata Ecclesiastica disciplina, uniformiter celebrare & decantare, illisque interesse, ac aliàs dictæ Ecclesiæ Divionen. in illis laudabiliter inservire, cæteraque onera injuncta, & pro tempore injungenda, subire & exercere, ac adimplere respective debeant & teneantur, ac tam in Choro, quam Capitulo, processionibus, & aliis actibus & functionibus, habitus, de jure gestari solitos, etiam deferre & gestare libere & licite possint & valeant.

Novo Divionen. Episcopo subjicitur, cui Beneficiorum collatio, etiam illorum, quæ propria sunt expressæ super Abbatiæ Bessuen., conceditur.

§. 9. Præterea Nos omnimodam jurisdictionem, superioritatem, & auctoritatem in Capitulum, Dignitates, Canonicos, Ministros & Officiales dictæ Ecclesiæ a superioritate & jurisdictione Episcopi Lingonen. exemptos & liberatos, pro tempore existenti Episcopo, & eidem Ecclesiæ Divionen. concedimus & attribuimus; eidemque jus, auctoritatem, & potestatem, quæcumque & qualiacumque cum cura & sine cura Beneficia Ecclesiastica quomodolibet nuncupata & qualificata, in Cathedrali, & aliis Ecclesiis Civitatis Divionen., necnon in tota sua Diœces. Divionen. consistentia, & tam intra quam extra illam ea, quæ a Mensa Abbatiali prædicti Monasterii Sancti Petri Bessuensis dependere dignoscuntur, iisdem modo & forma, quibus eorum collatio ad Abbates Commendatarios pro tempore existentes ejusdem Monasterii Sancti Petri Bessuensis spectabat, occurrentibus quovis modo illorum vacationibus, personis idoneis, dummodo tamen Beneficia hujusmodi super concordatis prædictis non comprehendantur; pleno jure conferendi, & de illis etiam providen. concedimus & impartimur.

De Actibus Capitularibus.

§. 10. Insuper etiam Episcopo, Dignitatibus, Capitulo, & Canonicis prædictis, ut pro dote Ecclesiæ Divionen., ac illius Mensæ Capitularis, Sacristiæ, & fabricæ, eorumque rerum & bonorum, tam spiritualium quam temporalium, prospero & felici statu, regimine, gubernio, & directione, ac onerum illis pro tempore incumbentium supportatione, Missarum, horarum Canonicarum, Divinorumque tam diurnorum, quam nocturnorum Officiorum, processionum, funeralium, Anniversariorum, & aliorum prædictorum celebratione, ac Dignitatibus, Canonicatibus, & Præbendis, aliisque Beneficiis Ecclesiasticis pro tempore providendorum receptione, admissione, residentia personali, distributionum, etiam quotidianarum, & emolumentorum quorumcumque divisione, reparatione, & administratione, pœnarum per absentes, & divinis suis loco & tempore non assistentes, seu onera & ministeria eis incumbentia subire negligentes, incurrendarum impositione, singulorum præsentias & absentias notandi, cæremoniis & functionibus in Cathedrali Ecclesia, Choro, Capitulo, processionibus, & aliis actibus, servatis servandis, & Ministris dictæ Ecclesiæ Divionensis necessariis, deputandis & amovendis, salariis & stipendiis eorumque cuilibet assignandis, & quibusvis aliis rebus in præmissis & circa ea quomodolibet necessariis & opportunis, quæcumque Statuta, Ordinationes, Capitula, & Decreta, licita tamen & honesta, & Sacris Canonibus, præsertim vero Concilii Tridentini decretis, Constitutionibus Apostolicis, non contraria, condendi & edendi, ac condita & edita pro temporum & rerum varietate & qualitate mutandi, limitandi, corrigendi, declarandi, interpretandi, & in meliorem formam redigendi, seu alia de novo etiam ex integro condendi & edendi, & per eos, ad quos pro tempore spectabit, sub pœnis in contravenientes statuendis, observari faciendi, plenam liberam & omnimodam facultatem etiam concedimus & impartimur.

Privilegia.

§. 11. Necnon Episcopo, ut præfertur, Dignitates in prædicta Ecclesia Divionen. obtinentibus, ac Capitulo, & Canonicis ejusdem Ecclesiæ, aliisque Capituli, & Ecclesiæ hujus-

modi

modi personis & Ministris pro tempore existentibus, ut omnibus & singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, præeminentiis, prærogativis, concessionibus, facultatibus, indultis, favoribus, & gratiis, quibus alii prædictarum Ecclesiarum Dignitates obtinentes, Capitula, & Canonici, aliæque Civitates & Diœces., ac eorum Cleri, Incolæ, habitatores, eorumque res & bona fruuntur, potiuntur, & gaudent, seu uti, frui, potiri & gaudere possunt & poterunt quomodolibet in futurum, etiam quoad habitus delationem, ut præfertur, uti, frui, potiri & gaudere libere & licite possint & valeant, concedimus & indulgemus.

Episcopi nominatio Franciæ Regibus asseritur.

§. 12. Ac eidem Ludovico, ejusque successoribus Franciæ Regibus, attenta suppressione & extinctione prædictarum Mensarum Abbatialium, & eorum fructuum pro dote d. Episcopatus Divionen. unione Mensæ Episcopali Divionen. prædictæ de consensu dicti Ludovici Regis, ut supra factis, jus nominan. ad dictam Ecclesiam Divionen. quandocumque & quotiescumque illa Pastoris solatio destituta fuerit, etiam ab hac primæva erectione, juxta formam & dispositionem concordatorum prædictorum, etiam perpetuo reservamus, concedimus, & assignamus.

Clausulæ.

§. 13. Præsentes quoque nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quovis alio defectu, etiam ex eo, quod causæ, propter quas præmissa emanarunt, coram Nobis, vel alibi, verificatæ ac approbatæ, ac quicumque in præmissis interesse haben. seu habere prætenden. ad id vocati, citati & auditi non fuerint, & præmissis non consenserint; aut alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus vel controversiam vocari, ad viam & terminos juris reduci, seu adversus eas quodcumque aliud gratiæ, justitiæ, vel facti remedium impetrari, vel sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per Constitutiones Apostolicas, aut Cancellariæ Apostolicæ Regulas, quandocumque etiam in crastinum assumptionis successorum nostrorum Romanorum Pontificum ad Summi Apostolatus apicem, vel aliàs quandocumque editas, vel sub quibusvis formis emanatas, & imposterum edendas & emanandas, nullatenus comprehendi; sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum & validissimum statum etiam sub quacumque posteriori data, per pro tempore existen. Episcopum & Dignitates, Capitulum, & Canonicos Divionen. hujusmodi eligenda, restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac de novo concessas: semperque validas & efficaces esse & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; necnon Episcopo, Dignitatibus, Capitulo & Canonicis Divionen. hujusmodi pro tempore existentes perpetuo suffragari.

§. 14. Sicque, & non aliàs, per quoscumque Judices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, ac honore & præeminentia fulgentes, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & desiniri debere; & si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus.

§. 15. Non obstantibus nostris, & Cancellariæ Apostolicæ prædictæ Regulis de gratiis & Indulgentiis ad instar non concedendis, ac de exprimen. vero annuo valore; necnon de jure quæsito non tollendo, ac de unionibus committendis ad partes vocatis, quorum interest, & Lateranen. Concilii novissime celebrari, uniones perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri prohiben., ac quibusvis Apostolicis, necnon in Synodalibus, Provincialibus, Generalibus Conciliis editis vel edendis specialibus vel generalibus Constitutionibus & Ordinationibus, ac Monasterii Sancti Petri Bessuensis, & Ordinis præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis quibusvis Superioribus & personis sub quibusvis tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis: etiam motu proprio & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine præfata: etiam consistorialiter de simili consilio, aut aliàs quomodolibet etiam pluries & iteratis vicibus concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio haben. aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, acsi de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro plene & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse juxta decretum Congregationis rebus Consistorialibus præpositæ, harum serie derogamus contrariis quibuscumque.

Declaratio, quod ex præcedentia Capituli S. Stephani nullum præjudicium Monachis S. Benigni Divionen. inferri intelligatur.

§. 16. Præterea quoad jus præcedentiæ dilectorum etiam filiorum Monachorum Sancti Benigni ejusdem Ordinis Sancti Benedicti prædictæ Congregationis Sancti Mauri, post dilectos similiter filios Capitulum dictæ Ecclesiæ Sancti Stephani; in Cathedralem, ut præfertur, erectæ, ullum præjudicium iisdem inferre non intendimus, ac etiam per præsentes declaramus.

§. 17. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ separationis, dismembrationis, segregationis, divisionis, exemptionis, liberationis, decorationis, erectionis, institutionis, concessionis, attributionis, assignationis, subjectionis, suppressionis, extinctionis, unionis, annexionis, applicationis, approbationis, translationis, incorporationis, impertitionis, indulti, reservationis, decreti, derogationis, intentionis, & declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo trigesimo primo Pontificatus Nostri Anno Primo.

Nonnulla statuuntur pro recta Studiorum methodo in Collegiis Fratrum Minorum Sancti Francisci Conventualium nuncupat. XLII.

CLEMENS PAPA XII.

Dat. die 21. Julii 1731. Pont. An. II.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

EX injuncto Nobis divinitus Pastoralis solicitudinis munere, sacrarum, bonarumque literarum studia, præsertim inter Christi fideles divinis obsequiis sub suavi Religionis jugo addictos, opportunis rationibus fovemus & promovemus; ac ut debitus virtuti honor rependatur, libenter providemus, sicut ad Omnipotentis Dei gloriam, Religionis decus & incrementum salubriter expedire in Domino arbitramur.

Causæ hujusce Constitutionis.

§. 1. Cum itaque sicut dilecti filii, Vincentius de Comitibus Minister Generalis, & Assistentes Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Conventualium nuncupat. Nobis nuper exponi fecerunt, ut in eodem Ordine studiorum progressus, & bonum regimen stabiliatur, & Fratres ipsius Ordinis congruis honorum præmiis ad illa amplectenda atque prosequenda alacriores & ferventiores reddantur; ipsi Vincentius Minister Generalis, & Assistentes opportune a Nobis provideri, &, ut infra, indulgeri summopere desiderent; Nos eorumdem Vincentii Ministri Generalis, & Assistentium votis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, & illorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut nemo, sive Collegialis, aut in Sacra Theologia Magister lecturæ cursum inchoare possit, nisi prius a prædicto, & pro tempore existenti Ministro Generali, prævio tamen rigoroso examine per se ipsum, vel, si aliquo impedimento detentus fuerit, per alium, seu alios ab ipso seligendos, reperiatur idoneus, itaut quilibet se novo examini sistens doctrinæ suæ specimen ac documentum præbeat, & Religio in dies conspicuis Lectoribus floreſcat.

Quod nemo Lecturæ cursum inchoare possit, nisi prævio rigoroso examine.

§. 2. Præterea lectiones etiam tempore Capituli Generalis nequaquam intermitti, sed usque ad Festum S. Bonaventuræ, quemadmodum in omnibus aliis temporibus servari solet, prosequi debeant:

Quod tempore Capit. Generalis Lectiones non intermittantur.

§. 3. Nullus ex Studentibus, sive sit Baccalaureus Collegialis, ac Seminariorum Lector, & Conventus Baccalaureus, tempore Quadragesimali, quamvis id per Constitutiones Urbanas ejusdem Ordinis in Cap. V. reg. tit. IV. num. XVI. permissum sit, Verbum Dei prædicare valeat.

Nullus ex Student. tempore Quadragesimali Prædicationibus incumbat.

§. 4. Quodque, ut in Studiis generalibus, etiam tempore Quadragesimali hujusmodi, semper lectiones, & solita exercitia scholastica continuentur, remaneat unus Regens, aut Lector Theologiæ Moralis, qui docendo & tradendo eadem materias, prout illi docere & tradere tenerentur, Regentium vices suppleat: alternatim permittendo quandoque uni, quandoque alteri, & aliquando etiam prædicto Lectori ejusdem Moralis Theologiæ, ut ad prædicandum se transferre possit, & aliquando pariter in aliqua particulari necessitate, relinquendo eidem prædicto, & pro tempore existenti Ministro Generali facultatem dispensandi pro ejus arbitrio & conscientia, cum conditione tamen, ut duo menses, decurrendi in Verbi Dei prædicatione, computari nequeant tempori præfixo pro consequendo gradu & dignitate Paternitatis Provinciæ.

Eoque tempore semper aliquis Regens, vel Lector remaneat lectiones daturus.

§. 5. Utque Collegiales prædicti Ordinis pro Conventuum quiete, & Dei servitio, ubique & in omni casu, præterquam in actibus Studiorum, Patribus de Domo nuncupatis, non aliter acsi essent simplices Baccalaurei, præcedentiam cedant, dicta auctoritate harum serie statuimus & ordinamus.

Collegiales præcedentiam Patribus de Domo cedant.

§. 6. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Præsentium Literarum firmitas, & observantia.

§. 7. Non obstantibus prædictis Urbani, ac quibusvis aliis Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon Decretis Capitulorum Generalium a Sede Apostolica confirmatis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Obstantium derogatio.

§. 8. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici, vel Ministri Generalis Ordinis hujusmodi subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ, vel Procuratoris Generalis Ordinis prædicti munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Fides Transumptorum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 21. Julii 1731. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

F. Cardinalis Oliverius.

Tres Assistentes Germaniæ, Galliæ, & Poloniæ, in Conventu SS. Duodecim Apostolorum de Urbe eorumdem Fratrum Minorum S. Francisci Conventualium nuncupat. eligendi constituuntur pro negotiis illarum Provinciarum explendis. XLIII.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dat. die 21. Julii Anno 1731. Pont. II.

Exordium.

IN supremo Militantis Ecclesiæ Solio, meritis licet imparibus, per ineffabilem Divinæ Sapientiæ atque Clementiæ abundantiam constituti, ad ea, quæ religiosorum Virorum Cœtibus, in Ecclesia Dei pie sancteque Institutis, uberesque bonorum operum fructus, Illo, a quo bona cuncta procedunt, donante, proferre jugiter satagentibus, ut recte salubriterque in via mandatorum Domini dirigantur, conducibilia fore sperantes, libenter intendimus; & Pastoralis officii Nostri partes propensa charitate desuper interponimus, sicut, rerum temporum & personarum qualitate mature perpensa, salubriter in Domino arbitramur.

§. 1. Cum itaque, sicut dilecti filii, Vincentius de Comitibus Minister Generalis, & Assistentes Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum, Nobis nuper exponi fecerunt, per Constitutiones Urbanas dicti Ordinis in Cap. 6. reg. tit. 6. expresse statuatur, ut in Conventu SS. Duodecim Apostolorum de Urbe ex quibuscumque tam ultra quam citra Montes Provinciis Patres & Fratres, qui vitæ integritate, morum compositione, ac sapientia inter cæteros conspicui sint, collocentur, ipsi Exponentes pro bono ejusdem Ordinis, & Provinciarum hujusmodi tres novos Assistentes generales institui, ac propterea opportune in præmissis a Nobis provideri, &, ut infra, indulgeri summopere desiderant.

Ex Constit. in Conventu SS. Duodecim Apost. de Urbe moribus probatiores collocandi.

§. 2. Nos eorumdem Vincentii Ministri Generalis, & primodictorum Assistentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, annuere volentes, eosque, & illorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis

Tres Assistentes, ex Germania unus, alter ex Gallia, tertius ex Polonia concedituntur eligendi.

occasione

occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus & ordinamus, ut de cætero unus Assistens Generalis ex Germania, ab una ex Germaniæ juxta ordinem, quo prædictæ Provinciæ in Constitutionibus Urbanis descriptæ reperiuntur: similiter alter ex Galliæ: & tertius ex Poloniæ respective Provinciis, eligantur, ita quod quælibet Provincia per turnum de sexennio in sexennium tres Patres constitutos in gradu Definitorum perpetuorum, per exactum lecturarum cursum acquisito, nominare debeat, ex quibus prædictus & pro tempore existens Minister Generalis, quem magis idoneum judicaverit, eligere teneatur.

Qui singulis Definitorum Gen. Privilegiis perfruantur.

§. 3. Quodque isti novi Assistentes sic electi omnibus privilegiis & prærogativis Definitorum Generalium fruantur & gaudeant, ac omnes alios, qui non sint Definitores Generales præcedere debeant, servata inter ipsos juxta ordinem propriæ antianitatis præcedentia; respectu vero duorum Ordinariorum Assistentium, Socii scilicet, & Secretarii dicti Ordinis, una cum omnibus prærogativis & juribus, quæ sive ex Constitutionibus, sive ex consuetudine proveniunt, semper & omnino eisdem reservata censeantur.

P. vero Generalem comitari debeant, quoties ad aliquam ex dictis Provinciis pergat eam visitaturus.

§. 4. Quodque insuper idem, & pro tempore existens Minister Generalis ad visitationem alicujus ex prædictis Provinciis ultra montes existen. profecturus, præter duos ordinarios Assistentes Socium & Secretarium, etiam Assistentem Nationalem assumere debeat.

De alimentis illis præstandis, ac Missarum oneribus per eosdem adimplendis.

§. 5. Et denique, quod prædictis tribus Assistentibus, eorumque Laicis seu Conversis, dum Romæ morantur, Conventus SS. Duodecim Apostolorum de Urbe alimenta & vestiarium suppeditare teneatur, perinde acsi essent Patres Domus, ita tamen, ut administrationi prædicti Conventus, neque aliis rebus & negotiis, præterquam illis, quæ ad proprias respective Provincias, quorum Assistentes erunt, pertinent, se immiscere nequeant; iidemque tres Assistentes Missas pro adimplendis oneribus ipsius Conventus applicare: & singulæ Nationes seu Provinciæ cuilibet eorum respective Assistenti, quidquid pro illorum honestiori & magis commoda substentatione congruum judicaverint, residuos & reliquos sumptus contribuere debeant.

De habitatione ipsis assignanda.

§. 6. Quia tamen juxta quasdam literas fe. re. Clementis PP. X. Prædecessoris Nostri desuper in simili forma Brevis die 7. Martii 1674. expeditas, quarum totum tenorem pro inserto & expresso haberi volumus, numerus denarius Patrum in memorato Conventu dumtaxat præfixus reperitur; ideo ne augmento prædictorum trium Assistentium habitatio angusta & incommoda aliis reddatur, numerum denarium Patrum hujusmodi ad septem, ita quod secuta vacatione primorum trium locorum, servato inter ipsos Assistentes hoc ordine, scilicet primum locum, quem vacare contigerit, Assistens Germaniæ, secundum Assistens Galliæ, & tertium Assistens Poloniæ obtineant; qui vero actu in supradicto Conventu Patres supranumerarii pro primo loco vacaturo reperiuntur, tunc locum habere debeant, postquam prædicti tres Assistentes admissi fuerint, auctoritate & tenore prædictis reducimus, ac eisdem nunc & pro tempore existentibus Ministro Generali, & Assistentibus Ordinariis Generalibus super quacumque difficultate, quæ in horum omnium executione exoriri posset, deliberandi facultatem harum serie concedimus.

Clausulæ.

§. 7. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§. 8. Non obstantibus præmissis, ac dicti Clementis Prædecessoris super numero denario Fratrum supradicti Conventus, ac Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac Provinciarum & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, aut quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 21. Julii 1731. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

F. Card. Oliverius.

Conceduntur consueta Privilegia nonnullis Sanctissimi D. N. Familiaribus. XLIV.

CLEMENS PAPA XII.

Dat. die 25. Julii 1731. Pontif. II.

Venerabilibus Fratribus Lazaro Pallavicino Thebarum, Cubiculi Nostri Præfecto: Antonio Xaverio de Gentilibus Petren. Archiepiscopis, Datario: ac Thomæ Cervioni Episcopo Porphyrien., olim Archiepiscopo Lucan., Sacrarii Nostri Præfecto: & dilecto filio Paulo Antonio de Frescobaldi Florentin., Cubiculario Secreto: Familiaribus continuis commensalibus Nostris, salutem & Apostolicam benedictionem.

Circumspecta Romani Pontificis gratiarum dispensatoris providentia &c.

Cætera legi possunt pag. 90. in Constitutione num. XV. huic omnino simili.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 25. Julii 1731. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

F. Card. Oliverius.

Confirmatur Decretum Congregationis Episcoporum & Regularium, quo statuitur, ut in Domibus Religiosis Provinciæ S. Gregorii in Insulis Philippinis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia Discalceatorum servetur Clausura &c. XLV.

CLEMENS PAPA XII.

Dat. die 24. Augusti 1731. Pontif. II.

Ad futuram rei memoriam.

Exposito facti.

Nuper pro parte dilecti filii Josephi a Santanella Congregationis Missionis, & Procuratoris Provinciæ Sancti Gregorii in Insulis Philippinis, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia Discalceatorum nuncupatorum, Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium, nomine dilecti etiam filii moderni Ministri Provincialis

dictæ Provinciæ, expositō, quod eadem Provincia, licet plusquam sexaginta religiosis Domibus constet, sacrasque Missiones in Sinarum Regnis sedulo conservet, trecentorum tamen Fratrum Presbyterorum numerum non excedebat, nec omnino excedere valebat; cum illius conservatio unice penderet a Fratribus dicti Ordinis, qui zelo Dei & lucri animarum ducti ex Hispania de Superiorum suorum licentia, ac Catholicorum Regum sumptibus, in partes illas remotissimas trajiciunt; indeque fiebat, quod tametsi Domus religiosæ prædictæ haberent amplas Ecclesias, & curam animarum, necnon conversionis Infidelium, qui in iis regionibus, præsertim montanis & locis sylvestribus, adhuc supersunt, & capaces forent sustentandi integram Fratrum familiam; nihilominus ob deficientiam Religiosorum nonnisi quatuor aut quinque, imo quandoque tres, duo, aut etiam unus dumtaxat dictorum Fratrum, quoties nimirum Missionarii Hispani adventum suum diutius remorantur, vel in mari pereunt, uti non semel accidit, in unaquaque ex domibus Religiosis hujusmodi residebant, exceptis dumtaxat domibus Mavilensi, ubi integra, & de Dilao, ubi media familia haberi solent; Fratres vero Provinciæ prædictæ jam inde ab illius institutione ac primordio semper voluerant ac procuraverant, ut in omnibus prædictis Domibus regularis observantia, & alia vitam regularem concernentia, quantum pro numero Fratrum in illis degentium, aliisque rerum circumstantiis fieri posset, custodirentur & retinerentur, non secus ac si essent Conventus formales: Et in eadem expositione subjuncto, quod cum aliquibus in dubium revocaretur, an prædicta regularis Clausura in iisdem Domibus observanda foret: ipsæque Domus privilegiis Conventuum gaudere deberent, idem Josephus pro majori bono dictæ Provinciæ, ac meliori inibi religiosæ disciplinæ conservatione, singulas Domos prædictas, quamvis nonnisi supra expressus Fratrum in eis numerus habeatur, privilegiis Conventuum Ordinis prædicti gaudere, & Clausura regulari hujusmodi, cæterisque oneribus, quæ sufferre possunt, subjacere, concedi ac decerni summopere desiderabat, emanavit a memorata Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet -- Sacra Congregatio Eminentissimorum & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præposita, ad quam Sanctissimus Dominus Noster Papa supplices preces remisit, attenta relatione Procuratoris Generalis, referente Eminentissimo Domino Cardinali Belluga Ponente, statuit & decrevit, in Domibus religiosis Patrum Minorum Discalceatorum Sancti Petri de Alcantara Provinciæ Philippinarum S. Gregorii, servandam esse Clausuram, utque gaudeant Privilegiis Conventuum sine præjudicio tamen jurium Episcoporum, Parochorum, & aliorum Regularium, atque Constitutionum Apostolicarum, & particularium Discalceatorum: & quoad accessum Religiosorum præfatarum Domorum ad Capitula Provincialia nihil innovetur, sed solitus & antiquus illius Provinciæ modus servetur, sub pœna nullitatis actorum ac demum in primodictis Insulis Philippinis erigere non possint Patres Excalceati novas Provincias, nisi cum consensu Capituli Generalis. Romæ 20. Julii 1731. Card. Barberinus. A. Archiepiscopus Petren.

Dubium Sac. Congr. propositum.

Decretum.

Confirmatur.

§. 1. Cum autem, sicut d. Josephus Nobis subinde exponi fecit, ipse, Decretum hujusmodi quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret; Nos eumdem Josephum specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quâvis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus: salva tamen semper in præmissis auctoritate supradictæ Congregationis Cardinalium.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat & spectabit in futurum, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Provinciæ & Ordinis prædictorum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 24. Augusti 1731. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

F. Card. Oliverius.

XLVI.

Mandatum quoddam Episcopi Montis-Pessulan. cui titulus -- *Ordonnance de Monseigneur de Montpellier contre la deliberation de son Chapitre &c.* -- irritatur, damnatur: addita prohibitione, quominus legi seu retineri possit.

CLEMENS PAPA XII.

Dat. die 27. Augusti 1731. Pontif. II.

Ad perpetuam rei memoriam.

Episc. Montis-Pessulan. animus erga Sedem Apostolicam.

QUamvis jamdiu in animæ nostræ amaritudine intellexerimus, Carolum Joachimum Episcopum Montis-Pessulan., animo, sanæ doctrinæ, ac ecclesiasticæ unitati infensissimo, manifeste refragari Constitutioni re. me. Clementis PP. XI. Prædecessoris Nostri, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c.* Anno Incarnationis Dominicæ 1713. sexto Idus Septembris promulgatæ, imò posthabitis, planeque contemptis auctoritate & judicio Apostolicis tam ejusdem Clementis Prædecessoris, quam illius Successorum fe. re. Innocentii XIII., ac Benedicti etiam XIII. Romanorum Pontificum Prædecessorum pariter Nostrorum, qui plura ipsius Caroli Joachimi Episcopi scripta, quibus eamdem Constitutionem Apostolicam multifarias incessere ac impetere nitebatur, condigne perstrinxere censura, novis identidem actis, ac scriptis in publicum sparsis, pertinacis suæ inobedientiæ & erroris, in quo misere versatur, luculenta nimis dedisse testimonia: quæ quidem omnia & singula nobiscum reputantes graviter in corde Nostro improbavimus; Distulimus tamen adversus ea pro pastoralis officii Nostri

solicitudine aliquod palam statuere, ea spe fiduciaque detenti, ut agnita tandem a dicto Carolo Joachimo Episcopo veritate, fractaque animi sui obstinatione, adspirante Domino, possemus, uti Nobis summopere in votis erat, respiscentem paternæ dilectionis affectu complecti, & cum eo charitatis vinculis rursus conjungi. Verum spem, & patientiam Nostram frustratam elusamque comperimus, quemque anxie expectabamus ad unitatem & veritatem reversurum, magis in pertinacia & errore obduratum experti sumus. Nobis siquidem nuper innotuit, quod cum non ita pridem dilecti filii Capitulum & Canonici, aliæque personæ Ecclesiasticæ Cathedralis Ecclesiæ Montis-Pessulan., Deo corda eorum tangente, in unitatis ac obedientiæ spiritu simul congregati, publico solemnique actu memoratam Constitutionem Apostolicam pure & simpliciter recepissent, ac sese illi submisissent; tantum abfuit, ut dictus Carolus Joachimus Episcopus id probaret, suaque accessione ratum haberet, ut edito contra Mandato eumdem actum, ac si Episcopalis Jurisdictionis & obedientiæ sibi debitæ læsivus esset, proscribere, nullumque declarare: ac insuper, ne quisquam suorum Subditorum se inconsulto prædictam Constitutionem Apostolicam deinceps recipiat, prohibere incredibili ausu præsumpserit, nesciens oves non teneri sequi Pastorem, dum eas ad prærupta deducere, vel pascua venenata ipsis exhibere molitur. Quapropter, ne lenitas ac longanimitas nostra, cui hucusque pacis studio indulsimus, ab æterno ac supremo Judice redarguatur, Apostolici Ministerii Nostri partes adimplere volentes, auditis desuper nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, pluriumque in Sacra Theologia Magistrorum, qui rem mature ac diligenter discusserunt, sententiis, de eorumdem Cardinalium consilio, præfatum Caroli Joachimi Episcopi Montis-Pessulan., mandatum, cui titulus est -- *Ordonnance de Monseigneur de Montpellier contre la deliberation de Son Chapitre &c.* -- penitus & omnino nullum, ac irritum, nulliusque prorsus roboris & momenti esse, ac perpetuo fore, Apostolica auctoritate tenore præsentium declaramus; Actum vero, quo Capitulum & Canonici, aliæque personæ Ecclesiasticæ dictæ Cathedralis Ecclesiæ sese memoratæ Constitutioni Apostolicæ submiserunt, ut præfertur, ab eodem Carolo Joachimo Episcopo invalide & inique reprobatum fuisse decernimus. Ad hæc, licet exploratum sit reliqua omnia acta & scripta per ipsum Carolum Joachimum Episcopum, vel ejus nomine adversus prædictam Constitutionem Apostolicam, ac ejus receptionem, præstitamque illi a fidelibus obedientiam, aut aliàs contra Pontificias sanctiones, novissime edita ac evulgata Apostolici itidem censuram judicii promereri, eaque notanda ac perstringenda esse; Nihilominus reservantes Nobis illorum singula damnare, ac debita censura percellere, pro nunc supradictum Mandatum tanquam falsum, temerarium, erroneum, Apostolicis Constitutionibus, Sanctæque Sedi injuriosum, & ad schisma & hæresim tendens, imo aperte Schismaticum, eadem auctoritate harum serie damnamus & reprobamus, ac legi seu retineri prohibemus, illiusque impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem, & usum omnibus Christifidelibus, etiam specifica & individua mentione, & expressione dignis, sub pœna excommunicationis per contrafacientes, ipso facto absque alia declaratione incurrenda, a qua nemo a quoquam præterquam a Nobis & Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere, omnino interdicimus. Volentes, & auctoritate præfata præcipientes, ut quicumque Mandatum hujusmodi penes se habuerint, illud statim ac præsentes literæ eis innotuerint, locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, tradere atque consignare teneantur; hi vero sibi sic traditum illico flammis aboleri curent. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Constitutio *Unigenitus* a Capitulo recepta.

Hoc vero ab Episcopo reprobatum suo quodam Mandato:

Quod irritatur;

Hujusmodi irritationis causæ.

A quoquam legi, vel retineri interdicitur:

§. 1. Ut autem eædem præsentes literæ ad omnium notitiam facilius perveniant, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus etiam, & pari auctoritate decernimus, ut illæ ad Valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque Generalis, in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, per aliquem ex Cursoribus Nostris, ut moris est, publicentur, illarumque exempla ibidem affixa relinquantur: & sic publicatæ omnes & singulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter notificatæ & intimatæ fuissent: utque ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ eisdem præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Hujusmodi irritationis, ac prohibitionis publicatio.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 27. Augusti 1731. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

F. Card. Oliverius.

Confirmantur literæ Urbani Papæ VIII. ac successorum, quibus singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque Dei verbum prædicantibus, ut saltem bis in anno Populo Sacrorum locorum Hierusalem necessitates exponant, præcipitur. XLVII.

CLEMENS PAPA XII.

Dat die 12. Sept. 1731. Pontif. II.

Ad futuram rei memoriam.

SAlvatoris & Domini Nostri Jesu Christi, qui pro humani generis Redemptione se exinanivit, factus obediens usque ad mortem, vices licet immeriti gerentes in terris, inter multiplices gravissimasque Apostolicæ servitutis curas, in eam præcipue Pastoralis solicitudinis vigilantia incumbimus, ut tanti & tam salubris misterii monumenta, quæ in Civitate Hierusalem, & Locis circumvicinis sunt, conserventur, & omni, qua fieri poterit, majori honorificentia recolantur. Cum itaque aliàs fel. rec. Urbano Papæ VIII. Prædecessori nostro, exposito, quod Ecclesiæ, & alia Loca Pia in Civitate Hierusalem, & aliis Locis Terræ Sanctæ existentia, fere diruta erant, & quæ adhuc ibi existebant Monasteria, ære alieno ob impiam Turcarum, Hæreticorum, & Schismaticorum tyrannidem, & pro Sanctæ Fidei Catholicæ in eis Locis conservatione contracto, admodum gravata reperiebantur, idem Urbanus Prædecessor Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Locorum Ordinariis, necnon omnibus & singulis quorumvis Ordinum, Congregationum, & Institutorum Regularium Generalibus commiserit & mandaverit, ut ad minus duabus vicibus quolibet anno, Adventus & Quadragesimæ temporibus, tam per verbi Dei Prædicatores in suis Sacris Concionibus, quam in actionibus & functionibus publicis, necessitates eorumdem Sacrorum Monumentorum Populo proponi & commendari curarent, & facerent, & aliàs, prout in ipsius Urbani Prædecessoris literis desuper in simili forma Bre-

Exordium.

Status Locorum Terræ Sanctæ.

Urbani PP. Decretum;

vis die tertia Februarii 1634. expeditis, quarum tenorem pro expresso haberi volumus, uberius continetur; & sicut pro parte dilecti filii Emanuelis Fernandez del Rio Lectoris Jubilati, Ex-Secretarii Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, & in Romana Curia Commissarii, & Procuratoris Generalis Terræ Sanctæ, Nobis nuper expositum fuit, ipse, quo præfatæ Urbani Prædecessoris literæ, quæ a rec. mem. Innocentio X., Clemente X., Innocentio XI., Alexandro VIII., Innocentio XII., Clemente XI., Innocentio XIII., & Benedicto XIII. Romanis Pontificibus pariter Prædecessoribus nostris, confirmatæ fuerunt, exactius observentur, illas per Nos etiam confirmari & innovari desideret; Nos eorumdem Sacrorum Monumentorum conservationi & manutentioni consulere volentes, præfatas Urbani Prædecessoris literas Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus pariter & approbamus, illasque innovamus, & observari mandamus. Volumus autem, ut Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi prædicti in relatione status Ecclesiarum suarum, quando visitabunt limina Apostolorum, facienda, referant, se præfatis Urbani Prædecessoris, & præsentibus nostris literis, paruisse: contrariis non obstantibus quibuscumque.

A Successoribus confirmatum iteratur.

Volumus insuper, ut earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Fides Transumptorum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 12. Septembris 1731. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

F. Cardinalis Oliverius.

XLVIII.

Nonnulla declarantur ac statuuntur pro regimine Nationis Germano-Belgicæ, annexarumque Provinciarum Ord. Fr. Minor. Sancti Francisci Reg. Observ., nonnullis præterea sublatis, quæ in Benedicti XIII. Constitut. *Flagitantium preces &c.* leguntur.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dat. die 14. Sept. Anno D. 1731. Pontif. II.

Exordium.

Apostolici Regiminis cura Nos monet, ut præcipuam de Religiosis Viris, assiduos labores pro æterna animarum salute procuranda suscipientibus, solicitudinem habeamus, ne ipsi ab exercitio bonorum operum per animorum dissensiones amoveantur: Quare, si adhibita diligenti consideratione ea, quæ etiam a Decessoribus nostris prodierunt, eorum tranquillitati aliqua ex parte obesse deprehendimus, moderari non dubitamus: aliaque insuper concedimus, quæ in Domino conspicimus convenire.

Causæ editæ a Bened. XIII Constitut.

§. 1. Alias siquidem fel. rec. Benedictus PP. XIII. Prædecessor noster, animadvertens, quod dilecti filii Fratres Ordinis Sancti Francisci Regularis Observantiæ, Nationis Germano-Belgicæ, passim in tota Germania, Flandria, Hollandia, Anglia, Scotia, & Hibernia existentes, ac Conventus, & Hospitia in hæreticorum regionibus retinentes, magno numero Sacris Missionibus dant operam, propterea que eorumdem hæreticorum infestationibus frequenter obnoxii, in omnibus, & ad unguem Statutis universi Ordinis prædicti in diversis generalibus Comitiis ejusdem Ordinis conditis, & in commune bonum ipsius Ordinis peractis, ac apud omnes Nationes & Provincias receptis, sese conformare a longo tempore impediebantur; ideoque nonnulla alia peculiaria, ac pro moribus & consuetudinibus dictæ Nationis commodiora Statuta canonice confecta, ac per Ministrum Generalem totius Ordinis anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo tertio, & rursus per unum Romæ anno millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, & postremo per alterum Toleti anno millesimo sexcentesimo trigesimo tertio, habita, Capitula Generalia dicti Ordinis, favore Fratrum Provinciarum Germaniæ, & Belgii, eisque annexarum solemniter confirmata & approbata, Apostolica authoritate perpetuo & amplissime confirmavit & approbavit; illaque a tunc existentibus, & deinde futuris Fratribus, omnium, quæ tunc Nationem Germano-Belgicam constituebant, aliarumque Provinciarum, quæ deinceps eidem Nationi canonice aggregari contingeret, firmiter & inviolabiliter observanda & adimplenda, etiam perpetuo præcepit & mandavit.

§. 2. Et insuper, ut Provinciæ sæpedictæ Nationis, a Præsule beneviso directæ, perpetua tranquillitate fruerentur, Commissario Generali, Ministris Provincialibus, Custodibus, & Vocalibus dictæ Nationis Germano-Belgicæ pro tempore existentibus, ut ipsi in suis Congregationibus Nationalibus, vel Capitulis Generalibus Ord. congregati, ex tunc in posterum quatuor ex suis Vocalibus, nempe duos ex Germaniæ, & reliquos duos ex Belgii Provinciis, pro munere sui Commissarii Generalis seligere & nominare, illosque pro tempore existenti Ministro Generali Ordinis, qui ex eis unum, & nonnisi servata alternativa inter Germanos & Belgas, facultatibus consuetis, & Commissariis Generalibus Nationalibus, juxta Statuta Nationalia concedendis, illi collatis, in Commissarium Generalem Nationis Germano Belgicæ instituere omnino deberet, præsentare: dictumque Commissarium Generalem sæpedictæ Nationis, ut præfertur, institutum sui officii, expleto triennio, ad aliud triennium dumtaxat, si eidem Ministro Generali confirmare ita visum fuisset, libere & licite possent & valerent: sicut & ipse Minister Generalis alium Commissarium ex integro, & absque ulla præsentatione instituere, si forte ob bella vel alia impedimenta Vocales præfatæ Nationis congregari nequirent pro quatuor prædictorum Patrum, ut ipsi aiunt, præsentatione, atque occurrente obitu ejusdem Commissarii Generalis dictæ Nationis, vel eo in Provincialem Ministrum suæ nativæ Provinciæ electo, durante ipsius munere, statim antiquior Pater ex Provincia defuncti Commissarii in Vice-Commissarium Generalem, qui sigilla retinere, & munia omnia Vice-Commissarii Generalis, donec novus Commissarius Generalis, ut præfertur, electus, & ut supra instituretur, exercere valeret: & tandem, ut quicumque laudabiliter per triennium munus Commissarii Generalis dictæ Nationis sustinuisset, Pater, ut vocant, ejusdem Nationis reputaretur & censeretur, & uti talis Privilegiis concessis plene frueretur, dicta auctoritate etiam perpetuo concessit & indulsit: Demum unius & ejusdem Ordinis indivisi, sub unico & eodem capite, eademque Regula, Domino Famulantium unitati etiam exteriori, quantum in Domino poterat, providere, & propterea quascumque dissensiones & discrepationes exteriores, quæ ipse Benedictus Prædecessor non modicum damnum ejusdem interiori unitati, & fraternæ charitati afferre solere putabat, prorsus amovere cupiens, omnes & singulos Fratres d. Ordinis præfatæ Germano-Belgicæ Nationis, denominatione Recollectorum,

Provinciæ huic concessus ab eodem Commiss. Generalis.

Ac Vice-Commiss. Generalis.

Huicque Commissario concessa Privilegia.

Toti vero Provinciæ jus-

sum, ut rejecto Recollectorum nomine, Caputio acuminato &c. cæterisque a Fratrum Minorum more discordibus, Fratrum Regularis Observan. nuncupationem, & Habitum sumerent.

ctorum, & Caputio acuminato, ac Mantellorum ligamentis ligneis sive eburneis, aut aliàs ab universo more Fratrum Minorum de Observantia discordibus, quibus antea utebantur, rejectis, ex tunc in posterum perpetuis futuris temporibus, servatis tamen in reliquis dictis Statutis Nationalibus, in denominatione, & habitus delatione cæteris Fratribus d. Ordinis sese omnino conformare præcepit; & non amplius Recollectos, sed Fratres Ord. Sancti Francisci Regularis Observantiæ nuncupari, & uti tales ab universo Ordine absque alia denominatione censeri debere: Itaut, si Fratres dictæ Nationis denominationem Recollectorum, & Caputium acuminatum, ac Mantellorum ligamenta lignea sive eburnea rejicere, ac Fratrum Regularis Observantiæ nuncupationem, & habitum, ab universo Ordine gestari solitum, assumere detrectarent, illi statim & ipso facto, & absque Judicis ministerio, fruitione literarum per Benedictum Prædecessorem tunc editarum privati, illæque prorsus abrogatæ censeri deberent, authoritate præfata similiter perpetuo voluit, statuit & declaravit: & pro firmiori suæ voluntatis robore, denominationem Recollectorum, & usum Caputii acuminati, & ligamentorum Mantellorum ligneorum, sive eburneorum, aut aliàs ab universo more Fratrum Minorum de Observantia discordium, hujusmodi Motu proprio, deque Apostolicæ potestatis plenitudine perpetuo suppressit & abrogavit: ac aliàs, prout in eisdem literis Benedicti Prædecessoris incipientibus -- *Flagitantium Preces &c.* -- sub datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo nono, Kalendis Februarii, Pontificatus sui anno sexto, expeditis, plenius & uberius continetur.

Quod cum perturbationem iis in Provinciis adduxerit.

§. 3. Cum autem, sicut accepimus, literæ Benedicti Prædecessoris ea in parte, qua, ut præfertur, dictis Fratribus præfatæ Nationis Germano-Belgicæ, & ei annexarum Provinciarum, denominationem Recollectorum, & usum Caputii acuminati, & ligamentorum ligneorum sive eburneorum præfatorum, rejicere, & Fratrum Regularis Observantiæ nuncupationem, & habitum, ab universo Ordine gestari solitum, sumere præcipiebatur, utilitatem illam, quam memoratus Benedictus futuram sibi proposuerat, non attulerint; sed potius e converso non modicam perturbationem in præfatis Provinciis, & præcipue in partibus Hollandiæ, aliisque plerumque hæreticorum regionibus, ubi mos denominationis, & usus habitus hujusmodi inolevit, induxerint, & in posterum inducere possint; propterea Nos, qui dum Cardinalatus honore fungebamur, d. Ordinis Protectoris munus per plures annos sustinuimus, & ad S. R. E. Regimen, Deo favente, evecti, illud minime dimittendum putavimus, ejusdem Ordinis, quem peculiari dilectione prosequimur, curam præcipuam habere, & interiorem ab universo Ordine animorum unionem, quæ etiam neglectis aliquibus exterioribus signis foveri potest, necnon eorumdem Fratrum dictæ Nationis, ita ut ipsi, ut antea, consuetis Exercitiis, & Missionibus in hæreticorum regionibus incumbere valeant, tranquillitatem servare, ac aliàs in præmissis opportune providere cupientes: necnon Commissarium Generalem, Ministros Provinciales, & Custodes dictæ Nationis specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, eosque & eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum præsentium consequendum tantum, harum serie absolventes & absolutos fore censentes, dictarumque literarum Benedicti Prædecessoris nostri tenores, etiam veriores, pro plene & sufficienter insertis & expressis habentes, Motu proprio, & ex certa scientia Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, literas ejusdem Benedicti Prædecessoris in ea parte tantum, qua dictis Fratribus ejusdem Germano-Belgicæ, illique annexarum Provinciarum, denominationem Recollectorum, & Caputium acuminatum, & Mantellorum ligamenta lignea sive eburnea, aut aliàs ab universo more Fratrum Minorum de Observantia discordia, rejicere: atque in denominatione, & habitus delatione cæteris Fratribus dicti Ordinis sese omnino conformare, & non amplius Recollectos nuncupari præcipitur: eisdemque Fratribus denominationem & ligamenta hujusmodi detrectantibus, literarum hujusmodi, & statim & ipso facto, & absque Judicis ministerio, fruitionis privatio, illarumque abrogatio, ut præfertur, statuitur: & denominatio, & Caputium acuminatum, ac ligamenta præfata, ut præfertur, supprimuntur: Apostolica authoritate præfata perpetuo revocamus, rescindimus & abrogamus. Eosdem Fratres Nationis Germano-Belgicæ, & ei annexarum Provinciarum adversus denominationis, ac habitus delationis hujusmodi suppressionem, per dictum Benedictum Prædecessorem Motu ejus proprio, ut præfertur, factam: ac privationem & fruitionem earumdem literarum in eventum, in quem Fratres ejusdem Nationis denominationem Recollectorum, & Caputii acuminati, ac ligamentorum hujusmodi usum rejicere detrectavissent, per dictum Benedictum Prædecessorem, ut præfertur, inflictam & incursam, in pristinum, & in eum, in quo ante præmissa erant, statum: Itaut, velut si denominationis, ac delationis habitus hujusmodi abrogatio minime facta, ac privationis fruitionis præfatæ incursus unquam inflictus fuisset, Recollectorum denominatione, atque Caputio acuminato, ac ligamentis ligneis sive eburneis, ut prius, absque incursu cujusvis pœnæ, uti libere & licite possint & valeant, authoritate præfata motu simili restituimus, reponimus, & plenarie reintegramus.

Benedicti Literis hac in parte revocatis:

A pœnis per easdem inflictis Fratres dictæ Provinciæ absolvuntur.

§. 4. Ac ad tollendum quamcumque ambiguitatem, & contentionem, quæ super electione Commissarii Generalis tempore procedente exoriri possent; Nos quotiescumque in posterum Minister Generalis dicti Ordinis, facultate sibi, ut præfertur, reservata utens, aliquem Commissarium Generalem dictæ Nationis, sui muneris expleto triennio, ad aliud triennium confirmaverit, per confirmationem hujusmodi, alternativa inter Germanos & Belgas in vim dictarum literarum servanda, nullatenus consumpta & sublata censeatur; sed illa firma & illæsa subsistat, ita quod sive Germanus sive Belga in Commissarii munere præfato instituatur, ad quem institutio ante confirmationem spectavisset, videlicet, si Commissarius Generalis ex Germanis confirmari contigerit post consumptam confirmationem hujusmodi, unus ex duobus nominatis Belgis in munere Commissarii Generalis institui, & ita e converso, favore Germanorum peragi omnino debeat: Quodque insuper Commissarii Generales pro tempore, qui munere Commissariatus hujusmodi per triennium laudabiliter, ut præfertur, functi fuerint, deinceps Patres Nationis præfatæ, ac uniuscujusque Provinciæ habeantur, & apud Nationem eamdem, & quamlibet etiam respective Provinciam, habita ratione ad gradum & antianitatem cujuslibet, etiam in Nationis præfatæ, & cujuslibet Provinciæ Comitiis, seu Congregationibus, vel Definitoriis respective Nationalibus, Privilegio Paternitatis omnino gaudeant, Apostolica authoritate præfata similiter perpetuo decernimus & declaramus.

Declaratio quod per confirmationem Commissarii ad aliud triennium, damnum alternativæ non inferatur.

Privilegium Paternitatis Commissarii munere functis conceditur.

§. 5. De-

In cæteris articulis laudatæ Benedicti Literæ confirmantur.

§. 5. Demum literas præfatas ejusdem Benedicti Prædecessoris, in omnibus & singulis, in quibus præsentibus minime adversantur, earumque tenores, & in eis contenta quæcumque, authoritate præfata etiam perpetuo confirmamus & approbamus, illisque perpetuæ & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, omnesque & singulos tam juris quam facti, & solemnitatum, de jure, usu, stylo, consuetudine, aut aliàs quomodolibet requisitarum, & quosvis alios, quantumvis substantiales, defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, in eisdem supplemus.

Ac perpetuo observari præcipitur quocumque prætextu remoto.

§. 6. Ac literas ejusdem Benedicti Prædecessoris, in eis tamen, quæ præsentibus minime adversantur, ac in eis literis contenta quæcumque, semper & perpetuo validas & efficaces fore & esse, suosque plenarios & integros effectus in omnibus & per omnia sortiri & obtinere: & a Commissario Generali, Ministris Provincialibus, Custodibus, cæterisque Fratribus sæpedictæ Nationis Germano-Belgicæ, aliisque quibuscumque, etiam Ministro, & Curiæ Commissario Generalibus, nunc & pro tempore existentibus, aliisque Officialibus dicti Ordinis, & quibuscumque, ad quos nunc quomodolibet pertinet, & in posterum pertinebit, firmiter & inviolabiliter observari debere, & nullo unquam tempore ex quocumque capite vel causa quantumvis legitima & juridica, etiam ex eo, quod Commissarius Generalis, Ministri Provinciales, & Custodes dictæ Nationis, necnon Minister, & Curiæ Commissarius Generales, & Officiales dicti Ordinis, ac quicumque alii in præmissis interesse habentes, atque illi etiam, qui ex literis prædictis jus sibi forsan acquisitum esse putarent his Nostris non consenserint, neque ad hoc citati, vocati, & auditi unquam fuerint, & causæ, propter quas eædem præsentes prodierint, adductæ, comprobatæ, & verificatæ non fuerint, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vel invaliditatis vitio, sive intentionis nostræ, aut quocumque alio quantumvis substantiali, ac specificam & individuam expressionem requirente defectu, notari, impugnari, invalidari, in jus vel controversiam vocari, ad viam & terminos juris reduci, vel adversus eas restitutionis in integrum, aliudve juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari: sive etiam motu simili concesso, vel impetrato uti vel juvari unquam posse: Neque easdem præsentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per Nos, aut Successores nostros Romanos Pontifices, motu etiam pari, & cum quibusvis clausulis, & decretis faciendis, comprehendi; sed ab illis semper excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum & validissimum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, & de novo etiam sub quacumque posteriori data per Commissarium Generalem, Ministros Provinciales, & Custodes, cæterosque Fratres sæpedictæ Nationis pro tempore existentes, quandocumque eligenda, concessas & efficaces fore & esse, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere: sicque, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios seu delegatos, quavis authoritate fungentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. dicti Ordinis Protectorem, aliosque Cardinales respective pro tempore existentes, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, Sedisque Apostolicæ præfatæ Nuncios, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, definiendi & interpretandi facultate, judicari, definiri & interpretari debere: & quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus.

Clausulæ.

§. 7. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, ac dicti Benedicti Prædecessoris in favorem ejusdem Ordinis concessa, quæ incipit -- *Universalis Ecclesiæ* -- aliisque etiam in Synodalibus, Provincialibus, Universalibus, & Generalibus Conciliis editis vel edendis, specialibus vel generalibus consuetudinibus, & Ordinationibus Apostolicis, dictique Ordinis, etiam in Capitulis Generalibus conditis, etiam juramento, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eidem Ordini, & Nationi præfatæ, illorumque Superioribus, & personis in contrarium præmissorum quomodolibet etiam pluries concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque tenoribus, specialis & expressa, ac de verbo ad verbum mentio seu quævis alia expressio facienda, ad hoc servanda foret, eorum tenores eisdem præsentibus pro plene expressis habentes, illis aliter in suo robore permansuris, latissime ac plenissime, ac specialiter & expresse, hac vice dumtaxat derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 8. Volumus autem earumdem præsentium literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici, vel Agentis ejusdem Nationis subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ, aut ejusdem Commissarii Nationalis, munitis, eadem prorsus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ & ostensæ.

§. 9. Nulli ergo omnino hominum licet hanc paginam Nostræ absolutionis, revocationis, rescissionis, abrogationis, restitutionis, repositionis, reintegrationis, declarationis, confirmationis, approbationis, decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo trigesimo primo, decimo octavo Kalendas Octobris, Pontificatus Nostri Anno Secundo.

A. Card. Pro-Datarius.

F. Card. Oliverius.

VISA

De Curia I. Archiepiscopus Ancyranus.

Lucas Martinettus.

XLIX. Approbantur Constitutiones pro Seminariis Ecclesiasticorum in Regno Aragoniæ erectis, & alibi erigendis, sub DD. Episcoporum jurisdictione, ad illorum institutionem, qui in muneribus Apostolicis sint exercendi, & Ecclesiasticæ Disciplinæ incrementum.

CLEMENS PAPA XII.

Dat. die 6. Nov. 1731. Pontif. II.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procœmium.

Militantis Ecclesiæ regimini, meritis licet imparibus, per ineffabilem Divinæ Sapientiæ atque Bonitatis abundantiam præsidentes, pia virorum in sortem Domini vocatorum, ac propriæ alienæque saluti laudabiliter incumbentium instituta, quo uberiores in dies bonorum operum fructus adspirante superni favoris auxilio proferre valeant, paterno affectu libenter

prosequi-

prosequimur; & illis, quæ pro felici eorum directione provide prudenterque constituta ac ordinata esse noscuntur, ut firma semper atque illibata persistant, Apostolici muniminis adjungimus firmitatem.

Institutio Seminariorum de quibus in Rubrica.

§. 1. Nuper siquidem pro parte Venerabilium Fratrum Nostrorum, Archiepiscopi Cæsaraugustani, ac Episcoporum Barbastren., Tirasonen., Albaracinen., & Terulen., Nobis expositum fuit, quod aliàs videlicet ingruentibus in Hispaniarum Regnis non sine ingenti Christifidelium in spiritualibus ac temporalibus damno, & præsertim disciplinæ Ecclesiasticæ detrimento, novissimis bellorum motibus, pravisque exinde in omni fere personarum genere sensim pullulantibus moribus, dilectus filius Franciscus Ferrer, ac quinque alii Presbyteri sæculares, divino nomine ducti, hisce malis ac incommodis occurrere, & priscæ disciplinæ Ecclesiasticæ instaurationi, spiritualibusque animarum eorumdem fidelium necessitatibus aliqua opportuna ratione prospicere cupientes, in B. M. Virginis de la Bella nuncupat. Civitatis Barbastren. sanctuarium insimul convenerunt, ibique Divino implorato præsidio post maturam considerationem, ac cum consilio & approbatione tunc existentis Episcopi Barbastren., aliorumque infrascriptorum Diœcesum Ordinariorum licentia & consensu, ad majorem Dei gloriam, animarumque ejusmodi salutem, & Ecclesiasticæ Disciplinæ præfatæ instaurationem, unum in Barbastren., aliud in Tirasonen., duo in Cæsaraugustan. alterum in Albaracinen., unum in Terulen., ac demum alia in aliis Diœcesibus Seminaria pro nonnullis Presbyteris, seu Clericis sæcularibus, Operariis nuncupatis, nullo voto adstrictis, sed solo charitatis vinculo conjunctis; qui sub obedientia pro tempore existentis ipsorum Seminariorum Superioris Præsidis nuncupati, ibidem vivere debeant, Ordinaria auctoritate fundari & erigi curarunt, ac pro bono dictorum Seminariorum regimine quædam Statuta, Constitutiones, & Regulas ab iisdem Ordinariis subinde approbata, in omnibus, & singulis Seminariis hujusmodi jam fundatis & erectis, ac deinceps fundandis & erigendis, exacte servanda condiderunt tenoris, qui sequitur, videlicet:

Statuta illis data.

Illorum institutionis scopus.

§. 2. Horum Seminariorum finis est gloria Divina, Domini Nostri Jesu Christi imitatio, & non modo proprium profectum, sed Ecclesiasticorum juvamen & perfectionem, ac proximorum omnium salutem procurare. Proprium profectum oratione, mortificatione, mundi despectu, & Christi Domini in omnibus suis virtutibus imitatione: Ecclesiasticorum juvamen & perfectionem, in Ecclesiasticis etiam & Sacerdotibus instituendis, qui dedicari Apostolicis ministeriis desiderent, & in spiritualibus exercitiis nedum Ordinandis, verum etiam Parochis, & quibusvis Ecclesiasticis ministrandis: Proximorum salutem in eorum confessionibus audiendis, in concionibus, exhortationibus, & frequentibus missionibus habendis. Pro quibus omnibus bene rectoque ordine observandis sequentes Regulæ, ex vita ipsius Christi Domini expressæ, sub cujus magisterio vivunt, & quem imitari profitentur hujusmodi Seminariorum Operarii, perpetuo custodiendæ traduntur.

Seminaria hæc sub Ordinariorum Obedientia.

§. 3. Christus Dominus, quum in oratione pernoctasset, vocavit Discipulos, & elegit duodecim ex ipsis, quos Apostolos nominavit, amoris vinculo ac lege eos congregando sub visibili capite, quod fuit Christus, & post eum Sanctus Petrus ejus Vicarius. Ad ipsius imitationem hæc ordinantur Seminaria ex Sacerdotibus & Ecclesiasticis nullo voto, sed solo charitatis vinculo copulatis, sub obedientia Episcoporum, in quorum Diœcesibus Seminaria erecta sint, adhuc & sui immediati Præsidis.

Act. I. 15.

De Præsidis;

§. 4. In S. Matthiæ electione totum intervenit Apostolicum collegium, sic in electione Præsidis uniuscujusque Seminarii Sacerdotes omnes, qui per biennium in eo fuerint commorati, & permanenter in eodem vivant, concurrere debeant, & de eorum numero suum Præsidem per suffragia secreta eligant, qui triennii spatio Seminarium regat, & gubernet. Eligendus etiam erit ab iisdem Vice-Præses, qui in Præsidis absentia vices ejusdem gerat, & si iste defecerit, præeat, tamquam Superior, antiquior Seminarii Sacerdos -- Necnon Procurator, qui sedulo, sed sine solicitudine, necessaria opportuno provideat tempore, ordineque distribuat, nihil absque Præsidis nutu mutuando, nec dando, & quotannis integram Congregationi rationem de omnibus reddendo, quam si præfati DD. Episcopi petierint, ipsis continuo danda sit -- Secretarius, qui Seminarii resolutiones in libro ad hoc conficiendo notet, epistolas, aliaque gravia Seminarii negocia scribat -- Director Seminaristarum, qui in ipsorum conferentiis, & exercitiis præsideat, curamque habeat -- Director Sacrarii, qui Seminaristarum, domesticorumque juvamine curet, ut quæcumque ad Ecclesiam, Altaria, & Paramenta pertinent, honesta, purissima, rectoque ordine disposita sint, & collocata -- Director cœremoniarum & cantus, qui Seminaristas, & alios in cantu, sacrisque Ritibus instruat -- Director Tironum, qui Clericos & laicos ad probationem admissos dirigat, & in omnibus eorum vocationi congruentibus erudiat -- Directores Exercitiorum & Missionum, qui extra Seminarium præsideant cæteris Operariis, tamquam Superiores -- Corrector, qui juxta charitatis legem errantes corripiat -- Minister Infirmorum, qui omnem curam de ipsis habeat, ac de necessariis prompte & charitative provideat, atque solatium omne in corporalibus & spiritualibus ipsis præstet. Et ut omnia supradicta recto dirigantur ordine, ac debitum sortiantur effectum, omnibus in spectantibus ad cujuscumque munia tenebuntur Præsidem consulere, & illi penitus obedire.

Vice-Præsidis.

Procuratoris;

Secretarii;

Ac Directorum electione, eorumque officio.

§. 5. Ad eosdem Sacerdotes pertinebit nedum admissio Sacerdotum, seu Ecclesiasticorum, qui in Seminario tamquam Operarii persistere desiderent, verum eorum, qui ad tempus in eo erudiri velint, atque etiam admissio Fratrum laicorum, qui ad temporalia ministeria dedicari possint. Quæ omnia tam officia proxime descripta, quam Sacerdotum seu Ecclesiasticorum admissiones, approbari omnino a D. Episcopo, in cujus Diœcesi Seminarium sit, debeant. Et pariter, si forte contingat, ut aliquem a Seminario expelli conveniat; itaut nulla a Seminario expulsio fieri valeat, nisi consulto prius D. Episcopo, eoque approbante. Nullusque a Seminario expelli possit, nisi gravibus de causis, incorrigibilitate nimirum, aut scandaloso crimine. Nemo vero ob ægritudinem, etsi ineptus ad munia Seminarii efficiatur, poterit unquam excludi.

Totalis Episcopo subordinatio in admittendis, expellendis &c. Operariis, Sacerdotibus &c.

§. 6. Operariorum admissioni Christi Domini sectando exemplum fervidæ sunt orationes præmittendæ. Itaque eorum, qui permanenter in Seminariis vivere quærent, vocationis, virtutum, scientiæ, talenti, indolis, zeli salutis animarum, solicita fiet indagatio. Ut autem hæ qualitates in admittendis necessariæ melius cognoscantur, valde conveniens erit, ut eorum electio, si fieri potest, sit ex his, qui vel in Seminario sint educati, aut in Missionibus cum Operariis versati fuerint. Præfatis ergo prædicti qualitatibus, & Ordine Sacro initiati, seu ad eum proxime dispositi, ad unius anni probationem,

De Alumnis admittendis,

Eorumque tirocinio.

nem, & si in Seminario vel Operariorum comitatu non se exercuerint, duorum annorum, cum majori parte Sacerdotum suffragantium, & Episcopi approbatione admittendi sunt. Quo tempore respective finito, calculis albis & nigris ad electionem vel reprobationem devenietur; isque in Seminarium censebitur admissus, cui calculorum alborum major numerus suffragabitur, & D. Episcopi approbatio: quod si tot albi quot nigri reperiantur, admissio usque ad majorem probationem differatur. Qui autem in aliquo Seminario non perseveraverit, in nullum aliud admittatur, nisi hoc fiat de communi utriusque Seminarii, a quo, & ad quod, consensu, quando ob aliquam rationabilem causam convenire existimetur: consulto tamen & approbante D. Episcopo. Admissio autem eorum Sacerdotum, seu Ecclesiasticorum, qui pro sui ipsorum instructione in Seminario degere ad tempus desiderant, vel in domibus suis viventes in ministeriis instituti Operarios adjuvare, & in iis sese exercere velint, eodem modo per majorem partem Sacerdotum suffragantium fieri debeat, quando prudenti judicio, attentis eorum qualitatibus, scientia, & moribus, profuturi existimentur.

In Seminarium per secretum admittendi scrutinium.

§. 7. Electio omnium officiorum erit ad triennium; quo transacto, in ipsis vel in aliis, prout opportunius judicetur, est repetenda. Nullus tamen honorifica munia ambire præsumat (quod si quis aliter fecerit, inhabilis maneat) neque sub humilitatis specie recusare contendat, sed aliorum sese subjiciens judicio onus humiliter acceptet, non tamquam dominaturus, sed ut charitate, mansuetudine, vigilantia, cæterisque virtutibus, aliis præeat, & omnia sui muneris fortiter suaviterque disponat & dirigat, & omnium vita dirigi per sequentes Regulas debeat.

De Officialium electione.

De iis, quæ pertinent ad communem Seminariorum observantiam.

§. 8. Quum orationi & ministerio verbi Jesus & Apostoli instantes fuerint, scriptumque sit -- *Domus mea Domus orationis vocabitur* -- Operarii illud omnino implere contendent -- *oportet semper orare, & non deficere* --, tum affectuosam Dei præsentiam in ipsis & in aliis promovendo, tum mentali orationi per duas horas in loco destinando congregati vacando, hyemali tempore tam mane quam vespere a quinta usque ad sextam horam: æstate autem a quarta & dimidia usque ad quintam & dimidiam mane, & a quinta usque ad sextam vespere. Oratio quidem matutina finietur cum litaniis majoribus, additis orationibus pro Papa, pro Episcopis, & Congregationibus, pro Rege, & pro aliis necessitatibus occurrentibus, ad Præsidis libitum recitandis. Vespertina vero cum litaniis, antiphona, versu, & oratione B. M. Virginis. Missionum autem tempore unius saltem horæ spatio, quum magis opportunum videbitur, orationi vacabunt, ejusque usum Clericis omnibus efficaciter suadebunt, & ipsi sicut Operarii alios orationem in concionibus edocebunt, & ad illius exercitium hortabuntur: quam etiam in qualibet Parochia tum publice, tum in privatis domibus introduci, augeri, & conservari curabunt, ut sic hæc Seminaria vere Domus orationis ab omnibus gentibus vocari queant.

Matth. XXI. 3. *Luc. XVIII. 1.*

De Oratione mentali.

§. 9. Cum vocali oratione mentalis semper conjungatur, ne de nobis illud verificetur: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Itaque in Rosario B. M. Virginis (quod in Sacello hora congrua vespertina recitandum quotidie erit cum litaniis) ejusdem mysteria consideranda sunt, propriæ necessitates B. Virgini exponendæ, & magna cum fiducia remedium ab ea petendum. Similiter in Divino Officio, statutis horis ab unoquoque persolvendo, attentio ad verum sensum, seu aliquod Christi mysterium, vel ad aliquam aliam veritatem, saluti animæ proficuam, studiose adhibenda est, omnia ad Deum præsentem referendo, & semper curando, ut exterior reverentia interiorem comitetur. Psalmi paulatim atque cum pausa unoquoque in versiculo persolvendi erunt, ac tam mentalis oratio quam vocalis flexis genibus (nisi aliqua inciderit corporis imbecillitas) implenda: præsens semper in omnibus illud habendo. *Maledictus, qui facit opus Dei fraudulenter.*

Matth. XV. 8. Jer. XLVIII. 10.

Jerem. ibid.

§. 10. Ad exemplum Jesu Christi Domini nostri, cujus opera, verba, & cogitationes, divina cum voluntate conformia semper fuere, omnes in Seminariis commorantes suæ conscientiæ examini generali & particulari ante prandium & cœnam in loco destinando quotidie convenient: & singillatim unusquisque ante quodlibet opus diligenter exquiret, num ex charitate nascatur, & ejus finis sit gloria Divina. Opere vero completo, defectus, eorumque radices penitus evellere curabunt.

De examine conscientiæ bis die qualibet faciendo.

§. 11. Christi Domini, qui Nazarethi Synagogam intrans, *surrexit legere*, exemplum sectantes, omnes hora secunda vespertina per duos quadrantes spirituali incumbant lectioni, & aliquod novi Testamenti semper perlegant caput, ut ita mens illustretur, voluntas moveatur, atque in animo, quidquid ad nostrum aliorumque spiritualem profectum Dominus donaverit, infigatur. Spiritualis etiam lectio qualibet in comestione est habenda, ut quum aliter corpus, anima quoque reficiatur, cui debita adhibeatur attentio.

Luc. IV. 18.

De Lectione spirituali.

§. 12. Christi Domini silentium adhuc Pilato magnam attulit admirationem. Illum imitando, idem silentium perpetuo in Seminario observabitur, (tempore recreationis dumtaxat excepto, tribus videlicet quadrantibus post prandium, duobusque post cœnam, ubi omnes convenient) extra id tempus, nonnisi de speciali aut generali Præsidentis licentia in loco, ad id præfinito, necessitate, charitate, aut urbanitate instante, & quidem voce leni sermones conferentur: quæ quidem circumstantiæ, ut quis alienum ingrediatur cubiculum, quantum fieri possit, observentur.

De Silentio.

§. 13. Quum Christus Dominus extra tempus suæ prædicationis, & quando charitatis officia aliter non postulabant, solitudinem semper quæsierit; Operarii, quando alicui ex suis ministeriis non incumbant, hanc solitudinem omnino curare debeant. Et ut commodius regulatur animi collectio, stricta in Seminario servabitur clausura, itaut nemo absque expressa Præsidis licentia de domo egrediatur, neque sine necessitate aliqua aut utilitate e cubiculo suo discedat, & de hoc veniam prius a Domino Jesu humiliter deprecando. In sensuum vero, potentiarumque recollectione peculiarem ubique curam omnes habeant, discretionis tamen, modestiæ, christianæque urbanitatis regulas in omnibus custodiendo.

De Solitudine, & clausura servanda.

§. 14. Christi Domini, qui in cœna feria quinta, & sequenti in Ara Crucis, atque frequenter se obtulit Æterno Patri, quoad vixit, exemplum sequendo, omnes Seminarii Sacerdotes exacta præparatione, reverentia, devotione, & Ecclesiæ rituum impletione, dum legitime impediti non fuerint, hora, cuique a Præside præscripta, Sacrum quotidie celebrarunt, dimidiæ horæ tempus in celebratione impendendo, tantumdemque temporis in gratiarum actione semper insument, nisi pœnitentium multitudo, aliave justa causa gratiarum actionem breviare cogat. Sacrum vero peragentes, ad Eucharistiam sumendam paratis eam semper ministrabunt.

De Missa quotidie a Sacerdotibus celebranda.

§. 15. Ad

De Ritibus adamuſſim ſervandis:

§. 15. Ad majorem autem ſacrorum Rituum obſervantiam, Ritus attente quolibet menſe relegant, aliique aliorum Sacrificiis inſerviant, & de defectibus, quos notaverint, ipſos diſcrete admoneant; ſed ut majori cum puritate & gratia ad tantum accedant Sacramentum, charitatis fervorem quotidie in ſe ipſis accurate ſtudeant promovere, & unaquaque hebdomada ut minimum ter, & ſingulis diebus, ſi commode fieri poteſt, ſacramentaliter confiteantur, & frequenter cum Confeſſario, a Præſule ad id ſpecialiter deputato, Laici ſemel in hebdomada utroque Sacramento reficientur.

Deque Sacramentali Confeſſione.

§. 16. Jeſu Chriſti vita continua mortificatio ſemper fuit: ad cujus imitationem omnes in Seminario degentes ſummam curam, in ſe interne & externe mortificando, ponere continuo debere ſciant. Itaque quoad externam mortificationem omnibus feriis ſextis & Sabbatis totius anni (feria autem ſexta majoris hebdomadæ pane & aqua contenti) jejunabunt: Qualibet feria quarta & ſexta, totoque Adventus & Quadrageſimæ tempore, feria etiam ſecunda, poſt Roſarium in Sacello congregati, carnem flagellis macerabunt, niſi aliquibus in ſolemnitatibus, aut alia juſta de cauſa id in aliud Præſes commutaverit: de conſilio tamen proprii Directoris, congruum erit, alias pro cujuſque viribus mortificationes exercere.

De Jejuniis cæteriſque operibus mortificationis.

§. 17. Tempore vero Miſſionum Operariorum Directores miniſteriorum fatigationes cum ipſorum viribus appendent: & ſi incompatibiles, aut valde difficiles prædictas mortificationes in ſe vel in aliis eſſe repererint, eas, aut aliquam ex iis diſpenſare cum debito conſilio valebunt, ut ita Operarii vires, quas in diſpenſatis mortificationibus impendere debebant, in proximiorum ſalutem avidius inſumere valeant.

Hæc vero diſpenſari poſſe tempore Miſſionum.

§. 18. Quoad interiorem mortificationem noſtrarum omnium paſſionum, ſenſuum, potentiarumque frenatio, ſummopere eſt ſervanda, eorum operationes & delectationes, nedum illicitas & periculoſas, verum etiam & inutiles depellendo, atque rationi, & divinæ voluntati totaliter ſubjiciendo. Quam neceſſaria nobis, qui Jeſum imitari contendimus, ſit iſta mortificatio, ipſe expreſſit, dicens: *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me*; Et Apoſtolus, dum ait: *Semper mortificationem Jeſu in corpore noſtro circumferentes, ut & vita Jeſu manifeſtetur in corporibus noſtris.*

De interiori mortificatione.

Luc. IX. 23.

2. Corinth. IV. 10.

§. 19. Jeſu, qui cum Doctoribus in Templo, & cum Diſcipulis ſæpe diſſeruit, exemplum ſectando, Operarii primo cujuſque hebdomadæ feriato die ab hora ſecunda & dimidia poſt meridiem uſque ad tertiam & duos quadrantes ſuper materia, octo ante dies aſſignata a Præſide, tum de morali tum de myſtica Theologia conferentias habebunt, ad quas omnes Sacerdotes & Eccleſiaſtici, tam qui ad tempus in Seminariis pro eorum inſtructione commorantur, quam qui, in domibus ſuis viventes, pro eadem inſtructione Seminaria frequentant, intervenire poſſint; in omnibus tamen modeſtia intentioque pura ſervetur, non diſputandi livore, ſed ſcopum veritatis inveniendi, ut verior uniformiorque imbibatur doctrina tam moralis, in Confeſſionibus audiendis ſine relaxatione obſervanda, quam myſtica, in animarum directione omnino ſecura tenenda. Singulis pariter in hebdomadis feria ſexta ab eadem hora ſecunda cum dimidia uſque ad tertiam ſoli Operarii congregabuntur, ut inter ſe de iis omnibus conferant, quæ remedio indigere exiſtiment, ut provideatur, quidquid ad Seminarii regimen utilius appareat, & ad Conſtitutionum rigidiorem obſervantiam, humilitatemque in omnibus fovendam; quod ut utilius obtineri poſſit, licitum unicuique ſit, & præcipue Correctori ſupra deſtinato, ſumma cum modeſtia, diſcretione, & claritate aperire in genere lapſus, quos remedio indigere agnoverint. Et Præſes circa omnia, quæ tractata fuerint & expoſita, ſuam brevem hortationem faciet, ut quæ decreta fuerint, accurate ſerventur. Præfectuſque Corrector memor ſit ſui officii, ut debita cum charitate, diſcretione, & modeſtia, tempore opportuno ſecreto de defectibus, quos obſervaverit, fratres ſuos moneat.

De DeConferentiis ſpiritualibus.

Cæteriſque Seminarii utilitatem reſpicientibus.

§. 20. Chriſti Domini, qui talari ſemper tunica incedebat indutus, in itineribus & cubiculis talarem ſemper deferant veſtem, nihil ſericum habentem, ſed omni ex parte honeſtam, & Eccleſiæ ſtatutis, & ſæcularibus Sacerdotibus, moderatius viventibus, prorſus conformem. Fratres vero laici breviori utantur indumento.

De Veſte Talari, ejuſque materia.

§. 21. Chriſtum Dominum, qui exemplum temperantiæ ſemper fuit, quoad fieri poſſit, imitando, omnes in Seminario viventes temperantiam accurate cuſtodient, ac potum tamquam medelam ſuo tempore ſument, ſolita qualitate & quantitate contenti, octo videlicet unciarum arietinæ carnis pondo, cum ſuilla & oleribus juxta temporum varietatem pro meridiana comeſtione, & ſex pro nocturna horis debitis, pro temporum diverſitate aſſignandis. Diebus autem jejuniorum tria calida in prandium fercula miniſtrentur, & in hoc aliquid addere ſeu commutare aliqua de cauſa, cujuſdam puta ſolemnitatis, aut neceſſitatis, Præſes valebit: habituali autem ægritudine laborantes, ni imbecillitas obfuerit, jejunii cuſtodiant formam, & veſpertinam, ut jejunantes ſumant refectiunculam; in quantitate tamen, ciborumque condimento omnino ſervetur æqualitas. Quamlibet ante comeſtionem fiat menſæ benedictio, & poſtea gratiarum actio; confeſtimque, B. M. Virginis Canticum alternatim dicentes, Eccleſiam petant, in qua genuflexi Antiphonam *Salve Regina* cum verſu & oratione Virginis recitantes gratiarum actioni finem imponent, & ad locum recreationis ſe conferent. Cum infirmis autem Miniſter, ad eorum aſſiſtentiam ſupra deſtinatus, tamquam mater cum filiis ſe gerat, curam ita de illis habendo, ut nedum nihil ex neceſſariis illis deſit, verum etiam nec quidquam, quod ad eorum ſolatium proficere poſſit.

De Victu, ejuſque qualitate.

§. 22. Chriſtus Dominus, qui Cœli & Terræ habebat imperium, pauperrimam nihilominus vitam duxit; Quem operarii imitando ſpiritus paupertatem ſumma procurabunt diligentia; & licet rerum dominium non amittant, ab adminiſtratione tamen, quantum poſſint, abſtineant; quam Seminarium nunquam in ſe recipiat, nec aliud inquirat, quam illud, quod juxta ſtatutum domus exiſtimatum fuerit, unumquemque contribuere poſſe. Itaque eam plene ſuis Procuratoribus committere debebant, & reditus ita diſtribuere, & expendere curent, ut ex ipſis Eccleſiaſtici omnes ſumere exemplum poſſint.

De paupertate ſpiritus.

§. 23. Jeſus Chriſtus Dominus Noſter non tantum perfectiſſime illibatam ſervavit puritatem, ſed ita in omnibus ſe geſſit, ut neque inimicos ejus, qui tot illi falſo calumnias impoſuere, minimam in eo notam legatur exprobaſſe. Quem imitatione proſequendo in Seminario commorantes dum miniſteria ſua exercebunt in quibus proximorum ſaluti incumbere debent, quidquid puritatem obumbrare poſſit, accurate fugere ſtudebunt; & inſuper mulierum quantumvis honeſtarum conſortia vitabunt: ſenſus & potentias ab hujuſmodi objectis enixe cohibebunt: otium tota-

De morum honeſtate.

liter fugient: cibi potusque, maxime vini, temperantiam perfecte custodient: ac denique a Domino castitatem enixe deprecabuntur.

1. *Philip. II. 7.* De Obedientia.

§. 24. Jesus, *factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis*, hujus magnæ virtutis nobis reliquit exemplum, quod omnes his in Seminariis degentes adeo imitari curabunt, ut in omnibus, quantumvis difficilioribus rebus, voluntatis promptitudine, judiciique subjectione suis Superioribus, esum in ipsis considerando, magna ubique obediant alacritate.

Romano Pontif. & Conciliorum Decretis.

§. 25. Et primo Pontifici Maximo, universalis Ecclesiæ Pastori, strictissimam profitebuntur obedientiam, & observantiam Apostolicarum Constitutionum & Conciliarium Decretorum, & signanter eorum, quæ a Sacro Concilio Tridentino edita fuerunt ad morum, & Ecclesiasticorum Disciplinæ reformationem. Quæ omnia solerter scire, promovere, & observare curabunt.

Episcopis, Præsidi, Directori &c. præstanda.

§. 26. DD. Episcopis Diœcesum, in quibus Seminaria erecta sint uti propriis Prælatis & Superioribus reverenter in omnibus obedient, mox Præsidi Seminarii, eoque absente ejusdem Vicesgerenti, quibus cum gaudio & perseverantia omnes pariter subjicientur. Iis DD. Episcopis, quorum in Territoriis Operarii laboraverint, in spectantibus ad illorum ovium salutem sicut subditi obsequentur; & unusquisque Directori deputato pro ministeriis, in quibus exercetur, pariter obsecundabit; ac tandem quisque in attinentibus ad suæ animæ profectum, suo penitus Directori, quem habere omnes debent, obedier.

De Mansuetudine.

§. 27. Præterquam quod tota Jesu Christi vita, passio, & mors, humilitatis & mansuetudinis est viva & efficax exhortatio, ipse propriis verbis nos docet dicens: *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde.* Quibus morantes in his Seminariis obtemperando, has suis in cordibus transcribere virtutes solicite studebunt, ut requiem animabus suis inveniant: in injuriis, persecutionibus, contumeliis gaudere semper curabunt, ut sic veri Christi imitatores efficiantur, illud semper memoria retinentes: *Sed & gloriamur in tribulationibus.*

Matth. II. 29.

De amore erga Proximos curaque eos ad bonam frugem reducendi.

§. 28. Jesus Christus, ab Incarnatione Divinam intuens, totisque viribus diligens Bonitatem, Divinum propagare honorem decrevit, arcana suæ Divinitatis, atque Humanitatis verbo & exemplo hominibus ostendens, ipsisque infinitos gratiæ thesauros lucrifaciens, institutensque Sacramenta, ut homines ea bene dispositi recipientes, vitam habeant, & abundantius habeant. Hujus charitatis præclaro exemplo illuminati ac moti Seminariorum Alumni, a se ipsis, rebusque omnibus imperfectam affectionem arcentes, viribus omnibus appretiative & intensive Dominum Deum ob infinitam ejus bonitatem toto prosequentur amore, zeloque Divini amoris & gloriæ accensi, eum in proximos pro viribus propagare studebunt; tum sicut Christus dilexit nos, eos diligendo: tum ad perfectam eorum reformationem, utque omnes convertantur & vivant, verbo & exemplo iis persuadendo: tum ut eamdem vitam frequenti ac digna Sacramentorum receptione augeant, & perpetuo conservent: atque ut etiam uberrima & copiosa auxilia a Domino ad hunc finem enixe deprecentur, eos exhortando: tum demum in Seminariis, exercitiis, & ministeriis ita se exercendo, ut omnibus prodesse possint, & ad omnes se extendant, summam in eo curam semper adhibendo, ut omnia a charitate proficiscantur, & cuncta fiant pro Dei gloria, illud in cordibus suis jugiter repetendo: *Soli Deo honor & gloria*; Et illud; *Non nobis Domine, sed nomini tuo da gloriam.*

§. 29. Ut autem Operariorum charitas præmineat, eorumque actiones dirigat, iidemque accendere valeant ignem, quem Christus venit in terram mittere, hoc sese implere, sicut & Sancti Apostoli; curabunt, id a Deo suppliciter & lacrymosè implorando, necnon profunda veneratione, ardentique affectu considerando mutuum & infinitum amorem, quo Tres Divinæ Personæ sese invicem diligunt, pariterque eum amorem, cujus divitias non dedignatæ sunt in homines effundere, ut tot ac tanta beneficia in eos collata testantur; Quod facientes Operarii, profecto optime cognoscent, qua charitate, quibusve mediis, etsi asperrimis, sese in victimam pro proximorum salute tradere debeant; Idque ut in se & in proximis consequantur, devotionem erga Deiparam Virginem Mariam, sub cujus protectione vivimus, nedum in cordibus suis, tamquam certissimum medium ad hoc & omnia bona consequenda, firmam perpetuo habebunt; verum etiam eam in proximorum omnium corde inserere semper curabunt.

1. Timoth. I. 17. De mutua charitate.

De Devotione erga Virginem Deiparam.

§. 30. Quod si omnes exteros sic diligere debemus, & ut se mutuo diligant, tantam curam adhibere; quid de mutuo inter Operarios amore dicendum erit, verba hunc exprimentia non suppetunt. Id tantum proferre liceat, quod omnes ita cor paratum habere debent, ut si aliquis infirmatur, cæteri infirmentur; adeout dicere unusquisque valeat: *Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis. Non diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate. In hoc cognoscimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.*

Roman. IX. 3. *1. Joan. III. 16. 18.*

De Virtutibus Moralibus.

§. 31. Omnes virtutes morales eminebant in Christo Jesu: Quare cum hujusmodi Seminariorum scopus sit ejus imitatio, omnes in iis commorantes magnopere satagant, illas discere a Divino Magistro: illas in cordibus suis altissime defigere: illas opportune & utiliter exercere: illas demum perficere & custodire tanquam pretiosas margaritas; ut omnibus virtutibus suffulti & vestiti Operarii benigne aspiciantur a Christo Jesu, eoque adjuvante, in proximis verbo & exemplo easdem facilius inserere possint.

De iis, quæ pertinent ad Ecclesiasticorum Institutionem.

§. 32. Jesus ad Divinam Gloriam propagandam, mundumque convertendum & reformandum, quos Sacerdotio, atque Evangelicæ prædicationi destinavit, ad suam scholam admisit, eos trium annorum spatio doctrina & exemplo illuminans, atque orationis, virtutum & mysteriorum, ad animarum salutem spectantium, praxim efficaciter iisdem ostendens. Cœleste hoc exemplum sequens Seminarium, nedum Ecclesiasticos perpetuo in eo commorantes, sed etiam Sacerdotes & Ecclesiasticos ejus Diœcesis, in qua situm erit, & si locus adsit, aliarum etiam Diœcesum, qui, de D. Episcopi licentia & approbatione, de iis omnibus instrui in ipso velint, quæ in eodem exercentur; si ornati existimentur qualitatibus illis, de quibus supra omnino amplectetur, ac solertem habebit curam, ut in singulis ministeriis mox exprimendis omnes instituantur.

De Directoris officio.

§. 33. Itaque eorum Directori debita incumbet cura nedum de ipsorum profectu spirituali, verum etiam de eorum institutione in iis omnibus ministeriis, Sacerdotum omnium adeo propriis, ut in eis se omnes exercere deberent. Quo ad eorum profectum curabunt, ut

iidem quolibet die interfint mentali orationi per horam integram mane, & per tantumdem temporis vespere: Sacræ etiam & spirituali lectioni per dimidiam horam: insuper Missæ celebrandæ vel audiendæ, ac B. M. V. Officio parvo (nisi ad majus teneantur) & ejusdem Rosario: necnon duplici conscientiæ examini. Quoad eorum institutionem Director parem habebit curam, ut tribus diebus in hebdomada, mane una hora cum dimidia, conferentias de materiis moralibus, eas dirigendo, inter se habeant, quas fieri debeant declaratione unius ex propositionibus ab Ecclesia damnatis: itemque conferentias de materiis Misticis duobus diebus vespere per horam, easque concludent declaratione unius capitis Concilii Tridentini. Poteruntque etiam conferentiis de morali & mistica doctrina, tenendis singulis secundis feriis ab Operariis Seminarii, assistere, quibus exercitiis non parum in utraque doctrina instruentur: una etiam die cujuslibet hebdomadæ in cantu & cæremoniis per suum ad id destinatum Directorem exercitabuntur.

De Exercitiis spiritualibus diebus festis complendis.

§. 34. Festis autem diebus recensitæ conferentiæ, atque Officii parvi loco, Divinum Officium omnes in unum collecti persolvent, & Conventuali Missæ modulantes assistent: Pœnitentiæ, & juxta Directoris consilium, Eucharistiæ Sacramenta, nisi in Sacerdotali gradu sint constituti, recipient & ex ipsis, qui ab eorum Directore fuerit assignatus, Christianam in Ecclesia doctrinam explicabit, ad quam simul cum concione, a Directore habenda, & aliquando ab aliquo ex ipsis Sacerdotibus, per duos aut tres quadrantes facienda, omnes attente assistere debebunt: jejunia, flagellationes, & silentium, sicut Operarii Seminarii servabunt.

§. 35. Quæ dicta sunt de iis, qui ad tempus in Seminario conviventes instrui desiderant, observari pariter debebunt ab iis, qui foris in domibus suis viventes admissi sint, ut instrui similiter possint, & proportione servata ab iis, qui jam bene instructi sint, & juvare Operarios in muneribus suis velint. At in fine cujuslibet anni (quod est tempus, quo in Seminario mansionem facere primi solent) de vocatione, progressu, indole, & talento uniuscujusque Seminaristæ D. Episcopo fidelis ratio, si ab eo vel ab ipsis petatur, reddenda erit. Et ut prædicta omnia debitum sortiantur effectum, magnopere curabitur, ut Seminaristarum Director & Confessarius sint virtute, scientiis, zelo, & experientia insignes.

De Seminaristarum moribus reddenda Episcopo quotannis ratio.

§. 36. Christus Jesus, qui adultorum educationi adeo invigilavit, parvulorum immemor non fuit, immo eos ad se venire impediri ægre ferens: *Sinite*, inquit, *parvulos venire ad me, & ne prohibueritis eos.* Hoc igitur exemplar sectando, sicut & id quod de Seminariis a Sac. Tridentino Concilio stabilitum habemus, si accidat, ut aliquod puerorum Seminaristarum Ecclesiasticum Collegium pro ejus cura, institutione, & eruditione his nostris Seminariis commendetur, illud ordinante Domino Episcopo admittere non recusetur, ut ita omnibus viis exempla sequentes Magistri nostri Jesu, animarum saluti, & Christianæ disciplinæ, itemque Ecclesiasticæ incremento modis omnibus curemus incumbere.

Seminaria ad institutionem acceptanda.

Matth. XIX. 14.

De Exercitiis spiritualibus peragendis.

§. 37. Jesus Christus, antequam incoaret suam prædicationem, in desertum se contulit, ibique quadraginta diebus immoratus fuit; adhucque prædicationis tempore frequenter cum Discipulis suis petere solebat solitaria loca; ipsique Discipuli ad Spiritum Sanctum recipiendum, & ad fructuosiorem prædicationem decem diebus in cœnaculo manserunt. Hæc exemplaria sequentes Operarii ad exercitia spiritualia decem dierum ut minimum spatio semel quotannis, & unius diei singulis mensibus sese recipiant.

§. 38. Spiritualia etiam decem dierum exercitia Seminaristis, de quibus supra, Operarii annuatim ministrabunt, postquam ii Seminarium ingressi erunt, & similiter Ordinandis ante singula Ordinum collationis tempora (in quibus qui ad majores Ordines assumendi sunt in cæremoniis etiam horis commodis excitabuntur) itemque Sacerdotibus tam sine cura quam cum cura animarum, tempore a Domino Episcopo assignando; necnon iis Ecclesiasticis, quos D. Episcopus per particulares epistolas remittet, itaut omnes Diœcesis Sacerdotes quolibet triennio semel saltem spiritualibus interfint exercitiis, prout D. Episcopus disposuerit, juxta ordinem & distributionem ab eo faciendam, eorum, qui anno quolibet exercitari debeant: Ac demum cuilibet cujuscumque status personæ extraordinaria poscenti exercitia, etiam pro opportunitate ministrabuntur, & omnes instruentur, ut suis in domibus singulis mensibus unam diem eisdem dedicent exercitiis.

§. 39. In præfatis exercitiis ministrandis illi ex Operariis exercitabuntur, qui ad id specialiter a Domino Episcopo deputati fuerint ex iis, qui a Præside tanquam aptiores ei proponentur. Hi octodecim habebunt conciones per unam horam, binas singulis diebus, quarum octo, quia ad institutionem præcipue tendunt, nuncupantur conferentiæ, sed omnes decem & octo ad Status Ecclesiastici munia, reformationem, animarum suarum directionem, ac Jesu Christi imitationem spectabunt.

§. 40. Spiritualibus exercitiis vacantes ad generalem præparentur confessionem, & interim a Missæ celebratione, si Sacerdotes sint, sese abstineant, conveniens erit. Orationi per duas saltem horas, lectione præcedente (in iis minime computanda) quarum altera mane, altera vero vespere, uniti assistent: lectioni spirituali per tempus ipsis assignandum vacabunt: & Divinum Officium, ac Rosarium B. M. V. cum Litaniis in Ecclesia mediocri voce recitabunt: duplici conscientiæ examine quotidie sedulo exercebuntur: Silentium totis decem diebus servabunt, & ad Dei præsentiam maxime attendent: nonnullis præterea diebus moderatæ fient mortificationes, quæ omnia cum horarum distributione jam sunt ordinata.

De iis, quæ pertinent ad proximorum omnium Salutem.

In vicinis Castellis audiendæ Generales Confessiones.

§. 41. Jesus Christus iter faciebat per Civitates & Castella, prædicans, & evangelizans Regnum Dei, & Duodecim cum illo. Hæc vestigia sequentes Operarii, de D. Episcopi licentia aliquot Sacerdotes ex iis, qui in Seminario fuerint educati, vel actu educentur, aut alios aptos, si oportuerit, secum ducentes, omnes populos, Castella, solitariasque domos Diœcesis in Missionibus peragrabunt. Qui parvis in Oppidis bini manebunt, in majoribus omnes associabuntur; & ex vicinis locis, si opus fuerit, aptiores convocabunt Confessarios, ut ita omnes sani & infirmi majori cum libertate, & animi solatio, generalem confessionem explere valeant.

Primaque Religionis ac Fidei tradenda rudimenta.

§. 42. Christianam doctrinam suis in his Missionibus quotidie explicabunt: Fidei Mysteria, Sacramenta, Missæ Sacrificium, Decalogi, & Sanctæ Ecclesiæ præcepta, ac modum Actus Fidei, Spei, & Charitatis eliciendi, dilucide declarabunt; & ea præcipue, quæ ad salutem sunt necessaria necessitate medii, multoties breviter iterabunt: singulis item diebus Apostolica simplicitate, & facili methodo populis prædicabunt, quæ Christus Dominus prædicabat,

ut peccatores ad pœnitentiam moveret, ac vitam ipsius, ejusque passionem & mortem in concionibus non semel inculcabunt, ac meditationem horum Mysteriorum doctrinæque Evangelicæ praxim enixe persuadebunt: Obligationesque parentum erga filios circa eorum educationem, & filiorum erga parentes quoad illorum obedientiam, frequenter declarabunt: atque omnia cætera, quæ movere ad pœnitentiam ac mutationem vitæ possunt, in suis concionibus, exemplis, & similitudinibus ignito spiritu insinuabunt.

Cùrandaque Ecclesiarum veneratio.

§. 43. Et quia de eo ab ipso Christo Domino satis edocti sumus, quod maxime offenditur ex neglecto in suis Templis Divini Numinis cultu, ut ostendit, quando de Templo ementes & vendentes ejecit; quùm nostris temporibus experiamur, quot irreverentiis multo majoribus Ecclesiæ, ubi ipsummet Christum Dominum præsentem habemus, afficiantur: Operarii unum diem in qualibet Missione assignabunt ad ponderandum, quantum Deus ex hoc læditur, & mala, quæ populis inde obveniunt, & quanto majora timere jure debent, nisi emendentur.

Matth. X. 22.

De modo claudendi Missiones.

§. 44. Et quoniam præcipuus Missionum fructus in perseverantia consistit, dicente Domino: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*: Missionem suam concludent ad hanc perseverantiam fideles exhortando, quam ut consequi a Deo possint, frequentiam Sacramentorum, Deiparæ Virginis devotionem, S. Joseph, S. Michaelis Archangeli, Angeli Custodis, & aliorum Sanctorum, & etiam Animarum purgantium, tanquàm tutissimum medium ad eam consequendam, efficaciter persuadebunt; necnon quotidianam Missæ Sacrificio assistentiam debita cum devotione. Alias etiam regulas quotidie observandas illis ministrabunt: Pro Indulgentiis enim consequendis, illis etiam, quas ignorant, & quæ operibus, seu orationibus, in quibus se exercent, sunt adnexæ, ne ipsas ex ignorantia vel negligentia amittant, populis persuadebunt, ut mane saltem singulis diebus generalem intentionem concipiant eas omnes lucrandi, quamquam ignotæ illis sint; & etiam opera, quibus annexæ sunt, applicandi juxta intentionem Romanorum Pontificum, vel Episcoporum, qui eas concesserunt, quam intentionem si quotidie repetant, eas consequentur: Similiter ne pauperes perdant, ut communiter accidit, meritum laborum suorum, tam eorum, quos ratione paupertatis, vel alio ex titulo, seu occasione patiuntur, quam eorum, quos pro alimentis quærendis in terræ cultura, in officiis & exercitiis continuo sustinent, illos de eo instruent, ut singulis diebus multoties, vel saltem mane, ea omnia cum cunctis suis operibus Deo pro ejus amore & gloria, & pro satisfactione suorum peccatorum offerant: Idemque consilium dare fidelibus omnibus in cunctis sermonibus non prætermittant, illud Apostoli repetendo: *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*; & illud: *Omnia vestra in charitate fiant.*

1. Corinth. X. 31. XVI. 14.

De audiendis Sacramentalibus Confessionibus &c.

§. 45. Ab ortu diei usque ad meridiem (demptotempore, ad Missæ Sacrificium, & quatuor minorum horarum divini Officii recitationem necessario) Sacramentales pro viribus confessiones excipient, pœnitentes veluti Dei imagines, Jesu Christi sanguine redemptos, resipiscentes, & ad generalem confessionem, peccatorumque radices aperiendas leniter & charitative disponent, & juvabunt, & præter satisfactorias pœnitentias, pro pœnitentium captu, & necessitate, medicinales etiam adhibebunt; & in oratione mentali eos, quos paratos invenerint, etiam instruent, maximeque eam omnibus commendabunt; & debitum modum vocalis exercendæ, ne fructum ejus perdant, edocebunt: unicuique pro suo captu & statu recte in posterum vivendi formam tradent: an in Christiana Doctrina sint bene instructi pro qualitate confitentium semper explorabunt, & ob ejus imperitiam aliamve causam in dispositis absolutionem different.

§. 46. Populorum discordias conciliare, litesque componere, vel ad arbitros Judices reducere sedulo studebunt; at ex Operariis nemo fiat litium arbiter, Christi verborum memor: *Quis me constituit Judicem inter vos?* Præterea scholam Christi, nempe Congregationem (ex qua uberes fructus ab iis colliguntur, qui eam frequentant) in populosis locis, ubi nondum fundata fuerit, fundari curabunt: & Parochis persuadebunt, ut qualibet in Parochia Rosarium B. M. V. recitandum stabiliant, & si fieri possit pro qualitate locorum, oratio mentalis per horæ dimidium fiat. Si quæ autem sint Parochiæ, in quibus doctrinæ Christianæ, & S. Evangelii declarationem juxta Sac. Conc. Trident. decreta omitti forte invenerint, charitative & discrete Parochum admoneant, ut tanti muneris non sit immemor. Rectores quoque, & Primarios populorum accurate, sed summa cum discretione & dexteritate, hortabuntur, ut scandalis ab origine extinguendis invigilent, bonisque operibus stabilitis perficiendis ipsimet populo præire studeant.

Luc. XII. 14.

De aliis piis operibus.

De mora in Oppidis.

§. 47. Operarii unoquoque in Oppido tanto temporis spatio consistent, quantum ad oppidanorum instructionem, confessiones audiendas, & omnia necessaria explenda necessarium esse cognoverint: & Communione generali peracta, semotaque omni visitatione, præterquam infirmorum, aliò se conferent. Nihil temporale præter necessarium ad communem frugalemque victum, etiamsi sponte oblatum, accipient; nec precibus acquiescentes ultra necessarium tempus in Oppido commorentur, memores Christum simili occasione respondisse: *Aliis civitatibus oportet me evangelizare Regnum Dei, quia ideo missus sum.*

Luc. IV. 46.

De Exercitiis, & Missionibus etiam in aliis Diœcesibus.

Matth. XVI. 15.

§. 48. Jesus Christus Judæam & ejus finitima primum lustravit verbo & exemplo; sed quum ejus charitas ad omnes extenderetur, dixit Apostolis: *Euntes in Mundum universum, prædicate Evangelium omni Creaturæ.* Quare ii Mundum peragrantes fundaverunt Ecclesias, suosque in illis Rectores constituerunt, quorum adjutorio regiones fœcundari, & in viam salutis æternæ dirigi melius possent. Sacris igitur his vestigiis inhærentes Operarii primum fœcundare studebunt exercitiis, Missionibus, Clericorumque formatione & directione propriam Diœcesim & Territoria finitima; sed sine eorum præjudicio de D. Episcopi licentia alias quoque Diœceses, præsertim si a DD. Episcopis sint vocati, perlustrabunt, spiritualia decem dierum exercitia ministrando omnibus Sacerdotibus cum cura & sine cura animarum in qualibet regione aliquo in Conventu, seu Sacello, vel in alio ipsius Territorii loco, ab ipsis DD. Episcopis assignando, ad quem suos convocaverint Sacerdotes: finitisque decem Exercitiorum diebus, in loco, ab eisdem describendo, Missionem incipient, & prosequentur, nisi ab eadem incipi DD. Episcopis melius visum fuerit, servatis semper omnibus, quæ suprà dicta sunt, ut ita transeant de regione in regionem.

De novis Fundationibus.

§. 49. Ut autem omnia supradicta magis propagentur, si nova Seminaria stabiliantur, per quæ Dei gloria, Disciplina Ecclesiastica, & animarum profectus amplificetur, id apprime animadvertetur juvante Domino, ut in unumquodque Seminarium competens Operariorum numerus admittatur. Itaque de D. Episcopi licentia ad

novas

novas Seminariorum fundationes, si ab aliis DD. Episcopis requirantur, tot mittendi erunt, quot fuerint necessarii, dummodo in proprio Seminario sufficiens Operariorum numerus remaneat; quum ratio, charitas, zelusque animarum exigant, ut Seminaria omnia, quamvis inter se quoad gubernium separata, sibi invicem auxilientur, quò possint ad Diœceses omnes extendi. Fundatores autem, ad novum Seminarium transeuntes, hujus Regulas, & munia ad praxim redigere curabunt; & exinde quandocumque necessitas postulaverit, vel opportunitas sese obtulerit, vel proprii Superioris præceptum accesserit, ad suum Seminarium tamquam ad propriam domum redeant, necesse erit.

Alia munia per Operarios obeunda.

§. 50. Ut autem plura in unum colligantur, Operariorum muneris erit, ad omnia suæ vocationi consentanea, a D. Episcopo ordinanda, charitatem extendere; cujusmodi sunt: Clericos correctione indigentes ad Seminarium missos benigne & fraterne suscipere ac dirigere: ad subveniendum alicujus Populi seu familiæ necessitati speciali solerter accurrere: tempore visitationis Diœcesis D. Episcopum sociare, vel ei præire docendo, prædicando, & confessiones audiendo.

Quod hæ Constitutiones obligent citrà ullum peccatum.

§. 51. Cæterum, tametsi in his Constitutionibus totum dictorum Seminariorum institutum, ejusque declaratio & observantia concludatur, eaque omnia a Seminariis omnibus sub iisdem regulis fundatis summopere optetur adimpleri; tamen quia multa in iis continentur, quæ non omnia in omnibus æque fieri poterunt, præsertim in principio alicujus fundationis, quando tot non adsunt Operarii, quot sunt necessarii ad ea penitus exequenda: & quia etiam nonnulla in iis continentur, quæ initio ardua videri possunt; idcirco adimendi causa animi anxietates, ac peccandi pericula, declaratur, quod hæ constitutiones obligant citra ullum peccatum. Præses vero maximam adhibeat curam, ut quæcumque per Operarios, qui in Seminario sunt, exerceri possunt, adamussim observentur; qui etiam tenetur contravenientes corrigere, & contumaces ad Seminarium deferre.

§. 52. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, experientia docuerit, præfata Statuta, Constitutiones, & Regulas, ad promovendum Divinam gloriam, Christi imitationem, disciplinamque Ecclesiasticam hujusmodi, & spiritualem animarum progressum maxime juvare; eaque ratione ab Episcopis, in quorum Diœcesibus supradicta Seminaria instituta reperiuntur, approbata jam fuerint, ut præfertur; quia vero salubri eorumdem Seminariorum directioni, & in eis pro tempore degentium paci & tranquillitati, necnon præmissorum firmiori subsistentiæ, & exactiori observantiæ plurimum conferre posset, si illa Apostolicæ confirmationis nostræ munimine roborarentur, ac ab omnibus & singulis in eisdem Seminariis tam fundatis & erectis, quam deinceps fundandis & erigendis, nunc & pro tempore degentibus, inviolabiliter observari debere, per Nos decerneretur; Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, &, ut infra, indulgere benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur piis eorumdem Exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, qui votum dilecti Filii Nostri Ludovici ipsius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Belluga nuncupati, ad hoc negotium examinandum ab eisdem Cardinalibus deputati, votum perpenderunt, consilio, præinserta Statuta, Constitutiones, & Regulas auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; ac omnes & singulos juris & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus: salva tamen in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Constitutiones hujusmodi confirmantur.

Clausulæ.

§. 53. Decernentes, easdem præsentes literas, ac præinserta Statuta, Constitutiones, & Regulas semper firma, valida, & efficacia existere & fore; suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia pleniissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 54. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis; necnon, quatenus opus sit, quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 55. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 6. Novembris 1731. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Pro D. Card. Oliverio
L. Arch. Thebarum.

Tres Eremi Ordinis Fratrum Servorum B. M. V. pro tempore existentium Provinciæ Romanæ Provincialium jurisdictioni subjiciuntur, etiam quoad Visitationem per eosdem Provinciales in dictis Eremis annis singulis peragendam.

L.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. die 14. Januarii An. Dom. 1732. Pont. II.

Quam utile Regulari disciplinæ sit, ut Conventus singuli a Superioribus sæpius invisantur.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Petrus Maria Pieri, Prior Generalis Ordinis Fratrum Servorum Beatæ Mariæ Virginis, quod ipse occasione, qua per sexennium munere Prioris Generalis dicti Ordinis perfunctus est, & adhuc de præsenti fungitur, longæva experientia comperiit, nihil esse utilius, ac magis proficuum ad promovendam observantiam &

disciplinam Regularem, quam si Superiores erga subditorum Regularium mores, eorumque vitæ rationem, ac in ordine ad instruendam utiliter rectam œconomiam rerum familiarium, ac bonorum administrationem assiduam adhibeant diligentiam, Domusque Regulares frequenter visitent, juxta præscriptum Constitutionum ipsius Ordinis, per quas sub Cap. 32. de Visitationibus expresse demandatur pro tempore existentibus Prioribus Generalibus, ut una vice saltem in sexennio eorum regiminis singulos totius Ordinis Conventus: Prioribus vero Provincialibus quolibet anno singulos Conventus earum respective Provinciarum visitare debeant; a qua quidem salubri sanctione licet non eximantur etiam Eremitæ ejusdem Ordinis, qui de illius corpore existunt, imo eidem obnoxii esse noscantur, ex quo in eorum peculiaribus Statutis sub Cap. 58. demptis in illis specialiter ordinatis, expresse præcipitur, ut reliquæ omnes ejusmodi Ordinis Constitutiones inviolabiliter observentur: excepta tamen Eremo Montis Senarii, quæ adinstar aliorum Conventuum quolibet anno a Priore Provinciali Etruriæ, & quolibet sexennio a Priore Generali hactenus visitari consuevit; in aliis vero tribus Eremis visitatio nunquam peracta fuit, in quibus proinde minus forsitan viget observantia, œconomicumque gubernium utilius constabiliri posset.

Ex Constit. Ordinis FF. Servorum B. M. hujusmodi Visitationem a Priore Generali semel saltem in sexennio, singulis annis a Prioribus Provincialibus faciendam.

In tribus tamen Eremis Eremitarum Ordinis ejusdem peracta cum nondum fuerit.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Petrus Maria Generalis dictam visitationem in prædictis tribus Eremis, scilicet Eremo Sancti Georgii in Lunigiana a prædicto Priore Provinciali Etruriæ, & in Eremis Beatæ Mariæ Virginis Loci Ciboriæ, ac Sancti Bonaventuræ Monterani a Priore Provinciali Provinciæ Romanæ faciendam eodem prorsus modo, qui in Eremo Montis Senarii, etiam in judicando, servari solet, inducere summopere desideret; idque propria authoritate statuere minime audeat, quamvis in vim prædictarum Constitutionum ea se uti posse existimet, veritus, ne prætextu inobservantiæ & contrariæ consuetudinis Eremitæ prædictorum Locorum visitationi, & jurisdictioni sese subjicere renuant; Nobis propterea dictus Petrus Maria Prior Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum Petrum Mariam Priorem Generalem specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut deinceps tres Eremi prædictæ, scilicet Sancti Georgii in Lunigiana Etruriæ, & Beatæ Mariæ Virginis Loci Ciboriæ ac Sancti Bonaventuræ Monterani, pro tempore existentium Romanæ Provinciæ respective Priorum Provincialium jurisdictioni subjici, & ab eisdem singulis annis visitari omnino debeant; itaut iidem Provinciales eamdem habeant & exerceant jurisdictionem, etiam in judicando, quam habet & exercet prædictus Provincialis in Eremo Montis Senarii hujusmodi, auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus & mandamus.

(Quæ sint Eremi, de quibus quæstio.)

Priori Provinciali Prov. Rom. non subjiciuntur, a quo singulis annis debeant visitari.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes pariter, præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis & Eremitarum prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 14. Januarii 1732. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

F. Card. Oliverius.

Nonnullæ Ordinationes pro restituendo antiquo cultu in Monasterio Sac. Specus prope Sublacum Congregationis Cassinen. Ordinis S. Benedicti. LI.

Præter quamplurima Privilegia Monasterio huic a Summis Pontificibus concessa, quæ referre longum una esset, atque inutile Innoc. XI. anno 1676. Nov. 17. statuit ad Abbatem Commendatarium Sublacen. pertinere approbare Confessarios pro E. Sacri Specus: Clemens autem XI. anno 1701. 22. Novemb. ad eum peregrinantibus plenariam Indulgentiam concessit.

CLEMENS PAPA XII.

Dat. die 7. Febr. 1732. Pont. An. II.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procœmium.

IN Suprema Principis Apostolorum Sede, meritis licet imparibus, divina dispositione constituti, ad ea, per quæ Sanctorum in Cœlis regnantium cultus in terris promoveatur, ac in dies augeatur, juxta creditum Nobis desuper Apostolicæ servitutis officium libenter intendimus, & piis Christifidelium, præsertim divinis obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipatorum, id exoptantium, votis favorabiliter annuimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Nuper siquidem pro parte dilectorum filiorum Præsidis Generalis, ac totius Congregationis Cassinensis Ordinis Sancti Benedicti, Nobis expositum fuit, quod statim ac ex hac mortali vita ad immarcescibilem gloriam feliciter transiit Divus Benedictus, Parens & Author tam præclari ac antiquissimi Monastici Ordinis, qui a suo nomine Benedictinus dicitur, unde, ut notum est, prodierunt tot Pontifices Maximi, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Episcopi, aliique vitæ sanctimonia, singulari pietate, ac doctrina incliti Viri, qui Ecclesiam Catholicam mirifice illustrarunt, Orthodoxamque Religionem multipliciter propagarunt, magno in honore ac veneratione a Christifidelibus haberi cæpit Sacer Specus, ubi idem Sanctus Benedictus in aspero Monte sub præcipiti rupe prope Sublacum plures annos solitarius delituit, ac prima Ordinis a se instituti fundamenta jecit. Unde in eo loco extructum fuit Monasterium Monachorum dicti Ordinis sub denominatione

Sacri Specus Sublacensis decora.

Sacri

Monasterii hujus historia.

Sacri Specus, ac Congregationis Specuensis, in quod exemplo gestorum ab ipso Sancto Benedicto, dum inter homines versabatur, duodecim Monachi cucullati cum eis inservientibus primum introducti sunt; licetque subinde ejusmodi Monasterium ob bella, incendia, barbarorum incursiones, aliasque ingruentes calamitates funditus eversum, ac tametsi multoties instauratum, ac vicissim dirutum fuisset, nihilominus illo rursus ædificato Anno MCC. Romanus, tunc temporis Abbas Monasterii Sanctæ Scholasticæ Sublacen. ejusdem Ordinis, mandavit, ut in dicto Monasterio Sacri Specus continuo residerent unus Præpositus sive Prior Claustralis cum suis Monachis juxta præscriptum Regulæ ipsius Sancti Benedicti, iisque per Monasterium Sanctæ Scholasticæ, non longe inde dissitum, necessaria alimenta subministrarentur, ac ægroti deferrentur, illic curandi. Sed quia successu temporis dicti duodecim Monachi forsan sustentari nequibant, quondam Landus, prædicti Monasterii Sanctæ Scholasticæ itidem Abbas, jussu recolendæ memoriæ Gregorii Papæ IX. Prædecessoris Nostri, qui devotionis causa Sacrum Specum inviserat, ordinavit, sex ibidem Monachos jugiter Deo famulari debere, quibus diversas possessiones pro eorum subsistentia concessit; Sexque Monachi hujusmodi in præfato Monasterio Sacri Specus resederunt usque ad Annum MCCCXX. cum tunc Bartholomæus Abbas videns concursum hospitum peregrinorum, aliorumque piorum fidelium, qui Sacrum eum Locum assidue visitatum ibant, vestigiis, ac Regulæ ejusdem Sancti Benedicti insistendo, denuo decrevit, ut in prædicto Monasterio Sacri Specus duodecim Monachi sub regimine hujus Prioris Claustralis degerent, pro quorum alimonia, ultra varia bona jam a suis Antecessoribus donata, annuos ipsius Monasterii reditus adauxit. Idipsum quoque disposuerunt felicis recordationis Alexander IV., & Gregorius X. Romani Pontifices Prædecessores Nostri, qui ratas habuerunt omnes donationes dicto Monasterio Sacri Specus antea factas: mandantes, quod ibi semper foret unus Prior cum duodecim Monachis, ac duobus Oblatis seu Conversis, quodque Abbas Monasterii Sanctæ Scholasticæ, qui præfati Monasterii Sacri Specus Superior remanebat, sumptus panis & vini tam iis, quam hospitibus adventatibus dietim suppeditaret. Quæ omnia sic ordinata postmodum Anno MCCCLXXV. similis recordationis Gregorius XI. Prædecessor quoque Noster Apostolica auctoritate approbavit & confirmavit. Increbrescente autem exinde fervore Monachorum, qui certatim Sacrum Specum inhabitare cupiebant, usque ab Anno MCCCLXXI. Franciscus Abbas supradicti Monasterii Sanctæ Scholasticæ, pio eorum desiderio satisfacere volens, quasdam in locis eidem Sacro Specui vicinis construxit Ædes ad instar Heremorum, quas incolebant Monachi, qui solitudinem & arctiorem vitam ducere avebant; itaut cum paris memoriæ Pius Papa II. Prædecessor etiam Noster Anno MCCCCLXI. ad Sacrum Specum devenisset, viginti Monachos ibi degentes, ut plurimum senes, viribus tamen valentes ac vegetos, etsi austeriorem vivendi rationem retinerent, non sine peculiari animi sui oblectatione, ac speciali ædificatione invenerit. Quæ quidem laudabilis disciplina a tempore piæ memoriæ Gregorii Papæ IV. Prædecessoris quoque Nostri in dicto Monasterio Sacri Specus duravit usque ad Annum MDXIV. quo idem Monasterium Sanctæ Scholasticæ ipsi Congregationi Cassinensi aggregatum fuit; abinde vero, vel istius Monasterii Abbatum incuria, vel quia illud commendari cæpit, antiquus ille mos ac cultus tantopere commendatus, ac tot decretis Pontificiis munitus, sensim exolevit; dictumque Monasterium Sacri Specus prope desertum jacuit, *utpote in quo diu unicus, ac novissime duo Monachi dumtaxat aderant, quamvis populi, ac præsertim peregrinorum non deesset frequentia, donec felicis itidem recordationis Clemens Papa XI. Prædecessor Noster pro sua in Deum pietate, & erga Sacrum Locum, quem pluries ante suam assumptionem ad Summi Apostolatus apicem personaliter visitaverat, devotione, omnibus & singulis Christifidelibus ad Ecclesiam ejusdem Sacri Specus peregrinantibus, vereque pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, illam visitantibus, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam & remissionem, semel in anno per unumquemque lucrifaciendam, concessit; ac successivè ab Officio Pœnitentiariæ Apostolicæ attributa fuit duobus Monachis ibidem commorantibus facultas absolvendi dictos fideles a peccatis, censuris, & pœnis reservatis, qua Pœnitentiarii Basilicæ Sancti Petri de Urbe, & Sacræ Domus Lauretanæ ex concessione Apostolica potiuntur: unde factum est, ut populi devotio ac concursus in eum Locum nova in dies susciperent incrementa. Porro dilectus filius modernus Abbas Regularis prædicti Monasterii Sanctæ Scholasticæ, loco vetustæ, quæ difficilis, ac prærupta erat, novam faciliorem viam aperuit, qua fideles eumdem Sacrum Specum ascendere possint; adeout ad instaurandum totaliter opus, universo Ordini Sancti Benedicti optatissimum, nihil aliud nunc supersit, quam augere numerum Monachorum, qui inibi residentes Divina Officia ad tramites Regulæ dicti Ordinis celebrare, Spiritualibusque peregrinorum, aliorumque adventantium, necessitatibus subvenire valeant, quod duo soli Monachi ibi de præsenti existentes præstare nequeunt, minusque pristinam venerationem, qua Sacer ille Locus tot retro sæculis eximie floruit, restituere possunt.

Clemens XI. ad Ecclesiam S. Specus Visitantibus Indulgentiam concessit.

Privilegia ei collata, & a Roman. Pontificibus confirmata.

Donationes ei factæ.

Eremi ibidem construc-tæ.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, bonæ memoriæ Ægidius Columna, dum vixit, Monachus expresse professus dicti Monasterii Sanctæ Scholasticæ, ac Patriarcha Hierosolymitanus, ipsi Monasterio Sacri Specus assignaverit quoddam Capitale octo millium scutorum monetæ, in tot annuis perpetuis ac redimibilibus Censibus investiendum, ut in eo alerentur quatuor alii Monachi præter illos duos, qui a præfato Monasterio Sanctæ Scholasticæ deputari consueverunt, cum uno Priore regiminis: ita quod idem Monasterium Sanctæ Scholasticæ, illiusque Abbas semper retinerent superioritatem in ipso Monasterio Sacri Specus, quodque hoc Monasterium alterius Sanctæ Scholasticæ membrum, ac pertinentia perpetuo foret, & prædicta Congregatio Cassinensis in futurum duos Priores, unum scilicet pro quolibet ex dictis Monasteriis deputare deberet; licetque Ægidii Patriarchæ dispositio effectum suum sortita non fuerit, nihilominus Venerabilis Frater Nicolaus Maria Tedeschi Archiepiscopus Appamiarum, Monachus aliàs expresse professus prædictæ Congregationis Cassinensis, insigni liberalitate non ita pridem applicaverit eidem Monasterio Sacri Specus aliud Capitale conspicuum quatuordecim millium scutorum paris monetæ, in tot similibus Censibus ei a præfata Congregatione Cassinen. debitis consistens, ex quibus annuus fructus trecentorum sexaginta scutorum dictæ monetæ retrahitur ea lege, ut in ejusmodi Monasterio quatuor alii Monachi ultra duos supradictos, necnon alius Conversus seu Oblatus præter binos, qui a præfato Monasterio Sanctæ Scholasticæ jam ibidem sustentantur, & unus Famulus cum alia Mula alerentur: Ac insuper dilectus Filius Josephus Maria Petrucci, Abbas Titularis Congregationis prædictæ, in commodum & utilitatem Sacristiæ

ejusdem Monasterii Sacri Specus cedere, ac pervenire intendat post sui obitum, duo Oliveta, totidemque Domos, quæ Tybure possidet: ac quædam argenta, quæ habet, proventia ex sua Familia, & donatione sibi a quondam Canonico Petrucci Fratre suo Germano facta, ad effectum de illis disponendi in usus pios, ultra centum scuta similia, quæ sunt in pecunia numerata, in emptionem Censuum hujusmodi, vel bonorum stabilium eroganda, juxta declarationem per ipsum Josephum Mariam desuper confectam, quæ penes dilectum etiam Filium Procuratorem Generalem dictæ Congregationis extat, in Archivio ejusdem Congregationis, quod in Collegio S. Calixti de Urbe habetur, asservandam; cupiantque propterea dicti Exponentes, ex præmissis statui præfati Monasterii Sacri Specus opportune a Nobis provideri, & alias, ut infra, indulgeri.

§. 2. Nos piis eorumdem Exponentium votis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, ac singulares eorum personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes: necnon Nicolai Mariæ Archiepiscopi dispositionis, & Josephi Mariæ declarationis enarratorum tenores, & alia quæcumque, etiam specialem ac individuam mentionem & expressionem requirentia, præsentibus pro plene & sufficienter specificatis ac insertis habentes, supplicationibus dictorum Exponentium nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Auctoritate Apostolica tenore præsentium præcipimus & mandamus, ut deinceps perpetuis futuris temporibus Monasterium Sanctæ Scholasticæ præter & ultra duos Monachos cucullatos, duosque Oblatos seu Conversos, ac unum Famulum cum Equo, seu Mula, quos ad usum Monasterii Sacri Specus ad præsens sustentat, duos alios Monachos ejusmodi in ipso Monasterio Sacri Specus retineat: ita quod in posterum quatuor Monachos cucullatos, duos Oblatos seu Conversos, Famulum cum equo vel mula propriis sumptibus alere, ac continuo retinere teneatur; qui quatuor Monachi cum aliis itidem quatuor ex bonis per memoratum Nicolaum Mariam Archiepiscopum applicatis, ut præfatur, numerum constituent octo Monachorum, e quibus unus sit Prior a dicta Congregatione Cassinen. semper eligendus, qui tamen Cellerarium per Superiores, ut moris est, approbandum, pro administratione proventuum ejusdem Monasterii Sacri Specus deputare valeat; Prior vero, ac omnes Monachi, ac universa Familia hujusmodi Abbatis dicti Monasterii Sanctæ Scholasticæ pro tempore existenti in omnibus & per omnia subsint: atque idem Monasterium Sacri Specus membrum ac pertinentia ipsius Monasterii Sanctæ Scholasticæ sicuti prius remaneat, dictumque Sanctæ Scholasticæ Monasterium pro sustentatione præfatorum quatuor Monachorum, Conversorum, & Famuli cum equo sive mula, summam quingentorum quadraginta quinque scutorum monetæ itidem Romanæ quotannis in duabus solutionibus æqualibus contribuere teneatur, ultra expensas pro manutentione ac reparatione tectorum, & ædificiorum dicti Monasterii Sacri Specus faciendas, cum facultate tamen in diminutionem ac excomputationem præfatæ summæ annuæ sic contribuendæ, subministrandi totum panem, vinum, & oleum necessaria pro alimonia Monachorum, Conversorum, & aliarum personarum, quæ in eodem Monasterio Sacri Specus pro tempore degent; idque ut facilius ejusmodi contributionem facere ac ferre possit. Ad hæc declarationem, a prædicto Josepho Maria, sicut præmittitur, editam, harum serie approbamus & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus: mandantes proinde, ut Oliveta, Domus, Census, vel Bona stabilia, & argenta supradicta, post illius decessum uniantur, ac incorporentur reditibus ejusdem Monasterii Sacri Specus in beneficium ac utilitatem illius Sacristiæ juxta ipsius Josephi Mariæ voluntatem ac declarationem. Præterea, ut felici prosperoque dicti Monasterii Sacri Specus regimini ac gubernio, spiritualique consolationi & necessitatibus illuc accedentium prospectum ac consultum sit, ea, quæ sequuntur, statuenda, ordinanda, & decernenda duximus. I. Videlicet, quod Monasterium Sacri Specus subjaceat curæ & directioni Procuratoris Generalis pro tempore existentis Congregationis Cassinensis, eisdem modo & forma, quibus subjacent Collegium & Collegiales Urbis ipsius Congregationis, qui tametsi constituti in Monasterio Sancti Pauli prope & extra mœnia Urbis præfatæ totali illius Abbatis pro tempore jurisdictioni subjecti sint, nihilominus quoad destinationem, mutationem, ac recursus Collegialium cuncta diriguntur a dicto Abbate simul cum eodem Procuratore Generali; itaut in futurum in assignandis, retinendis, mutandis, ac regendis Priore, Monachis, ac Oblatis, seu Conversis Monasterii Sacri Specus jus ac omnimoda directio ad Abbatem Monasterii Sanctæ Scholasticæ una cum ipso Procuratore Generali perpetuo pertineant. II. Ne Monasterium Sacri Specus crebris Monachorum mutationibus, aut viaticis gravetur, neque idem Monasterium, neque illud Sanctæ Scholasticæ ulla viatica Monachis, e Monasterio Sacri Specus discedentibus, præbere teneantur. III. Prior & Cellerarius Monasterii Sacri Specus rationes accepti & impensi Decanis, singulis mensibus, Abbati vero Monasterii Sanctæ Scholasticæ, semel quolibet anno, ad formam Statutorum Congregationis Cassinensis reddere debeant. IV. Prior Monasterii Sacri Specus Cellerarium nominare, & Capitulo Generali juxta morem Congregationis Cassinensis præsentare possit. V. Monachi, ac Oblati seu Conversi, in Monasterio Sacri Specus degentes, ubi ægrotaverint, ibidem curari valeant; Priorque eis de Medico, Chirurgo, ac pharmacis necessariis provideat; sed si pro majori commoditate, utque melius curentur, in Monasterium Sanctæ Scholasticæ transferri maluerint, Abbas illos recipiat, adnotando omnes expensas pro eorum curatione factas, quæ ex annua contributione ab eodem Monasterio, ut supradictum est, præstanda, subducantur. VI. Quatuor e præfatis octo Monachis, quando major Populi frequentia, & duo saltem, quando minor fuerit concursus, hebdomatim per turnum in Confessionali Sede remaneant ad excipiendas Confessiones Peregrinorum, aliorumque Fidelium illuc confluentium, adeant omnes octo Monachi ad hoc obligati sint, alternis ac divisis inter eos hebdomadis, quarum distributio a Priore pendeat; & quo dicti Peregrini ac Fideles a peccatis, pœnis, & censuris reservatis absolvi possint, ipsis Monachis (ad audiendas Confessiones cæteroquin legitime approbatis) easdem facultates quoad absolutionem hujusmodi impartimur, quibus gaudent Pœnitentiarii dictarum Basilicæ Sancti Petri, & Sanctæ

Monast. Sacri Specus directioni Procur. Gener. Cassinen. subjaceat.

Monachis viatica dare non tenetur.

Prior & Cellerarius quibus ratione reddere debeant.

De Ægrotis curandis.

De audiendis Confessionibus, & Confessariorum facultatibus.

De numero Monachorum ibidem alendorum.

De Priore.

Monast. hoc Monasterii S. Scholasticæ membrum.

Domus Lauretanæ, quæque duobus Monachis in eodem Monasterio Sacri Specus ad præsens demorantibus ab Officio Pœnitentiariæ Apostolicæ aliàs; ut præfatur, attributæ fuerunt. VII. De Choro. Quatuor, aut respective sex Monachi diebus, quibus deficiente Populi concursu ab obligatione remanendi in Confessionali Sede liberi reperientur, quotidie Choro intersint, divinaque peragant Officia, quemadmodum servatur in Monasterio Sanctæ Scholasticæ. VIII. De legatis piis. Monachi Choro interessentes incedant processionaliter ad Sacrum Specum, canentes Hymnum: *Laudibus Cives*, cum Antiphona & Oratione Sancti Benedicti; postquam recitaverint primam Horam mane, & Completorium Vespere, sicuti sit in Monte Alverniæ a Fratribus Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum, in laudem ac memoriam ejusdem Sancti Francisci eorum Institutoris: deinde cantent Antiphonam: *Si iniquitates*, cum Psalmo: *De profundis &c.*, & Oratione, quamdiu prædictus Nicolaus Maria Archiepiscopus vixerit, *Fidelium Deus omnium conditor &c.* ipso autem vita functo, altera: *Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes*, in ipsius Animæ suffragium; Unusquisque insuper ex quatuor Monachis, qui ex bonis per eumdem Nicolaum Mariam Archiepiscopum applicatis alentur, duas qualibet hebdomada Missas ad Altare Sancti Gregorii, in supradicta Ecclesia situm, secundum suam intentionem celebret. IX. Prima tamen deputatio Prioris, qui eodem tempore de novo talis creandus erit, ac Monachorum in Monasterium Sacri Specus collocandorum, facienda sit a memorato Præfide Congregationis Cassinensis cum consilio ipsius Procuratoris Generalis; firmis de cætero superius dispositis, quoad successivam eorum deputationem ac mutationem, quæ ad Abbatem Monasterii Sanctæ Scholasticæ, & Procuratorem Generalem hujusmodi pertineat, excepto Priore, utpote juxta usum & statuta dictæ Congregationis Cassinensis eligendo.

Prima deputatio Monachorum in Monaster. a Præside Congreg. facienda.

Clausulæ. §. 3. Decernentes, easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac omnibus & singulis, ad quos spectat & pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sacræ Romanæ Ecclesiæ præfatæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, aliosve quoslibet quacumque præeminentia & potestate fungentes & functuros, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quo circa dilecto Filio Nostro Petro Marcellino ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali Corradino nuncupato, moderno, ac pro tempore existenti dictæ Congregationis Cassinensis apud Sedem Apostolicam Protectori, auctoritate & tenore præfatis committimus & mandamus, ut præsentes nostras Literas, ac in eis disposita & contenta quæcumque, executioni demandari, ac omnino observari curet & faciat.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis; necnon, quatenus opus sit, Ordinis, Congregationis, ac Monasteriorum prædictorum, & quibusvis aliis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, usibus, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus; cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio & extra adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 7. Februarii 1732. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

F. Cardinalis Oliverius.

LII.

Revocantur diversæ Facultates, a Romanis Pontificibus per eorum vivæ vocis oraculum, vel rescripta, concessæ.

CLEMENS PAPA XII.

Dat. die 12. Febr. 1732. Pontif. An. II.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. ROmanus Pontifex, gregis Dominici curæ, sibi divinitus commissæ, more seduli Pastoris jugiter advigilans, nonnulla, quæ a Prædecessoribus suis concessa noscuntur, justis interdum suadentibus causis, quibus præsertim Ecclesiasticæ disciplinæ conservationi, animarum Christifidelium saluti, ac recto rerum ordini consulitur, pro Apostolici muneris sui solicitudine moderatur, revocat, & immutat, sicuti omnibus debitæ considerationis trutina perpensis conspicit in Domino salubriter expedire.

Revocatio Indultorum. §. 1. Itaque de nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, ac etiam Motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia & singula infrascripta indulta, facultates, & gratias, quæ tam ad supplicationem partium, quam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, vivæ eorum vocis oraculo, vel per rescripta propria illorum, aut de eorum mandato cujusvis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ præfatæ Cardinalis, alteriusve ipsorum Prædecessorum, vel Sedis Apostolicæ Officialis & Ministri, manu signata, quibuscumque utriusque sexus personis Sæcularibus & Regularibus cujuslibet status, gradus, conditionis, præeminentiæ, ac dignitatis sive Ecclesiasticæ, sive temporalis existentibus, etiamsi de iis specialis ac individua mentio, & expressio necessario facienda foret; Communitatibus quoque, Universitatibus, Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Conventibus, & Monasteriis cujusvis Ordinis, Congregationis, Militiæ, etiam Sancti Joannis Hierololymitani, ac Instituti, & Societatis, etiam Jesu, tam Mendicantium quam non Mendicantium, exemptorum & non exemptorum, ac quovis tandem privilegio suffultorum, nullis prorsus exceptis, quandocumque & qualitercumque concessa fuerunt, tenore præsentium revocamus,

vocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, irritamus, & annullamus, viribusque & effectu penitus & omnino vacuamus: ac revocata, cassata, sublata, abrogata, irrita, & annullata, viribusque & effectu vacua esse, ac perpetuo fore, neque de cætero cuiquam suffragari posse, vel debere, decernimus & declaramus.

Quæ sint indulta.

§. 2. Indulta autem, Facultates, & Gratiæ hujusmodi sunt, quæ sequuntur; videlicet:

Audiendi Confessiones inconsulto Ordinario.

I. Excipiendi Confessiones sive Sæcularium sive Regularium etiam Monialium, aut aliarum quarumvis personarum, in Conventibus, Monasteriis, seu Conservatoriis degentium, absque expressa Ordinariorum ac Superiorum illorum, ad quos pertinet, facultate; necnon eligendi sibi Confessarium, ab iis respective non approbatum.

Absolvendi a casibus reservatis.

II. Absolvendi quoscumque sive Sæculares sive Regulares utriusque sexus a peccatis, pœnis, & censuris, in literis die Cœnæ Domini quotannis legi & publicari consuetis, vel aliàs Sedi Apostolicæ, Locorumve Ordinariis, aut Superioribus Regularibus quoquomodo reservatis: prout quoque eligendi Confessarium etiam ex legitime ad audiendas Confessiones approbatis, qui a peccatis, pœnis, ac censuris sic reservatis absolvat.

Eximendi a Denunciationibus.

III. Eximendi seu absolvendi quemlibet ab obligatione denunciandi in casibus, quibus denunciatio juxta præscriptum Constitutionum Apostolicarum, seu aliàs, fieri debet.

Utendi facultatibus specialibus.

IV. Utendi quibuscumque facultatibus, etiam generaliter concessis, quoad alitercumque dictæ Sedi vel etiam ipsi Romano Pontifici reservata: sive per eos Majori, vel minoribus Pœnitentiariis attributis, durante Jubilæo, vel Missionum, Exercitiorum Spiritualium, Quadragesimæ, Adventus, aut alio quovis anni tempore; sicuti etiam utendi facultatibus, quæ ab Officio Pœnitentiariæ Apostolicæ aliquando impertiri solent.

Relaxandi juramenta.

V. Relaxandi juramenta quælibet, etiamsi de nullo cujusquam agatur damno seu præjudicio.

Dispensandi Vota.

VI. Dispensandi sive commutandi Vota quæcumque, licet simplicia dumtaxat, ac juramento minime confirmata.

Dispensandi super irregularitate:

VII. Dispensandi cum quibusvis personis Sæcularibus pariter vel Regularibus super qualibet irregularitate, & inhabilitate quomodocumque ex delicto, vel defectu, etiam prorsus occultis, proveniente, tam pro exercendis susceptis, quam pro suscipiendis quibusvis Ordinibus, ac retinendis & assequendis quibuscumque Beneficiis Ecclesiasticis.

Vel impedimento ad Matrimoniũ.

VIII. Dispensandi super quocumque impedimento, quantumvis occulto, Matrimonium dirimente, sive agatur de Matrimonio contrahendo, sive de convalidando jam contracto.

Convalidandi titulos Beneficiorum.

IX. Convalidandi titulos Beneficiorum Ecclesiasticorum simoniace, vel ex alio quovis capite invalide obtentorum: ac condonandi fructus qualitercumque indebite perceptos: aut componendi super iisdem fructibus.

Celebrandi Missam in portatili &c.

X. Celebrandi Missam, itineris, aliave occasione, in quocumque loco super Altari portatili, sive extra tempus ab Ecclesia definitum: vel non servandi omnia & singula ab ipsa Ecclesia præcepta & ordinata circa celebrationem Missæ, & administrationem Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti.

Dispensandi a recitatione Officii.

XI. Officium divinum absque legitima causa non recitandi, illudve commutandi in alias preces, vel opera pia, sive recitandi unum Officium pro alio, aut extra tempus ab Ecclesia statutum: vel super præmissis cum aliis dispensandi.

XII. Indulta quæcumque, a Regularibus utriusque itidem sexus obtenta, vorum paupertatis quomodolibet lædentia, aut Regulari observantiæ, Apostolicis Constitutionibus, propriique Ordinis seu Instituti Statutis contraria vel adversantia.

XIII. Facultas Regularibus alloquendi Moniales, etiam consanguineas, aliasque personas intra Clausuram degentes, absque peculiari Superiorum, ad quos quomodocumque spectat, licentia.

XIV. Indulta, Facultates & Gratias mox relata, eorumve aliqua in toto vel in parte, indefinite vel ad tempus, & in casu particulari, seu alio quovis modo aliis communicandi.

§. 3. Quæ quidem omnia & singula, etiamsi sub quibuslibet aliis quantumvis amplis verborum formis & tenoribus concessa, & impetrata fuerint, quoad utrumque forum, ac generaliter, sive res sit de casu occulto, sive de publico, revocata & abrogata esse, ac intelligi & censeri debere, statuimus.

Pœnæ contra iisdem utentes Indultis.

§. 4. Districte propterea prohibemus, ne quisquam deinceps indultis, facultatibus, & gratiis, sic per Nos revocatis & abrogatis, ullatenus uti audeat seu præsumat, sub pœna excommunicationis, ac privationis Officiorum, Dignitatum, & quorumvis Beneficiorum obtentorum, vocis activæ & passivæ; necnon inhabilitatis ad audiendas confessiones, & ad Officia, Dignitates, & Beneficia hujusmodi in futurum obtinenda, ipso facto absque ulla alia declaratione per transgressores respective incurrenda; a qua nonnisi a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam quoad excommunicationem præfatam in mortis articulo constituti, absolutionis, dispensationis, seu rehabilitationis beneficium valeant obtinere.

§. 5. Noverint insuper Pœnitentes, & alii Fideles, absolutiones, dispensationes, relaxationes, commutationes, convalidationes, compositiones, & alia ejusmodi, si quæ inposterum contra hanc nostram prohibitionem obtinuerint, nulla fore, nulliusque roboris ac momenti.

Quæ Indulta valida censeri debeant.

§. 6. Cæterum per præsentes non intendimus revocare supradicta indulta, facultates, gratias, quæ per quasvis literas Apostolicas, etiam in simili forma Brevis expeditas, vel rescriptas, a Sanctæ Romanæ Ecclesiæ præfatæ Cardinalium, aut Romanæ Curiæ Prælatorum, aliisve Almæ Urbis Congregationibus edita, & ab eisdem Prædecessoribus approbata; necnon per dictum Officium Pœnitentiariæ Apostolicæ quandocumque concessa fuerint, seu emanaverint: quæ salva ac firma remanere volumus.

Clausulæ.

§. 7. Decernentes, easdem præsentes literas, & in eis contenta, etiam ex eo, quod prædicti, & alii quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, ad ea vocati, & auditi non fuerint, de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, seu alio quocumque defectu notari, impugnari, redargui, in controversiam vocari, aut adversus illas quodcumque juris, gratiæ, vel facti remedium intentari vel impetrari nullatenus posse; sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus & per omnia inviolabiliter observari; sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, dictæque Sedis Nuncios, & alios quoslibet quavis præeminentia & potestate fungentes & functuros, sublata eis & eorum cuilibet aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 8. Non

Obstantium derogatio.

§. 8. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis; necnon, quatenus opus sit, quarumlibet Ecclesiarum, Ordinum, Congregationum, Militiarum etiam Sancti Joannis Hierosolymitani, Institutorum, Societatum, etiam Jesu, Communitatum, Universitatum, Capitulorum, Collegiorum, Confraternitatum, Conventuum, & Monasteriorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, usibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac Consistorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & approbatis, ac pluries, & quantiscumque vicibus innovatis.

§. 9. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur & insererentur, præsentibus pro plene & sufficienter expressis & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse, ac plenissime & amplissime derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Constitutionis hujusce publicatio.

§. 10. Ut autem eædem præsentes literæ ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus illas, seu earum exempla, ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque generalis in Monte Citatorio, & Aciæ Campi Floræ de Urbe præfata, ut moris est, affigi, & publicari; sicque publicatas & affixas omnes & singulos, quos illæ concernunt, perinde arctare & afficere, ac si unicuique eorum nominatim & personaliter intimatæ fuissent; Utque ipsarum literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio quam extra illud ubique adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 12. Februarii 1732. Pontificatus nostri anno Secundo;

F. Card. Oliverius.

LIII.

Jubilæum pro Christifidelibus Almæ Urbis, Italiæ, & Insularum adjacentium, Divinam opem implorantibus in præsentibus Ecclesiæ necessitatibus.

CLEMENS PAPA XII.

Dat. die 29. Febr. 1732. Pontif. An. II.

Universis Christifidelibus præsentes literas inspecturis salutem & Apostolicam benedictionem.

Procemium.

E Sublimi Principis Apostolorum Sede, in qua posuit Nos Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei, veluti e specula, mentis nostræ aciem quaquaversum intendentibus, tristior in dies, semperque luctuosior sese Nobis offert Christianæ Reipublicæ facies; ubique enim terror: ubique malorum impendentium formido: undique percutimur: undique amaritudinibus replemur. Visitavit profecto Nos Dominus, sicut impetus aquarum multarum inundantium & emissarum super Terram: potavit Nos vino compunctionis: ascendit fumus in ira Dei, & ignis a facie ejus exarsit: commota est, & contremuit terra, fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt, quoniam iratus est eis. Quæ nobiscum animo reputantes, si unquam, certe nunc onerosam curarum Pontificiarum molem experimur, gravemque Domini manum sentimus; unde crebra ex imo corde suspiria, ac uberes ex oculis lachrymas fundere cogimur; nec prætermittimus opportunum ab eo, qui altissimum posuit refugium suum, adversus tot mala remedium quærere, eumque assidue deprecari, ne obliviscatur misereri Deus, aut, contineat in ira sua misericordias suas; sed longe efficacius promptiusque id assequi, ac exaudiri speramus, si ad privatas nostras publicæ quoque Fidelium preces ac obsecrationes adjungantur; potens post enim Oratio Ecclesiæ supplicantis ad Dominum, qui pius est, & misericors, & propitiatur invocantibus eum in veritate. Hoc itaque acceptabili Quadragesimæ tempore, quod sicut Nos ad impensius orandum, ita Dei clementiam ad liberalius indulgendum invitat, adeamus cum fiducia ad Tronum gratiæ; ac ne exprobari Nobis audiamus Propheticum illud: *Percussisti eos, & non doluerunt: attrivisti eos, & renuerunt accipere disciplinam*; scindamus corda nostra, & expiatis per veram pœnitentiam peccatis, cœlestem iracundiam placare, auctisque par jejuniorum labores, ac eleemosynarum largitiones viribus orationis, Divinam opem in præsentibus Ecclesiæ ac Reipublicæ urgentissimis necessitatibus imploremus, ut benignissimus Dominus & Deus noster, cordium contritorum holocausta in odorem suavitatis accipiens, brachio suo excelso, quo dominatur potestati maris, & motum fluctuum ejus mitigat, ostendat potentiam suam, exortas sedet tempestates, statuat procellas in auram, ac nos, nostrasque curas, ac spem, quam in ejus ineffabili bonitate reposuimus, optatæ cumulet lætitia tranquillitatis. Hæc autem ut ferventiori spiritus ardore, uberioriorique fructu peragantur, ex prisco Romanæ Ecclesiæ omnium Matris & Magistræ more, cœlestium munerum thesauros, quorum dispensationem fidei nostræ commisit Divina dignatio, aperire, & larga manu erogare decrevimus. Itaque de Omnipotentis Dei misericordia; ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa ligandi atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus; licet indignis, contulit, universis & singulis utriusque sexus Christifidelibus in Alma Urbe nostra degentibus, qui Sancti Joannis in Laterano, ejusdem Principis Apostolorum, & Sanctæ Mariæ Majoris Ecclesias, seu Basilicas, vel earum aliquam intra decursum proximæ, quæ erit prima Quadragesimæ, vel immediate subsequentis hebdomadæ, usque ad Dominicam sequentem inclusive, saltem semel visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devote, ut supra, Deum oraverint: ac quarta, & sexta feria, ac

Jerem. V. 3.

Quæ requirantur ad Indulgentiarum hujusc. acquisitionem in Urbe;

Sabbato

Sabbato alterius ex præfatis hebdomadis jejunaverint, & peccata sua confessi, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Dominica die immediate sequenti, vel alia die intra eamdem hebdomadam reverenter sumpserint, ac pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique suggeret devotio, erogaverint: Cæteris vero in universa Italia, & Insulis illi adjacentibus, degentibus, qui Ecclesias ab Ordinariis locorum, vel eorum Vicariis, seu Officialibus, aut de eorum mandato, & ipsis deficientibus, per eos, qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hæ nostræ pervenerint, designandas, vel Ecclesiarum hujusmodi aliquam spatio duarum similiter hebdomadarum a publicatione designationis per Ordinarios, vel eorum Vicarios, seu Officiales, vel alios, ut præfertur, faciendæ decursarum, saltem semel visitaverint, ibique, ut supra, oraverint, ac quarta, & sexta feria, ac Sabbato alterius ex hebdomadis hujusmodi jejunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac in die Dominica immediate sequenti, vel alia die intra eamdem hebdomadam Sanctissima Communione refecti fuerint, & pauperibus aliquam eleemosynam, ut præmittitur, erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem, sicut in Anno Jubilæi visitantibus certas Ecclesias intra & extra Urbem prædictam concedi consuevit, tenore præsentium concedimus & elargimur. Navigantes vero, & iter agentes, ut cum primum ad sua sese domicilia receperint, suprascriptis peractis, & visitata Ecclesia Cathedrali, vel majori, aut Parochiali loci eorum domicilii, eamdem Indulgentiam consequi possint, & valeant: Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in Claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque tam Laicis quam Ecclesiasticis, Sæcularibus vel Regularibus, etiam in carcere aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa Confessarius ex jam approbatis a Locorum Ordinariis ante præsentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quæ ipsi pœnitentes efficere poterunt, pariter concedimus & indulgemus. Insuper præfatis omnibus & singulis Christifidelibus utriusque sexus tam Laicis quam Ecclesiasticis, Sæcularibus & Regularibus cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti, tam in Urbe quam in universa Italia, & insulis ei adjacentibus prædictis, ut præfertur, degentibus, licentiam concedimus, & facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium tam Sæcularem, quam cujusvis Ordinis, & Instituti Regularem, ex approbatis, ut præmittitur, a Locorum Ordinariis, qui eos ab excommunicationis, suspensionis, & aliis ecclesiasticis sententiis, & censuris, a jure vel ab homine quavis causa latis seu inflictis: necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis quantumvis gravibus & enormibus, etiam Locorum Ordinariis, sive Nobis, & Sedi Apostolicæ, etiam in literis die Cœnæ Domini legi solitis, contentis, & aliàs per quascunque nostras, aut Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum Constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiæ & hac vice tantùm absolvere & liberare valeant: & insuper vota quæcumque (Religionis & castitatis exceptis) in alia pia & salutaria opera commutare, injuncta tamen eis & eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus pœnitentia salutari, aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis. Quapropter tenore præsentium in virtute Sanctæ obedientiæ districte præcipimus atque mandamus omnibus & quibuscumque Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ac quibuscumque Ordinariis Civitatum, & Diœcesum, Oppidorum, & Terrarum, & Locorum Italiæ, & Insularum ei adjacentium hujusmodi, eorumque Vicariis & Officialibus, vel iis deficientibus, illis, qui curam animarum exercent, ut cum præsentium literarum transumpta aut exempla, etiam impressa, acceperint, illa statim absque ulla mora, retardatione vel impedimento per suas Ecclesias, & Diœceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, & Loca publicent & publicari faciant, Ecclesiamque seu Ecclesias visitandas designent. Non intendimus autem per præsentes super aliqua irregularitate publica vel occulta, nota, defectu, incapacitate seu inhabilitate quoquo modo contracta, dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi seu habilitandi, & in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiæ; neque etiam easdem præsentes iis, quæ a Nobis, & Apostolica Sede, vel ab aliquo Prælato seu Judice Ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias & censuras incidisse, declarati vel publice denunciati fuerint, nisi intra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere.

§. 1. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, præsertim, quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes vel dissimiles Indulgentiarum & facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant: necnon Regula nostra de non concedendis Indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum, & Congregationum, sive Institutorum Regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, eisdem Ordinibus, Congregationibus, & Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servata habentes, hac vice specialiter nominatim & expresse ad effectum præmissorum derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 2. Ut autem præsentes nostræ literæ, quæ ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut earumdem præsentium transumptis vel exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 29. Februarii 1732. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

F. Cardinalis Oliverius.

In universa Italia, & Insulis adjacentibus.

Pro Navigantibus, iter agentibus, & in Claustris degentibus.

Cæterisque legitime impeditis.

De Confessario eligendo:

Ejusque facultatibus.

De Indulgentiæ hujusmodi publicatione.

Casus, qui reservantur.

Clausulæ.

LIV. Concessio Indulgentiæ, sicut in anno Jubilæi, pro degentibus in Regno Hiberniæ, Deoque precantibus pro Regni ejusdem spiritualibus necessitatibus.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. die 15. Martii 1732. Pontif. 11.

Rei Catholicæ in Regno Hiberniæ periculà.

INter gravissimas Pastoralis Officii nostri curas, quibus assidue urgemur, illa animum nostrum acrius vehementiusque angit solicitudo, quam de afflictis ac summe turbatis in Regno Hiberniæ Catholicorum rebus, quinimmo de ipsa Catholica Fide extremum ibidem in discrimen adducta, corde jugiter versamus. Hinc a Patre misericordiarum supplici devotaque humilitate postulare minime negleximus, ut tam graviter vexatos in illis partibus veræ Religionis cultores: inter præsentium ærumnarum sensum, & metum futurarum misere gementes, optata tranquillitate consolari, eisque interea imperterritam in avita Fide, cujus Hiberna Natio tenacissima semper fuit, constantiam elargiri dignetur. Idipsum ut & Fideles ejusdem Regni, quos calamitates hujusmodi propius tangunt, deposita per veram pœnitentiam sarcina peccatorum, auctisque per eleemosynas, atque jejunia viribus orationis, flagrantissimo cordis affectu faciant, eos omnes & singulos paterne adhortandos & monendos, eorumque pietatem erogatis Ecclesiæ thesauris, quorum dispensationem Nobis credidit Deus, incitandam atque fovendam esse censuimus. Itaque de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa ligandi atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus licet indignis contulit; Universis & singulis utriusque sexus Christifidelibus, in prædicto Hiberniæ Regno, aliisque omnibus & singulis illius Provinciis, degentibus, qui Ecclesias ab Ordinariis Locorum, vel eorum Vicariis seu Officialibus, aut de eorum mandato, & ipsis deficientibus, per eos, qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hæ nostræ pervenerint, designandas; vel Ecclesiarum hujusmodi aliquam spatio duarum hebdomadarum a publicatione designationis per Ordinarios, vel eorum Vicarios seu Officiales, vel alios, ut præmittitur, faciendæ, decursurarum, saltem semel visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium pro præmissis necessitatibus devote Deum oraverint: ac quarta, & sexta feriis, ac Sabbato alterius ex hebdomadis hujusmodi jejunaverint, & peccata sua confessi in die Dominica immediate sequenti, vel alia die intra eamdem hebdomadam sanctissima Communione refecti fuerint, & pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique suggeret devotio, erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam & remissionem, sicut in anno Jubilæi visitantibus certas Ecclesias intra & extra Urbem prædictam concedi consuevit, tenore præsentium concedimus & elargimur: Navigantes vero, & iter agentes, ut cum primum ad sua sese domicilia receperint, suprascriptis peractis, & visitata Ecclesia Cathedrali, vel Majore aut Parochiali loci eorum domicilii, eamdem Indulgentiam consequi possint & valeant: Regularibus autem personis utriusque sexus etiam in Claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque tam Laicis quam Ecclesiasticis, Sæcularibus vel Regularibus, etiam in carcere aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa Confessarius ex jam approbatis a Locorum Ordinariis ante præsentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quæ ipsi pœnitentes efficere poterunt, pariter concedimus & indulgemus. Insuper omnibus & singulis Christifidelibus utriusque sexus tam Laicis quam Ecclesiast., Sæcular., vel Regularibus cujusvis Ordinis, Congreg., & Instituti, in memoratis Regno & Provinciis, ut præfertur, degentibus, licentiam concedimus, & facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium tam Sæcularem, quam cujusvis Ordinis & Instituti Regularem, ex approbatis, ut præmittitur, a Locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis, & aliis ecclesiasticis sententiis, & censuris, a jure vel ab homine quavis causa latis seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis quantumvis gravibus & enormibus, etiam Locorum Ordinariis, sive Nobis, & Sedi Apostolicæ, etiam in literis die Cœnæ Domini legi solitis, contentis, & aliàs per quascumque nostras, aut Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum Constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiæ & hac vice tantum absolvere & liberare valeant. Et insuper vota quæcumque (Religionis & castitatis exceptis) in alia pia & salutaria opera commutare, injuncta tamen eis & eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus pœnitentia salutari, aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis. Quapropter tenore præsentium in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipimus atque mandamus omnibus & quibuscumque Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis: ac quibuscumque Ordinariis Locorum, in præfatis Regno & Provinciis existentibus, eorumque Vicariis & Officialibus, vel iis deficientibus, illis, qui curam animarum exercent, ut, cum præsentium literarum transumpta aut exempla, etiam impressa, acceperint, illa statim absque ulla mora, retardatione vel impedimento per suas Ecclesias, & Diœceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, Loca publicent, & publicari faciant, Ecclesiamque seu Ecclesias visitandas designent. Non intendimus autem per præsentes super aliqua irregularitate publica vel occulta, nota, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquo modo contracta, dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, & in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiæ: neque etiam easdem præsentes iis, qui a Nobis & Apostolica Sede, vel ab aliquo Prælato, seu Judice ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias & censuras incidisse, declarati vel publice denunciati fuerint, nisi intra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere.

Indulgentiarum concessio ea præstantibus, quæ hic statuuntur.

Pro Navigantibus, iter agentibus, in Claustris degentibus, ac legitime impeditis.

De Confessario eligendo.

Ejusque facultatibus.

Mandatum super publicatione Indulgentiarum hujusmodi.

§. 1. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, præsertim, quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes vel dissimiles Indulgentiarum & facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant; necnon Regula nostra de non concedendis Indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum, & Congregationum, sive Institutorum Regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate

Clausulæ.

alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, eiſdem Ordinibus, Congregationibus, & Inſtituris, illorumque perſonis quomodolibet conceſſis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis, ac formam in eis traditam pro ſervata habentes, hac vice ſpecialiter nominatim & expreſſe ad effectum præmiſſorum derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 2. Ut autem præſentes noſtræ, quæ ad ſingula loca deferri non poſſunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut earumdem præſentium tranſumptis vel exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, ubique Locorum & Gentium eadem prorſus fides habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 15. Martii 1732. Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

F. Cardinalis Oliverius.

LV.

Literæ nonnullæ Apoſtolicæ, Ordinibus Regularibus & Mendicantibus a piæ me. Benedicto XIII. conceſſæ, prævia moderatione, ad terminos Juris communis, Concilii Tridentini, & Conſtitutionum Apoſtolicarum reducuntur.

Dat. die 30. Martii 1732. Pontif. II.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

ROmanus Pontifex, quem cœleſtis Pater familias Vineæ ſuæ cuſtodiendæ præpoſuit, diu noctuque Operarios, impigre in ea laborantes, circumſpicit, congruam immo amplam mercedem eis largiturus, ut Vinea, probis Agricolis hoc pacto ad eam alacrius excolendam incumbentibus, uberiori proventu fructificare poſſit.

Ex conceſſionibus Benedicti Prædeceſſoris multæ exortæ lites.

§. 1. Sane felicis recordationis Prædeceſſor Noſter Benedictus Papa XIII. ſtrenuas Ordinum Regularium & Mendicantium cohortes, hanc Domini Vienam atque agrum Eccleſiæ, indeſinenter colere conſpicatus, ac paterno erga eos animo effectus, quo etiam Nos ipſi utique afficimur, plura eis privilegia conceſſit, ratus ea pari voluntate univerſim excipienda; quod tamen ſecus eveniſſe, Nos ad Supremi Sacerdotii apicem, diſponente Domino, evecti, ægre intelleximus; inde nimirum præter omnem expectationem noſtram variis litibus & controverſiis exortis, ac niſi opportune occurratur, fortaſſe impoſterum exorituris. Quare nonnullis ex hujuſmodi literis & Conſtitutionibus Apoſtolicis mature perpenſis, ad ſedandos rumores propterea excitatos, mutuamque & vere chriſtianam inter Epiſcopos & Regulares familias, ac etiam Sæculares Ordines & Sodalitates, publicaſque Univerſitates, benevolentiam & pacem ubique in Eccleſia ſervandam, de conſilio nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus Noſtræ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus in hanc ſententiam devenimus, ut ſubſequentibus Literis & Conſtitutionibus Apoſtolicis, eodem Pontifice Benedicto Sedente, vulgatis, moderationem aliquam auctoritate Noſtra adhibendam eſſe decerneremus. Literæ vero ipſæ, & Conſtitutiones, Ordinibus Regularibus pridem conceſſæ, hæ ſunt.

A nonnullis S.R.E. Cardinalibus Sanctiſſimo N.D. conſultum, ut hujuſmodi conceſſiones moderarentur.

Editæ 4. Idus Decembris Anno Domini 1725., quæ incipiunt: *Paterna.*

Aliæ 19. Kal. Junias Anni 1726., quæ incipiunt: *Ratio Apoſtolici miniſterii.*

Aliæ 3. Nonas Julias ejuſdem Anni, quæ incipiunt: *Singularis devotio.*

Aliæ 8. Auguſti ejuſdem Anni, quæ incipiunt: *Exponi Nobis nuper fecerunt.*

Aliæ Kal. Septembris ejuſdem Anni, quæ incipiunt: *Vitæ, & morum integritas.*

Aliæ Kalendis Januarii Anni 1727., quæ incipiunt: *Libenter.*

Aliæ 5. Nonas Martias ejuſdem Anni, quæ incipiunt: *Loca Sancta.*

Aliæ Kal. Aprilis ejuſdem Anni, quæ incipiunt: *Ex quo Sedes.*

Aliæ 5. Nonas Aprilis ejuſdem Anni, quæ incipiunt: *Summe decet.*

Aliæ 7. Kal. Junias ejuſdem Anni, quæ incipiunt: *Pretioſus*, unà cum declarationibus ſub die 28. Septembris 1728. ab eodem Pontifice factis ſuper quibuſdam dubiis circa intelligentiam rerum in ipſa Conſtitutione contentarum exortis.

Aliæ 21. Martii Anni 1729., quæ incipiunt: *Exponi Nobis fecit.*

Aliæ demum 7. Kal. Aprilis ejuſdem Anni 1729., quæ incipiunt: *In Sede.*

Quæ ſint Conſtitutiones, de quibus quæſtio.

§. 2. Quamvis autem hæc omnia & ſingula ex ejuſdem re. me. Benedicti pia & laudabili erga Regularium familias voluntate profecta fuerint, quos ipſe ob eorum zelum de ſalute animarum, religionis fervorem, doctrinam, & regularis diſciplinæ obſervantiam, magna ac vere paterna dilectione proſequebatur, Noſque ipſi æque proſequimur, conceſſa, extenſa, decreta, confirmata, & declarata fuerint; Nos tamen, qui poſt varias altercationes & difficultates de iiſdem Literis & Conſtitutionibus excitatas, optatam Sanctæ Dei Eccleſiæ tranquillitatem præ oculis habemus, volentes, ut univerſis dominici gregis Paſtoribus, ac præſertim Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, in partem ſolicitudinis Noſtræ vocatis, liberum jurium ſuorum, quæ Summi Dei gloriam, & animarum ſalutem reſpiciunt, in illorum Diœceſibus exercitium ſervetur: quæque illud quomodocumque impedire & lædere fortaſſe poſſunt, pro virili noſtra penitus amovere cupientes, quemadmodum aliàs Romani Pontifices Anteceſſores Noſtri ſæpius egerunt; Nos quoque ad præſervandum iiſdem Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac quibuſcumque aliis Ordinibus, ac cætibus Eccleſiaſticis & Sæcularibus, ſuorum jurium exercitium & poſſeſſionem, amovendamque quarumcumque diſſentionum & litium occaſionem, ex conceſſa Nobis divinitus Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, eorumdem Anteceſſorum Noſtrorum Pontificum Romanorum veſtigiis inhærentes, ſtatuimus & decernimus, de omnibus & ſingulis prædictis Literis & Conſtitutionibus, quæ ab eodem Anteceſſore Noſtro Benedicto prodierunt: necnon de omnibus privilegiis, gratiis, favoribus, indultis, exemptionibus, facultatibus, & declarationibus in iiſdem contentis, eam deinceps deciſionem ac judicium, etiam in foro conſcientiæ, habendum, quod ſive ex Jure communi, ſive ex Concilio Tridentino, ſive ex Decretis & Conſtitutionibus Apoſtolicis, ſive aliàs legitime habebatur, antequam eædem literæ & declarationes ab eodem Benedicto conceſſæ fuiſſent, perinde ſcilicet ac ſi illæ non emanaſſent; ad quam diſpoſitionem, ejuſque priſtinum ſtatum ac terminum, omnia ſuperius enunciata, omnino reducimus, & reducta eſſe volumus, itaut impoſterum ſupradicti Ordines Regulares earumdem Literarum & Conſtitutionum uſu,

Quibus rationibus motus ſit Prædeceſſor Benedictus haſce emittendi Conſtitutiones.

Epiſcopalem vero juriſdictionem cum frangant.

Ad terminos juris reducuntur, quaſi emanatæ non fuerint.

commodo,

commodo, & effectu penitus carere debere intelligantur.

Et quæ earum vigore acta sunt, irritantur, si huic adversentur reductioni.

§. 3. Hinc ad præmissorum effectum pro nullis & infectis haberi volumus omnia Decreta irritantia, prohibitiones, declarationes, mandata, & quæcumque in Literis & Constitutionibus prædictis quomodolibet appositа, atque alia eorumdem occasione facta, huic reductioni, decreto, & voluntati Nostræ quomodocumque adversantia, quibuscumque ea essent concepta formulis, ac præservationibus, declarationibus, modificationibus, restrictionibus, explicationibus, derogatoriarum derogatoriis, aliisque validissimis, efficacissimis, & inviolabilibus clausulis, præsertim quod semper in data cuicumque Constitutioni illarum revocatoriæ, imposterum edendæ, posteriores censeantur; etiam motu proprio, & potestatis pari plenitudine, ac ex certa scientia, etiam consistorialiter, etiam pro conservatione status Regularis, etiam in vim contractus & stipulationis inter Sedem Apostolicam & Ordines prædictos initæ, quam ad hujusmodi effectum rescindimus, & ex nunc rescissam, nulliusque roboris & momenti esse volumus, & decernimus.

Lites vero hinc exortas, & adhuc pendentes eodem modo decidendas decernitur.

§. 4. Ideoque omnes dissentiones, altercationes, & lites coram quibuscumque Judicibus ordinariis, extraordinariis, & commissariis, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditoribus, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, etiam de Latere Legatis, necnon quacumque eorumdem Cardinalium Congregatione, prædictarum Literarum & Constitutionum occasione jam motas, nedum decisas aut finitas, vel etiam, quæ jam decisæ essent, si modo tractum habeant successivum, easque rursus imposterum excitari contingat, juxta Juris communis, Concilii Tridentini, Decretorum & Constitutionum Apostolicarum, ac præsentem hanc Nostram dispositionem, nec aliter, decidendas esse præcipimus.

Futura vero dubia, & difficultates ad Apost. Sedem deferenda.

§. 5. Futura vero dubia & difficultates, ubicumque & quandocumque oriantur, ad Nos & Sedem Apostolicam, ad quam Pontificiarum Constitutionum, atque ecclesiasticarum Sanctionum interpretatio pertinet, referenda esse decernimus.

Clausulæ.

§. 6. Itaque omnia & singula hactenus memorata: necnon præsentes, etiam ex eo, quod causæ, ob quas emanaverint, comprobatæ, expressæ, & verificatæ, aut in præmissis interesse habentes, vel habere prætendentes, ad hoc vocati, citati, & auditi non fuerint, neque eisdem consenserint: vel aliàs ex quocumque capite, prætextu, colore, ingenio, vel causa, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostræ, sive alio quovis defectu, notari, & impugnari, argui, infringi, retractari, in jus vel controversiam vocari, ad terminos juris reduci, aut contra eas quodvis gratiæ vel justitiæ remedium impetrari, seu concedi nullatenus posse; sed eas, ac omnia & singula in eis contenta, semper & perpetuo valida, firma, & efficacia esse & fore; suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac ab omnibus & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari, omnino statuimus; sicque, & non aliàs, per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac prædictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, dictæque Sedis Nuncios, quavis auctoritate & facultate fungentes, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, definiendi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari, & definiri, & interpretari debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, & declaratum esse volumus.

§. 7. Non obstantibus præmissis, necnon Nostræ & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, necnon omnibus & singulis prædicti Benedicti decessoris, ac declarationibus super dubiis, aliisque Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis; necnon omnium & singulorum Ordinum prædictorum, ac eorum cuilibet, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, etiam mare magnum, vel aliàs quomodolibet nuncupatis, literisque Apostolicis sub quibuscumque tenoribus & formis, cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, ac irritantibus, aliisque decretis in genere vel in specie, etiam Motu proprio, & consistorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum omnium & singulorum tenores iisdem præsentibus pro plene & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, latissime & plenissime hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque quomodolibet contrariis quibuscumque.

§. 8. Volumus autem, ut eædem præsentes in Valvis Basilicarum Sancti Joannis in Laterano, & Principis Apostolorum de Urbe, ac in acie Campiforæ, ut moris est, affixæ, quoscumque illæ respiciunt, arctent & afficiant, perinde ac si unicuique coram & personaliter intimatæ fuissent, ut earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

§. 9. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostri statuti, decreti, voluntatis, moderationis, & reductionis infringere, vel ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo trigesimo secundo, 3. Kal. Aprilis, Pontificatus Nostri Anno Secundo.

A. Card. Datarius.

F. Card. Oliverius.

Visa de Curia I. Archiep. Ancyranus.
D. Stivanus.

Reg. in Secret. Brevium.

Confirmantur Regulæ & Constitutiones Congregationis Montis Libani Monachorum Syrorum Maronitarum Ordinis S. Antonii Abbatis. LVI.

CLEMENS PAPA XII.

Dat. die 31. Martii 1732. Pont. An. II.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

A Postolatus officium, quod inscrutabilis Divinæ Sapientiæ atque Bonitatis altitudo humi-

litati Noſtræ, meritis licet & viribus longè impari, committere dignata eſt, ſalubriter exequi, adjuvante Domino, jugiter ſatagentes, Monaſticos Ordines ac Cœtus, in Eccleſia Dei pie ſancteque inſtitutos, ac priſca celeberrimaque ſanctitatis & religioſitatis laude fulgentes, in ſalutari eorum vivendi norma, regularique obſervantia confovere atque conſervare omni ſtudio connitimur; ac proinde ea, quæ pro felici proſperoque illorum regimine & gubernio provide prudenterque facta ac ordinata eſſe noſcuntur, ut ſerventur exactius, & perenni ſoliditate perſiſtant, Apoſtolici muniminis patrocinio libenter, cum a Nobis petitur, corroboramus, ſicut ad Omnipotentis Dei gloriam, Religionis piorumque Operum incrementum, & animarum ſalutem in Domino expedire arbitramur.

Illarum examen duobus S.R.E. Card. demandatum.

Inſtitutum horum Monachorum a Clemente XI. in Urbem avocatum.

§. 1. Aliàs ſiquidem fe. re. Clemens PP. XI. Prædeceſſor Noſter antiquiſſimum Monachorum Orientalium Inſtitutum a Divo Antonio Abbate fundatum, ac ab ejus Diſcipulis in Ægypto, Syria, aliiſque Orientis regionibus propagatum, ſummo ſemper in honore a Sanctis Patribus, Generalibuſque Conciliis habitum, ac perpetuis laudibus celebratum, prope Eccleſiam Sanctorum Petri & Marcellini de Urbe, evocatis ad hoc e Syria ejuſdem Inſtituti Monachis Syris Maronitis, ſtabiliendum curavit; & quia Monaſtici illius Ordinis diverſa ſunt apud ipſos Maronitas Cœnobia, nec una eademque in omnibus viget gubernii ratio, utpote quorum aliqua a ſe invicem non pendent, ſed unumquodque Monaſterium a proprio ita regitur Abbate, ut nulla inter ejuſmodi Abbates mutua connexio aliquave ſubjectio intercedat: alia vero in Congregationem redacta, ac ſub directione unius Abbatis Generalis, qui tamquam Caput præeſt omnibus ipſius Congregationis Monaſteriis, inferiores etiam Abbates habentibus, conſtitutæ reperiuntur; duplexque in Syria dictorum Monachorum extat Congregatio: altera antiquior ac frequentior, quæ in Monaſterio Sancti Eliſæi initium ſumpſit, ac Montis Libani dicitur: altera recentior, & ad prioris imitationem formata, quæ a Cœnobio, ubi cœpit, Sancti Iſaiæ nomen trahit, Venerabiles Fratres S. R. E. Cardinales, negotiis Propagandæ Fidei præpoſiti, probe conſiderantes ac perſpicientes, in Monaſterio apud eamdem Eccleſiam SS. Petri & Marcellini ſubinde extructo vix haberi poſſe Monachos idoneos & ſufficientes ex Cœnobiis Syriæ, quæ privato ac ſingulari jure reguntur, decreverunt, illos ex dicta Congregatione Montis Libani accerſendos fore, quippe qui ſtrictiorem profitentes obſervantiam, ea Chori, ſtudiorum, literarum, ſacrarumque Miſſionum munia, quæ a memorato Clemente Prædeceſſore præſcripta fuerunt, præ cæteris exactius adimplere poſſunt.

Ejus hiſtoria.

Monachi Syri Montis Libani in Eccleſia SS. Petri, & Marcellini conſtituti.

Petita Regularum a tota Congregatione obſervandarum confirmatio.

§. 2. Cum autem, ſicut dilectus filius Michael Edenenſis, Abbas Generalis ejuſdem Congregationis Montis Libani, Nobis nuper exponi fecit, tametſi Congregatio & Ordo hujuſmodi ſuas habeant Regulas & Conſtitutiones, per Orientis Monaſteria ſanctiſſime cuſtoditas, neque unquam a Sede Apoſtolica improbatas, quinimo peculiari ſtudio commendatas; nihilominus, ut majori firmitate fulciantur, & a calumniis atque obtrectationibus ſæpe adverſus eas confictis ac ſparſis vindicentur: utque aliæ Nationes, quæ per Orientem ſive a Fide Catholica ſive a diſciplina Monaſtica deſciverunt, exemplum ac normam vivendi exinde ſumere valeant, Capitulum Generale prædictæ Congregationis Montis Libani ipſum Michaelem Abbatem Generalem ad Romanam Curiam deſtinaverit atque ablegaverit, ut totius dictæ Congregationis nomine, Regularum & Conſtitutionum ejuſdem Congregationis approbationem & confirmationem ab hac S. Sede impetrare procuraret; Nos Regulas & Conſtitutiones prædictas Nobis exhibitas, quæ ex arabico idiomate in latinum diligenter verſæ fuerunt, dilectis filiis Noſtris Nicolao Spinulæ, eorumdem Monachorum Congregationis Montis Libani apud Nos & Sedem prædictam Protectori, ac Vincentio ipſius S. R. E. Cardinalibus Petra nuncupatis, Congregationis ſupradictorum Venerabilium Fratrum Noſtrorum, negotiis Propagandæ Fidei præpoſitorum Præfecto, expendendas commiſimus, qui mandatis Noſtris prompto obſequio morem gerentes, illas mature diligenterque examinarunt, cumque nihil in eis reperierint, quod Orthodoxæ Fidei, bonis moribus, pietati, exactæque Inſtituti Monaſtici obſervantiæ adverſetur, Regulas ac Conſtitutiones præfatas unanimiter probarunt atque laudarunt, eaſque in unum volumen redigi curarunt tenoris, qui ſequitur, videlicet:

Conſtitutiones Monachorum Syrorum Maronitarum Ordinis Sancti Antonii Abbatis Congregationis Montis Libani.

PARS PRIMA.

CAP. I.

De Obedientia.

1. Debet Monachus Abbatem ſuum Chriſti loco citra omnem diſceptationem habere;
2. Eidemque in omnibus, peccato excepto, obedire;
3. Et illum honore & amore tum interno tum externo proſequi;
4. Nihilque eo inconſulto ſtatuere;
5. Neque de illius circa Fratres regimine ſubtiliter inveſtigare:
6. Omnem propriam converſationem, ſeu bonam ſeu minus rectam, illi plane patefacere:
7. Nullas expoſitiones ſive tractatus habere aut ſcribere, neque concionari aut docere, niſi ipſo conſulto atque annuente;
8. Nec epiſtolam mittere aut accipere, quam illi non antea exhibuerit;
9. Nec illo inconſulto depoſitum aut pignus ſuſcipere;
10. Neque mutuum quidpiam dare aut accipere, neque eleemoſynam erogare aut petere, niſi illo annuente: ſervatis tamen juris ſolemnitatibus, & accepta a legitimo Superiore facultate.

CAP. II.

De Caſtitate.

1. Monachum oportet omnes ſenſus ſuos diligentiſſime cohibere;
2. Atque a Fœminarum etiam ſibi affinium colloquio & conſuetudine abſtinere:
3. Omnes item omnino Fœminas ab ingreſſu ſui Monaſterii prohibere:
4. Neque cum puero ſimul habitare. Si quos tamen docere contigerit, extra Monaſterii clauſtra docendi erunt.
5. Omnes denique occaſiones Caſtitati noxias amputare atque amovere.

CAP. III.

De Paupertate.

1. Monachum convenit nihil omnino proprium poſſidere;
2. Neque aliquid omnino ſibi quaſi proprium uſurpare;
3. Neque ſuo cordi aut corpori jungere quidpiam ex bonis parentum aut conſanguineorum; neceſſitate autem cogente, ſibi id præſtari intelligat, non conſanguinitatis jure, ſed non ſecus atque cæteris externis.

CAP. IV.

De Humilitate.

1. Monachum decet primatum nusquam appetere, sed contra aliis ubique cedere, atque novissimum locum tenere;

2. Omnes actus & mores suos externos ad abjectionem & humilitatem componere, & Fratribus ubique deferre;

3. Fratrem item prævenire verbo: Parce mihi, si rei, quæ agitur, natura istud exigat.

CAP. V.

De Fraterna Charitate.

1. Monachum oportet quamdiligentissime ea omnia procurare, quæ ad communem concordiam & pacem cum reliquis Fratribus conducere intellexerit.

2. Debet itaque reverentiam, urbanitatem, comitatemque verbo & opere exhibere Fratribus, non modo superioribus, sed etiam æqualibus, atque inferioribus, & præcipue illis, qui sibi ista præstare detrectant.

3. Caveat item accuratissime, ne quempiam condemnet aut vituperet, neve sibi verbum gestusve excidat, ex quo audientibus mæstitia aut suspicio quævis oriatur.

4. Satagat præterea, cor habere mundum a quavis appetitione superioris sortis, ne inde livor & invidia subrepat, vitium maxime detestandum, & charitati exitiale.

CAP. VI.

De Patientia.

1. Monachus debet verbo & opere se ad patientiam comparare perfectæ mortificationis studio.

2. Subortâ autem tentatione, æstu iracundiæ agitari perturbative se non sinat; sed longanimitate & silentio omnem sedare perturbationem studeat.

3. Tentationibus, atque difficultatibus pressus, ubique Deo gratias agere assuescat.

CAP. VII.

De Habitu Monachorum.

1. Monachus debet Habitum nigrum habere.

2. Superiorem vestem laneam, interiorem vero lineam, aut bombicinam adhibeat.

3. Zona nigra stricta se cingat; Tyrones vero fune ex pilis caprarum contexta.

4. Zonam non solvat, nec monasticum Cucullum deponat, aut aliam vestem, cubiturus, nisi quæ Zonæ subesse non solet.

5. In habitu, calceamentis, lecto, & stragulis paupertas servetur.

CAP. VIII.

De Mora in Cella.

1. Monachus sine causa Cellam deserere non debet;

2. Neque secum in illa habitare quempiam permittere;

3. Neque Fratris Cellam citra ipsius annutum ingredi.

4. Si quempiam ad eum venire contigerit, illo in Cella præsente janua pateat, neque occludatur, donec ille abierit.

5. Monachi Cella ita clausa maneat, ut communi, qua reliquæ Fratrum Cellæ, clave reserari valeat.

6. Cellæ munditiem & ordinem curet.

CAP. IX.

De Iter agentibus.

1. Monachus non debet sine Socio extra Claustra abire; Quapropter ante suum e Monasterio egressum comitem ab Abbate petat.

2. Nullum iter suscipiat, nisi de licentia Abbatis.

3. De Monasterio non exeat, nisi tempore ab Abbate constituto.

4. Sine literis Abbatis sui de altero in alterum Monasterium non pergat.

5. Quodcumque Monasterium intraverit, ejus loci Abbati usque ad suum inde discessum omnino pareat.

6. Neve equo aut quovis jumento, nisi Abbate annuente, utatur.

7. Sique fieri potest, jumento contentus esto.

CAP. X.

De Mensa.

1. Mensa Monachi cibo obvio & parabili instruatur.

2. Bis in die dumtaxat cibum sumere, prandium scilicet & cœnam, contentus sit; si quid amplius sumere necesse fuerit, Abbatem consulat.

3. Carnibus abstineat, nec illis nisi ægritudinis causa, vesci fas esto, idque de licentia Abbatis.

4. Hominem sæcularem ad mensam intra Monasterii Claustra non adhibeat.

5. Ad mensam sine Abbatis licentia non sedeat supra Seniorem.

6. Mensæ assidens neminem salutet.

7. Post refectionem fas esto tantisper animum relaxare vel in solitario secessu, vel unà cum Fratribus.

CAP. XI.

De opere manuum.

1. Monachum oportet operi seu mentali seu corporali vacare, præsertim si firma corporis valetudine utitur.

2. Opus autem Fratribus utile esto.

3. Illud vero, nisi de licentia Abbatis, non capiat; Sique res ipsa postulat, etiam officinæ, in qua est operaturus, Præfectum consulat, ejusque annutum petat.

CAP. XII.

De Silentio.

1. Monachus debet Silentium discrete observare;

2. Idque tribus præcipue temporibus: a Completorio nimirum ad Tertiam diei sequentis: præterea in Ecclesia, atque ad mensam; Et si quid dicendum fuerit, submissa voce dicatur.

CAP. XIII.

De Oratione mentali.

1. Monachus mane & vespere Orationi mentali ad semihoram vel horam vacabit; idque fiat vel post absolutas Vocales preces, vel ante, ad Abbatis nutum.

2. Oraturus, vel cum aliis Fratribus in Ecclesia conveniat, vel solus in Cella maneat.

3. Hujusmodi autem orandi genus non suscipiant, qui laboriosis ministeriis addicuntur, nisi de licentia Abbatis.

CAP. XIV.

De Oratione vocali.

1. Monachus Septem Orandi tempora observet juxta Monasterii consuetudinem: Primum, vespertinum Officium sub occasum: Deinde, Completorium ante cubitum: Tertio, Officium mediæ noctis sub horam propriam: Quarto Officium matutinum simul cum hora tertia: Postremo, Officium Sextæ simul, & Nonæ.

2. Annectendæ sunt Completorio Litaniæ Deiparæ, quibus succedit conscientiæ examen ad octavam horæ, quod etiam mane fieri debet post Tertiam.

3. Feria quarta & sexta singuli in Cellas suas secedant sub vesperam post conscientiæ examen: & Psalmum quinquagesimum manibus in Crucis figuram extensis recitent quinquies.

4. Pœnitentiales genuflexiones, quas *Metaneas* vocamus, ad Laudes singuli peragant.

CAP. XV.

De Confessione Sacramentali.

1. Monachus peccata sua Sacerdoti ad confessiones excipiendas constituto confiteri debet. Si autem alteri Sacerdoti, Abbatem consulat:

2. Idque semel quavis hebdomada saltem præstet.

3. Sub ingressum in Religionem generali Confessione peccata sua apud Sacerdotem ab Ordinario approbatum deponat; nec recipiatur, nisi exhibita attestatione, quod confessionem Sacramentalem emiserit.

CAP. XVI.

De Sanctorum Mysteriorum Communione.

1. Monachus debet opere & desiderio perpetuo paratum se præbere ad perceptionem Sanctorum Sacramentorum;

2. Eorumque communionem frequentare, eaque suscipere diebus Dominicis, & Festis de præcepto.

3. Si qua in eadem hebdomada plura concurrant Festa, propter Sacramenti reverentiam juxta Abbatis consilium in quibusdam a Communione abstineat.

4. Monachus vero Sacerdos Sacrum non omittat unquam, nisi causa ab Abbate probata.

CAP. XVII.

De Modestia.

1. Monachus e Cella egressurus proprium habitum induat, neque sine eo a quopiam se conspici permittat;

2. Meminerisque inclinare Caput Abbatibus, & Sacerdotibus Senioribus, circumstantiis loci atque temporis id exigentibus, juxta traditionem & ordinem atque morem Fratrum.

3. Fratri manum omnino non admoveat, nisi salutationis causa peregre abeunti, aut de longinquo redeunti, & in causa ægritudinis necessitate cogente.

4. Abiturus, aut Cellam subiturus, aut fores patefacturus, aut clausurus aut pulsaturus modestiæ atque silentii memor esto.

5. Charitatem hilaritatemque cum timore Dei conjunctam in familiari cum Fratribus colloquio præseferat.

6. In summa intelligat, in omnibus dictis factisque suis sibi modestiæ gravitatisque leges esse servandas.

CAP. XVIII.

De Ægrotis.

1. Monachus Deo gratias agere debet in statu ægritudinis magis, quam in statu valetudinis, sciens se ad proprium profectum a Domino visitari.

2. Inconsulto Abbate corpus affligere aut vexare non debet.

3. Ægritudinem præsentiens Abbatem moneat.

4. Pharmaca & remedia Abbate inconsulto non adhibeat.

PARS SECUNDA.

CAP. I.

De Novitiis.

1. Liceat Abbati in suo Monasterio Novitios suscipere, atque etiam expellere, de consilio Congregationis Monachorum.

Novitiorum probatio:

2. Novitius non probetur, nisi in Monasterio, in quo plures Monachi degunt, qui & monasticam Regulam observant, & statutis temporibus Canonicas preces, cæterosque ecclesiasticos Ritus peragunt.

3. Habitent Novitii in loco a cæteris separato; & curabit Abbas Generalis, ut pro Noviatiatu designetur Monasterium determinatum, & in eo locus separatus. Habitatio:

4. Novitiatus ad biennium producatur, neque quispiam ante expletum hoc spatium ad Habitum admittatur, nisi ex causa a Congregatione Hegumenorum probata: idque non ante expletum annum. Si vero Novitius expleto biennio ad hoc minus idoneus reperiatur, omnino dimittendus est. Tempus Tirocinii.

5. Novitius ante expletum ætatis annum sextumdecimum non suscipiatur; neque major sit quadragesimo quinto. Pertinet autem ad Congregationem Hegumenorum in hoc casu, si aliunde noverit, illum Ordini profuturum, sive in defectu ætatis sive in excessu dispensare, modo non sit minor annis quatuordecim. Aetas admittendorum:

6. Novitium Primò oportet esse christianis Parentibus natum, atque orthodoxum. Quare si ipse, aut alteruter ejusdem Parentum, Christianus non est, aut Christianam Fidem negavit, vel Neophytus ad illam accessit, aut a Catholica Fide ad sectam hæreticorum transiit, absque licentia Congregationis Generalis a nemine suscipiatur. Qui vero hæreticis aut schismaticis parentibus natus est, ab Abbate Monasterii suscipiendus non est, nisi de licentia Abbatis Generalis. Conditiones.

Secundò, si excommunicatus, interdictus, suspensusve ab exercitio sui Ordinis fuerit, ante absolutionem atque benedictionem proprii Episcopi non recipiatur.

Tertiò, non recipiatur Novitius publice suspectus, vel delatus de criminibus spectantibus ad negotium Fidei orthodoxæ, vel de homicidio, aut enormi in re turpi delicto; neque notorie infamis, nisi certa sinceræ pœnitentiæ signa antea ostenderit, & obtinuerit absolutionem aut dispensationem a legitimo Superiore, prout de jure.

Quartò, nec recipiatur alieno ære obstrictus, neque reddendis de administratione rei alienæ rationibus obnoxius, neque Judicis sententia exilio mulctatus, nisi Creditoribus, & Magistratibus satisfecerit.

Quintò, nec conjugio ligatus, nisi de consensu conjugis, & facta coram Episcopo separatione.

Sextò, nec in ecclesiastica Dignitate constitutus, cui cura animarum annexa sit, nisi in manu sui Prælati illam abdicaverit.

Septimò, nec nothus, neque alio vitio laborans, irregularitatem inducente, & processum ad Sacros Ordines impediente, nisi obtenta ab habente facultatem absolutione seu dispensatione.

Octavò, nec æger corpore, nec morbo cuivis obnoxius, nec insanus, aut mentis minus compos suæ; Sed corpore sanus & integer sit, & interno externove vitio careat; quo ab Ordinibus suscipiendis, aut exhibendo Fratribus ministerio impediatur.

Nonò, nec qui in alio Monasterio aut Ordine professionem emisit, nisi petita a proprio Prælato venia, & nostra generali Congregatione annuente. Monachi vero, qui sua nobis Monasteria Superiorum permissu tradiderint, si Congregationem nostram optaverint, ad annum dumtaxat sunt probandi; quo peracto, rogatis Congregationis Monachorum de more suffragiis, ad professionem admittantur, locum vero post Monachos, quos invenerunt, obtineant. Qui vero Novitius in alio Monasterio aut Ordine fuerit, non recipiatur, nisi de licentia Abbatis Generalis.

7. Abbas Monasterii, antequam Novitium admittat;

mittat, exploret circa omnia prædicta, & examen fiat in Congregatione Monachorum. Si Abbas Novitium post præmissum examen admiserit, deinde vitium in eo deprehenderit, aut impedimentum quodlibet, continuo illum e Monasterio dimittat. Si vero prædictum examen neglexerit, ab Abbate Generali graviter erit puniendus. Qui autem Novitium susceperit, sciens impedimentum aliquod ex prædictis obstare, ex gradu suo excidat, qui id ausus fuerit, sine mora; nec ad ullum deinceps in Religione gradum idoneus dignusve censeatur ipse, & omnes Monachi, qui in Congregatione unà cum illo interfuerint ad triennium: quo expleto a Congregatione Hegumenorum restitutionem obtineant. Novitius vero, eum in modum receptus; si nec dum professionem emiserit, Monasterio expellatur; sin autem professus fuerit, res ad Congregationem Hegumenorum devoluta censeatur, quæ cum Reverendissimo Domino Patriarcha, aut legitimo Superiore, causam definiet.

Pœnæ contra non admittendos recipientes.

De Examine.

8. Debet insuper Abbas de Novitii ætate, indole, scientia, valetudine, causa vocationis ad statum religiosum, & cæteris hujusmodi, cognoscere; idque fiat in Congregatione Monachorum.

Cæterisque præmittendis.

9. Postquam ergo Abbas cum Monachorum Congregatione admissionem Novitii probavit, tum vero locum a Fratribus separatum illi assignabit, ibique ad octo saltem dies citra habitus mutationem maneat; atque interea Regulas Ordinis, statuta, & consuetudines examinet. Et primùm quidem Novitius generalem peccatorum Confessionem apud Sacerdotem ad excipiendas sæcularium confessiones ab Episcopo approbatum obeat, atque Sacram Communionem percipiat. Postea, convocatis Monachis, sive Matutino sive Vespertino tempore Abbas Novitium induat Tyronum Habitu juxta Ritum Syriacum.

Admissionis dies notanda.

10. In quolibet Monasterio habeatur liber, in quo Abbas describat nomen Novitii, cognomen, patriam, diem, mensem, & annum, quo Habitum Novitii susceperit. Similiter in codice adnotetur dies, in quo professus est, monasticum Habitum suscipiendo. Et prædictus liber in Archivio Monasterii reponatur.

11. Tyrocinii annus supputandus erit a die, quo Habitum Novitii induerit, Et prior tempore potior sit in gradu. At Sacerdos eum, qui Sacerdos non est, præcedit, & Diaconus non Diaconum.

Nihil ab admittendis recipiendum.

12. Non liceat Abbati, neque aliis, exigere aut accipere a Novitiis quidquam pro ipsorum receptione ad probationem; sed nec pretium vestis, ad probationem necessariæ. Si vero Novitius sponte quidpiam Monasterio obtulerit, id porro palam & in publico conventu fiat, cedatque in communem Monasterii usum.

Novitiorum vestes servandæ usque ad diem professionis.

13. Novitiorum vestes resque omnes certo in loco reponantur, postquam in codicem singula relata fuerint, ipso Novitio præsente unà cum Fratribus. Nec ulli liceat, inconsulto domino, quidpiam ex illis sibi usurpare, aut Monasterio applicare. Sed nec ipse Novitius de rebus suis disponere valeat; probatione durante, aut aliter eorum usum cedere absque Abbatis consensu. Si Novitius ad sæculum redierit, res suas auferre non prohibetur; illas tamen repetere non poterit, quas sponte, & expresse Monasterio donaverit, aut si professio secuta fuerit.

14. Novitius ante professionem quovis etiam brevissimo temporis spatio potest de rebus & bonis suis pro arbitrio disponere: Post factam vero professionem nullum illi remanet in ea dominium: nec item Abbati; sed illud ad Ordinem statim transire censetur.

15. Currente probationis tempore, ter de Novitio Fratrum suffragia rogentur: & Primum quidem expleto Tyrocinii anno: Iterum vero post decimum octavum mensem: Postremo post vigesimum quartum, hoc est elapso probationis biennio. Si in postrema Congregatione fuerit approbatus, Habitum suscipiat, quamvis in geminis prioribus Congregationibus reprobatus fuisset; & e contrario, si in tertia reprobatus fuerit, dimittatur, nec priorum duarum Congregationum ulla ratio habenda erit. Qui per annum dumtaxat, ut supra, probatur; de eo Monachorum suffragia rogentur post sextum, nonum, & duodecimum mensem. Qui per annum cum dimidio, post duodecimum, decimum quintum, & decimum octavum mensem.

Durante probationis tempore ter Fratrum suffragia de eo admittendo nec ne roganda.

16. Suffragiis Monachorum approbatus censetur, qui vel unum pro receptione supra medietatem suffragium habet. Si vero suffragia fuerint paria pro receptione & pro reprobatione, iterum rogentur: Sique adhuc paria fuerint, reprobatus censeatur.

17. Si forte Novitius Tyrocinii tempore in grave crimen publicum & manifestum prolapsus fuerit, re prius cum Congregatione Monachorum communicata, Abbas illum sine mora ejiciat; ita tamen, ut ejus famæ apud sæculares, quoad fieri poterit, consulatur.

Tirocinii tempore in manifestum crimen lapsus ejiciendus.

18. Novitius postquam ad suscipiendum Habitum in tertia Congregatione approbatus fuerit, Abbas illi Habitus susceptionem ad triduum differat; quo intervallo jubeat, eumdem de statu suo deliberare: utrum scilicet illi placeat vota emittere, aut contra ad sæculum redire. Si evoluto triduo Novitius statuerit religiosam professionem emittere, & Monachus fieri, ad Ecclesiam adducatur, Fratrum cætu deducente, atque coram Abbate ad Altaris latus assidente genua flectat, duobus saltem Monachis professis præsentibus; Et Abbas de ipsius proposito ac mente illum interroget: Sique habitum petierit, induatur juxta Ritum Syriacum, postquam pronunciaverit hanc votorum formulam.

Ego N. N. promitto ac voveo Deo omnipotenti, & Reverendissimo Abbati Generali N. N. ejusque successoribus, Obedientiam, Castitatem, & Paupertatem voluntariam usque ad mortem, juxta Regulam & Constitutiones Congregationis nostræ Monasticæ. Item promitto ac voveo, me nullam Dignitatem quæsiturum sive in nostra Congregatione sive extra, nec ambiturum per me ipsum, nec per alios procuraturum, neque subdole aucupaturum, neque etiam acceptaturum, nisi ad id me coegerit imperium Superioris mei, cui teneor obedire.

Forma juramenti ante susceptionem Habitus emittendi.

19. Si Novitius ordinem deseruerit, atque ad sæculum fuerit reversus, seu sponte sua, seu Congregationis Monachorum suffragio dimissus, non erit iterum recipiendus, nisi annuente Congregatione Hegumenorum; Sique horum permissu receptus, sponte sua, aut a Congregatione Monachorum dimissus fuerit, numquam deinceps recipiatur. Qui vero post primam discessionem receptus fuerit, probationis ejus anni a die reditus supputentur, nec prioris tyrocinii ulla ratio habeatur.

20. Si Novitius a proposito resilierit, & ad sæculum fuerit reversus, atque ibi ad Sacros Ordines eumdem promoveri contigerit, sine Congregationis Generalis permissu recipiendus non est.

Ante emittendam Professionem Abbatis Generalis consensus requirendus.

21. Nec Abbas nec Congregatio Monachorum suffragia ferre potest pro admissione Novitii ad professionem absque Abbatis Generalis consensu vel expresso vel tacito, quem ille sine legitima causa negare non debet; & nisi expresse & nominatim negaverit, dare consensum, censendus est.

22. Cum tempus probationis Novitius expleverit, & professus fuerit, Abbas ad Generalem Abbatem de eodem referat.

Novitii ad nullum Ecclesiasticum Ordinem admittendi.

23. Non permittenda est Novitio promotio ad ullum Ordinem Ecclesiasticum, neque Abbati liceat eumdem ad Sacram Ordinationem offerre. Qui Novitium ad Sacros Ordines provehi concesserit, a gradu suo excidat, & Novitius ad Habitus susceptionem inhabilis censeatur.

24. Novitius cum Monachis professis suffragium non ferat: neque de rebus ad Ordinem spectantibus interrogetur: neque ullam Dignitatem in Ordine habeat, dum probatur; sed ministeriis tantum Monasterii addici potest. Probationis quoque tempore Novitius a Monasterio, in quo ad Tyrocinium admissus fuerit, ad aliud Monasterium non transferatur sine justa causa, nec sine consilio Congregationis Monasterii, ubi moratur, & Congregationis Monasterii, quo transferendus est, & ex permissione Abbatis Generalis. Sic autem translatus, cum tempus probationis expleverit, pro ejus admissione eorum Monachorum suffragia rogentur, ubi moratur.

25. Novitius habitum gerat ab habitu Monachorum professorum diversum; nec ante professionem habitum illorum induat.

De frequentia Sacramentorum.

26. Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ Novitius quavis hebdomada semel saltem frequentet; neque a Divinorum Mysteriorum participatione prohibendus est sine consilio Patris Spiritualis, ab Abbate eidem assignati. Et si quidem Sacerdos fuerit, a Sacra Oblatione quotidie peragenda suspendendus non est, nisi ex causa, & consulto Abbate.

27. Si contingat Novitium Clericum Missæ inservire cum altero superioris gradus & loci, sive Professus ille sit, sive Novitius, Epitrachelion, hoc est Clericalem Stolam non induat, nisi Clericus ille, qui loco graduque superior est, illud pariter induerit.

De silentio.

28. Novitium decet, silentium tenere præsentibus Abbate atque Magistro, neque loqui nisi interpellatur, aut ex justa legitimaque causa: neque cum Sæculari, nisi Abbate & Magistro annuentibus, & alio Monacho præsente.

De reverentia Senioribus.

29. Novitius Mensæ non assideat, nisi jussus ab Abbate, aut a Seniore inter Fratres; Si contingat ipso sedente præterire Abbatem aut Sacerdotem, statim assurgat, & junctis in crucis modum supra pectus manibus submissa cervice, oculisque in terram defixis, perstet, donec ille pertransierit. Pari submissione reverentiaque se gerat, Abbate aut alio Sacerdote ipsum alloquente; nec, nisi jussus, assideat.

30. Novitius ab Abbate aut a Magistro reprehensus, statim in genua procidat, tacitusque audiat arguentem; nec, nisi jussus, pro se verba faciat, aut sibi objecta refellat: nec nisi illo jubente assurgat.

CAP. II.

De Magistro Novitiorum.

1. Magister Novitiorum intelligat, rem esse magni momenti sibi commissam; quandoquidem ex prima Novitiorum institutione pendet majori ex parte eorumdem profectus, & spes nostri Ordinis. Curet igitur, ut in dies per studium propriæ perfectionis instrumentum aptius ad eos juvandos reddatur.

2. Amabilem se præstet, & vitæ integritate, ac discretione ita se gerat, ut omnes Novitii ad ipsum in suis tentationibus confidenter confugiant, eique res suas libere aperiant, & ab eo consolationem & auxilium in omnibus sperent.

3. In Domo probationis, Monasterio conjuncta, vel in Monasterio ipso (nam locum Novitiorum separatum esse magis expediret). Refectorium quidem sit commune, sed Mensa aliqua Novitiis designetur post omnes Professos.

4. Magister Novitiorum privatas tantum pœnitentias suis Novitiis imponere poterit, publicas vero nonnisi consulto Abbate.

Facultates Magistri Novitiorum.

5. Habeat hic idem Magister Novitiorum potestatem ordinariam a Prælatis absolvendi a casibus reservatis Novitios suos; nisi Abbati hæc facultas aliqua de causa restringenda videretur, vel alteri concedenda: Sed statutis anni temporibus, saltem bis in anno, extra ordinem Confessarius Novitiis offerendus est.

6. Magistrum Novitiorum versatum esse oportet in lectione librorum spiritualium, ut deceptiones, quæ in spirituali vita accidunt, intelligat; Novitiis vero eos tantum legendos tradet, quos ad eorum profectum conducere judicabit, quique sint orthodoxi, & ab Ecclesia Catholica non reprobati. Semihoræ verò spatio eosdem docebit Orationem mentalem & vocalem, Doctrinam Christianam; & Regulas atque Statuta nostri Ordinis, præsertim qua ratione accedere debeant ad Sacramenta Confessionis & Eucharistiæ, & quomodo horis Canonicis, & Sacræ Liturgiæ interesse eos conveniat; qui autem literas nesciunt, illos statutas preces recitare docebit.

7. Abbatis est, unum ex Sacerdotibus Monasterii, qui sit præ cæteris morum probitate & doctrina commendatus, Magistrum Novitiorum designare. Hunc autem, si negligentem in Novitiis instituendis, aut minus prudentem in eis corrigendis deprehenderit, pro qualitate culpæ puniat; idque coram Professis, non coram Novitiis fiat. Eum vero ab officio removere non poterit, nisi Congregatione Monachorum consulta.

CAP. III.

De Professis.

1. Postquam Novitius professionem emisit, aliquamdiu, Abbatis arbitrio, sive in ministerio Fratrum, sive in studiis literarum exerceatur, ut appareat, an ad Clericorum ordinem promovendus sit, an vero in Laicorum cætu manere debeat; nemo enim in nostra Congregatione ante Novitiatum ad statum Clericorum, sive Laicorum deputatur, sed omnes indifferenter ad quemcumque statum admittuntur; & solum post peractam professionem, postque edita idoneitatis suæ signa, ab Abbate, consulta Monachorum Congregatione, ad clericatum, sive ad statum laicorum designantur. Hac tamen in re conscientia ipsius Abbatis oneratur, ut nimirum & rationem idoneitatis uniuscujusque habeat, & Monasterii necessitatibus de conveniente numero Sacerdotum, Clericorum, & Laicorum consulat.

Monachi non nisi post emissam Professionem ad statum Clericorum vel Laicorum admittendi.

2. Antequam vero Professus ad statum aliquem determinetur, semper maneat sub custodia & cura Vicarii Abbatis, & quantum fieri potest, nullum commercium habeat, vel cum Novitiis, vel cum aliis Monachis, nisi cum paribus & æqualibus suis, aut cum iis, qui in eodem ministerio, aut studiis iisdem versantur.

3. Quamquam autem quis ab Abbate ad statum Clericorum deputatus sit, & Ordinem etiam aliquem Ecclesiasticum acceperit; intelligat tamen ad ulteriorem gradum sibi aditum nequaquam patere, nisi illum bonis moribus, & comparata ex studiis scientia promeruerit. Abbatis igitur, & Congregationis Monachorum arbitrio relinquitur; ut ipsum ab ulteriore Ordine accipiendo ad tempus, vel etiam perpetuo, arceant; idque potissimum de Ordinibus infra Diaconatum intelligendum est; nam qui servatis

servandis ad Diaconatum promotus est, is a Sacerdotio accipiendo, nisi urgentissima de causa, nequaquam removeatur.

4. Pari ratione, qui diu in ministerio Laicorum deserviit, si idoneus postea repertus fuerit, potest ab Abbate & Monachorum Congregatione ad Ordines etiam majores promoveri; dummodo tamen, postquam ab Abbate ad ministerium laicale addictus est, nec literas didicerit, nec libros legerit, nisi ipso consulto.

CAP. IV.

De Clericis Studentibus, & Magistris.

1. Nemo ad Ordinem ecclesiasticum promoveatur, nisi ætate a Sacris Conciliis præscripta, aut dispensatione a legitimo Superiore obtenta, & de licentia Congregationis Monachorum, atque Abbatis, qui ordinandum cum literis testimonialibus ad Episcopum loci, aut ad Reverendissimum D. Patriarcham mittere debet, tenoris sequentis.

Reverendissime & Religiosissime Domine N. Episcope Civitatis N., aut Beatissime Patriarcha Noster Domine N.

Tenor Testimonialium pro Promovendis.

Nos Abbas, & Monachi Ordinis Sancti Antonii Congregationis Montis Libani Monasterii N. testamur reverendum P. N. Monachum professum nostri Ordinis in legitima ætate constitutum, vel dispensationem ætatis hic annexam habentem, & sufficienti doctrina bonisque moribus præditum, nulloque impedimento irretitum, dignum esse, qui Ordinem N. a Reverendissima Dominatione tua, vel a Beatitudine tua, accipiat. Quamobrem has ei Literas patentes dedimus, sigillo Monasterii nostri munitas, & subscriptione nostri Abbatis firmatas, die N. mense N. anno N. Loco ✠ sigilli -- N. Abbas Monasterii N.

2. In libro Monasterii adnotabitur nomen Ordinati, & Episcopi Ordinantis, & dies, mensis, & annus.

Nemo ordinandus inconsulto Abbate.

3. Si quis ex Professis permiserit, se ordinari absque licentia Abbatis & Congregationis Monachorum, negotium ejus ad Abbatem Generalem deferatur, qui illum ab exercitio Ordinis suspendat, aliisque pœnis plectat, salva indulgentia, quam ei Reverendissimus D. Patriarcha concesserit.

4. In quolibet Monasterio Clericis ab Abbate Magister deputetur, qui eos doceat; & ipsi literas diligenter excolant, quarum ope Choro deservire valeant, & Sacerdotii onera digne ferre, ejusque munera pro dignitate exequi.

In qualibet Provincia designandum Monasterium ad excolenda studia.

5. In qualibet Provincia, si fieri potest, unum ex Monasteriis frequentioribus ab Abbate Generali ad excolenda studia designetur, in quo præter Magistrum Grammaticæ sint etiam alii duo Magistri, alter Dialecticæ & Philosophiæ, & alter Theologiæ; vel saltem unus Magister post peractum Grammaticæ Dialecticæ & Philosophiæ curriculum, Sacram Theologiam exponat, & Dogmaticam præsertim, atque Moralem, juxta methodum ab eodem Abbate Generali præscribendam. Præterea constituatur Præfectus Studiorum, cujus cura esse debet, ut tum a Scholaribus tum ab horum Magistris statutus ordo & regula Studiorum servetur; idemque præerit omnibus actibus literariis, & examinationibus Scholarium. Etsi autem Abbatem Generalem spectat, tam Præfectum Studiorum, quam Magistros prædictos deputare; in mortis tamen, aut infirmitatis alicujus eorum casu Congregatio Monachorum una cum Abbate illius Monasterii alium in ejus locum subrogare poterit, donec Abbas Generalis consulatur, cujus erit spatium etiam annorum assignare, quo Grammaticæ, Philosophiæ, & Sacræ Theologiæ Studium perficiatur: distributionem quoque temporis tam matutini quam pomeridiani, & vacationes per hebdomadas, & annum; ita tamen, ut neque horarum Canonicarum, & Sacræ Liturgiæ tempora, aliaque Monastica exercitia, a communi Regula & Constitutionibus præscripta, perturbentur, neque vires Studentium aut Magistrorum opprimantur.

6. Quolibet mense Disputatio publica fiat, & bis in anno examen. Diebus autem Dominicis habeantur collationes vel de Sacra Scriptura, vel de casibus conscientiæ, aut controversiis in Oriente vigentibus adversus schismaticos, hæreticos, & infideles juxta directionem Præfecti Studiorum.

7. Præter Syriacam & Arabicam linguam, quas necessario callere debent, curabunt etiam discere Hebraicam, Græcam, & Latinam, ut Sacras Scripturas, & Patres, Doctoresque legere, atque interpretari valeant.

Studium linguarum Sacrarum.

8. Omnia ad Studium necessaria subsidia ab Abbate Studentibus procurentur. Studentes vero curent: Primo, ut animi puritatem, & rectam in Studiis intentionem habeant: Secundo, ut fervor Studiorum non extinguat aut minuat amorem solidarum virtutum: Tertio, ut iis facultatibus operam dent, eosque audiant Magistros, quos Abbas destinabit: Quarto, ut horas Studio, tam communi quam privato attributas, diligenter observent: Quinto, ut si Magistros Studiorum causa convenire debent, horam certam ab Abbate destinatam habeant, extra quam illorum Cellas sine peculiari facultate non adeant.

9. In nostra Congregatione nullus gradus aut prærogativa Magistris, aliisve debetur, sed solum Abbati Generali. Hegumenis, & Abbatibus Provinciarum, atque Monasteriorum, donec in ea dignitate fuerint, postea Sacerdotibus professis juxta tempus professionis, deinde Clericis item Professis, ac postremo Laicis. Abbas tamen Generalis curabit, pro laborum & meritorum ratione tam Magistros quam alios quoscumque Sacerdotes Monachos remunerari eos, vel Monasteriis præficiendo, vel ab oneribus, quæ junioribus imponi solent, eximendo.

Magistris vero nullam prærogativam concedi.

10. Nemo ex Monachis librum aliquem, aut tractatum, aut orationem, sive concionem scribat, nisi consulto Abbate, qui opus per se legat, aut alicui ex Magistris legendum committat. Illud autem in publicum prodire, aut typis imprimi non licebit, nisi prius ab Abbate Generali, & Episcopo, aut Reverendissimo Domino Patriarcha probatum fuerit.

Nihil scribendum, vel publicandum inconsulto Abbate.

CAP. V.

De Sacerdotibus.

1. Quæ de Disciplina religiosa & Instituto nostro servanda omnibus proposita sunt, ea Sacerdotes pro ratione sui gradus sibi præcipue dicta existiment, & observent.

2. Divinum Officium nitantur attente, devote, & opportuno tempore recitare, & ad Chorum cum cæteris convenire statutis horis: cerimonias sacræ Liturgiæ, aliarumque ecclesiasticarum Functionum accurate discant & observent, sintque hac in re uniformes, Patriarchalem sibi Ecclesiam tamquam normam proponentes: Cantus etiam ecclesiasticos calleant. Sic demum in Liturgia, divinisque Officiis celebrandis pronunciationem, cantum, & quamcumque aliam exteriorem actionem moderentur, ut non minus aliorum ædificationi, quam propriæ devotioni serviant.

Animarum cura non accipienda.

3. Curam animarum nemo ex noſtris ſuſcipiat: neque in iis, quæ Parochorum aut Epiſcoporum juris ſunt, ſe immiſceat. Si quando autem ab Epiſcopo aut Reverendiſſimo Domino Patriarcha juſſus fuerit Abbas Monaſterii, ut ipſe vel aliquis Monachorum in Monaſterio aut in vicinis ſive remotis locis Populum doceat, vel Confeſſiones audiat, aut alia quæcumque Sacramenta adminiſtret, ab eo facultatem in ſcriptis habere curet.

4. Nemo ad Confeſſiones noſtrorum audiendas accedat, niſi ab Abbate deputatus, qui ſimul intelligat, quam facultatem ad hoc munus habeat. Sæcularium vero confeſſiones nemo audiat, niſi obtenta Epiſcopi licentia. Perſpectos autem unuſquiſque habeat caſus reſervatos tum Reverendiſſimo Domino Patriarchæ & Epiſcopo, tum Abbati Generali.

De audiendis Sæcularium Confeſſionibus.

5. In caſibus conſcientiæ, iiſque præſertim, qui ad cenſuras, reſtitutiones, & caſus reſervatos pertinent, ſe ſe diligenter exerceant, earumque rerum compendia, & brevem interrogandi methodum, & contra ſingulorum peccatorum ſpecies remedia ſalutaria, ex ſacris præſertim Canonibus comparare ſtudeant, collationeſque de prædictis inter ſe diebus feſtis habeant.

6. Confeſſarii ita audiant Pœnitentes, ut mutuum aſpectum fugiant. Quod ſi locus non erit hujuſmodi, ut tabula Confeſſarium a Pœnitente dividat, manu interpoſita inter faciem propriam, & Pœnitentem, qui ad latus genua flectere debet, id præſtabit. In audiendis vero fœminarum confeſſionibus ſeveros potius, quam familiares ſe exhibeant, ita tamen, ut paterna quædam & ſpiritualis gravitas in eis eluceat. Nemini autem petere aut accipere quidquam liceat, ſive ab iis, quorum Confeſſiones audiverit, ſive ab aliis, quod in pauperes diſtribuat, vel alteri ſatisfactionis nomine reſtituat, inſcio & inconſulto Abbate.

De miniſtrando infirmis.

7. Qui vocantur ad eos juvandos, qui morti vicini ſunt, ea in promptu habeant, quæ eo tempore ad ſalutem animarum uſui eſſe poſſint. Caveant autem nequem ſermonem de loco ſepulturæ in cœmeterio Monaſterii eligendo, aut de hæreditate, vel eleemoſyna Monachis relinquenda infirmo injiciant.

8. Nemo ex noſtris ad ullam Archipresbyteri, Periodeutæ, aut Chorepiſcopi dignitatem ſe promoveri ſinat; ſed ſacro Presbyteratus Ordine contenti ſint omnes, etiam Abbates. Si vero Reverendiſſimus Dominus Patriarcha voluerit, Abbates eam benedictionem recipere poterunt.

CAP. VI.

De Monachis Laicis.

1. Intelligant omnes, primarium vocationis Monaſticæ finem eſſe inſervire Divinæ Majeſtati, & propriam ſalutem procurare, illudque miniſterium obire, quod ex obedientia ſibi commiſſum fuerit. Contenti ergo ſint ſtatu Laicali, ad quem ipſos Abbas & Monachorum Congregatio deſtinaverit; & in præſcripto ſibi miniſterio ſic vitam omnem exigant, ut ſibi perſuadeant ſe in ea re obſequium præſtare Creatori, ob cujus amorem ſchema monaſticum induerunt.

De precibus a Laicis dicendis.

2. Qui Syriace legere & canere norunt, divina Officia in Choro ſtatis horis cum cæteris perſolvant. Qui vero Arabice tantum, Horas diurnas & nocturnas ad uſum Laicorum compoſitas legant. Qui autem legere neſciunt, certum precum vel pſalmorum numerum, ab Abbate ſibi præſcriptum, ad ſingulas horas memoriter recitare diſcant. Qua in re miniſterii uniuſcujuſque ratio habebitur; ac præſertim eorum, qui in laborioſis exercitationibus occupantur, quique qui vel prima luce Monaſterio ad opus egrediuntur, vel uſque ad veſperam regredi nequeunt; his enim horarum loco certas precationes Abbas conſtituet privatim recitandas; omnes tamen, qui legitima cauſa impediti non ſunt, quotidie divinæ Liturgiæ interſint.

3. Poſtquam ſui officii miniſteriis ſatisfecerint, ſi quid vacui temporis ſuperfuerit, id totum in alias exercitationes ſpirituales, aut corporales impendant; ejuſque rei cauſa Abbatem adibunt, ut ipſius voluntatem exquirant.

4. Curent peculiari ſtudio erga omnes Clericos, & præcipue in ſacris Ordinibus exiſtentes, reſpectum humilitatemque exhibere: idque multo magis erga ſacerdotalem Ordinem; ſciantque, quod etiamſi profeſſi ſint, in ſacris tamen Functionibus cedere debent Clericis, etiam Novitiis, eccleſiaſtico habitu indutis.

Laici ad omnes dignitates præterquam Abbatis eligibiles.

5. Quia tamen PP. noſtri ſtatu Laicali, vel minoribus Ordinibus, aut Diaconatu tantum contenti, Deo ſerviiſſe, Fratribuſque præfuiſſe noſcuntur; ideo Monachos Laicos vel Clericos aut Diaconos ſcientia ſufficienti præditos, & regimini idoneos, non omnino ab officiis, etiam inſignibus, excludimus, ſed poſſe eos tam ab Abbate Generali & Congregatione Hegumenorum, quam ab Abbate & Congregatione Monachorum, atque etiam a Congregatione Generali, eligi in Hegumenos, Oeconomos, Procuratores, & Conſultores, & ad alias ſimiles Dignitates promoveri, declaramus: hac tamen ſalva conditione, ut nunquam in Abbatem Generalem, aut Abbatem Provinciæ, ſive Monaſterii, qui Sacerdotes eſſe debent, eligantur. Qui autem eo, quem diximus, modo electus fuerit Hegumenus, intelligat ſibi primum poſt Sacerdotes locum convenire extra Congregationes; in Congregationibus vero poſt Hegumenos Sacerdotes, & ante omnes alios, etiam Sacerdotes.

6. Caveant Monachi Laici, nequid ſibi capiant, aut aliis dent, commodent, mittant, aut quidquam hujuſmodi faciant abſque expreſſa licentia Abbatis, aut ejus, qui operi præeſt.

7. Librum nullum retinere aut legere iis licebit, ſine Abbatis licentia, cujus prudentiæ erit, eos illis legendos aſſignare, qui magis ad ſpirituale ipſorum profectum expedire videbuntur.

CAP. VII.

De Ordine domeſtico, & de Honeſtate extra Monaſterium ſervanda.

De horarum diſtributione.

1. In unoquoque Monaſterio diſtributio horarum in tabella deſcribatur, & in loco patente ponatur, in qua ſecundum anni tempora diligenter notentur horæ Chori, id eſt Veſperarum, Completorii, Nocturni, Matutini cum Tertia, & Sexta, atque Nona: Item horæ Liturgiarum privatarum & ſolemnium: Item horæ prandii & cœnæ: Denique hora operis manuum ſive miniſteriorum, aut ſtudii, & hora, qua Fratres cubitum eunt, uſque ad ſignum, quo excitantur.

Vicarii munia.

2. Ab Abbate conſtituatur Monachus, ſive Vicarius, ſive alius quicumque, cujus officium erit, tempore, orationi & reliquis exercitiis aſſignato, obſervare, num omnes iis vacent: Item obſervare omnia, quæ ad honeſtatem & decentiam externam pertinent, Eccleſiam & Monaſterium in locis publicis perluſtrando; & ſi quid inconveniens deprehenderit, ad Abbatem referat.

In Refectorio ſemper ſervandum Silentium.

3. Ad menſam habeatur lectio; Silentium autem nunquam ab Abbate diſpenſetur. Si quem vero extraneum Eccleſiaſticum aut Sæcularem contigerit ad Monaſterium divertere, ipſe Abbas ſolus, vel adhibito aliquo alio Monacho, pro illius Viri dignitate poterit ſimul cum illo cibum ſumere: idque, ſi fieri poterit, extra Refectorium: alioquin vel ante vel poſtquam Monachi in Refectorio cibum ſumpſerint.

4. Cum Monachus de Monasterio exire non debeat nisi socio adhibito, quem sibi Abbas assignaverit, advertat Abbas, ut sic socios accommodet, ne sociis graves sint aut molesti, neque nimis familiares aut suspecti.

5. Nisi necessitas coegerit, (quæ tamen ab Abbate erit cognoscenda & probanda) Monachi ad ministeria, sive ad studium intra Monasterium addicti, de Monasterio egredi non permittantur, nisi bis in hebdomada, & cum interpolatione dierum, peractisque prius ministeriis necessariis; idque ita ab Abbate per turnum distribuatur, ut & disciplina Regularis in Monasterio nihil detrimenti capiat, & omnibus per hebdomadam Monachis facultas exeundi e Monasterio æqualiter detur. Diebus autem Dominicis, & Festis majoribus nemo possit veniam exeundi obtinere, nisi celebratis prius Divinis Officiis, aut eo dumtaxat temporis spatio, quod a Divinis Officiis vacuum est.

6. E Monasterio egressi, honestatem & modestiam incessu, manibus, colloquio, oculis exhibeant: loca remotiora, & Ecclesias minus frequentes adeant: personas, vias, ædes, officinas suspectas aut infames devitent: cum sæcularibus non tantum familiaritatis habeant, ut vel secreta Monasterii iis revelent, vel ex frequenti eorum conversatione a Monastica disciplina relaxentur: multoque magis a fœminarum colloquio abstineant, neque eas invisant, aut ad illas scribant, nisi in magna necessitate aut cum spe magni profectus spiritualis, & consulto expresse Abbate.

Contra ambientes.

7. Non permittat Abbas, ut Monachi munuscula offerant Magistratibus, aut eorum aulas frequentent, aut amicitias quocumque modo ambiant; præsertim si deprehenderit eos hac via ad ecclesiasticam Dignitatem vel in Religione gradum prorepere. Si quem vero hujus ambitus reum invenerit, graviter puniat, & ad Abbatem Generalem deferat. Idem de Abbate dicendum, si præter consuetas & necessarias Magnatum visitationes, munerumque oblationes, vel quid novum introducere tentaverit, vel ipse Magnatum amicitias plus æquo captare deprehensus fuerit.

CAP. VIII.

De Fundatione Monasteriorum, & receptione Hospitum, deque vitanda Monachorum vagatione.

Monasteria non recipienda sine expresso Episcopi, & Patriarchæ consensu.

1. Nullum Monasterium, nisi accedente consensu & benedictione Episcopi, & Reverendissimi Domini Patriarchæ, & de licentia Abbatis Generalis, atque Hegumenorum, nobis a Fundatoribus aut Patronis oblatum accipere debemus, vel de novo fundare possumus. Quisquis vero Abbas sive propria, sive Congregationis etiam Monachorum auctoritate id fecerit, pœnæ gravioris culpæ subjaceat in Religione, si licentia tantum Abbatis Generalis & Hegumenorum defuerit; & puniatur etiam ab Episcopo, & a Reverendissimo Domino Patriarcha, si absque horum consensu id factum fuerit: omnesque Monachi, Abbati consentientes, eidem pœnæ subjaceant; & actus Monastici ibidem facti, ut Novitiorum admissio, ac professio, irriti & inanes declarantur.

2. Illud vero solum Monasterium fundare vel accipere, ut supra, nobis licet, in quo monastica disciplina observari possit, & sufficiens Monachorum numerus ali: idque vel ex annuis redditibus Monasterio legatis, vel ex terræ fundo, de quo ex labore manuum vivere possint.

Introitus in Monasteria mulieribus interdicendus.

3. Omne Monasterium, quod Monachi nostræ Congregationis inhabitant, honesta clausura muniatur. Sic autem fit clausum, ut mulieribus cujuscumque dignitatis aut ordinis nulla ratione pateat.

4. Extra ipsius Monasterii Clausuram, vel in loco intra Monasterium ad id destinato, Hospitium erigatur, in quo Hospites ad nos divertentes accipi possint: Et mulieres quidem in loco valde remoto ac prorsus separato a viris & a Monasterio. Neque Abbas, neque Congregatio Monachorum potest alicui, vel Ecclesiastico vel Sæculari Cellam in ipso Monasterio vel ad breve tempus assignare, nisi in Hospitio locus omnino defuerit, aut personæ accipiendæ minime convenerit, ut cum Episcopus aut Reverendissimus Dominus Patriarcha ad nos divertit.

De Hospitio, & Hospitibus.

5. Nulli Abbati aut Oeconomo licebit, Monasterium ære alieno gravare absque inevitabili necessitate; nec vendere aut commutare vel quovis modo alienare possessiones, fundos aut annuos census, Monasterio donatos aut acquisitos, sub pœna depositionis ab officio, & inhabilitationis tam Abbatis, quam Oeconomi, & Monachorum, si assensum ad hoc præbuerint, nisi obtenta prius facultate ab iis, ad quos spectat, & consensu Abbatis Generalis.

De ære alieno non accipiendo, Monaster. rebus non alienandis &c.

6. Pecuniæ exactæ de reditibus Monasterii, aut a Benefactoribus Monasterio donatæ, non retineantur in manu cujusquam, sed in arca statim reponantur sub duplici clave, quarum una sit penes Abbatem, altera penes Oeconomum. Item Instrumenta fundorum Monasterii, vel rerum donatarum, aut Testamentorum clausulæ, aut alia quæcumque documenta, ad res temporales Monasterii spectantia, in publica forma redacta, in Arca vel in Archivio communi reponantur sub duplici clave, ut supra.

De reditibus, fundorum Instrument. &c.

7. Quæcumque Monacho Professo donantur, sive ex hæreditate proveniunt, tam mobilia, quam immobilia, omnia Monasterio statim & sine dilatione applicentur; usus tamen aliquarum rerum, ut librorum, ei concedi poterit ex licentia Abbatis: ita tamen, ut ex eo usu paupertas religiosa non lædatur, neque murmuratio aut æmulatio in cæteris Fratribus oriatur.

Res Monachis quolibet modo provenientes Monasterio applicantur.

8. Inventarium bonorum tam mobilium quam immobilium in omnibus Monasteriis, fideliter & accurate descriptum, in Archivio conservetur, & unum illius exemplar ad Abbatem Generalem mittatur. Item habeatur Inventarium onerum sive obligationum erga Fundatores & Benefactores tam vivos quam defunctos, quibus Abbas satisfieri diligenter curet.

9. Monasteria nostra ita sint invicem conjuncta, ut Monachi possint, Abbatis Generalis arbitrio, ex uno in alterum libere transferri, & ubicumque is voluerit, ad tempus vel perpetuo collocari. Ejus tamen prudentiæ erit, ut non temere Monachos sic transferat, sed habita ratione necessitatis Monachorum & Monasteriorum, & consultis prius, si fieri poterit, aut expedire judicaverit, Abbatibus, qui debent ipsum de statu suorum Monachorum ac Monasteriorum certiorem facere. Bona vero mobilia aut immobilia unius Monasterii ad alterum nequaquam transferantur; maxime si a fundatoribus ea fuerint certo loco assignata; Sed quæ Monachorum labore, vel ex hæreditate Consanguineorum, aut donatione Amicorum, cuiquam eorum facta, ad Monasterii reditus accesserint, iis poterit Abbas Generalis necessitatibus Monasteriorum indigentium prudenter subvenire: sic tamen, ut Abbas occasionem inde non arripiant Monasteria sua negligenter administrandi.

De translatione Monachorum.

10. Si Abbas experimento compererit, quemquam suorum Monachorum vel cœli inclementiam ferre non posse, vel alia quacumque de causa Communitati expedire, ut inde discedat, & ad aliud Monasterium proficiscatur; de consilio Congregationis Monachorum Abbatem Generalem admoneat, qui illum pro sua prudentia ad aliud Monasterium migrare jubebit. Si vero in longinqua regione fuerint, itaut Abbas

Generalis consuli tempore opportuno nequiverit, tunc Abbas de consensu Congregationis Monachorum mittere poterit Monachum cum literis ad Abbatem Generalem, qui illum in quodcumque voluerit Monasterium transferet. Sive autem ob infirmitatem, sive ob pravos mores dimissus fuerit Monachus, omnia, quæ ad iter necessaria erunt, magna charitatis significatione subministrentur ab eo Monasterio, unde dimittitur. Si vero in commodum & utilitatem alterius Monasterii mittitur, illius sumptibus & expensis mittetur. Caveant tamen frequentes Monachorum translationes, ne Monasteriis oneri sint, nec illas sine necessitate fieri permittant.

Nullus in Monasteria recipiendus nisi scriptam Abbatis licentiam proferat.

11. Quemadmodum nulli Monachorum licet decedere de Monasterio, in quo per Abbatem Generalem collocatus est; ita nulli Abbatum fas erit, advenientem Monachum recipere, nisi licentia proprii Abbatis, aut Abbatis Generalis in scriptis obtenta; alioquin, tam qui recipit, quam qui recipitur, pœnam Monachorum vagorum subeant arbitrio Abbatis Generalis. Si quis vero Monachus a proprio Abbate, vel a Fratribus ejus Monasterii, in quo versatur, se injuriam aut persecutionem pati affirmaverit, volueritque Abbatem Generalem adire; non idcirco ei licebit, inconsulto eodem Abbate Generali, aut saltem Abbate & Congregatione Monachorum sui Monasterii annuente, e Monasterio proficisci; sed debet ad ipsum Abbatem Generalem scribere, & licentiam ab illo primum obtinere: aliàs ab eodem Abbate Generali tamquam vagus puniatur.

De non vagando extra propriam Provinciam.

12. Nullus, etiamsi Abbas fuerit, possit ire extra suam Provinciam quocumque titulo vel prætextu, neque ad parentes, consanguineos, vel affines: neque ullam peregrinationem, etiam sacram, suscipere, absque speciali licentia Abbatis Generalis: neque ex uno Monasterio ad aliud se transferre, etiam pro rebus proprii Monasterii, absque consensu Congregationis Monachorum; nisi Monasterium, ad quod se confert, adeo vicinum sit, ut uno die ire ad illud, & redire ad proprium Monasterium valeat. Si quis Abbas huic Constitutioni contravenerit, ab Abbate Generali puniatur. Cæteri vero Monachi non Abbates, qui sine licentia Abbatum suorum de uno Monasterio in aliud pergunt, vel peregrinationem suscipiunt, in Monasterio includantur arbitrio Abbatis, qui jejunium insuper illis ad tempus præscribat.

De non quæstuando.

13. Nulli tam Monachorum quam Abbatum licebit ostiatim, aut per Pagos, sive per Ecclesias mendicare. Si tamen aliqua necessitas urgens suaserit aliquid petendum ab aliqua persona, id fiat religiose & modeste per Monachos ab Abbate designatos. Si vero per Pagos vel Civitates propter gravem Monasterii necessitatem mendicandum fuerit, id non fiat, nisi ex licentia ab Episcopo, & Reverendissimo Domino Patriarca in scriptis habenda.

CAP. IX.

De subjectione erga Prælatos.

1. Cum noster Ordo in medio Nationum hæreticarum & infidelium versetur, atque ab universalis Ecclesiæ Capite, marium terrarumque spatiis disjunctus sit, diligentissime curent Abbas Generalis, Hegumeni, & Abbates Monasteriorum atque Provinciarum, eorumque Vicarii, ne aut ex locorum distantia, aut proximarum gentium consuetudine charitas atque devotio Monachorum erga Sanctam Petri Apostolorum Principis Cathedram & Romanos Pontifices, quoquo modo refrigescat; quin sedulo satagant, ut omnes Monachi intelligant, obedientiam & obsequium erga Sedem Apostolicam Romanam esse velut nostræ Religionis fundamentum & characterem, quo a cæteris Orientis nationibus Syri Maronitæ se discerni voluerunt. Pretiosissimum itaque hoc Majorum nostrorum depositum custodire summopere nitantur & omni ope contendant, ut tum verbo, tum opere tales se esse palam & publice fateantur, quales eos esse oportet, qui officii sui, & beneficiorum ab Ecclesia Romana acceptorum haudquaquam immemores sunt. Et quoniam Divino mandato jubemur, proximi etiam nostri salutem curare, diligentissime studeant, antiquorum nostrorum Patrum, ac præsertim Monachorum S. Maronis, qui pro Catholica Religione strenue decertarunt, vestigiis inhærendo, occasiones captare ad Orthodoxæ Fidei propagationem, & ad profectum Nationum ab Ecclesia Catholica dissidentium, inter quas versantur; neve earumdem desperent aut negligant conversionem, sed cum omni charitate & patientia, Divino adjutorio freti, procurare illam opportune importune, arguendo, increpando, obsecrando nitantur.

De subjectione Rom. Pontifici:

Patriarchæ Antiocheno.

2. Honorent quoque post Summos Romanos Pontifices matrem suam Antiochenam Ecclesiam, & Reverendissimum Dominum Patriarcham, toti Nationi, Ordinique nostro ab eadem Romana Ecclesia præpositum: cui, tamquam Patri, peculiari affectu & devotione addicti sint, ejusque Decretis & Constitutionibus omnibus, quæ Fidei Catholicæ, aut Romanis Pontificibus non adversantur, pareant & obtemperent. Nomen quoque ejus post Romanum Pontificem tam in Sacra Liturgia quam in divinis Officiis de more commemorent. In rebus dubiis & gravibus, quæ Ordinem nostrum concernunt, illum consulant. Antequam Congregatio Generalis fiat, ejus benedictio ab Abbate Generali petatur; postquam facta est, electi Abbas Generalis & Hegumenii ipsum adeant, benedictionem accepturi. Si opera nostra in rebus ecclesiasticis aut temporalibus, ad Sedem Patriarchalem Antiochenam spectantibus, uti voluerit, paratos se exhibeant. Nullum cum ipso aut reliquis Prælatis dissidium habeat; neque in rebus, ad ejus, sive Prælatorum auctoritatem pertinentibus, se immiscеant, sed meminerint, se illius & Prælatorum, in quorum Diœcesibus versantur, obsequentissimos filios esse. Si quis huic Regulæ quoquo modo contravenisse compertus fuerit, severissime puniatur.

Et Episcopo loci.

3. Post Reverendissimum Dominum Patriarcham Episcopo loci debitum honorem & obsequium deferant, ejus quoque nomen in sacris Diptychis recitantes. Sacramenta exteris non administrent, neque conciones ad illos habeant, aut catecheses faciant, aut ullum Ministerium sacrum publicum obeant ad populum, sine expressa ejus licentia.

4. Episcopos, Chorepiscopos, Archipresbyteros, & Parochos, omnesque tam Reverendissimi Domini Patriarchæ, quam Episcopi Ordinarii ecclesiasticos Ministros, quo par est, honore prosequantur. In eorum Officiis sese ne immiscеant, neve sacram ullam functionem cum sæcularibus, vel erga sæculares exerceant, nisi jussu Episcopi, & beneplacito Parochorum, curam animarum perpetuam Monachi ne gerant, neque etiam ad tempus in Civitatibus sine licentia Reverendissimi Domini Patriarchæ & Episcopi Ordinarii: in pagis vero, ac præsertim in locis Monasterio contiguis, possunt, si Episcopus voluerit, ad tempus supplere absentiam vel defectum Parochorum, Sacramenta necessaria administrando, concionando, & catecheses faciendo.

5. Quomodo autem Monachi cum Principibus & Potestatibus sæculi se gerere debeant monet Apostolus, inquiens: *Omnis anima potestati-*

bus

bus ſublimioribus ſubdita ſit, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam, nec tantum bonis & modeſtis, ſed etiam diſculis. Reddere autem jubemur omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Si quis igitur Principum ſæcularium contigerit ad noſtra Monaſteria divertere, maxime ſi fidelis fuerit, omni honore illum proſequantur. In negotiis tamen Magnatum nequaquam ſe ingerent: nemo enim militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus: neque eorum aulas frequentent, aut amicitias ambiant; multoque minus eorum opera aut patrocinio adverſus eccleſiaſticas Poteſtates utantur. Si quid vero cum illis circa bona temporalia Monaſteriorum agendum aut tranſigendum erit, id ab Abbate, aut Oeconomo ſic fiat, ut religioſæ humilitatis nunquam obliviſcatur. Curent denique, quantum fieri poterit, ut Monaſteriorum fundi poſſeſſioneſque a tributis & vectigalibus immunes ſint.

De non implicando ſe in negotiis Magnatum.

CAP. X.

De iis, quæ obſervari debent in exigenda ab Abbatibus, & reddenda a Monachis ratione conſcientiæ.

1. Cum hujus Regulæ finis ſit ſpirituale auxilium Monachorum, Abbas ſummopere caveat, ne vitio ſuo eadem Fratribus gravis & intoleranda fiat, atque ab ejus obſervatione paulatim avertantur cum magno ſuarum animarum, atque Ordinis detrimento. In hoc proinde caſu, ſe patrem exhibeat, adeant Monachus ad ipſum cum filiali fiducia recurrere aſſueſcat.

De ſecreto ſervando in rebus conſcientiam reſpicientibus.

2. Non eſt cogendus Monachus, ut conſcientiam ſuam Abbati aperiat in iis rebus, de quibus confeſſus eſt, aut confiteri debet apud Sacerdotem. Omnia autem, quæ Abbati in hac materia revelantur, intelligat ea ſibi ſub ſecreto naturali dicta; quod tamen de iis dumtaxat intelligendum eſt, quæ quis de ſe ipſo, ſuiſque defectibus, aut tentationibus Abbati aperit; quæ enim de aliis Monachis denunciat, ea ſub ſecretum non cadunt, niſi quoad perſonam denunciantis.

3. Hoc ſecretum Abbas cautiſſime ſervet, nec faciat quidquam ex notitia inde habita quoad res denunciantis, niſi expreſſam ab eodem habuerit facultatem. Si quis vero hujus ſecreti fidem quovis modo fregiſſe convictus fuerit, denuncietur Abbati Generali, qui delinquentem ſevere puniet. Hinc Abbas vel Præfectus rerum ſpiritualium ſatagat, ut Fratres intelligant pœnas impoſitas fractioni prædicti ſigilli, ut inde metum omnem deponant, & ad uſum hujus praxis promptiores reddantur.

4. In domeſticis exhortationibus ab Abbate inculcetur tam ſanctus & laudabilis mos, a ſanctis Patribus noſtris inductus, & Alumnis ſuis maxime commendatus. Item ejus neceſſitas & utilitas non ſolum ad privatum, ſed etiam ad commune bonum ſpirituale oſtendatur.

De aperienda Abbati conſcientia.

5. Unuſquiſque igitur magna cum humilitate ſub ſigillo ſecreti naturalis, aut quacumque ratione ei placuerit, totam animam ſuam Abbati manifeſtam faciat, aperiendo defectus ſuos, eos præſertim quibus magis gravatur. Quos vero in Fratribus ſuis deprehenderit defectus, eidem Abbati revelet, ut congruum remedium aptare poſſit.

6. Capita autem, quibus conſcientiæ propriæ ratio reddenda erit, hæc fere ſunt, ex quibus cum ea retulerit, quæ ad plenam ſui manifeſtationem dicenda putaverit, petat ab Abbate, ut ſe ipſum interrogando juvet ac ſuppleat. Si quid eſſe judicet, quod ad majorem ipſius Monachi profectum opportunum eſſe videatur.

Primò, An vivat contentus juxta ſuam vocationem: & quomodo ſe habeat circa vota ſubſtantialia Religionis.

De quibus rebus reddenda ratio.

Secundò, An ſentiat aliquas animi perturbationes, tentationes moleſtas, & de facilitate ſeu difficultate & modo eis reſiſtendi: & ad quos affectus vel peccata ſit magis propenſus & incitatus; Et quomodo obſervet, quæ ex Conſtitutionibus & Regulis tum communibus, tum officii ſui ad ipſum pertinent.

Tertiò, Quomodo rebus ſpiritualibus ſit affectus: quarum virtutum ſtudio præcipue intentus: quantum temporis orationi tributa, & tum vocali an potius mentali juvetur: Num in exercitio rerum ſpiritualium conſolationem habeat, an vero contra, deſolationem & vagationem mentis patiatur: De fructu, quem ex ſacra Communione, Confeſſione, & aliis exercitiis ſpiritualibus percipiat: De mortificationibus, pœnitentiis, & aliis, quæ faciunt ad ſpiritus profectum; & in ſpecie de præparatione ad injurias, & alia moleſta æquo animo ferenda.

Quartò, De Fratribus, & quomodo ex eorum converſatione proficiat in Domino: & an alicui ſit plus familiaris quam aliis: An averſionem animi ſentiat ab aliquo, & an offenſus ſit in aliquo a quopiam: & quomodo ſit affectus erga omnes.

Quintò, Num poſt ultimam rationem conſcientiæ, quam reddidit, majorem aut minorem fructum fecerit.

7. Quod Monachus cum Abbate, idem præſtare debet Abbas cum aliquo ex Monachis circa rationem conſcientiæ propriæ reddendam.

CAP. XI.

De Renovatione Votorum.

Quotannis renovanda vota.

1. Ut firmius Monaſtica diſciplina retineatur, Monachi noſtri in die Feſto Sancti Patris Antonii die 17. menſis Januarii vota ſolemnia quolibet anno renovent, hoc modo:

2. In Congregatione Monachorum una hebdomada ante feſtum Sancti Patris noſtri Antonii Abbas moneat omnes Religioſos de futura votorum renovatione, ut unuſquiſque ſe præparet ad Confeſſionem ſacramentalem in pervigilio Feſti, vel ipſo die faciendam: ubi Communione Fratrum ac Liturgia abſoluta, congregentur omnes in locum a ſæcularibus ſeparatum, in quo Abbas faciat brevem adhortationem de votis mox renovandis: deinde cantatis Litaniis Beatæ Virginis Mariæ, & recitatis ſecreto Oratione Dominica, & Salutatione Angelica, ipſe Abbas flexis genibus coram Altari legat clara voce ſequentem formulam;

Formula, ac cæremoniæ in votorum renovatione.

Ego NN. renovo meam profeſſionem Monaſticam, & promitto Deo omnipotenti, Beatiſſimæ Virgini Mariæ, Sancto Patri noſtro Antonio, & Reverendiſſimo meo Abbati Generali N.N. ejuſque ſucceſſoribus, obedientiam, paupertatem, & caſtitatem uſque ad mortem juxta Regulam & Conſtitutiones noſtras. Item promitto, me nullam Dignitatem, ſive in Ordine noſtro Monaſtico ſive extra, ambiturum, vel poſtulaturum per me ipſum aut per alios, ſeu acceptaturum, niſi juſſu Superiorum.

Si ſit Abbas Generalis, omittat ea verba, *& Reverendiſſimo meo Abbati Generali, ejuſque ſucceſſoribus*; & loco eorum dicat, *& Reverendiſſimo Abbati Generali pro tempore exiſtenti.*

Tum ſurgens Abbas ad latus dexterum Altaris ſedeat: Mox alii Monachi juxta antiquitatem ſuam in profeſſione eamdem formam renovationis Votorum ex chartula, ſive libro in manibus Abbatis exiſtente, genuflexi ante ipſum Abbatem proferant. Quibus finitis, ſurgat Abbas & omnibus aliis genuflexis, faciat Abſolutionem, dicens:

Deus misereatur vestri, & dimittat debita vestra, & condonet peccata vestra, & perducat vos ad vitam æternam.

Respondent. Amen.

Abbas: Benedicat vos omnipotens Deus, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.

Respondent. Amen.

CAP. XII.

De Monachis infirmis & decedentibus.

Infirmi primo die confiteri debent.

1. Cum Monachus graviter ægrotare cæperit, statim confiteatur Abbati, vel Confessario ab eodem deputato, & Sacra Communione reficiatur, servata ad hoc hora magis conveniente, antequam cibum capiat, nisi infirmitas nimium urgeret. Nec ultra unum a gravi infirmitate diem confessio differri poterit, & si fieri potest, etiam Communio. Et statim præsentibus duobus vel tribus Monachis debet infirmus Abbati vel Oeconomo revelare bona omnia, quorum usum habuit, nec in Inventario descripta sunt; aliquin, si monitus ab Abbate, omnia, quæ supra dicta sunt, facere detrectaverit, atque illum mori contigerit, Ecclesiastica sepultura privetur, & suffragiis divinis. Si vero temporalium bonorum administrationem habuerit, postquam cœperit graviter ægrotare, & maxime si nulla sit spes salutis, Abbas cum duobus aut tribus testibus Monachis omnia illius repositoria visitet, & faciat debitum inventarium. Sique necessitas postulaverit, ejus ministerium alteri tradat, donec infirmus convalescat vel moriatur. Idem de Abbate infirmo dicendum, sive Abbas Monasterii sit, sive Hegumenus, sive etiam Abbas Generalis. Quæcumque autem in cella Monachi post ejus obitum reperta fuerint, Monasterio applicentur.

Ac bona sua omnia Abbati revelare.

De Infirmorum cura.

2. Diligens cura infirmorum habeatur, eisque secundum infirmitatis indigentiam, & secundum Medicorum consilium provideatur de omnibus necessariis. Et aliquis Religiosus, ac pius Monachus non aliunde occupatus, eis specialiter assignetur, qui sciat, possit & debeat ministrare. Cumque Horas canonicas gravati morbo per se ipsos recitare non possint, tunc, si sustinere possunt, dicantur coram eis ab aliquo.

3. In quolibet Monasterio, ubi commode fieri poterit, segregetur locus pro infirmis, etiam cum Oratorio, ubi singulis diebus Missa celebretur, si quis sit infirmus, qui eam audire possit.

4. Item in Ecclesia Monasterii decenter & honeste conservetur Sacrosancta Eucharistia pro Monachis & Familiaribus nostris, in casu necessitatis eis porrigenda.

5. Item Oleo benedicto infirmum ungat Abbas vel ejus Vicarius juxta Ritum Sacræ Lampadis sive Extremæ Unctionis. Et habeantur in quolibet Monasterio libri Rituales tam pro Eucharistiæ administratione, quam pro Extrema Unctione, & pro commendatione Animæ, & Exequiis.

6. Nullus Monachorum permittatur uti scientia Medicinæ tam pro Monachis, quam pro Sæcularibus, nisi in dicta scientia sit sufficienter instructus, & dispensationem a legitimis Superioribus habeat: idque sine periculo & scandalo, & sine mercede, sed ex sola charitate faciat.

Pro Defunctis exequiæ, & Orationes.

7. Abbas Monasterii obitum cujusque Monachi in suo Monasterio decedentis sine dilatione Abbati Generali & Abbatibus cæterorum Monasteriorum denunciet per epistolam encyclicam, ut pro mortuo fiant suffragia: nempe in Monasterio, in quo Monachus obierit, fiant exequiæ more solito, & Missa solemnis, & unusquisque Sacerdos dicat tres Missas, & quilibet non Sacerdos ter psalterium Orationum Dominicarum & Salutationum Angelicarum: item dicatur pro eo Missa solemnis in die quadragesimo obitus & in Anniversario. In reliquis vero Monasteriis una Missa dicatur a quolibet Sacerdote, & unum psalterium Orationum Dominicarum & Salutationum Angelicarum a non Sacerdote. Pro Abbate vero Generali, & unoquoque ex quatuor Hegumenis, idem fiat in toto Ordine, quod fit in Monasterio, in quo Monachus moritur: idque intelligendum est de illis etiam, qui aliquando munere Abbatis Generalis, & Hegumenorum functi sunt, etiamsi tales non fuerint, cum mortui sint. Hunc autem Missarum & orationum numerum, quem supra expressimus, augere vel diminuere poterit Congregatio Generalis pro majori vel minori Monachorum numero.

8. Audita morte Summi Romani Pontificis, vel Reverendissimi Domini Patriarchæ nostri, fiant exequiæ solemnes in singulis Monasteriis, & unusquisque Sacerdos dicat unam Missam, & non Sacerdos centum quinquaginta Pater Noster & Ave Maria, quod est integrum Psalterium precum. Idem fiat pro Episcopo in Monasteriis, quæ in ejus Diœcesi sunt, & pro Benefactoribus insignibus in Monasterio, cui benefecerunt.

Exequiæ pro Rom. Pontif. Patriarcha, & Episcopo.

9. In omnibus Cœmeteriis nostris Monachi a sæcularibus semoti sepeliantur in habitu, quem gessere, sive Professorum vel Novitiorum.

10. Bis in anno fiat commemoratio pro omnibus Monachis defunctis nostri Ordinis: Bis quoque pro parentibus, affinibus, & amicis Monachorum, & pro omnibus, qui in Cœmeteriis nostri Ordinis sepulti sunt: Et bis pro Benefactoribus, & pro illis, qui literas Fraternitatis Ordinis nostri habuerunt; Semel scilicet mense Novembri, & semel ante initium jejunii Quadragesimalis. In utraque commemoratione dicatur in unoquoque Monasterio Missa solemnis, & quilibet Sacerdos dicat unam Missam, & non Sacerdos Psalterium precum.

Anniversaria.

CAP. XIII.

De Eremitis & Inclusis.

Vitam eremiticam ducere cuique Professo conceditur.

1. Quoniam Patres nostri non modo Cœnobiticam vitam, sed etiam Eremiticam coluere, nobisque tradidere; ideo vestigiis eorum inhærentes, decernimus, fas esse unicuique Monacho professo, post exactum tamen a Professione monastica quinquennium, & perita prius, obtentaque ab Abbate licentia, in Cellam a communi aliorum Monachorum consortio semotam, Claustro tamen munitam, secedere ad tempus vel in perpetuum, prout ipsi Abbati & Congregationi Monachorum visum fuerit; ubi orationi & spiritualibus exercitationibus vacet, & si firmo corpore fuerit, agellus ei colendus tradatur, vel illud manuum opus exerceat, quod utile fuerit & conveniens. Probet autem Abbas spiritum Monachi, antequam illi dictam licentiam concedat, ne quid diabolicæ fraudis in hujusmodi secessu subrepat.

2. Minus quam duo non sint apud Monasterium Eremitæ, iique in duabus Cellis separatis: neque plus quam tres in totidem Cellis. Quod si Monasterium frequens sit, & voluerint plures quam tres Monachi vitam Eremiticam colere, tunc bini Eremitæ separatim ab aliis in sua quisque Cella manebunt; Et alter alteri Eremita ministrabit in rebus spiritualibus & temporalibus, eadem omnino ratione, quæ a Regula & Constitutionibus præscribitur Cœnobitis erga socios; Idque, si ambo vel unus eorum Sacerdos fuerit; Nam sacram Liturgiam & Sacramenta Confessionis & Communionis eodem modo

in Ora-

in Oratorio privato frequentabunt, quo frequentantur a Monachis in Ecclesia Monasterii. Si vero ambo non Sacerdotes fuerint, id præstare debebunt in Ecclesia Monasterii, ad quam pro rebus spiritualibus convenient certis horis, certisque diebus, tum ad Cellas suas abibunt. In festo autem Paschatis Resurrectionis, & in Festo Nativitatis Domini, debent omnes Eremitæ tam Sacerdotes quam non Sacerdotes ad Ecclesiam Monasterii accedere, ibique divinum Officium cum Monachis celebrare, & Missam dicere vel audire: tum, si voluerint, poterunt in communi Refectorio cibum sumere; alioquin peractis divinis Officiis & salutato Abbate, in Cellas suas pergent.

3. Curet Abbas Monasterii, quæ circa illos aguntur, perspecta habere; & invigilet, ne prætextu Eremiticæ vitæ otio se dent, aut aliud faciant, quam quod hujusmodi institutum postulat. Assignet præterea unum ex Monasterio, qui temporibus suis victum, potum, vestitum, & omnia necessaria inclusis, sive Eremitis subministret.

4. Semel in anno per decem aut octo dies tenentur Monachi omnes in Cellas suas a communi aliorum consortio secedere, & spiritualibus exercitationibus vacare: Idque sive ante Nativitatem Domini sive ante Dominicam Palmarum. Provideat autem Abbas, ut secessus hujusmodi inter Monachos sic distribuatur, ut nullum vitæ communi aut necessariis Monasterii ministeriis detrimentum inferatur.

CAP. XIV.

De Monialibus.

Monialium cura penès Abbatem Generalem.

1. Monialium curam Ordo noster non suscipiat, nisi de consensu Reverendissimi Domini Patriarchæ & Episcopi Diœcesani in scriptis habendo; Eoque habito, regimen earum ad Abbatem Generalem immediate pertinebit, qui illarum post Reverendissimum Dominum Patriarcham & Episcopum Visitator Ordinarius erit, & Gubernator, & Director: & ad eum spectabit eis providere de Patribus Spiritualibus seu Confessariis tam Ordinariis quam Extraordiriis: & ipse etiam poterit earum confessiones per se ipsum audire, si voluerit, & Visitatorem aliquem ex Monachis nostræ Congregationis substituere, si impeditus fuerit.

2. Si plura fuerint Monialium Monasteria, nullam ab invicem dependentiam habebunt, nec unius Abbatissa alteri præesse poterit, sed unumquodque a sua Abbatissa administrabitur, & omnibus Abbatissis præerit Abbas Generalis, ut modo dictum est. Poterunt tamen Moniales ex uno Monasterio in aliud ob urgentem necessitatem transferri, modo adsit consensus duarum saltem partium Monialium, ad quas transfertur, & Episcopi illius loci.

3. Nulla Virgo, a parentibus aut aliis coacta vel seducta, recipiatur in Monasterio: nullaque Habitu Monialium induatur absque licentia Abbatis Generalis, & nisi ex consensu seu suffragiis plusquam medietatis Monialium. Habeat autem eas omnes respective conditiones, quæ in Novitiis Monachis juxta Constitutiones nostras requiruntur. Sitque sexdecim annos nata, cum Novitiatum incipit, neque annum ætatis quadragesimum quintum excedat. Profiteri autem non poterit ante completum biennium Novitiatus. Si qua vero Novitia in ætate legitima constituta probationis anno nondum expleto ob infirmitatem ab hoc sæculo migratura, pro consolatione animæ suæ ad Habitum Professarum admitti desideraverit, coram Abbatissa & Monialibus ab Abbate Generali, vel ex ejus commissione ab aliquo Sacerdote Monacho, admitti poterit ad probationem faciendam.

4. Non multiplicentur Novitiæ vel Moniales ultra numerum earum, quæ ex reditibus propriis Monasterii vel ex consuetis eleemosynis commode possint sustentari. Nihil vero pro earum receptione in Novitiatu vel Professione a Monasterio exigatur, excepto vestitu Novitiarum. Et quando vestiendæ erunt Habitu Novitiarum vel Habitu Professarum, id fiat in Ecclesia Monasterii coram Abbatissa & Monialibus in manibus Abbatis Generalis, prævio consensu Episcopi, vel in manibus ipsius Episcopi, monito prius Abbate Generali.

5. Velum consecrationis nulli Monialium detur, nisi ab Episcopo, idque Virginibus quidem anno ætatis quadragesimo. Viduis vero anno sexagesimo; nec nisi expletis saltem quinque annis post emissam Professionem. Sic autem velatæ reliquis non velatis, excepta Abbatissa, præcedant, & veli forma distinguantur.

De Abbatissæ electione.

6. In electione Abbatissæ omniumque Officialium, Moniales Professæ, quæ duos integros post Professionem annos in Monasterio egerunt, suffragia ferant coram Abbate Generali, vel ejus Substituto, & coram eo, cui de jure competit. Et quoad ætatem eligendæ servetur dispositio juris Canonici: eaque debet esse, quæ annos saltem quinque post emissam Professionem in Monasterio laudabiliter vixerit. Reliquæ vero Officiales post exactam a Professione biennium omnium officiorum capaces sunt.

Quodlibet Monialium officium triennium non excedat

7. Nulla Abbatissa vel Officialis ultra triennium in eadem dignitate vel officio manere potest aut confirmari, nisi a dignitate vel officio per integrum triennium vacaverit, nisi necessitas ad petendam dispensationem a Reverendissimo Domino Patriarcha coegerit: Nullaque Monialis succedere poterit in eodem officio alteri Sorori germanæ: neque in electionibus Officialium præter duas Sorores, tertia vel quarta suffragium habere potest.

8. Moniales omnes vitam communem servent, omni vitio proprietatis penitus ablato. Curet proinde Abbatissa, ut omnibus de necessario victu, vestitu, cæterisque æqualiter & sine ulla distinctione provideatur.

Quoad spiritualia exercitia, ad eadem teneantur Moniales, ad quæ Monachi.

9. Quoad orationem vocalem & mentalem, & Sacramenta Confessionis & Communionis, & quoad Missam audiendam, rationem reddendæ conscientiæ, silentium, lectionem ad mensam, & cæteras regulas sive Constitutiones, omnia observentur a Monialibus, quæ Monachis præscripta sunt: Debeant enim in Choro temporibus suis horas Canonicas cantare, Abbatissa seu Vicaria præsidente: Orationi mentali per semihoram in die vacare: Peccata sua Sacerdoti designato semel quavis hebdomada confiteri: Eucharistiam diebus Dominicis & Festis suscipere: Missam quotidie audire: Feria sexta & quarta post vespertinum Officium in Cellam suam secedentes, manibus in Crucis figuram extensis, Psalmum *Miserere* quinquies recitare: Non tamen Abbatissæ, sed Sacerdoti Confessario rationem conscientiæ suæ reddere; idque satis erit, si semel in hebdomada fiat: Silentium in Ecclesia, in Mensa, & a Completorio ad Tertiam horam diei sequentis diligenter observare: In communi mensa lectionem libri spiritualis recitare: Omnes denique Regulas & Constitutiones observare, quæ earum sexui & statui non repugnant.

10. Operi quoque manuum assuescant, quod nimirum Monasterio & Sororibus utile sit: Officia autem pro Monialium viribus Abbatissa & Sorores in electione Officialium sic distribuant, ut quæ nimium laboriosa sunt, ter vel quater in anno

mutare possint & debeant ; alioquin Abbas Generalis, si quæ oriantur contentiones vel murmurationes inter Sorores de gravaminibus officiorum, auctoritate sua providere poterit, omniaque officia præter Abbatissæ solius dignitatem mutare ; Abbatissam autem neque Sorores omnes, neque Abbas Generalis ante expletum triennium deponere poterit absque Episcopi aut Reverendissimi Domini Patriarchæ licentia.

De Confessario.

11. Confessarius Monialium eligatur ab Abbate Generali, qui sit Sacerdos gravis, bonæ famæ, & provectæ ætatis ; nec audeat ingredi earum Monasterium, nisi urgente necessitate & ob gravem alicujus infirmitatem, & nunquam solus, sed cum socio, viro probo & maturæ ætatis, qui ab ejus latere non recedat, itaut semper alter ab altero videatur ; nec ingrediatur, nisi cum stola super habitum Monasticum, nec aliquam Monialem visitet aut alloquatur ; Sed ab Abbatissa vel ejus Vicaria unà cum duabus aliis Monialibus ducatur cum socio ad Cellam ejus, quæ peccata sua confiteri, vel Sacramenta Eucharistiæ & Extremæ Unctionis recipere debet. Reliqua Sacramenta a proprio Confessario recipiant in Ecclesia Monasterii ; curandumque, ut inducatur receptus mos, ubi nec dum inductus est, ut nimirum Moniales ex patente ad hunc dumtaxat finem fenestella communicent, quæ peracta Communione claudenda erit, clavisque ab Abbatissa custodienda. Confiteantur autem per interpositas crates ; Horas vero Canonicas ex Choro decantent cratibus munito.

12. Curabit Abbas Generalis, ut quovis triennio Confessarius Ordinarius mutetur, & alter in ejus locum succedat. Quolibet autem anno ipsis Monialibus extraordinarius Confessarius quater exhibeatur, qui omnium confessiones audire possit.

13. Nisi in Monasterio sint, quæ alias Moniales legere, scribere & Horas canonicas cantare, docere possint ; ipse Confessarius, extra ostium Monasterii sedens, id præstare poterit, quatuor saltem Monialibus præsentibus.

Quibus decursis, ut de Monast. egrediantur permittendum.

14. Et si curandum sit, ut Moniales extra septa Monasterii nunquam egrediantur, quia tamen id ubique commode obtineri non potest, curent saltem, ut ad possessiones Monasterio contiguas, ad quas pro necessitatibus Monasterii exire coguntur, nisi binæ, ternæ, aut quaternæ non procedant ; nec ullum virum quovis prætextu ibi versari, vagari, aut illinc transire permittant ; Idque Abbas Generalis, & Confessarius ab ipso deputatus, qui in loco a Monialibus prorsus separato, & aliquantulum remoto, domicilium cum socio habebit, apud Episcopum & Reverendissimum Dominum Patriarcham diligenter provideat. Si quid vero in dictis possessionibus, aut etiam intra Monasterium faciendum erit, quod operarum ministerium requirat, id præsente Confessario cum socio, & semotis Monialibus, fiat. Ad visitandas autem vicinas Sæcularium vel Monachorum Ecclesias, vel quaslibet Ecclesiasticas aut sæculares Personas e Monasterio exire nullatenus permittantur, nisi parentes sint, vel affines usque ad tertium gradum, quos graviter decumbere contigerit ; ad illos enim, si in vicinia habitent, accedere poterunt, modo tamen sint ternæ vel quaternæ, nec ibi prandeant aut cenent aut pernoctent.

De Visitatione.

15. Semel in anno per se ipsum, vel per substitutum Sacerdotem Monachum, Abbas Generalis visitet Monasterium Monialium, & inquirat de observantia Monastica, deque cæteris, quæ ad Moniales Monasteriumque spectant. Caveat tamen, quoad fieri poterit, ingressum Monasterii, idque nisi urgente causa non ficta ; si-que fecerit, unum vel duos socios secum testes adhibeat.

16. Nullus ex Monachis, etiamsi Hegumenus vel Abbas fuerit, præter eos, qui ab Abbate Generali ad regimen spirituale Monialium deputati sunt, poterit ad Monasterium earum accedere : vel Missam in earum Ecclesia audire aut celebrare : vel illas alloqui : aut ad eas scribere : sive literas & munera ab iis accipere, sub pœna gravis culpæ ; neque Moniales possunt ad quemquam Monachum, præter Abbatem Generalem & Confessarium actualem, literas scribere : aut ad colloquium admittere. Quæcumque in hoc deliquisse deprehensæ fuerint, severe puniantur.

PARS TERTIA.

CAP. I.

De Communi Regula Abbatum & Superiorum.

1. Cum Abbatum, eorumque omnium, qui ad regimen aliquod in nostro Ordine assumuntur, officium sit, commune totius Ordinis bonum procurare, nec vires eorum ad tantum onus ferendum sufficere certum sit ; in primis Divinam opem ipsi implorare non desinant, idque potissimum facient cum necessitas occurrerit. Deinde noverint, se ad laborem & solicitudinem magis, quam ad honorem assumptos esse, meminerintque se exemplo bonorum operum debere Fratribus præire. Communes itaque regulas ipsi accurate servent, & particularia in cibo, indumentis, & aliarum rerum usu, quantum fieri potest, devitent.

2. Calleant rationes officii sui, & ex frequenti Constitutionum tam privatarum suarum, quam communium, aliorumque Officialium sibi subjectorum, lectione intelligant, non temere & pro suo arbitrio rem sibi agendam esse, sed ex præscripto Regulæ, Constitutionum, & receptarum consuetudinum regendum Ordinem fratresque gubernandos. Quare receptos mores, & a superioribus vel decessoribus suis approbatos, servent, ac servari faciant ; nec mutare vel abrogare valeant, inconsulta superiore potestate ; ipsi vero nullos, nisi Superiore approbante, introducant.

3. Caveant, ne familiaritate atque indulgentia cum quibusdam alios offendant, aut occasionem offensionis quoquo modo in hac parte præbeant ; Neque alienum ab aliquo animum ostendant, sed erga omnes æqualiter & sine personarum acceptione se gerant.

4. Dent operam, ut omnibus Fratribus cum omni solicitudine invigilent, eosdemque ab iis, quæ nocere possint, domi & foris defendant, tum præveniendo, tum etiam, si quid mali acciderit, remedium adhibendo, itaut in omnibus honori & famæ tum Fratrum singulorum, tum Ordinis totius, consulatur.

5. Efficiant, ut secum, vel cum aliis a se deputatis, de propria conscientia statis temporibus Fratres tractatum habeant ; nec spiritualium collationum consuetudinem negligant, sed crebro & magna cum charitatis significatione alloquantur subditos, eorumque necessitatibus non corporis tantum, sed multo etiam magis animæ, paterno affectu prospiciant. Quem vero intelligent gravi aliqua tentatione pulsari, ejus peculiarem curam non solum per se, sed etiam, si necesse fuerit, per alios, gerant ; caveantque, ne remedium differendo difficiliorem morbi curationem faciant.

6. Quamvis in virtute obedientiæ jubere possint, nonnisi rarissime & ex gravi urgente causa id faciant.

7. In correctionibus & pœnitentiis injungendis caveant iracundiæ aut alterius pravæ affectionis

speciem ;

speciem ; sed personarum dispositionem considerent, ædificationis universalis & particularis illarum rationem habentes. Nisi autem prudentia, rebus particularibus adhibenda, aliud dictaverit, in correctionibus procedendum erit hoc ordine, ut qui peccant : Primò in charitate & dulcedine admoneantur : Secundò in charitate quidem, sed eo tamen modo, ut eis confusio & robur injiciatur : Tertiò amori ea, quæ timorem incutiant, si opus erit, adjiciantur. De publicis vero defectibus publica debet esse pœnitentia.

8. Sic regimini aliorum tum spirituali tum etiam temporali incumbant, ut nihil de virtutum exercitationibus, propriæque salutis cura, remittant. Omnia igitur, quæ ad religiosam perfectionem spectant, Monachisque erga Abbates & Superiores exercenda præcipiuntur, ut puta reddendæ conscientiæ ratio, recessus a communi aliorum consortio per aliquot dies spiritualium meditationum causa, & cætera hujusmodi ; ea ab ipsis Abbatibus & Superioribus facienda intelliguntur.

CAP. II.

De Regimine, & de Ordine atque Præeminentia Abbatum.

1. Cum dudum, Dei favente gratia, ex plurium Monasteriorum Ordinis Sancti P. N. Antonii unione Congregatio nostra in Domino coaluerit, cumque in omni bene constituto hominum Cætu, necesse sit, esse aliquem vel etiam plures, qui boni universalis curam gerant ; præter eos, qui certis Provinciis & particularibus Monasteriis præsunt, eligendus est Abbas Generalis, qui hunc sibi finem constituat, ut universa Congregatio Monachorum bene gubernetur, conservetur, & augeatur.

2. Quare potestas Abbatis Generalis summa erit, & ad omnes & per omnia pro sacrorum Canonum dispositione, nostrarumque Constitutionum præscripto, extendatur.

Abbas Gen. ad triennium instituendus.

3. Is porro ad triennium instituendus est, quo expleto, nisi a Congregatione Generali ad alterum triennium confirmetur, officium continuo dimittat.

Eligendi quatuor Hegumeni.

4. In subsidium vero regiminis, Generali Abbati in eam, quam diximus, amplitudinem commissi, eligendi erunt in Congregatione Generali quatuor Hegumeni, quorum officium pariter ad triennium durabit, nisi ab eadem Congregatione Generali ad alterum triennium confirmentur.

Abbates Monasteriorum.

5. Singulis autem Provinciis, & Monasteriis, Abbates præficiantur, quorum potestas etiam expleto, ut supra, triennio cessabit.

Quolibet triennio Generalis cogenda Congregatio.

6. Quamobrem quolibet triennio Congregatio Generalis cogenda est, ad quam vocandi ab Abbate Generali erunt, præter quatuor Hegumenos supramemoratos, omnium Provinciarum, & Monasteriorum Abbates, atque Officiales majores, & quotquot officio Generalis, Hegumeni, & Abbatis defuncti sunt, modo non fuerint ob aliquos defectus depositi.

7. Hujus Generalis Congregationis potestas in Ordine nostro suprema est, Generalemque Abbatem & Hegumenos confirmare, atque etiam, si opus fuerit, deponere potest.

8. Congregatio Hegumenorum singulis saltem semestribus ab Abbate Generali & quatuor Hegumenis habeatur, ejusque potestas omnes & omnia contineat, salvis tamen Generalis Congregationis Decretis.

9. Quolibet anno Congregatio Provinciæ ab Abbate ejusdem Provinciæ, & reliquis Abbatibus Monasteriorum subjectorum, ejusque potestas in Provincia summa est, salvis Decretis Abbatis Generalis, & Congregationum supramemoratarum.

10. Quolibet saltem mense Congregatio Monachorum ab Abbate Monasterii, & Sacerdotibus professis, quos Abbas Generalis ei Consultores assignaverit, fiat, ejusque potestas in Monasterio summa est, salvis Decretis Congregationum antedictarum, iisque omnibus, quæ Abbas Generalis, vel Abbas Provinciæ ordinaverint.

11. Præeminentia Abbatis Generalis excedit omnes aliorum Officialium gradus, itaut cæteris omnibus & loco & ordine præcedat. Post hunc quatuor Hegumeni pro sua quisque electionis prioritate, si Presbyteri omnes sint ; vel dignitate, si quis eorum Presbyter, & alius non Presbyter sit, primum in confessibus, & suffragiis ferendis locum tenent : Secundum Hegumenos vero Abbates Provinciarum, deinde Abbates Monasteriorum juxta uniuscujusque Monasterii dignitatem : Tum ii, qui officio Abbatum vel Hegumenorum defuncti sunt, eodem ordine, ut supra : Demum Monachi professi, servata inter eos Sacerdotii dignitate, & Professionis prioritate.

12. Si quando autem contigerit, ut eligatur Vicarius Abbatum, aut Hegumenorum, is locum illius tenebit, cujus vicariam potestatem gerit, ut puta Vicarius Abbatis Generalis primum locum ante omnes Hegumenos ; & sic de Vicario Hegumenorum, & Abbatum Provinciarum, atque Monasteriorum. Reliquorum vero officiorum, ut Secretarii Congregationum antedictarum, Socii Abbatum, vel Hegumenorum, Procuratoris Generalis, aut Provinciæ, sive Monasterii & reliquorum, non alia ratio habebitur, quam prioritatis Sacerdotii & Professionis.

CAP. III.

De Abbate Generali.

Abbas Gen. a toto Ordine eligendus.

1. Abbas Generalis cum totius Ordinis curam habere debeat, a toto Ordine in Congregatione Generali eligendus erit. Is autem ex eorum numero esse debet, qui diu in Ordine, & laudabiliter vixisse perspecti sunt ; cui proinde nec desit eximia probitas, nec amor erga Ordinem, nec idonea doctrina, nec ad sustinendum tantum onus animi corporisque firmitas : qui demum nullum ex iis impedimentis habeat, quæ infra Cap. de electionibus recensentur.

Quæ sit ejus Auctoritas.

2. Cum vero canonice electus, & fuerit in sua dignitate legitime confirmatus, omnimodam potestatem habet in Ordine nostro ad normam Regulæ & Constitutionum. Ad ejus itaque auctoritatem pertinet : Primò, Præesse toti Ordini, Hegumenis, Abbatibus, & Monachis omnibus, nisi quando in eadem Congregatione Generali de ipsius causa pertractandum sit, ut infra de depositionibus Abbatum dicetur :

Secundò, in omni Congregatione, etiam Generali, suffragium Abbatis Generalis habet prærogativam prælationis & præcedentiæ, ubi suffragia fuerint paria.

Tertiò, Per se, vel per alium, potest præsidere omnibus Congregationibus : visitare omnia Monasteria : & quemlibet Monachum de Provincia ad Provinciam, vel de Monasterio ad Monasterium transferre, exceptis Hegumenis & Abbatibus, omnibusque Officialibus, qui in Congregatione Generali, aut Hegumenorum, instituti sunt, quos ab uno loco in alium transferre non poterit, inconsulta Congregatione Hegumenorum.

Quartò, Per se, vel per Abbates Provinciæ, aut Monasteriorum, ad Habitum recipere potest, qui ad institutum idonei videbuntur : potest etiam eosdem dimittere, si facta probatione minus idonei reperti fuerint.

Quintò, Ab omnibus Abbatibus sive Provinciarum sive Monasteriorum, eorumque Vicariis

aut Procuratoribus, cæterisque Officialibus potest rationes exigere, sibi, vel aliis reddendas, de commisso illis officio, aut regimine tum spirituali tum temporali.

Sextò, Audire potest, ac decidere causas omnium Abbatum aut Monachorum, ad se appellantium a gravamine Superiorum vel æqualium vel inferiorum.

Septimò, Consulta Congregatione Hegumenorum, recipere potest ad Ordinem omnes Monachos fugitivos sive apostatas, & tam cum illis quam cum aliis Monachis, qui contra Regulam sive Constitutiones quocumque modo peccaverint, misericorditer dispensare super pœnitentiis, sive partem pœnitentiæ sive totam etiam remittendo, prout ad eorum salutem conducere in Domino judicaverit; Potest etiam pœnitentias, quæ ad satisfactionem quorumcumque defectuum convenire videbuntur, injungere, habita ratione personarum & aliarum circumstantiarum, quarum consideratio ejus charitati, cum prudentia conjunctæ, committitur, ita ut rectitudinem & severitatem cum benignitate & consuetudine misceat, eo modo se gerendo, ut etiam qui corripiuntur, hoc ipsum agnoscere faterique compellantur.

Octavò, Potest locum & vocem his, qui amiserunt, restituere; & inhabiles habilitare ad officia & gradus, nisi commiserint tales culpas, aut defectus tales haberent, quorum dispensatio per Constitutiones Congregationi Generali & Hegumenorum, aut per sacros Canones Episcopo vel Reverendissimo Domino Patriarchæ, reservetur.

Nonò, Potest Congregationem Generalem, etiam ante præscriptum tempus, convocare ex causa rationabili; vel post exactum terminum differre in aliud tempus usque ad biennium vel triennium, consultis tamen Hegumenis, & habita facultate a Reverendissimo Domino Patriarcha. Idem dicendum de Congregatione Hegumenorum, quam ipse solus convocare potest, quoties de rebus agendum est, illius auctoritatem exigentibus.

Facultas constituendi Procuratorem.

Decimò, potest constituere & destituere, quando videbitur sibi expedire, Procuratorem apud Sedem Apostolicam Romanam, & alterum apud Sedem Antiochenam, qui causas Ordinis nostri nomine ipsius Abbatis Generalis pertractet.

De Vic. Gen. electione, & officio.

Undecimò, potest etiam & debet Vicarium suum Generalem nominare & eligere, qui ipsius e vivis erepti vel legitime impediti vices gerat, tum in regimine totius Ordinis, tum in Congregatione Hegumenorum, aut etiam Generali, usque ad novi Abbatis electionem: Is autem Vicarius semper debet esse primus ex quatuor Hegumenis; Cumque contigerit, Abbatem Generalem, ut supra, e vivis decedere aut legitime impediri, tunc Hegumenis ipsis fas esto, quintum Hegumenum eligendi, qui locum quarti tenebit, cum primus, ut dictum est, tamquam Abbatis Generalis Vicarius habendus sit.

Facult. Abb. Gen., circa res Monasteriorum:

Duodecimò, penes Abbatem Generalem est omnis facultas agendi quosvis contractus emptionis aut venditionis quorumlibet bonorum temporalium tam mobilium quam immobilium omnium Monasteriorum in eorumdem utilitatem & bonum. Item, nova si offerantur Monasteria, acceptare ex consilio Hegumenorum & consensu Episcopi, ac Reverendissimi Domini Patriarchæ. Alienare autem, aut omnino dissolvere Monasteria non poterit, sed tantum ad tempus suspendere, constituto prius Oeconomo, idque de consensu Congregationis Hegumenorum. De iis vero, quæ Ordini nostro relinquuntur, si Dominus certum Monasterium aut determinatum pium opus non designaverit, poterit Abbas Generalis disponere, prout expedire ad communem Ordinis utilitatem judicaverit.

Decimotertiò, sicut ad Abbatem Generalem pertinet, ut Ordinis Constitutiones ubique servandas curet, ita ad eumdem spectat, non modo easdem Constitutiones interpretari, quando dubium aliquod occurrerit, sed etiam, ubi opus est, in iis, quæ accidunt, ex justa & legitima causa cum aliquibus dispensare, Regulæ finem intuendo, qui alius non est quam majus Dei obsequium, & illorum, qui hoc Institutum susceperunt, utilitas & profectus. Non est autem censendum eum dispensare, nisi expressam Constitutionum mentionem faciat, in quibus dispensat. Non potest tamen Constitutiones in Congregatione Generali jam approbatas omnino abrogare aut irritare.

Constitut. interpretandi, dispensandi ab earum observantia:

Decimoquartò, sicut potest Abbas Generalis nostri Ordinis Monachos ex legitima causa vinculis censurarum ligare, ita plenam facultatem habet eosdem absolvendi ab omnibus censuris, contractis post ingressum Religionis, dummodo casus non sint reservati Episcopo aut Reverendissimo Domino Patriarchæ, quorum notam apud se descriptam habebit, ut sciat limites suæ potestatis tam quoad absolutionem a censuris, quam quoad dispensationem in Irregularitate.

Absolvendi Monachos a censuris:

Decimoquintò, potest casus aliquos in toto Ordine sibi, & Abbatibus Provinciarum aut Monasteriorum reservare, a quibus deputati ad audiendas Monachorum confessiones, nisi habita ab ipso aut Abbatibus licentia, absolvere nequeant. Illos tamen debet, in nota expressos, & in Congregatione Hegumenorum approbatos, Monachis significare.

Reservandi sibi casus:

Decimosextò, cum Abbas Generalis talenta hominibus nostri Ordinis donata cognoscere debeat, officia Magistrorum, Prædicatorum, Confessariorum, & alia hujusmodi per se distribuere potest, aut Abbatibus Provinciarum sive Monasteriorum distribuenda committere. Ad hunc autem finem curet, per Abbates Provinciarum & Monasteriorum certior reddi de statu omnium Monachorum bis saltem in anno: item de numero & qualitatibus Monachorum. Et si vero aliis inferioribus Abbatibus suam facultatem communicet, poterit tamen approbare vel rescindere, quod illi fecerint; Et in omnibus, quod videbitur constituere, & semper ei obedientiam ac reverentiam ab omnibus præstari opportebit.

Officia, muniaque distribuendi:

Denique potest Abbas Generalis omnia & singula in toto Ordine facere, quæ Abbates Provinciarum & Monasteriorum in suis Provinciis & Monasteriis: Et insuper omnia illa, quæ ei per Constitutiones reservantur.

3. Ut officio suo Abbas Generalis rite fungatur, debet: Primò, statim atque electus sit, literas ad omnia Monasteria mittere, quibus Monachos ad Regulæ Constitutionumque observationem sedulo cohortetur.

Quid per eumdem præstandum.

Secundò, semel quolibet anno Monasteria omnia, saltem viciniora per se ipsum, remotiora vero per se vel per Vicarium visitet, adjuncto ei uno ex Monachis maxime idoneis, acceptoque prius ab illis juramento de servanda justitia & secreto Visitationis, quam postea subscriptione propria firmatam, sigilloque munitam, ad se transmittant, vel personaliter accedentes exhibeant.

Tertiò, habeat apud se omnia documenta, quæ ad Ordinem spectant. Catalogum itidem omnium Monasteriorum cum suis reditibus & oneribus, & alterum personarum omnium, quæ in quovis Monasterio versantur, ubi eorum nomina & qualitates scribantur, itaut omnia perspecta habeat, tuteque providere possit, quæ ad Gloriam Divinam pertinere judicaverit.

Quartò,

Quartò, rescribere quidem ad Abbatem, qui ordo tenendus sit in singulis negotiis, rebusque dubiis in quovis Monasterio, ad Abbatem Generalem spectat; Sed executionem ordinariis Officialibus demandabit. Intelligat itaque rebus universalibus sibi vacandum esse, quas solus ipse obire potest, ita tamen, ut de gravioribus particularibus certior fieri curet. Non solum autem ad res particulares, ut dictum est, Ministris opus habet, sed etiam ad universales; Quamobrem Hegumenos frequenter consulat, eorumque Congregationem in rebus magni momenti semper convocet. In eo verò Monasterio, in quo residet, curabit habere apud se viros graves, & Instituti peritos, quibuscum conferre de rebus occurrentibus possit.

Quintò, a Congregatione Generali eligendum erit Monasterium, in quo Abbatis Generalis & Hegumenorum ordinaria sit residentia. Ab illo autem, nisi ex legitima causa, abesse non poterit, nec residentiam in aliud Monasterium transferre, inconsulta Congregatione Hegumenorum. Nullius vero Monasterii ordinarium regimen per se ipsum exercebit Abbas Generalis; sed si contigerit ipsum in aliquo Monasterio moram trahere, quod Abbate Ordinario destitutum sit, illud per substitutum Vicarium regere poterit usque ad novi Abbatis electionem, in Congregatione Hegumenorum vel Generali faciendam. Et sicut ipse non debet Abbates ordinarios a regimine Monasteriorum impedire, aut in illo sese immiscere; ita Abbates ordinarii debent reverentiam & obedientiam Generali Abbati in suis Monasteriis commoranti exhibere, nihilque ipso inconsulto agere.

Sextò, ab omni fastu & pompa abstineat tam intra Monasterii septa, quam extra; nec præter unum aut duos socios secum habeat, cum e Monasterio egreditur, nisi aliud necessitas suadeat.

Septimò, Monachos in suis gravaminibus ad se recurrentes benigne excipiat & patienter audiat. Caveat tamen, ne inde ansam accipiant Superiores contemnendi; sed potius curam omnem adhibeat, ut subditi Superioribus amorem ac reverentiam exhibeant.

Octavò, si contingat aliquid a Summo Pontifice, sive a Reverendissimo Patriarcha decerni circa Monachos nostros, curet illud diligenter promulgari & observari. Utriusque etiam favorem & protectionem Ordini nostro conciliari studeat; Quod idem præstet cum Episcopis locorum ordinariis, atque Magistratibus laicis, in quorum ditione Monasteria nostra sita sunt.

CAP. IV.

De Hegumenis.

1. Hegumeni quatuor in Congregatione Generali eligendi sunt, qui Abbatem Generalem in gubernatione totius Ordinis adjuvent. Ad Hegumenorum vero auctoritatem pertinet: Primo, ut in omni Congregatione & extra Congregationem primum locum post Abbatem Generalem teneant. Hegumenorum quod sit officium.

Secundò, in omnibus negotiis decidendis ad suam, & ad Generalem Congregationem devolutis, sententiam definitivam post Abbatem Generalem ferunt.

Tertiò, unà cum Abbate Generali omnes Abbates, tum Provinciarum tum Monasteriorum constituunt; &, si opus fuerit, destituunt, vel loco Abbatum defunctorum alios substituunt: Idem dicendum, si quis Hegumenorum obierit; possunt enim ejus loco alium eligere cum Abbate Generali.

Quartò, cum eodem Abbate Generali, aut eo e vivis erepto, vel legitime impedito, soli possunt quintum Hegumenum eligere, qui locum quarti teneat in eo casu, quo primus Hegumenus, tamquam Vicarius, Abbate Generali legitime impedito aut defuncto, toti Ordini præesse debebit usque ad novi Abbatis Generalis electionem; quam, si expedire visum fuerit, possunt etiam differre, donec triennium expleatur, quo generalis Congregatio convocanda erit. Sic etiam possunt Vicarium Hegumeni deputare, si contigerit illum ex legitima causa ab officii sui executione impediri.

Quintò, possunt Generalem Congregationem convocare, quando Abbas Generalis in eos casus inciderit, ob quos de ejus publica reprehensione, aut ab officii suspensione aut etiam depositione agendum esset: modo tamen conveniant suffragia trium aliorum Abbatum, quos in tali casu convocare debent, & tunc suffragia majora prævalebunt.

Sextò, omnia & singula facere possunt, quæ ipsis per Constitutiones reservantur.

Curare debent Hegumeni, ut cum Abbate Generali perfectam concordiam & obedientiam servent: Idque tum factis tum verbis ostendant, auctoritatem ipsius apud omnes non solum conservando, sed omnibus etiam, quibus poterunt, modis augendo. Ipsi vero inter se in sententiis ferendis consentiant, alterque alterum honore præveniant. Si autem contigerit, aliquem eorum in Congregatione singularis esse sententiæ, nemo ab illo ullam aversionem habeat vel ostendat. Quæ vero in Congregatione proposita aut dicta sunt, nemo illorum revelet, aut aliis indicet, sub pœna ad libitum Congregationis Hegumenorum. Quæ demum definientur, ea per Secretarium descripta, sigillisque Abbatis Generalis & uniuscujusque Hegumenorum, manusque eorum subscriptione firmata, cum opus esse judicaverint, promulgabuntur. Exemplar autem eodem modo firmatum & subscriptum in Archivio Ordinis conservabitur.

Ordinaria Hegumenorum residentia, quandocumque fieri potest, unà cum Abbate Generali erit in Monasterio per Congregationem generalem deputando, a quo inconsulta Congregatione Hegumenorum, nemo illorum poterit abesse; neque ordinarium alicujus Monasterii regimen exercere. Quod si contigerit quempiam eorum ex legitima causa, in eadem Hegumenorum Congregatione probanda, ad Monasterii regimen sive visitationem deputari, in quo officio ultra sex menses versari debeat, tunc Vicarius ei ab eadem Hegumenorum Congregatione substituendus erit, qui vices ipsius, & auctoritatem gerat, ut scilicet numerus quatuor Hegumenorum, Abbati Generali Assistentium, nunquam minuatur. Eorum residentia.

CAP. V.

De Abbate Provinciæ.

1. Abbas Provinciæ in Congregatione Hegumenorum eligatur ab Abbate Generali, & a quatuor Hegumenis, cujus auctoritas terminis suæ Provinciæ includitur. Provinciæ autem, earumque Abbatum residentia in Congregatione generali designetur. Ejusdem Congregationis arbitrio erit hujusmodi Abbates instituere, ubi necessarii sunt; vel destituere, ubi illos supervacaneos esse judicaverit.

2. Singulis annis debet Monasteria Provinciæ suæ visitare per se ipsum, vel, si impedimentum legitimum occurrerit, per Vicarium, ut supra de Abbate Generali dictum est. Et visitationis decreta, sigillo suo, manusque subscriptione firmata, ad Abbatem Generalem transmittere. Abbatis Provinciæ munus.

3. Bis quolibet anno ad eumdem Abbatem Generalem ſcribat de ſtatu Monaſteriorum ſuæ Provinciæ, deque numero & qualitate Monachorum.

4. Non poteſt eſſe Abbas ordinarius illius Monaſterii, neque debet ingerere ſe in regimine immediato illius Monaſterii, ubi reſidet; ſed illud liberum & abſolutum proprio Abbati relinquere, qui tamen in omnibus primum locum Abbati Provinciæ deferat, nihilque magni momenti eo inconſulto ſuſcipiat, & præcipienti pareat.

Quæ ſint ejus facultates, & quibus terminis circumſcriptæ.

5. Poteſt Monachos de uno Monaſterio in aliud ejuſdem ſuæ Provinciæ ex cauſa rationabili, prout in Domino expedire judicaverit, pro reſidentia mittere vel transferre, etiam ſine conſenſu Abbatis utriuſque Monaſterii, ita tamen, ut de hac Monachorum miſſione vel translatione literas patentes ſuo ſigillo, manuſque ſubſcriptione munitas, conficiat. Non poteſt autem Monachos ſibi ſubjectos ad Monaſteria diverſæ Provinciæ pro reſidentia mittere vel transferre, niſi de conſenſu Abbatis Generalis. Sed pro negotiis, aut neceſſitatibus Provinciæ ſuæ, vel alicujus Monaſterii ſibi ſubjecti, poteſt Monachos de ſua Provincia ad aliam mittere cum literis teſtimonialibus, in quibus cauſam ſignificet, tempuſque reverſionis limitet.

6. Monachos Provinciæ ſuæ neque ſuſpendere neque excommunicare poteſt, aut caſum aliquem ſibi in confeſſione reſervare ſine Abbatis Generalis licentia; ſed eos regere & judicare debet ex præſcripto Regulæ & Conſtitutionum, in quibus diſpenſare nequit, eodem Abbate Generali inconſulto.

CAP. VI.

De Abbate Monaſterii.

1. Abbas Monaſterii eligitur in Congregatione Hegumenorum ab Abbate Generali, & a quatuor Hegumenis, a quibus etiam non expleto triennio ob legitimam cauſam ab officio ſuſpendi aut deponi poterit.

2. Antequam officio ſuo fungatur, literas præfecturæ oſtendat Monachis, eaſque in publico loco legi faciat. Et, ſi Abbas Pronvinciæ in eodem Monaſterio verſetur, illi eas præſentet, vel earum exemplar ſigillo Monaſterii munitum ad illum mittat, ſi abſens fuerit. Poſtquam vero literæ Congregationis Hegumenorum lectæ fuerint, Monachi omnes coram eo genuflectant, ejuſque tamquam Abbatis benedictionem poſcant. Ipſe vero a prædeceſſore ſuo, vel Vicario ejus Monaſterii, ſigillum, & inventaria rerum omnium recipiat, præſente Monaſterii Congregatione, & in Cellam Abbati deſtinatam ſecedat.

Abbatis Monaſterii munus.

3. Domeſtica miniſteria ſtatim diſtribuat, Officiales eligens vel confirmans, quos in Domino idoneos judicaverit (exceptis quibuſdam, quorum electio ad Abbatem Generalem pertinet), & ſuas cuique regulas tradens. Ac primo Vicarium ſuum conſtituat: deinde Oeconomum ſeu Procuratorem Monaſterii: Mox alios Officiales juxta indigentiam & conſuetudinem Cœnobii; Eoſque identidem viſitet, & prout in Domino viſum fuerit convenire, vel in eiſdem miniſteriis detineat, vel ab eis removeat: Quod de reliquis Officialibus intelligendum eſt, præter Vicarium & Oeconomum; hos enim removere nequit, niſi ex conſilio Congregationis Monachorum. Quia vero officia quædam, ut bene fiant, experientiam requirunt, non facile mutari debebunt: Et in hoc mutationis Officialium negotio vitium inconſtantiæ omnino vitandum eſt.

4. Non poteſt Monachos de Monaſterio, cui præeſt, in aliud transferre; ſed, ſi neceſſe fuerit, conſulat prius Abbatem Provinciæ, aut Abbatem Generalem. Pro negotiis vero Monaſterii ſui poteſt Monachum ad aliud Monaſterium mittere cum literis teſtimonialibus Congregationis Monachorum, in quibus cauſam ſignificet, & tempus reverſionis definiat. Item non poteſt Monachos Monaſterii ſui ſuſpendere vel excommunicare, vel caſum aliquem in confeſſione ſibi reſervare, inconſulto Abbate generali.

5. Semel ſaltem in anno viſitet poſſeſſiones & bona Monaſterii: Et quolibet menſe ab Oeconomo rationem accepti & expenſi præſente Vicario exigat, ut totius Monaſterii adminiſtrationis ratio ipſi conſtet, quam reddere debet unoquoque anno, ſemel quidem Abbati Generali, bis autem Abbati Provinciæ. Ut vero nihil ex bonis Monaſterii depereat, debet infra ſex menſes ſuæ præfecturæ conficere Inventarium authenticum omnium rerum, quæ ad illud Cœnobium pertinent, tam mobilium quam immobilium: Ejuſque inventarii duo deſcribantur exempla, quorum alterum maneat in Archivio Monaſterii ſub duabus clavibus, in quo etiam reponantur omnes ſcripturæ ad idem Monaſterium ſpectantes; alterum tranſmittatur ad Abbatem Provinciæ, vel ad Abbatem Generalem. Dictæ autem claves ſint altera penes ipſum Abbatem aut ejus Vicarium, & altera apud Oeconomum. Sub iiſdem clavibus reponantur reditus Monaſterii, itaut inde ne poſſit extrahi, & nihil magni momenti expendi ſine Abbatis, ſeu Vicarii, & Oeconomi notitia.

6. Præter Congregationem Monachorum, quæ ſaltem unoquoque menſe fieri debet, alternis hebdomadis cum ſuis Conſultoribus conveniat (niſi pro re nata aliquid extraordinariè conſultandum eſſet) deque occurrentibus negotiis cum illis agat; & quamquam iis auditis, penes ipſum ſit de ſingulis ſtatuendi facultas, Conſultores tamen benigne audiat, & præcipue eum, cui Monitoris officium commiſſum eſt.

7. Præcepta, Edicta, & literas Superiorum diligenter legat & exequatur. Habeatque librum, in quo ſcribantur viſitationes Monaſterii ab Abbate Generali, aut Provinciæ factæ, & ordinationes illorum alicujus momenti: legat etiam eas, quas Prædeceſſor ſuus adnotaverit; diſtinguat tamen perpetuas ab iis, quæ a tempus datæ fuerunt. Inſtitutum, quod in regimine Monaſterii tenere debet, cognoſcat tum ex lectione Regularum tam communium quam ſui officii, & aliorum, qui ſub ejus cura ſunt, tum ex obſervatione conſuetudinum receptarum, & executione ordinationum Superiorum, ac demum in rebus dubiis ex recurſu ad Superiores.

8. Sit ſolicitus, ne Vicarius, Oeconomus, & reliqui Officiales ſuo deſint officio. Item curet, ut ordo, pax, unio, & conformitas ſervetur a Monachis in Cella, in Choro, in Refectorio, & ubicumque locorum. Quare per ſe ipſum vel per Vicarium viſitet Chorum, Officinas, & Monachorum Cellas; Portam Monaſterii claudi faciat hora competenti, claveſque ſibi vel Vicario tradi: Diſcurſus, & vagationes Monachorum, & maxime juniorum, compeſcat: Jurgia & contentiones inter eos ortas componat: nec permittat in Monaſterio eſſe arma, vel inſtrumenta muſica, aut libros vanos.

9. Ordinarias tantum pœnitentias delinquentibus imponere debet, quæ in Conſtitutionibus præſcriptæ ſunt. Delegare autem poterit Vicario, ut eas ipſe præſcribat, vel legi in Refectorio præcipiat.

10. In iis, quæ ad victum, veſtitum, habitationem, & alia neceſſaria pertinent, curet, ut quamvis ſit, in quo virtus & ſui abnegatio probetur; non deſit tamen, quo ſuſtentetur natura, habita

ratione personarum secundum Deum. Ægrotorum habeatur cura magna tam in victus ratione quam in cæteris. Hospites tum sæculares tum Religiosi benigne suscipiantur & pertractentur. Si cui particulari quidpiam, ad potum vel cibum pertinens ab externo aliquo mittatur, id in communem usum accipiatur & dispensetur.

11. Depositum pecuniæ nullum prorsus admittat, aliarum vero rerum nonnisi cautissime; dummodo sine magna offensione id denegari non possit.

12. Lites fugiendæ, nec ullam inconsulto Abbate Generali aut Provinciæ, vel si absentes fuerint, & urgeat necessitas, inconsulta Monachorum Congregatione intentet: aut intentata, respondeat.

13. Si faciendæ sint expensæ extraordinariæ, vel fabrica magni momenti, vel Monasterium ære alieno gravandum est, habita prius Monachorum Congregatione, eorumque potiori parte annuente, rem ad Abbatem Generalem deferat.

14. Etsi proprium Abbatis officium est Monasterium sibi commissum diligenter gubernare, neque is propter aliud quidpiam huic muneri deesse debet; si quando tamen per officii sui occupationem licebit, concionari, & confessiones audire poterit.

15. Tam Abbas quam omnes alii Sacerdotes aliquando intra annum officium vel officia eorum, qui Monasterio inserviunt, ad tempus aliquod obibunt ad exercitium religiosæ humilitatis & mortificationis.

CAP. VII.

De Vicario.

1. Vicarius eligitur ab Abbate Monasterii, ejusque officium tandiu durat, quandiu officium Abbatis; nec ab eo removeri debet, nisi de consensu Congregationis Monachorum. Ejus autem locus sit primus post Abbatem, & post eos, qui Abbatis Generalis vel Hegumenorum officio functi sunt.

2. Munus præcipuum Vicarii est, Abbatem juvare in iis, quæ in genere vel in particulari ei commendabit: nec dispensandi aut mutandi aut quidquam faciendi, nisi ex ejusdem præscripto, facultatem habebit.

3. Absente Abbate omnia facere poterit, quæ ipse Abbas secundum Regulam, Constitutiones, & consuetudines approbatas sui Monasterii. Si vero aliquid extraordinarium acciderit, quod adeo urgeat, ut commode Abbas expectari nequeat, id expedire poterit Vicarius, auditis Consultoribus, statimque redeunti Abbati referat. Præsenti vero Abbate, ea tantum jurisdictione utetur, quæ sibi fuerit commissa.

4. Officiales visitet, quoties opus fuerit, observando, quomodo suum quisque officium exequatur. Frequenter etiam adeat Cellas, & alia loca Monasterii, ut Domus munda sit, & omnia ubique decenter suis locis composita, ac præsertim in iis, quæ ab externis videri solent. Noctibus singulis Portas Monasterii videat, an bene clausæ sint, & Cellas Monachorum visitet, ne quis extra cubiculum vagetur. Observet etiam crebro, num aliquid desit ex necessariis, aut abundet Monachis. Eorumque curam potissimum habeat, qui in corporis cura minorem de se ipsis solicitudinem gerunt; rationemque de rebus omnibus Monasterii, quas viderit, aut executus fuerit, Abbati, quoties opus fuerit, reddat & referat. Redigatque in memoriam, quæ necessaria Monasterio judicabit, ut de emendis rebus ad victum & vestitum necessariis, & Fratrum nimio aut exiguo labore, de sanitate & similibus.

5. Horis omnibus Divinis nocturnis & diurnis, atque Sacræ Liturgiæ, personaliter intersit, & observet, an omnes adsint, & an die statuto ad Confessionem & Communionem accedant, aut Missam celebrent. Item notet, an constitutis horis in Refectorio conveniant, aut e Monasterio egrediantur, sive ad illud regrediantur, an e lecto surgant, aut cubitum eant. Defectus denique omnes, si quos in Monasterio animadverterit, vel aliunde intellexerit, & quæcumque alia ad bonam gubernationem sibi occurrerint, Abbati referat.

6. Singulis hebdomadis disponat officia Monasterii, tabulasque conficiat. Ministrorum Chori & Ecclesiæ, horasque Missarum inter Sacerdotes distribuat; quam quidem tabulam, ab Abbate approbatam, in loco patenti exponat, aut in Refectorio legendam curet. Ipse vero sibi hebdomadam tam in Choro quam in Missis canendis, sicut & reliquis Fratribus, tribuat.

CAP. VIII.

De Oeconomo, seu Procuratore Monasterii.

1. Oeconomus sive Procurator ab Abbate Monasterii constituitur: Ejusque officium est, res temporales Monasterii curare & administrare, omniaque tempestive providere, quibus Monachi indigent.

2. In primis igitur nosse debet bona omnia Monasterii tam mobilia quam immobilia, Agros, Vineas, Prata, Oliveta, Greges ovium, & his similia: Quorum inventarium penes se habebit, quæque sæpe cum socio visitare debebit, ne quid detrimenti ex ipsius negligentia capiant.

3. Proventus quoscumque Monasterii, & eleemosynas, quas ipsum Abbas exigere jubebit, exigat & recipiat. Syngraphas vero solutionis, quando opus fuerit, ipse dabit subscriptas ab Abbate, aut a se ex illius commissione. Utque id facilius assequatur, proventus omnes & tempora, quibus colligendi sunt, in peculiari libro scribat; Et seorsim etiam quascumque res aut pecunias ex fructibus Monasterii percepererit, addito, a quibus, & quando eæ provenerint: Eleemosynæ autem alio in libro scribantur.

4. Singulis mensibus dati & accepti rationem Abbati reddat: debitaque & credita Monasterii indicabit, quo ipse statum Monasterii prorsus intelligat: nunquam vero Oeconomus debita contrahat sine expressa Abbatis licentia. Vicissim singulis mensibus exigat rationem ab Officialibus Villarum, Prædiorum, Pecorum, & similium.

5. Pecunia, undecumque ea provenerit, si alicujus momenti fuerit, judicio Abbatis in arca reponatur ad id designata. Hujus Abbas clavem unam, & ipse Oeconomus alteram diversam custodiat. In eadem liber asservabitur, in quo scribetur pecuniæ summa, tam ejus, quæ infertur, quam ejus, quæ effertur. Si quando autem cogente aliqua necessitate pecunia in arcam non inferretur, nihilominus accepti & expensi summa in eodem libro statim scribatur. Quotiescumque vero ex arca pecuniam accipiet, ejus summam, & diem in libro suarum rationum adscribat; in alia vero libri parte expensi ratio constet.

6. Diligenti cura asservabit in Archivio, ad hoc designato, Instrumenta originalia, quibus constat de jure eorum, quæ a Monasterio possidentur: Chirographa, Syngraphas, Inventaria, & alia hujusmodi: Et Archivii quidem clavem unam ipse habeat, Abbas vero alteram diversam.

7. Advertat, num ea, quæ a Monasterio possidentur, reparatione indigeant, ut ad Abbatem referat. Si quid autem vendendum videretur, eodem inconsulto ne faciat.

8. Curet, ut res omnes, præcipue diu duraturæ, tempestive & quamopportune emantur, ne has non perinde bonas, aut non æquo pretio cogatur comparare. Caveat etiam, ne, dum nimium pecuniæ parcit, non bonas aut insalubres res emat. Videat autem, num ea, quæ empta sunt, illæsa conserventur; atque animadvertens aliqua non, ut oportet, conservari aut expendi, Abbatem aut Vicarium admoneat.

9. Emptori pecunias ad quotidianos sumptus subministrabit, a quo singulis diebus expensarum exigat rationem ex Codice; summam vero in librum suum ipse referet. Emptor vero, quid empturus sit, ab Abbate seu ejus Vicario intelliget: resque emptas Cellerario tradat, sive in Cellario reponendas, sive Coquo committendas.

10. Cum extraneis contra decentiam status monastici negotiari non præsumat.

11. Curet, ut sæculares tam in Monasterio quam in prædiis ejus servientes, honeste & christiane vivant: Cogat omnes in diebus Festis & Dominicis, Sacræ Liturgiæ & Divinis Officiis intersint, & in Festis solemnioribus sacramenta Confessionis & Communionis frequentet: Mercedem itidem debitam suo tempore iis persolvat: Querelas eorum libenter audiat, casus vero nunquam sine Abbate judicet; neque eos insolitis pœnis & oneribus aggravet, neque plus uni quam alteri eorum faveat. Quando vero aliquis eorum dimittendus sit, id faciat cum omni charitate, & cum plena ejus satisfactione quo ad debitum stipendium.

12. Ita demum Oeconomus rerum temporalium solicitudinem gerat, ut a Monasticæ vitæ perfectione animum non relaxet. Quare orationem, jejunium, cæterasque religiosi Instituti disciplinas, quoad fieri poterit, non secus atque reliqui Monachi colere debebit; Sæculares vero, quibuscum conversatur, verbo & exemplo ædificare studeat.

13. Sicut ad Abbates Monasteriorum pertinet, res temporales sibi commissas per Oeconomos curare: Ita poterit Abbas Generalis, si id expedire cognoverit, constituere Oeconomum Generalem, qui illum in conservandis bonis temporalibus totius Ordinis opportune adjuvet.

CAP. IX.

De Consultoribus.

1. Abbas suos habeat Consultores tres saltem Monachos senes, & in Religiosa perfectione exercitatos, quorum consilio & relatione adjutus melius & facilius gubernare possit.

2. Qui huic muneri deputabuntur, sint amatores boni communis, illudque in omnibus consultationibus præ oculis habeant.

3. Cum Abbas illis auditis aliquid statuerit, judicium suum illius judicio submittent. Neque extra consultationem, aut quid statutum fuerit, sibi displicere: aut se in alia fuisse sententia, significabunt; sed laudent potius Abbatis consilium apud alios, atque tueantur. Quod si ob rei gravitatem ad Abbatem Generalem id esse deferendum judicarent, re mature considerata, & oratione præmissa, faciant.

4. Si quid tamen in mentem venerit, quod ad commune bonum, vel alicujus personæ particularis utilitatem pertineat, poterunt id Abbati proponere.

5. Si quid circa victum, vestitum, labores, & occupationes Monachorum, aut circa gubernationem Abbatis, moderandum, augendum vel mutandum censerent, illum præmissa oratione admonendum curent: quod per Admonitorem faciant.

6. Si quis cum eis de difficultate aliqua sua aut perturbatione agat, ita eum suis monitis & consilio juvare studeant, ut semper, quantum possint, existimationem Abbatis tueantur.

7. Ita suum munus exequantur, ut nullam gubernationis partem sibi assumant: atque ea submissione se gerant, ut cæteris obedientiæ exemplum præbeant.

8. Singuli Consultores bis in anno ad Abbatem Generalem, aut Provinciæ, de statu Monasterii, & si quid esset corrigendum aut mutandum, eidem exponant; atque hæ literæ, a Seniore inter eos obsignatæ, mittantur.

9. In Monasteriis frequentioribus poterit unus ex Consultoribus designari ab ipso Abbate, qui Admonitoris nomen habebit: Ejusque officium erit, admonere Abbatem de iis, quæ Consultores ei dicenda judicaverint. De aliis vero, quæ sive ipsi in mentem venerint, sive ab aliis Monachis suggerentur, non facile eum admonebit; sed de iis dumtaxat, quæ non levis momenti post orationem esse censuerit, sive ad officium Abbatis pertinebunt; Et quorum Abbatem admonuerit, meminerit, ea tacitus apud se servare.

CAP. X.

De Prædicatoribus.

1. Eligantur ab Abbate Generali, vel ab Abbate Provinciæ, in singulis Monasteriis duo saltem graves, & docti Monachi, qui admittendos ad Prædicationem Verbi Dei, vel ad audiendas confessiones, etiam ipsorum Monachorum, ac Magistros publicos, & promovendos ad quoscumque Ordines, diligenter simul examinent, antequam probentur, & ad hujusmodi ministeria vel Ordines admittantur.

2. Qui ad Prædicationis officium admissi sunt, debent primo Sacram Scripturam semper præ manibus habere, legere, &, quoad fieri poterit, quotidie aliquid memoriæ mandare. Legant etiam expositiones Patrum in utrumque Testamentum, Vitas Sanctorum, Historiam Ecclesiasticam, opera ascetica Patrum, conciones, homilias doctorum Virorum, & alia similia, quibus evolvendis residuum temporis, quod ab Officio Divino, aliisque spiritualibus & corporalibus exercitiis remanserit, impendant. Deinde nunquam sine præparatione concionem faciant, sed illam prius scripturæ commendent, & sedulo memoriæ tradant.

3. Extra Monasterium nemini Monachorum fas erit concionari, aut docere, aut confessiones audire, sine expressa Episcopi Ordinarii licentia. Cum vero ad aliquod Oppidum vocati fuerint, dabunt operam, ut primo Episcopi, Chorepiscopi aut Parochi benevolentiam sibi comparent, deinde caveant discursum per domos, sed in ædes alicujus pii & exemplaris Ecclesiastici se recipiant, ibique paupertatem religiosam in cibo, potu, & cæteris omnibus servent, modestiæ & gravitati conjunctam.

4. Media autem spiritualia, quibus juxta nostrum Institutum, & Abbatis beneplacitum uti poterunt, hæc fere sunt: Ministerium Verbi Dei in prædicationibus, privatisque exhortationibus & colloquiis: Sacramentorum Confessionis & Eucharistiæ administratio: Exercitiorum Spiritualium traditio: Dissidentium reconciliatio: Casuum Conscientiæ & sacrorum Rituum ad Ecclesiasticos privata explicatio: Christianæ Doctrinæ ad Pueros, aliosque rudes publica declaratio.

CAP. XI.

De Præfecto Rerum Spiritualium.

1. In omnibus Monasteriis designandus erit Præfectus rerum Spiritualium, cujus munus sit, confessiones Monachorum excipere, eorumque profectum in spiritu promovere.

2. Cogni-

2. Cognitionem itaque Instituti habeat, & zelum boni progressus Fratrum, quem procurare debet verbo & exemplo. Amabilem præterea se eis exhibeat, ut ad eum omnes confugiant, confidenterque sua omnia detegant, & ab eo consolationem & auxilium sperent in Domino.

3. Instruat Monachos privatim secundum uniuscujusque captum, præsertim, ut puram intentionem divini servitii habeant, & familiaritatem cum Deo in spiritualibus devotionis exercitiis.

4. Petat, quem procedendi modum in oratione habeant: & an contra suos defectus examen particulare observent: & an contra inordinatos affectus propria remedia adhibeant: & in solidis virtutibus acquirendis, præsertim obedientia, amore Dei & proximi, quibus utantur mediis: & de pœnitentiis & aliis pietatis exercitationibus.

5. Versatum eum oportet esse in lectione librorum spiritualium, & unicuique decernat tempus & modum cum fructu eos legendi.

6. Peculiarem curam habeat consolandi afflictos, & tepidos exhortandi, remedia pro cujusque necessitate adhibendo, qualia sunt frequentius Confessionis & Eucharistiæ Sacramenta obire: plus temporis orationi impendere: plus aliquid pœnitentiæ assumere: libros aliquos spirituales legere, & similia. Præcipuam vero curam adhibeat circa Monachos Laicos, novos præsertim & infirmiores, ut quieti sint, & forte Marthæ contenti; dirigatque eos, ubi opus fuerit. Præter eos vero, quos satis instructos Abbas judicaverit, cum unoquoque agere de his ultra mensem non differat. Sæpe vero consideret, quem fructum bonorum operum ex oratione & meditatione, & ex reliquis rebus spiritualibus colligant, ut in dies magis in Domino proficiant.

7. In his omnibus videat, ne ordo unicuique præscriptus impediatur, nisi cum Abbas aliter judicaverit.

8. Curam habeat Novitiorum, si qui in Monasterio fuerint, nisi ab Abbate aliunde prospectum sit: Et erga eos observare studeat, quæ juxta regulas Magistri Novitiorum observari commode poterunt.

9. Confessiones Monachorum audiet: Et si Abbas judicaverit, eidem alium vel alios adjungere poterit; non autem plures quam quatuor, & quidem in frequentioribus Monasteriis tantùm.

CAP. XII.

De Præfectu Ecclesiæ.

1. Præfectus Ecclesiæ ab Abbate constituitur, cujus officium est res Ecclesiæ & Chori custodire & curare, ut Divina Officia suo tempore decenter ac debite fiant.

2. In primis habebit Inventarium rerum omnium, ad Ecclesiam & Chorum spectantium, tam in libris quam in sacris Vestibus & Vasis, aliisque; cujus Inventarii duo exempla erunt, alterum penes ipsum, alterum in Archivio Monasterii, in quo scripturæ & instrumenta asservantur. Et quando novus Ecclesiæ Præfectus instituitur, coram Abbate & Œconomo rationem rerum omnium juxta inventarium exiget a Prædecessore.

3. Librum etiam habeat dati & accepti pro Ecclesiæ expensis, ut rationem Abbati unoquoque mense reddere possit.

4. Eleemosynas quocumque modo obvenientes, & pecunias pro manutentione Ecclesiæ collectas, apud Œconomum deponat, ut in arca reponantur, cujus clavem unam habeat Abbas, alteram ipse Œconomus. Quæ vero pro Missis celebrandis oblatæ fuerint, diligenter describat in tabella Sacristiæ, ut Missæ dicantur secundum intentionem Benefactorum: & notetur in libro, quo die, & a quo Sacerdote earumdem oneri fuerit satisfactum.

5. Satagat, ut necessaria ad divinum cultum non desint, ut Altaria sint munda & bene præparata, atque ut vasa sacra, ornamenta, libri, & cætera omnia in suis locis apte reponantur & conserventur. Panni omnes lintei semper mundi serventur, & separatim corporalia & purificatoria laventur. Sæpe etiam res pretiosiores visitet, ne aut lædantur aut amittantur: Templi, paramentorum, librorum, instaurationes curet, sicut ab Abbate fuerit præscriptum. Nihil vero eorum extrahere e Monasterio, aut cuipiam alteri Ecclesiæ vel Monasterio, etiam nostræ Congregationis, commodare poterit sine Congregationis Monachorum licentia.

6. Det operam, ut nullo modo lumen desit ante Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, neque interdiu neque noctu, ubi illud asservari contigerit. Oleum Sanctum, ut oportet, asservatum, singulis annis renovandum curet: Et Sanctorum Reliquias in Vasculo, ad id deputato, decenter custodiat. Si quando autem devotionis causa ostendendæ erunt, duo cerei accendantur.

7. Curet, ut hostiæ mundæ sint, & in vase decenti repositæ: Item vinum, quod ad Sacrificium paratur, sit bonum & merum, eoque ipso die haustum: Similiter & aqua & ampullæ sint mundæ, & thuribula identidem a fuligine extergat.

8. Qualibet hebdomada Catalogum conficiat, quo dies Festi ac jejuniorum proximæ hebdomadæ describantur, & horæ Missarum inter Sacerdotes distribuantur: Vices quoque Hebdomadariorum Ministrorumque tam in Divinis Officiis quam in Missa solemni celebranda notentur. Eum porro Catalogum, ab Abbate seu ejus Vicario approbatum, in loco patenti affigat, aut in Refectorio recitandum curet in prandio sabbati. Det autem operam, ne plura simul Sacra inchoentur, sed commode omnia suis spatiis distinguantur: Curamque gerat Missarum perpetuarum, quæ pro Benefactoribus annuatim celebrandæ sunt, easque referat in tabellam, quæ appendenda erit in Sacristia; ubi & in alia tabella notari debent Casus Superioribus reservati: Et Indulgentiæ, si quæ sint concessæ.

9. Ante Missas & Psalmodiam Chori, signa ipse pulsabit: Quod etiam faciet, cum primum quis ex Fratribus vita functus fuerit, ut omnes ejus animam commendent: Lumina tam in Choro quam in Dormitorio Fratrum accendet.

10. Per se vel per alium, ab Abbate designatum, promovendos ad Sacerdotium instrui curet, & videat, an omnes observent statutas cœremonias. Si quem defectum animadverterit, ad Abbatem referat, vel ipse emendet. Notet etiam qualibet die nomina Sacerdotum celebrantium, ut id Abbati aut Vicario referat.

11. Externos Sacerdotes ad Sacrum faciendum non admittat, nisi intelligat, eos a legitimis Superioribus habere facultatem: cujus testes Ordinarii literas cum ii exhibuerint, humanissime illos excipiet, & distinctis etiam pro uniuscujusque dignitate paramentis indui curet. Sæculares quoque ad Ecclesiam nostram adventantes benigne tractet.

12. Habeat sibi subjectum ædituum Monachum, maxime in frequentioribus Monasteriis, cui vices suas in rebus minoris momenti committet, dum ipse in gravioribus occupatur.

CAP. XIII.

De Præfecto Bibliothecæ.

1. In majoribus Monasteriis designandus erit Monachus Sacerdos, qui librorum curam habeat.

2. Omnium

2. Omnium itaque librorum Monasterii Catalogum describat ; utque libri unius Monasterii ab aliis distinguantur, in primo cujusvis libri folio hæc verba notet: *Hic liber est Monasterii N. Ordinis S. Antonii Congregationis Montis Libani.*

3. Nullum librum ex Bibliotheca cuipiam Monachorum dabit sine Abbatis licentia, neque externo cuiquam sine licentia Congregationis Monachorum ; & advertat, ne quis librum, etiam cum licentia, se inscio accipiat. Fratres autem, quibus librum aliquem tradet, propria manu scribant in Codice, quo die & quem librum acceperint ; Cumque illum restituerint, notam deleant, aut e regione restitutio ejus notetur. Quod si externis librum ex licentia, ut supra, dederit, ipse Bibliothecarius in Codice notabit diem, personam, & tempus, quo liber sit restituendus.

4. Monachos ad Bibliothecam non admittat sine licentia ; multo minus externos.

5. Abbatem moneat, si quos libros pro Monasterio necesse sit comparare. Nullum autem librum donare, vendere, alienare, vel oppignorare poterit sine expressa Congregationis Monachorum licentia.

6. Curet, ut Bibliotheca munda sit, & composita, quam semel in hebdomada verret, & ex libris pulverem excutiet. Caveat etiam, ne libri humiditate aut alia re lædantur.

7. Semel in anno librorum rationem dabit Abbati juxta Inventarium Bibliothecæ : Quod & præstabit cum alter in ejus locum succedet.

CAP. XIV.

De Socio, & Sigillo Abbatis Generalis, Hegumenorum, & Abbatis Provinciæ, atque Cænobiarchæ.

1. Abbas Generalis, Hegumeni, & Abbates Provinciæ, ac Monasterii, deligant sibi ex Monachis professis Socium, qui Secretarii munus geret, ipsosque in literis scribendis adjuvet, exeunteque e Monasterio comitetur.

2. Unusquisque ex dictis Abbatibus & Hegumenis sigillum proprium habeat, quod in Cella sua diligenter custodiat cum Imagine, si fieri potest, Sancti Patris Antonii Magni, aut emblemate Montis Libani, & cum inscriptione officii, quo unusquisque fungitur : videlicet Sigillum Abbatis Generalis Ordinis S. Antonii Congregationis Montis Libani : Sigillum primi, vel secundi, vel tertii, vel quarti Hegumeni Ordinis S. Antonii Congregationis Montis Libani: Sigillum Provinciæ N. Ordinis Sancti Antonii Congregationis Montis Libani: Sigillum Monasterii N. Ordinis S. Antonii Congregationis Montis Libani. Idque duplex sit, alterum majus, cujus usus erit in rebus magni momenti, & alterum minus, quo in rebus communibus utentur.

3. Nullus Monachus literas suas alio Sigillo firmabit, quam Abbatis Monasterii.

4. Ad officium Socii & Secretarii electus, quæcumque audierit, legerit, aut scripserit, debet profundo silentio celare: nec nisi urgente necessitate a communibus Monasterii officiis vacare.

CAP. XV.

De Infirmario.

1. In singulis Monasteriis constituendus erit Infirmarius, vir pius & patiens, qui curam habebit Infirmorum ; quorum ægritudo simul atque ei indicata fuerit, si censuerit rem esse alicujus momenti Abbatem aut Vicarium admoneat.

2. Studeat, ut quæ ægrotanti danda sunt, ea & opportune emantur, & bona sint, & bene præparata ministrentur.

3. Curet, ut Ægrotorum cubicula sint valde munda, & lecti concinne sternantur.

4. Ægrotum consolari & exhilarare studeat verbis spiritualibus & lætis. Habeat etiam libros, quorum lectione Ægroti recreari & juvari in spiritu possint.

5. Quæcumque Ægrotantium usui necessaria esse judicabit, habere curet, & in loco convenienti custodire.

6. A Medico præscripta exacte servet. Dies ægrotationis, & horam febris advertat, tum ut Medicum & Superiorem admoneat, tum ut cibum tempestive præbeat.

7. Si morbus sit contagiosus, supellex separari debet, ne cuiquam noceat.

8. Convalescentes e lecto surgere non permittat, priusquam id Medicus concesserit.

9. Patientiæ & charitatis erga Ægrotos meminerit ; Quare curabit, ne debita ministeria Ægrotis desint.

10. Morbo ingravescente, Abbatem moneat, ut Ægrotus antequam judicii usu privetur, omnia Sacramenta accipiat. Quod si Ægrotus diu, licet sine periculo, decumbat, curet, ut octavo quoque die communicet, nisi aliqua ratio, judicio Abbatis, impediat.

11. Instante mortis articulo, sive proximo periculo, Abbatem admoneat, ut orationibus omnium Fratrum valde peculiaribus Infirmum juvari faciat ; atque eo magis, quo morti propinquiorem viderit, & ut morienti quo plures poterunt ex Fratribus adsint, qui convenientibus illi articulo auxiliis moribundum juvent. Et cum primum vita functus fuerit, Præfectum Ecclesiæ seu ædituum admoneat, ut consuetum signum pulset.

12. Provideat, ut mortuorum Fratrum corpora ad sepulturam præparentur, & ut spatio unius diei naturalis decenter super terram teneantur.

13. Non Infirmis tantum prosit, ut dictum est, sed sanorum etiam curam gerat in iis, quæ ad sanitatem conservandam spectant. Quare ejus munus est observare, num quis ex nimia fatigatione corporis aut spiritus plus æquo laboret, vel alia de causa morbi periculo se exponat ; Et si in cibis, aere, frigore, aut alia quapiam in re aliquid probabili ratione animadvertat, quod communi omnium vel alicujus saluti obesse possit, Abbatem admoneat.

CAP. XVI.

De Janitore.

1. Monasterium perpetuo sit clausum, clavisque in porta ne relinquatur ; ac propterea Janitor ab Abbate constituatur Monachus mansuetus, humilis, patiens & sedulus, qui Januæ custodiendæ semper assistat, eamque nemini Monachorum aperiat, nisi Socium, & exeundi licentiam obtinuerit. Nullus autem e Monasterio egrediatur, nisi cum Socio, licentiaque petita ac impetrata, & benedictione accepta ab Abbate seu ejus Vicario, aut in horum absentia ab antiquiore ex professis.

2. Vocantibus, & Monasterii Januam pulsantibus, cito adsit, & respondeat: Non tamen prius Portam aperiat, quam per fenestram videat qualitatem personæ advenientis: Quod si ejus conditionis fuerit, ut paucis verbis expediatur, quin Porta aperiatur, id faciat cum omni humanitate. Si vero fuerit persona gravis aut religiosa, Portam aperiat, interroget quid velit, ad locum honestum ad id destinatum intromittat, & sine mora significet Abbati.

3. Neminem Monachorum sine facultate Abbatis ad Januam vocet ; nec, nisi urgente necessitate, Janitor licentiam pro illo vocando ab Abbate petat, aut Abbas illam det, cum tempus est

Divini Officii in Choro, Prandii, Cœnæ, Silentii, aut Congregationis. Nec facile idem Abbas licentiam dabit introducendi sæculares in clauſtra Monaſterii, & multo minus in Dormitorium Fratrum, niſi ſint magni Viri aut Prælati.

4. Monaſterii Portas ante noctem claudat Janitor. Exinde vero eas nullius cauſa aperiat inconſulto Abbate; & antequam cubitum eat, claves eidem tradens, ſi quis foris maneat, illi renunciabit. Abbas vero aut Vicarius quandoque de nocte eas obſervent.

5. Literas omnes & Schedulas, & quæcumque alia Domeſticis mittuntur, Abbati reddat, ut ea videat: & ad eos, ad quos diriguntur, ſi velit, tranſmittat. Caveat etiam, ne alicujus Domeſtici literas, aut quid ſimile, externis det injuſſu Abbatis.

6. Nihil cuſtodiendum a quopiam externo recipiat, Abbate inconſulto.

7. Si pauperes ad Januam eleemoſynæ cauſa accedere contingat, cum iiſdem benigne ſe habeat, & ſedulo quærat, quid eis erogari poſſit juxta Abbatis arbitrium.

8. Mulieres, ſi quando ad oſtium accedant, paucis verbis dimittat: Aut ſi pluribus opus eſſe videretur, in Eccleſiam, ſi extra Monaſterii Clauſtrum ſit, ad Ædituum eas mittat, ubi ipſis reſponderi poterit: aut Ædituum, ſeu Abbatem vocet, ut earum negotia expediant, prout res poſtulaverit.

9. Si quis eleemoſynam ad Januam dabit, eam Oeconomo ſtatim tradet.

10. Loca Portæ vicina munda ſervet, &, ut juxta Januam omnes ſubmiſſa voce loquantur, curet.

11. Ut Janitor ad Portam ſolicitus aſſiſtere poſſit, primo poſt perſolutas Matutinas horas, Sacrificio interſit. Cum autem cibum ſumit, aut in aliquo miniſterio intra vel extra Monaſterium occupatur, alius ab Abbate ſeu Vicario ad cuſtodiam Portæ deſtinetur.

CAP. XVII.

De Cuſtode Veſtium.

1. Servare debet omnem ſupellectilem ſive lineam ſive laneam, & quidquid ad indumenta, &, ubi opus fuerit, etiam ad calceamenta attinet; quæ diligenti cura, ut res Pauperum Chriſti, cuſtodiet in loco ad id deſignato.

2. Inventarium rerum, quas ipſe cuſtodit, ſi alicujus momenti ſint, in libro habeat: Et ſeorſim ſcribat, quæ de novo fiant, ut Abbati ſui muneris rationem reddere queat.

3. Veſtes ordine diſpoſitas ſervet; ne corrumpantur, videat; & reſarciendas etiam curet. Quas vero non amplius uſui Fratrum futuras judicabit, eas Abbati oſtendat, ut ille de iis ſtatuat.

4. Quæ ſinguli Novitii ad Monaſteria attulerint, ea alicubi ſeparatim aſſervet, donec profeſſionem emittant.

5. Singulis menſibus Cellas viſitabit, ut ex Abbatis arbitrio, ſi quid eis deſit ſuppleri poſſit. Si quid etiam ſuperfluum invenerit, veſtes duplices, inſtrumenta itineris, & ſimilia, in Veſtiaria officina cuſtodiantur.

6. Inſpiciat etiam, quinam veſtibus indigeant, ut Abbati referat: Eo verò inconſulto nihil cuipiam dabit.

7. Linei panni lotori, ſive externus ille ſit, ſive domeſticus, ſcripto numero dentur, & accipiantur.

8. Tunicæ ſingulorum, quæ ſtaturæ induentium convenire debent, ſignis particularibus internoſcantur, ne eas permiſceri contingat.

9. Sabbati veſpere linea munda per omnes Cellas diſtribuat: Dominica vero die mane ex eiſdem Cellis immunda colligat; Et an omnia, quæ dederat, recipiat, animadvertat.

CAP. XVIII.

De Cellerario.

1. Cuſtodiendis in Monaſterii Cellario Victualibus ab Abbate Cellerarius deputetur, vir ſobrius, & non prodigus; Idemque curam habeat omnium eorum, quæ ad cibum & potum ſpectant, ſingula in locis ſuis repoſita & clauſa ſervans.

2. In rebus diſtribuendis juſſum Abbatis ſequatur; Et quamvis communiter æqualitatem inter omnes ſervare debet, habeat tamen infirmorum, convaleſcentium, eorumque, qui laborioſiora opera exercent, rationem, prout ei fuerit ab Abbate præſcriptum, ſine cujus arbitrio neque jentaculum neque aliud quidpiam ulli concedet.

3. Antequam penitus abſumantur victualia, quæ in Monaſterio reconduntur, Abbatem admoneat, ut tempeſtive per Oeconomum providere poſſit.

4. Curet munditiem tam Cellarii quam Refectorii; eorumque omnium, quæ ejus uſibus ſerviunt, utque menſæ rebus neceſſariis paratæ ſint, cum refectionis ſignum dabitur.

5. Catalogum habeat rerum, quæ ad Cellarium & ad Refectorium pertinent: Alterum etiam eorum, quæ per hebdomadas aut menſes debebit Fratribus miniſtrare tam in cibo quam in potu: Tertium denique eorum, qui menſæ miniſtraturi ſunt.

6. Quæ ex menſa ſuperſunt, colliget, atque coquo tradet, qui illa conſervabit memor paupertatis, ut & domeſticis & externis pauperibus uſui eſſe poſſint juxta præſcriptum Abbatis.

CAP. XIX.

De Coquo.

1. In iis omnibus, quæ ad ſuum munus pertinent, munditiem ſervet ipſe, & ab aliis ſervandam curet: detque operam, ut omnia recte & opportune parentur, ea præſertim, quæ ad ægrotos pertinent.

2. Semihora, aut ſaltem quarta horæ parte, antequam in menſa ſit ſedendum, præparati omnes cibi eſſe debent.

3. Circa qualitatem & quantitatem, ordinem ab Abbate præſcriptum ſequatur.

4. Coquere, aut aliud quidpiam pro aliquo particulari parare, Infirmario tantum excepto, neminem ſinat; neque ipſe faciet ſine Abbatis facultate.

5. Scriptum in codice habeat Catalogum rerum, quarum eſt uſus in coquina, quas ipſe ſervare debet.

6. Diligentiam in rebus, quas conſumit, adhibebit, ne quid non neceſſarium inſumatur contra paupertatem religioſam.

7. Si quem adjutorem haberet, ſatagat, ut cum verbo & exemplo ædificet, præſertim Novitios.

CAP. XX.

De Hebdomadario Chori & Menſæ.

1. Præfectus Eccleſiæ ſingulis hebdomadis duos Catalogos faciet, quorum primo per turnum Sacerdotum notetur Hebdomadarius Chori, altero per turnum Monachorum omnium, qui legere norunt, notetur Hebdomadarius Menſæ.

2. Officium Hebdomadarii Chori eſt, Divinum Officium & Miſſam cantare. Officium autem Hebdomadarii Menſæ eſt libros ad menſam legere: Ab utroque officio eximitur Abbas Monaſterii.

3. Hebdomadarius Chori primus ingrediatur Chorum, & ultimus inde exeat; Curetque, ne in Officio Divino tam in Choro quam ad Altare errores aliquos admittat, sed antea prævideat omnia officia, orationes, lectiones, & his similia; nec memoriæ suæ confidat, sed omnia ex codice, quoad fieri poterit, recitet. In dextera Chori parte Abbas ejusque Vicarius præsidebit, in sinistra Hebdomadarius, qui præsente Abbate neque officium inchoabit, neque absolutionem dicet, eo autem absente totum officium inchoabit & terminabit, etiam præsente Abbatis Vicario.

4. Hebdomadarius mensæ libros pro lectione ante mensam apertos habeat; & quando leget, attendat, in quo emenderur ab Abbate aut Vicario: & emendatus, assurgat cum humilitate, & repetat, prout emendatus fuerit. Ad signum Abbatis aut Vicarii finiet lectionem. Libri autem, qui legentur sunt: Sacra Scriptura, Vitæ Sanctorum, Historia Ecclesiastica, & opera ascetica, quæ ab Abbate assignari debent, servato ordine, ut primum legantur aliquot versiculi ex Scriptura, deinde succedat lectio ex Vitis Sanctorum, aut ex Historia Ecclesiastica, & concludatur lectione alicujus tractatus ascetici.

PARS QUARTA.

CAP. I.

De Congregatione Generali.

1. Congregatio Generalis de triennio in triennium celebretur: nisi forte ob aliquam urgentem necessitatem esset anticipandum tempus, aut prorogandum ex decreto Congregationis Hegumenorum, quod debet opportune toti Ordini significari. Casus autem, ob quos Congregatio Generalis prorogari vel anticipari potest, sunt: Primò, mors Abbatis Generalis, aut ejus ad altiorem dignitatem promotio, aut quando de ejusdem depositione, suspensione, vel publica reprehensione agendum sit, ut dictum est supra parte 3. cap 4. num. 2. Deinde publica rerum regionumque perturbatio ob pestem vel bellum, aut propter persecutionem infidelium, vel hæreticorum, & schismaticorum, aut communem totius Ordinis, vel principalium potiorumque Monasteriorum necessitatem, quæ judicio Congregationis Hegumenorum urgens visa fuerit; in quo nihilominus casu significandum id erit Abbatibus Monasteriorum.

Mortuo Abbate ad Hegumenos spectat Congregat. Generalis indictio.

2. Penes Abbatem Generalem est Congregationem indicere, eique præsidere usque ad successoris electionem. Si vero ipse mortuus fuerit, aut promotus, aut de ipsius causa consultandum sit; tunc ad Hegumenos spectabit illam indicere, eique præsidere usque ad novi Abbatis Generalis electionem, aut veteris probatam innocentiam: servata semper Vicarii Generalis inter Hegumenos præeminentia, ut dictum est alibi. Vivente tamen Abbate generali, etiam quando de ipsius causa agendum est, in literis, in quibus ab Hegumenis Congregatio indicetur, nomen ejusdem Abbatis præponatur nominibus Hegumenorum.

De indictione Congreg. Gener.

3. Duobus saltem mensibus ante diem, quo celebranda erit Congregatio, indicatur per encyclias epistolas, ab Abbate generali & Hegumenis subscriptas, & ad omnia nostri Ordinis Monasteria missas. Si quod vero Monasterium longius distet, tot mensibus ante indicenda erit, quot sufficere videbuntur judicio Hegumenorum. Dies autem, Congregationi celebrandæ destinari solita, est Decima Novembris, qua Ordinis nostri Congregatio instituta fuit.

4. Ad Congregationem generalem vocandi erunt, eique interesse, & in ea vocem habere poterunt, præter Abbatem Generalem & quatuor Hegumenos eorumque Vicarios, (si qui antea electi fuerant) Abbates omnes tam Provinciarum quam Monasteriorum, & cum unoquoque Abbate Socius a Congregatione Monachorum illius Monasterii electus: Quotquot præterea officio Abbatis Generalis vel Hegumenorum functi sunt, modo non fuerint ob defectus aliquos depositi: Iis autem unumquodque Monasterium de necessario viatico providebit tam in eundo quam in redeundo: ob quem finem a primoribus tum Ecclesiasticis tum Sæcularibus illius Provinciæ, Abbates eleemosynam colligant, & eam secum deferant.

Qui sint vocandi ad Congregat.

5. Si quis Abbas, vel officio Abbatis Generalis aut Hegumeni defunctus, ob legitimum impedimentum, a Congregatione Monachorum probandum, per se ipsum adesse nequiverit, mittat Monachum idoneum, qui vices suas in Congregatione Generali suppleat, habeatque locum in Congregatione tamquam absentis Procurator. Qui verò propter contumaciam vel inanes causas adesse neglexerit, cognita & declarata ejus causa in Congregatione generali, excommunicetur, & Monachi ab ejus obedientia absolvantur. Socii autem Abbatum, qui in Congregatione Monachorum electi fuerint, neminem possunt sibi substituere, nec suæ electioni renunciare.

Legitime impediti alium sua vice mittant.

6. Nemo in Congregatione generali vocem habeat, nisi sex annos in Ordine compleverit, inchoando ab annis probationis, & nisi triginta annos ætatis saltem inchoatos habeat. Item nemo in Monasterium, ad celebrandam Congregationem destinatum, intret, nisi tribus diebus, antequam inchoanda sit Congregatio: Exceptis iis, qui ex longinqua regione per mare veniunt. Qui ad Congregationem venerint sine licentia, per totum tempus, quo Congregatio durabit, detineantur in loco pœnitentiæ: Congregatione autem terminata decernat de eis Congregatio Hegumenorum. Si quis vero querelas habeat ad Congregationem deferendas, mittat eas cum Abbate vel ejus Socio, propria manu suscriptas.

Qui vocem in Congregation. habere nequeant.

7. Unusquisque Abbas ad Congregationem veniens, aut Vicarium suum mittens, debet afferre secum, vel cum Vicario mittere: I. Sigillum Monasterii: II. Catalogum, in quo descriptus sit numerus Monachorum vivorum, & quot defuncti sunt post ultimam Congregationem, & quot recepti: III. Rationem dati & accepti toto regiminis sui tempore. Socius vero Abbatis debet secum afferre: I. Literas Monachorum de sua deputatione: II. Querelas eorumdem, si quæ erunt.

Quæ ab Abbatibus afferenda sint.

8. Abbas Generalis, vel, eo absente, Hegumeni, opportuno tempore provideant de rebus ad celebrandam Congregationem necessariis. Quare I. Abbatem Monasterii, in quo Congregatio celebranda est, vel eo absente Monachum alium constituant, qui Oeconomi Congregationis Generalis nomen gerat; curetque, ut locus Congregationi opportunus præparetur, utque adsint victualia, lecti, & quæcumque ad receptionem Monachorum hospitum necessaria sunt. II. Deputent duos saltem Confessarios cum facultatibus opportunis, necnon unum Scribam Congregationis, qui suffragia notabit, & literas ad Congregationem directas coram omnibus leget; Unum præterea Ædituum, qui curam habebit sacelli, ubi Congregatio fiet, & unum Janitorem, qui portas Congregationis observabit. Hi vero omnes, præter Abbatem supradictum, ideſt, Confessarii, Scriba, Ædituus & Janitor, debent esse ex eorum numero, qui suffragia non habent in

De Oeconomo Congregat. Gen.

Cæterisque Ministris.

Congre-

Congregatione. Reliqua autem Cœnobii ministeria tam in Ecclesia quam in Choro & Refectorio per ejusdem Cœnobii Monachos diligenter obeantur, ne Congregationis prætextu quidquam ex regulari disciplina omittatur.

De suffragiorum Cognitoribus.

9. Cum dies assignata advenerit, non obstante cujuscumque absentia, Congregatio incipiatur. Cognitores autem suffragiorum sunt: I. Abbas Generalis: II. Quatuor Hegumeni: III. Duo ex Monachis Congregationis a communitate Vocalium electi, in quorum tamen electione neque Abbas generalis, neque Hegumeni vocem habebunt.

De tempore durationis Congr. Gen.

10. Congregatio Generalis per septem dies durabit. Singulis autem diebus post cantata Divina Officia, & celebratam sacram Liturgiam, scrutinium fiet, cui præmittitur sermo parenecticus ab Abbate Generali, aut alio quopiam ad conventum Monachorum per semihoram.

Quid eo agendum sit tempore.

11. In primo triduo, Ordinis statum examinent; sedulo que explorent, si quid supplendum aut resecandum sit; Singulisque permittitur, quodcumque apud se statuerint, suggerere Abbati generali, aut Hegumenis, qui Monachorum suggestiones in commentarium relatas coram Congregatione recitabunt. Interim Hegumeni jussu Abbatis generalis a Monasteriorum Abbatibus statum & rationes exigant singulorum Monasteriorum: easque, in Tabularium totius Ordinis referendas, eidem Generali Abbati exhibeant. Quarta die proceditur ad electionem Abbatis generalis & Hegumenorum, ut infra; Si autem non ob electionem Superiorum, sed ob aliam causam coacta fuerit Congregatio, de illa tractabitur. Tribus postremis diebus Monachorum causæ finiantur, eorumque postulatis satisfiat: & si quid contra Regulam, Constitutiones, vel consuetudines Ordinis peccatum est, corrigatur.

12. Septimo die, postquam Congregatio terminata est, dato signo a Generali Abbate, aperiatur porta, itaut etiam non vocales adesse possint, & audire. Tum a Scriba Congregationis legatur: I. Tabula novorum Officialium, a tota Congregatione sive ab Abbate Generali & Hegumenis electorum: necnon Monachorum ad Monasteria, quæ idem Abbas generalis designaverit, mittendorum. II. Constitutiones, si quæ fuerint a Congregatione sancitæ. III. Recitentur nomina Monachorum omnium ab ultima Congregatione defunctorum, ut pro iis omnibus una Missa solemnis celebretur. IV. Recenseantur etiam nomina insigniorum Benefactorum, simulque omnes moneantur, ut pro iis Sacerdotes quidem unam Missam celebrent, Laici vero dicant quinquaginta Pater noster & Ave Maria. V. Abbas generalis faciat absolutionem generalem: & sic Congregationem dimittat.

13. Dimissa Congregatione Generali, una cum Hegumenis faciat Congregationem Hegumenorum; & primo quidem eligantur Abbates Provinciarum, & Monasteriorum, singulisque Patentes literæ tradantur, ut ad officia sua abeant.

14. Forma literarum Congregationis Monachorum, cum mittunt ad Congregationem Generalem unà cum Abbate Monasterii, seu Provinciæ, Socium ab ipsis electum.

Reverendissimi PP. Notum facimus vobis, Congregationem nostram, habitam in Monasterio N. die N. mense N. anno N. communi consilio elegisse Reverendissimum Patrem N., ut nomine totius Monasterii vel Provinciæ, una cum nostro Abbate ad Congregationem Generalem accedat. Quo circa tradimus ei potestatem agendi pro Nobis in Congregatione Generali omnia & singula, quæ facere possemus, si præsentes essemus, ratum gratumque habituri, quidquid in eadem Congregatione factum fuerit. Datum in Monasterio N. anno N. mense N. Sigillum ✠ Monasterii. Et subscribent omnes juxta ordinem suum.

15. Forma literarum Abbatis Provinciæ vel Monasterii, cum mittit Vicarium vel Procuratorem ad Congregationem Generalem.

Reverendissimi Patres. Notum facio vobis, me, ob causam N. impeditum, elegisse Reverendum Patrem N., ut tamquam meus Vicarius & Procurator ad Congregationem generalem accedat, eique sigillum & rationes officii mei tradidisse; necnon facultatem in Congregatione generali omnia & singula agendi, quæ ego facere possem, si præsens essem: ratum gratumque habiturus, quidquid in eadem Congregatione factum fuerit. Datum in Monasterio N. anno N. mense N. die N. Sigillum ✠ Officii N. Abbas Provinciæ vel Monasterii N.

CAP. II.

De Electione Abbatis Generalis, & Hegumenorum.

1. Ante electionem legantur Constitutiones de requisitis eligendorum, deque eorum officio.

Requisita, ut quis in Abb. Gen. aut Hegumenum eligi queat.

2. Nemo potest in Abbatem Generalem aut Hegumenum eligi, nisi compleverit annum ætatis trigesimum: & annum in nostro Ordine, octavum quidem Abbas generalis, sextum vero Hegumenus.

Forma electionis.

3. Electio nullo modo fiat per absentium, sed præsentium dumtaxat suffragia; eaque secreta sint, non publicatis eligentium nominibus.

4. In loco pro electione deputato Ædituus Aram maximam, ubi Venerabile Eucharistiæ Sacramentum in Ciborio conditum prostabit, solemniori, quam in primo triduo Congregationis, ritu instruat. Super Altari ante Ciborium alta Crux collocetur, sex hinc inde accensis candelis. A dextris Crucis Evangeliorum Codex pretioso velo coopertus: A sinistris vero Imago, sive Reliquiæ Sancti Patris nostri Antonii, & Codex Regulæ cum Constitutionibus: Infra Altare ad latus dexterum ponatur mensa, juxta quam assidebit Scriba seu Secretarius, qui, data servandi secreti fide, solus ex Patribus non vocalibus in Congregationem introducetur: Super mensam vas seu arcula collocetur, in quam ab Electoribus Schedulæ mittendæ erunt: Sic autem fabricetur, ut demissæ e superiori orificio Schedulæ dilabi aut extrahi nequeant, donec functione peracta, legitime a Cognitoribus suffragiorum referetur: Alterum præterea vas intra cancellos Altaris præparetur aqua oppletum, in quod Schedulæ prædictæ statim projiciantur.

5. Habeatur sermo parænetic us ad Electores per semihoram de eligendo digniori Abbate Generali, dignioribusque Hegumenis: deque votorum renovatione præmittenda ab omnibus.

6. Absoluta parænesi, Abbas Generalis, & quatuor Hegumeni hinc inde ad dexteram lævamque ipsius, ante partem mediam in genua procident: & pone hos Provinciarum Monasteriorumque Abbates: deinde reliqui Monachi secundum antiquitatem propriæ professionis: postremo Scriba seu Secretarius, & Ædituus, & ad portam Janitor.

7. Sequatur Votorum renovatio, Abbate generali & Hegumenis præeuntibus, deinde reliquis simul prosequentibus de verbo ad verbum & cum pausa, ut supra Part. 2. Cap. 11.

8. Abbas Generalis absoluta Votorum renovatione, Beatissimæ Virginis Mariæ Litanias cum cantu inchoabit: quibus finitis, Fratres admonea, ut præmisso contritionis actu intentionem pariter rectam habere studeant, simulque omnes

dominicam orationem recitent, & Sanctiſſimæ Trinitatis opem, necnon Deiparæ, & Sancti Antonii interceſſionem implorent. Mox aſſurgit ipſe, & Fratribus in genua adhuc provolutis generalem abſolutionem pronunciat: Poſt univerſi e Templo egreſſi, ad ferenda ſuffragia accedant, ſi alibi electio facienda eſt; Si verò in eodem Templo, Ædituo foras egreſſo, porta clauditur, quam Janitor ab exteriori parte obſervabit.

De reſignatione Officiorum.

9. Antequam ad novi Abbatis Generalis electionem procedatur, debet is, cujus officium expirat, ſigillum & officium in manibus Hegumenorum reſignare ac deponere, in hæc verba:

Reverendi Patres; In manibus veſtris reſigno ac depono officium Abbatis generalis, quod mihi indigno Congregatio generalis commiſit; ſimulque veniam peto de omnibus culpis, a me in eo commiſſis.

Hoc idem facere debet unuſquiſque Hegumenus coram electo Abbate generali, cum ad ſucceſſoris ſui electionem procedendum eſt, dicens:

Reverendiſſime Pater; In manibus veſtris reſigno ac depono officium Hegumeni, quod mihi indigno commiſſum eſt, ſimulque veniam peto de omnibus culpis, a me in eo commiſſis.

Facta tamen reſignatione, in ſuo loco & ordine tamdiu ſtabit, donec ſucceſſor declaretur.

Si per obitum, aut promotionem Abbatis generalis, aut aliquod legitimum ejus impedimentum, electus fuerit Vicarius generalis, hic etiam ante electionem novi Abbatis generalis reſignabit officium in hæc verba:

Rev. Patres; In manibus veſtris reſigno & depono officium Vicarii Generalis, quod mihi indigno commiſſum eſt &c. Idem dicendum de Vicario Hegumeni.

Suffragiorum ordo.

10. Suffragiorum ordo eſt: Primus Abbas generalis, ad menſam accedens, ſuum ſuffragium in ſchedula ſcribat, nomine tantum electi expreſſo, hoc modo: Eligo Reverendum Patrem N. in Abbatem generalem noſtri Ordinis. Tum ſchedulam propriis manibus complicet, atque in præparatam arcam injiciat. Sequantur ordinatim ſinguli Hegumeni: poſtea Abbates Provinciarum & Monaſteriorum, poſtremo reliqui Patres Vocales, habita ſemper ratione antiquitatis profeſſionis.

Si quis Patrum indigeat opera ſcribæ, hic ſuggeſtum ab illo nomen ſcribat in ſchedula, eamque plicatam ipſi reddat, in prædictam arcam ab eodem propria manu ſtatim demittendam.

11. Poſt lata ſuffragia in locum ſuum unuſquiſque regrediatur; loca autem extra cancellos Altaris diſpoſita erunt. Tum vero Abbas generalis ſolus cum quatuor Hegumenis, & duobus, a Patrum cœtu ad cognoſcenda ſuffragia electis, Sanctuarium ingreſſus, ſchedulas ex arca extrahat, mox numeret; & ſi Patrum numerum ſuperent, aut minime æquent, electio non conſtabit, nec aperiendæ erunt ſchedulæ, ſed continuo in vas aqua oppletum immittantur, & nova electio fiat. Si verò ſuffragiorum numerus bene conſtet, tunc Abbas generalis ſingulas ſchedulas coram Hegumenis, & duobus ſuffragiorum Cognitoribus aperiat, nomenque electi altiori voce pronunciet, ut Monachi in Templo ſtantes audiant, & illud a Secretario in charta notetur.

12. Si pars ſuffragiorum ſupra dimidium Vocalium major convenire in electione reperiatur, ea cenſetur facta; Sin autem in duas perſonas ſuffragia dividantur, his a ferendo ſuffragio excluſis, iteretur ſcrutinium. Si rurſus æqualis pro utroque ſuffragiorum numerus conſtiterit, præferendus prior tempore profeſſionis; Sin autem profeſſionis tempore æquales fuerint, ætas attendenda, & ſenior juniori præeligatur.

De Scrutinio.

13. Si vero ſuffragia in diverſas perſonas diſtrahantur, itaut in neminem major Congregationis pars conveniat, ſecundo ac tertio ſcrutinium repetatur. Quod ſi etiam tunc nemo habeat majorem ſuffragiorum partem, contingat autem duos vel tres habere plura ſuffragia, ita ut ſinguli quartam ſaltem partem ſuffragiorum obtineant, per Abbatem generalem promulgentur his verbis.

Reverendus Pater NN. & Rev. Pater NN. habent plura ſuffragia, quam reliqui;

Ex his igitur poteſtis unum eligere in Abbatem generalem totius Ordinis.

Tum illis, qui nominati ſunt, excluſis, Vocales reliqui ad electionem modo ſupradicto procedant, unum ex nominatis eligentes, in quem major pars ſuffragiorum convenerit.

14. Finito Scrutinio, electus Abbas Generalis promulgetur a ſuo Prædeceſſore, vel ſi ipſe in officio confirmatus fuerit, a primo Hegumenorum, his verbis:

Publicatio Electi.

Reverendi Patres: Facta ſuffragiorum collatione, invenimus, majorem partem Congregationis noſtræ convenire in electione Rev. Patris NN. Ideo nomine totius Congregationis noſtræ, & poteſtate per vos omnes mihi conceſſa, pronuncio & declaro Rev. Patrem NN. electum fuiſſe, & eſſe noſtrum omnium totiuſque Ordinis Noſtri Abbatem Generalem.

15. Facta electionis proclamatione, primus Hegumenus, aut dignior inter Vocales, intonat Pſalmum xix. reliquis alternatim proſequentibus: Exaudiat te Dominus in die tribulationis: Protegat te nomen Dei Jacob &c.

De ſequentibus electionem.

Interea Hegumeni ducunt Electum ad ſedem, ad cornu ſiniſtrum Altaris paratam, qui oſculatur primum Altare, deinde ſedet. Tum a digniori traditur ei liber Regulæ & Conſtitutionum, ac ſigillum officii: qui, retinens ſigillum, tradit uni ex Vocalibus, ut legat Caput III. Partis III., quod eſt de præeminentia & officio Abbatis Generalis. Interim Fratres ſinguli juxta ordinem ſuum, ad eum accedentes, genibus flexis manus ejus oſculantur. Ipſe vero tamdiu in loco ſuo ſedebit, donec Hegumeni quatuor eligantur: nec e ſede ſua recedit, niſi cum ſuffragium proprium ſcripturus eſt, & in arcam miſſurus, & ſuffragia Monachorum, ut ſupra, cogniturus, electumque proclamaturus: quo ſtatim proclamato ad ſedem ſuam redibit.

16. Si Electus abſens fuerit, poſtquam proclamata eſt illius electio, cantatur Pſalmus xix. ut ſupra; Quo finito, ſtatim proceditur ad electionem Hegumenorum, quorum primus vices Abbatis generalis geret, donec Abbas ipſe Generalis aderit. Quod ſi adeſſe poſſit, antequam Congregatio generalis abſolvatur, tunc enthroniſmus ejus modo ſupradicto fiat.

Electi offic. nequeant recuſare.

17. Neque Abbati generali, neque Hegumenis fas eſt electionem ſuam recuſare, aut officium abdicare. Si vero contigerit eos, ex legitima cauſa ab officii executione impediri, in Congregatione Hegumenorum poteſt Vicarius eis ſubſtitui, ut dictum eſt Part. 3. Cap. 4.

De electione Hegumenorum.

18. Abſoluta Abbatis generalis electione, continuo ad electionem quatuor Hegumenorum juxta prædictum ordinem procedent, etiamſi electus Generalis abſens fuerit.

Primum Hegumenus in manibus Abbatis generalis, vel, eo abſente, in manibus dignioris ex Vocalibus, reſignet ſigillum & officium, ut ſupra; Mox ſuffragia feruntur, & ſi duo vel tres plura ſuffragia habere reperiuntur, itaut quartam ſaltem partem ſinguli obtineant, Abbas generalis, recens electus, vel, eo abſente, dignior ex Vocalibus (excluſis iis, qui nominantur) dicat ad cœtum Monachorum:

RR. PP. NN. & NN. habent plura ſuffragia, quam reliqui; Ex his igitur poteſtis eligere unum in Hegumenum.

Finito

Finito ſcrutinio, electus Hegumenus promulgatur ab Abbate generali, aut eo abſente, a digniori ex Vocalibus, in hæc verba:

Reverendi Patres; Facta ſuffragiorum collatione, invenimus majorem partem Congregationis noſtræ convenire in electione Rev. Patris N. Ideo nomine totius Congregationis noſtræ, & poteſtate a vobis mihi conceſſa, pronuncio & declaro Rev. Patrem N. electum fuiſſe, & eſſe Hegumenum.

Addat in fine primum, ſecundum, tertium, vel quartum, juxta uniuſcujuſque Hegumeni locum.

Hegumenus electus Abbati Generali genuflectat, ejuſque manum deoſculatus, ad dexteram ipſius vel ſiniſtram juxta ordinem ſuum ſtabit. Abbas vero generalis illum ad oſculum admittet, eique ſigillum officii tradet. Tum Fratres juxta ordinem ſuum, facta prius Altari, deinde Abbati Generali & Hegumenis antea electis, aut in officio confirmatis, reverentia, coram Hegumeno recens electo genuflectentes, manum ejus oſculantur. Hegumeni vero antea, ut ſupra, electi, collegam ſuum poſt ipſos electum ad pacis oſculum admittant. Si Hegumenus Sacerdos non fuerit, ſola pacis apprecatione, omiſſa genuflexione, honorabitur.

19. Penes Congregationem generalem eſt, Abbatem generalem confirmare, vel novum eligere: Hegumenorum pariter poteſtatem prorogare aut abrogare, ſive quoſdam confirmare, & alios de novo eligere. Nam, omnes ſimul eodemque tempore mutare, minus expedire videtur: ut nimirum novus Hegumenus a veterano rudimenta novi officii capiat. Si vero attentis circumſtantiis, ſecus agendum Electoribus in Domino viſum fuerit, ad omnium etiam Hegumenorum depoſitionem tuto procedent.

20. Secretarius Congregationis tam Generalis Abbatis quam Hegumenorum electionem in Acta referat, quæ, ſubſcriptionibus omnium Vocalium firmata, in Archivio aſſerventur.

Abſoluta quatuor Hegumenorum electione, Divinæ Majeſtati gratiæ agendæ ſunt. Quo circa Abbas generalis cum Hegumenis & omnibus Patribus Vocalibus ante portam mediam Altaris procidat in genua, primus ipſe, deinde quatuor Hegumeni, mox reliqui juxta ordinem ſuum. Tum incipiat Pſalmum 148. reliquis hunc & duos ſequentes Pſalmos alternatim canentibus.

Laudate Dominum de Cœlis: laudate eum in excelſis &c.

Quibus finitis, aſſurgens Abbas Generalis, ſtanſque in porta media, converſus ad Altare Fratribus genuflexis, ſequentem Precationem recitabit:

Gratias agimus tibi Deus noſter, Trinitas Sanctiſſima, Pater, & Fili, & Spiritus Sancte; Quoniam, ſicut ad tuum nos peculiarem famulatum aſſumpſiſti, atque in ſanctis Tabernaculis tuis collocaſti, fratreſque in ſpiritu conjunctos effeciſti, & conſtituiſti in Monte Sion, qui eſt religioſus ſtatus, ponens pacem fines ſuos, muroque circumdatus obedientiæ caſtitatis & voluntariæ paupertatis, quo ſpectaculum fieremus Angelis & hominibus: ita hodie Gratia tua innovaſti vinculum, quo jungimur dilectioni tuæ, noſque in hierarchias & choros in ſimilitudinem Angelorum diſtinxiſti ad officia miniſterii tui in Paradiſo domus tuæ, quem plantaſti nobis, & in quo nos collocaſti, ut ex eodem fructus vitæ perfectæ colligeres, noſque illum operaremur, beneplacitum tuum perficentes, & divinæ Voluntati tuæ obſequentes; & nunc Domine Deus tuere nos, & cuſtodi vineam iſtam, quam plantaſti dextera tua, & domum tuam ædifica, quam virtute tua fundaſti: quia niſi tu Domine ædificaveris Domum, fruſtra vigilant, qui cuſtodiunt eam. Da Domine aſſiſtricem ſedium tuarum Sapientiam iis, quos ad miniſterium Domus tuæ elegiſti. Benefac nobis, & corda noſtra ſanctifica, menteſque noſtras in obſequio confirma: intercedentibus Sancta Dei Genitrice Virgine Maria, & Beatiſſimo Patre noſtro Sancto Antonio Magno, & omnibus Sanctis.

Fratres: Amen.

Deinde Abbas Generalis, facta Altari reverentia, ad eos adhuc genuflexos converſus, facit abſolutionem generalem in hæc verba:

Deus miſereatur veſtri, & dimittat debita veſtra, & tribuat vobis abſolutionem & remiſſionem omnium peccatorum veſtrorum in Nomine ✠ Patris & ✠ Filii & ✠ Spiritus Sancti.

Fratres: Amen. Et ſurgant, ejuſque manum ordinatim oſculantur: & ad ſuas ſinguli Cellas ſecedunt.

CAP. III.

De Congregatione Hegumenorum, & electione Abbatum Provinciæ, vel Monaſterii.

Tempus Congregat. Hegumenorum:

1. Congregatio Hegumenorum de ſemeſtri in ſemeſtrem ab Abbate generali, & quatuor Hegumenis celebretur, & quoties de rebus agendum eſt aut valde urgentibus, aut poteſtatem ejuſdem Congregationis exigentibus.

A quo indicenda:

2. Penes Abbatem Generalem eſt, illam indicere, eique præſidere. Si vero ipſe mortuus fuerit, aut promotus, aut de ipſius cauſa & reatu conſultandum ſit, tunc ad omnes ſimul Hegumenos ſpectabit illam indicere, & prior in Ordine præſidebit, tamquam Vicarius Abbatis Generalis, ut ſupra dictum eſt.

Quoto tempore durare debeat.

3. Per ſeptem dies ea durabit, ſingulis autem diebus, præmiſſa Oratione Dominica, & Litaniis Beatiſſimæ Virginis coram Altari ab Ædituo parato, Janitore portam obſervante, & Secretario ad menſam aſſidente, necnon duobus Monachis ſuffragiorum cognitoribus, ſuffragia ferent, ut ſupra dictum eſt de Congregatione generali. Porro Secretarius, Ædituus, Janitor, & duo Suffragiorum Cognitores, ab Abbate generali & Hegumenis præeligendi ſunt. Antequam vero prima Congregatio inchoetur, ſermo paræneticus fiat ab idoneo Monacho, quem Abbas Generalis deſignaverit.

De electione Abb. Provinc. & Monaſterio.

4. Si poſt Congregationem Generalem eligendi ſint Abbates Provinciarum, & Monaſteriorum: primo Congregationis die, ſedentibus in ordine ſuo Abbate generali & Hegumenis, accedunt Abbates, quorum officium expirat, vel eorum Vicarii, unus poſt alium, & genuflexi ſigillum & officium in manibus Abbatis Generalis & Hegumenorum reſignant & deponunt, in hæc verba:

Reverendiſſimi PP. In manibus veſtris reſigno & depono officium Abbatis Provinciæ N. vel Monaſterii N. quod mihi indigno commiſſum fuit, ſimulque veniam peto de omnibus culpis, a me in eo commiſſis.

Si Vicarius fuerit, aut Procurator, dicat:

Reverendiſſimi Patres; Nomine ac vice R. Patris N. in manibus veſtris reſigno & depono officium Abbatis Provinciæ N., vel Monaſterii N. quod ipſi commiſſum fuit, ſimulque veniam peto de omnibus culpis, ab ipſo in eodem officio commiſſis.

Facta reſignatione, unuſquiſque extra Congregationem recedet; & clauſo oſtio, legat Secretarius coram Abbate Generali & Hegumenis exceſſus vel defectus, ſi quos dicti Abbates in ſuo officio commiſerint; oblatas adverſus eos Subditorum Monachorum accuſationes, & ſimilia, quæ in ultimo triduo Congregationis Generalis examinata ſunt, & in Acta relata, ut

Cap. 1. hujus partis num. 11. dictum est. Mox Generalis & Hegumeni de iis deliberent; & si quid in Regulam, Constitutiones, consuetudines, vel Monachos peccasse deprehensi fuerint, vocentur sigillatim, introducantur ad Congregationem, ibique reprehendantur, & digna malefactis pœnitentia mulctentur: aliàs omnes simul introducantur, & genuflexi benedicantur ab Abbate generali, & absolvantur, iis verbis:

Deus misereatur vestri &c. ut Cap. superiori circa finem.

Tum extra Congregationem dimittantur, & Abbas generalis cum Hegumenis per suffragia secreta eligat Abbates Provinciarum & Monasteriorum eodem modo, quo supra de electione Generalis & Hegumenorum dictum est.

Suffragium in schedula scribatur sic: Eligo Rev. Patrem N. in Abbatem Provinciæ N. vel Monasterii N.

De extrahendis suffragiis. Extrahuntur autem suffragia a duobus Monachis eorum cognitoribus, & scribuntur in carta a Secretario; Et unus ex illis duobus, professione antiquior, nomen electi altiori voce pronunciat, ut Generalis & Hegumeni audiant: & qui plura suffragia habuerit, ille Abbas erit, quem proinde Generalis proclamabit in hæc verba:

Nomine Congregationis nostræ pronuncio & declaro Rev. Patrem N. Abbatem Provinciæ, vel Monasterii N.

Finito scrutinio omnes electi Abbates, qui in eo Monasterio præsentes fuerint, vocantur a Congregatione; & cum introducti fuerint, genua flectunt coram Abbate Generali & Hegumenis, manumque eorum deosculantur, & invicem ab his ad osculum pacis admittuntur. Abbas autem Generalis tradat unicuique eorum sigillum officii sui, deinde omnibus præter Hegumenos genuflexis impertitur benedictionem, dicens:

Benedicat vos Omnipotens Deus Pater ✠ & Filius ✠ & Spiritus ✠ Sanctus.

Fratres: Amen; Et procedunt unusquisque ad Cellam suam.

Abbas Generalis & Hegumeni tradunt singulis patentes literas tenoris sequentis:

Venerabilibus Fratribus Ordinis S. Patris nostri Antonii, Congregationis de Monte Libano, Provinciæ N. vel Monasterii N. salutem in Domino, & benedictionem.

Notum facimus vobis, Fratres, Congregationem Hegumenorum, habitam die N. mense N. anno N. communi consilio elegisse Reverendum Patrem N. in Abbatem vestrum proprium & peculiarem, qui carne & spiritu vos gubernet juxta nostras consuetudines, Constitutiones & Regulam. Quo circa mandamus vobis in virtute sanctæ obedientiæ, ut eidem secundum nostræ Libaniticæ Congregationis Regulam pareatis, eumque Abbatem seu Patrem nostrum appelletis, ipsique veluti legitimo Præposito vestro debitam obedientiam, honorem, atque reverentiam exhibeatis. Si quis illi subesse noluerit, noverit se suorum votorum transgressorem fore. Benedictio sit super obedientes. Datum in Monasterio N. die N. mense N. anno N. Congregatio Hegumenorum. Sigillum ✠ Generalis & Hegumenorum.

Cum dictæ literæ ad Monasterium venerint, unus ex Fratribus, reliquis audientibus, in Ecclesia vel in Refectorio Abbate electo præsente, illas legat: finitaque lectione, continuo Abbati electo vel confirmato omnes genuflectant; Abbas vero iis benedicat, dicens: Benedicat vos Omnipotens Deus, Pater, & Filius ✠, & Spiritus Sanctus.

Et respondent: Amen; Et surgunt, ejusque manum osculantur. Abbas suæ electionis patentes literas apud se custodiat: cumque statuto tempore exauctoratus vel confirmatus fuerit, Abbati generali illas restituet. Secretarius autem Monasterii eas de verbo ad verbum describat, & in Archivio reponat. Sequentibus sex diebus in Congregatione Hegumenorum de rebus, ad universum Ordinem spectantibus, agetur.

5. Si vero Congregatio Hegumenorum non post Congregationem generalem, sed præstitutis temporibus suis fiat, primo die de gravioribus negotiis agendum erit, postmodum reliqua definiantur.

6. Terminata Congregatione, describi curent a Secretario Acta omnia, electiones Officialium, & Constitutiones, si quæ factæ fuerint, sigilloque, & propria Generalis atque Hegumenorum subscriptione firmentur, & in Archivio reponantur. Quæ vero Monachis significanda sunt, ea per encyclicas literas, a Generali & Hegumenis subscriptas, significentur. Exemplum autem literarum omnium, quæ nomine Congregationis hujus mittentur, a Secretario ejusdem Congregationis descriptum maneat in libro Registrorum, qui in Congregatione generali tradatur novo Abbati Generali & novis Hegumenis, in Archivio reponendus.

CAP. IV.

De Congregatione Provinciæ, & Monasteriorum.

Congr. Provinciæ quolibet anno cogenda. 1. Congregatio Provinciæ unoquoque anno per triduum celebretur ab Abbate Provinciæ, & Abbatibus Monasteriorum subjectorum: Congregatio vero Monasteriorum sit quolibet mense per unum diem ab Abbate Monasterii & Monachis omnibus professis. Primam autem indicet Abbas Provinciæ, alteram Abbas Monasterii; & illa quidem uno saltem mense ante constitutum diem significari debebit, hæc vero tribus ante diebus.

2. Quo mense facienda erit Congregatio Provinciæ, præmittenda est opportuno tempore Congregatio uniuscujusque Monasterii, ut in promptu habeat Abbas, si quid ad eam Congregationem referendum sit. Similiter quo anno celebrabitur Congregatio generalis, opportune præmittatur Congregatio Provinciæ.

Qui debeant interesse. 3. Congregationi Provinciæ præter Abbates Monasteriorum, intererit Socius Abbatis uniuscujusque Monasterii a Congregatione Monachorum eligendus. Ejus autem Electio fieri debet tribus saltem diebus, antequam ad Congregationem Provinciæ procedatur, ut sufficiens tempus habeat ad sumendum informationem de statu Monasterii, deque querelis, & causis Monachorum. Idem dicendum de Socio Abbatum ad Congregationem generalem discessum. Omnia autem, quæ Socius Congregationi Generali vel Provinciali, nomine Monachorum præsentabit, debent esse sub sigillo Monasterii clausa, & ab iis subscripta.

4. In utraque Congregatione idem ordo servetur, de quo supra in Congregatione Hegumenorum dictum est num. 3. & 6. Secretarius autem, Ædituus, & Janitor ab Abbate eligantur; duo vero suffragiorum Cognitores a Monachis, ad Congregationem convocatis.

De quibus agendum rebus. 5. Agendum porro erit: Primo de rebus spiritualibus ad profectum Monachorum spectantibus, inquirendumque in mores uniuscujusque, si quid contra Regulam, Constitutiones, & consuetudines peccetur: Secundo de regimine Superiorum & subjectorum obedientia: Tertio de temporalibus Monasteriorum rebus.

6. Abbate ad Congregationem generalem eunte, aut Vicarium mittente, adhuc celebretur Congregatio Monachorum de mense in mensem,

cui ipse Abbas vel ejus Vicarius præerit. Non tamen celebrari poterit Congregatio Provinciæ, nisi de anno in annum, & ipso Abbate præsente.

7. Si Abbas Monasterii decesserit, Vicarius mortem ejus tam Abbati Provinciæ quam Abbati Generali statim significabit; & interim Monasterium administrabit usque ad novi Abbatis electionem, & adventum. Quod si Vicarius in illo Monasterio non fuerit, tunc antiquior professione Vicarius erit, & inter æquales professione antiquior ætate præferatur, & Sacerdos non Sacerdoti. Mortuo autem Abbate Provinciæ, Abbas illius Monasterii, in quo residere solet, ad Abbatem Generalem literas scribat. Nemo tamen in ejus officio se immiscebit, donec Abbas Generalis in Congregatione Hegumenorum de Successore aut Vicario decreverit.

CAP. V.

De Congregatione Hebdomadali.

1. In qualibet hebdomada per omnia Monasteria feria sexta, aut alia die non impedita, debet fieri Congregatio omnium Monachorum.

2. Sedentibus omnibus, & Novitiis, si qui erunt, stantibus, Abbas seu Vicarius aliquid ex libris spiritualibus legat, vel legi faciat ad Monachos.

3. Deinde (Novitii foras dimissis) idem Abbas seu Vicarius faciat brevem exhortationem contra defectus in Monasterio occurrentes, nullam tamen personam nominando.

4. Absoluta exhortatione, Abbas stans, reliquis genuflexis, dicat:

Deus misereatur nostri, & dimittat debita nostra, & tribuat nobis absolutionem & veniam omnium peccatorum nostrorum, In Nomine Patris, & ✠ Filii, & Spiritus Sancti.

Fratres: Amen; Et surgunt, ejusque manum deosculantur, & ad suas unusquisque Cellas abeunt.

CAP. VI.

De Electione in communi.

Quibus non committenda officia.

1. Ab Electione tam activa quam passiva in quolibet officio Ordinis nostri, donec cum eo fuerit dispensatum, specialiter arcetur omnis excommunicatus, suspensus, interdictus, irregularis, non professus, & qui non subest nostræ Congregationi, etiamsi fuerit Monachus professus Ordinis S. Patris nostri Antonii: Item, qui ab Ordine nostro apostataverit, & qui ab illo ad alium Ordinem, etiam cum licentia Superiorum, transivit, nec postea ad nostrum rediit: Item, qui habet impedimentum naturale, ut fatuus, delirus, lunaticus: Item, qui est notorie infamis ob publicum delictum, ut est homicidium, fornicatio, furtum, perjurium, ebrietas: Item subornator, qui prece, pretio, minis, vel quocumque alio modo induxerit eos, qui in Electione vocem activam habent, ut se ipsum vel Monachum aliquem determinatum eligant, singulatim eum nominando: Item, qui per se ipsum vel alium procurat sibi dignitatem aliquam extra Ordinem: Item, qui publice & scandalose Romano Pontifici, aut Patriarchæ vel Ordinario loci detraxerit, aut eorum canonicas sanctiones contempserit. Denique, qui Monachum notorie indignum sciens & prudens aliquando elegerit.

In impedimentis a quibus petenda dispensatio.

2. In iis impedimentis, quæ ex Jure canonico proveniunt, dispensatio petenda est a legitimo Superiore; qualis est Sanctissimus Romanus Pontifex, Reverendissimus Dominus Patriarcha, & Ordinarius loci Episcopus, respective. In aliis vero, quæ ex nostris Constitutionibus inducuntur, Abbas Generalis dispensare poterit, vel eo absente Congregatio Generalis.

3. Nemo eliget, aut eligere poterit in Abbatem Generalem, aut Hegumenum, sive in Abbatem Provinciæ, aut Monasterii, nisi triginta annos saltem inchoatos ætatis habeat; & nisi sex annos in Congregatione nostra compleverit, includendo annos probationis.

4. In Congregationibus Hegumenorum Provinciæ & Monasterii ii tantum vocem activam habent, quorum mentio ibi fit. Vocem vero passivam in Congregatione generali & Hegumenorum habere possunt omnes Monachi professi; In Congregatione vero Provinciæ & Monasteriorum ii tantum Monachi, qui sunt illius Provinciæ & Monasterii.

5. Nemo potest habere plures voces activas, etiamsi habeat plura in Ordine officia; sed unusquisque unam tantum vocem habeat.

6. Omnis Electio fiat per suffragia secreta.

7. Ante Electionem legantur Constitutiones de officio eligendorum, & de electione.

8. Si suffragia fuerint æqualia, aut in diversas personas ita distrahantur, ut in nullum major pars conveniat, id fiat, quod supra Cap. 2. n. 12. & 13. dictum est.

CAP. VII.

De Visitatione.

1. Abbas Generalis semel saltem in triennio visitet omnia Monasteria Ordinis: & Abbas Provinciæ semel quolibet anno Monasteria sibi subjecta, ut dictum est Part. 3. Cap. 3. num. 3. & Cap. 5. n. 2.

Abbates legitimè impediti Vicarium Visitatorem debent eligere.

2. Si legitime fuerint impediti, substituent Vicarium Visitatorem, cui tempus & auctoritatem per suas literas definiant, eique Socium seu Secretarium adjungent. Nulli autem Vicario Visitatori credatur, nisi literas suæ delegationis antea exhibuerit coram Monachis, in Congregatione convocatis in eo Monasterio, quod visitandum erit; eam vero Monachorum Congregationem Abbas convocabit statim, atque ei exhibitæ fuerint literæ Abbatis Generalis, aut Hegumenorum, aut Abbatis Provinciæ. Si autem Abbas fuerit absens, aut obedire noluerit, tunc ipse Vicarius Visitator eam convocabit.

Forma literarum Vicarii Visitatoris.

Venerabilibus Fratribus Ordinis S. P. N. Antonii, Congregationis de Monte Libano, Provinciæ N., vel Monasterii N. salutem in Domino & benedictionem.

Notum facimus vobis, Fratres, nos elegisse Rev. Patrem N. in Vicarium nostrum, eique vices nostras commisisse, ut visitet vos & vestrum Monasterium in temporalibus & spiritualibus, & inquirat in omnia, ad vos dictumque Monasterium spectantia, juxta nostras consuetudines, Constitutiones, & Regulam, cum facultate decernendi, quæ decernenda esse, urgens necessitas compulerit, alia vero ad nos deferendi; Non tamen alium in locum suum substituendi; nec Visitationem in quolibet Monasterio ultra triduum prorogandi. Quocirca mandamus vobis in virtute sanctæ obedientiæ, ut Reverendissimum Patrem N. tamquam Vicarium Visitatorem a nobis deputatum recipiatis, eique debitam reverentiam & obedientiam juxta commissum ipsi officium exhibeatis. Si quis illi contradicere ausus fuerit, noverit, se suorum votorum transgressorem fore. Benedictio sit super obedientes. Datum in Monasterio N. die N. mense N. anno N.

Abbas Generalis, vel Hegumeni, vel Abbas Provinciæ N. Loco ✠ sigilli.

3. Lectis in Congregatione literis, statim omnes genuflectent, excepto Vicario Visitatore: deinde surgentes deducunt illum in Ecclesiam, a dextris Abbatis Monasterii procedentem.

Si Abbas Generalis, aut Abbas Provinciæ, personaliter ad visitandum Monasterium veniret,

convocata ab Abbate loci Monachorum Congregatione, significabit breviter, ut præparent se ad reddendam rationem, quam sequenti die exigere incipiet: Deinde procedet una cum Abbate Monasterii & Monachis ad Ecclesiam, ut supra.

Qua methodo facienda Visitatio.

4. Ante Aram maximam omnibus ordinatim genuflexis, Abbas, seu Vicarius Visitator, item genuflexus, ad portam mediam orabit aliquantulum: deinde intonabit Psalmum 148. *Laudate Dominum de Cœlis &c.* quem una cum duobus sequentibus Psalmis Monachi alternatim canent: & dicto *Gloria Patri*, surgit Abbas seu Vicarius Visitator, & facta ad Altare reverentia, conversus ad Monachos genuflexos facit absolutionem, dicens:

Deus misereatur vestri, & dimittat debita vestra, & tribuat vobis absolutionem & veniam omnium peccatorum vestrorum. In Nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus Sancti.

Fratres: Amen; Et surgunt, ejusque manum ordinatim osculantur: & abeunt in Cellas suas.

5. Visitator primum locum tenebit cum Socio suo, qui Secretarii munus geret, etiam ante Abbatem Monasterii. Cum autem officio suo functus fuerit, ipse & Socius locum juxta dignitatem suam, vel antiquitatem professionis habebit.

6. Primo Visitationis die, cantatis Divinis Officiis, ac terminata per Abbatem loci, aut ejus Vicarium, Sacra Liturgia, antequam detur a Celebrante benedictio, omnibus Monachis ordinatim genuflexis, Visitator diligenter visitabit totam Ecclesiam: ac primum Aram maximam, ubi repositum est Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum: deinde reliqua, si quæ erunt, Altaria; an omnia munda sint, & decenter ornata & composita; qua Visitatione absoluta, reversus ad portam mediam, & facta Altari reverentia, dat benedictionem, dicens:

Benedicat vos Omnipotens Deus, Pater ✠ & Filius ✠ & Spiritus ✠ Sanctus.

Fratres: Amen.

Visitator prosequitur hanc admonitionem: Auctoritate Dei, totiusque Ordinis nostri, præcipio vobis in virtute sanctæ obedientiæ, ut cum unusquisque vestrum de omnibus & singulis personis ac rebus, ad hoc Monasterium spectantibus, interrogatus fuerit, debeat secundum conscientiam pure & veraciter revelare, secluso omni odio, favore & affectu: nec ullus vestrum extra Monasterium discedere præsumat sine expressa nostra licentia.

Tum surgunt Fratres, & vadant in Cellas suas. Visitator, deposita stola, in Sacristiam vadit cum Socio, Abbate Monasterii, & Præfecto Ecclesiæ seu Sacristæ; eamque diligenter visitat, considerando, an munda & composita sint vasa Sacra, vestes, libri, & omnia utensilia.

Deinde procedit Visitator cum Socio, & Abbate loci ad Cellam ipsius Abbatis, qui: Primò offert Visitatori scripta nomina & officia singulorum Monachorum, & personarum, etiam sæcularium, qui Monasterio inserviunt: Secundò, Horum Regulæ & Constitutionum Ordinis: Tertiò, librum secretorum, quæ alii Visitatores ei Monasterio reliquerunt; Quartò, libros proventuum & expensarum Monasterii & Ecclesiæ. Quibus peractis Visitator ad Cellam sibi destinatam, per ipsum Abbatem loci, aut Monachum ab eo designatum, advocabit singulos Monachos, & inquisitionem inchoabit a Junioribus, & desinet in ipsum Abbatem, qui de singulis ipsi reddet rationem. Quæ autem a singulis Monachis referuntur, per Socium & Secretarium Visitationis in charta notabuntur, in quorum fine unusquisque nomen suum subscribat, vel, si scribere nescierit, ipse Secretarius ejus nomen subscribat de ipsius mandato.

7. Postridie Visitator cum Secretario lustrabit: Primò, Cellas omnium Fratrum: Secundò, alias Monasterii mansiones, ut Scholam, Bibliothecam, Hospitium, Infirmariam, Vestiariam, Cellarium, Coquinam, & Refectorium, præsentibus Abbate loci, eoque Monacho, qui Cellæ illius curam habebit.

8. Tertiò, & postremo die, convocata totius Monasterii Congregatione in locum ad id paratum, Visitator brevem adhortationem faciet ad procurandam Regulæ & Constitutionum observantiam, & legi faciat per Secretarium monita relicta Monasterio: moneatque omnes & singulos, ut se ad pœnitentiam negligentiarum faciendam disponant: Tum, genuflexis omnibus coram Visitatore, culpas suas dicant ordinatim, incipiendo ab Abbate loci usque ad Juniorem Monachum, & veniam petant a Visitatore, qui singulis cum discretione & charitate pœnam injungat salutarem; mox faciat absolutionem dicens:

Deus misereatur vestri &c. ut supra nu. 4. atque ita cum osculo pacis dimittat Congregationem.

9. Si ipse Generalis, aut Abbas Provinciæ, Visitationem facit, utatur auctoritate sua in correctione Abbatis & Monachorum.

Vicarii Visitatoris, quæ sint facultates.

Si vero fuerit Vicarius, ad substituentem omnia referat; Non tamen Abbatem loci deponere, aut ab officio suspendere poterit, nisi specialem facultatem habuerit a Congregatione Hegumenorum. Quod si necessitas requirat, ut Monachum de illo Monasterio in aliud transferat, id auctoritate sua facere poterit, si Generalis fuerit, aut Abbas Provinciæ.

Si vero delegatus fuerit, consentiente Abbate loci, in quo est, & Abbate Monasterii, ad quod transferendus est Monachus, id faciet; illis autem dissentientibus rem ad Delegantem referet.

10. Hæc fere sunt, de quibus Visitator inquirere debet:

De quibus Visitator debeat inquirere.

An singuli debitam Abbati obedientiam exhibeant;

An Abbas officio suo erga omnes æqualiter utatur;

An inter omnes & singulos pax & concordia servetur;

An sit aliquis proprietarius in Monasterio, vel scandalosus, ebriosus, otiosus, assuetus jurare, vel turpia loqui, notatus de suspecta familiaritate intra vel extra Monasterium, cum scandalo alium non alloquens, rixosus, contumeliosus;

An ab omnibus observetur Regula & Constitutiones quoad Divinum Officium, Confessionem, Communionem, Orationem mentalem, Jejunium, Refectorium, Silentium, aliaque Communitatis officia, & quomodo ritus & cœremoniæ Ecclesiasticæ observentur;

An aliquid desit, vel superfluum sit in victu, potu, vestitu; & quomodo tractentur ab Abbate tam Monachi sani quam infirmi, & hospites;

Quomodo Monachi Juniores instruantur: & qui sint mores sæcularium, qui sunt in Monasterio cœnobii.

11. Acta omnia a Secretario excepta, sigilloque munita, in Archivium Ordinis inferat; & si Vicarius sive Delegatus fuerit, ad Abbatem Generalem, vel Provinciæ referat.

12. Omnem operam adhibeat, ut pacem & concordiam in Monasterio relinquat.

PARS QUINTA.

CAP. I.

De Processu judiciali.

Cum Monachorum causæ a Superioribus eorum judicandæ sint, communis ordo judiciorum servetur.

1. Judex Secretarium præsentem habeat, ab ipso

aut

aut a majori Superiore eligendum, qui examini adsit, & dicta examinandorum excipiat, & sententiam scribat.

2. Judicium introducendum erit vel per accusationem, vel per denunciationem, vel per diffamationem.

In omnibus Judiciis examinandæ accusatoris qualitates.

Si per accusationem Processus inchoetur, certus esse debet accusator, & capita accusationis porrectæ sua manu subscribat. Ante omnia autem examinandus accusator: an sit integræ famæ: an moveatur aliquo odio, aut alio pravo affectu: an quæ proponit, habeant aliqua adminicula vel indicia veritatis, puta, quia accusatus aliàs in eodem genere peccati deliquerit, aut alio modo ejus fama & existimatio laboret. Hæc autem exactius observanda sunt, quando accusatio procedit contra Abbates; Isti enim falsis delationibus & querelis maxime obnoxii sunt; & rursus cum regiminis columina sint, non facile neque ex levibus delationibus in periculum existimationis & famæ vocandi sunt.

Si per denunciationem procedatur, denunciator similiter certus sit, & subscribere se debet denunciationis capitibus, sicut accusator; etsi ipse non teneatur processum prosequi, & objectæ probare.

Si autem per diffamationem procedatur, examinandum primo, an fama aut diffamatio a probis & honestis viris ortum habeat; eaque diffamatio non semel, sed sæpius ad aures Superiorum pervenerit.

De Testium examine.

3. Post accusationem seu denunciationem seu diffamationem, Judex ad Testium examinationem deveniat, a quibus exhibito de veritate dicenda juramento, vel facto iis de veritate dicenda in virtute Sanctæ Obedientiæ præcepto: Primò, si sint extranei, generaliter interrogabit super eorum qualitatibus: Deinde super prædictis capitibus accusationis; annotetque diem, mensem, ac annum, quo singuli Testes fuerint examinati, & quæcumque deposuerint: Demum curabit, ut iidem Testes manu propria subscribant suas depositiones; &, si ipsi literas ignorant apponant sua manu figuram Crucis, & alius ex ipsorum mandato subscribat eorumdem nomina, annotando se illorum jussu subscripsisse.

4. His peractis, Judex accusatum seu denunciatum vel diffamatum citabit, eumque examinabit super prædictis, non semel, sed bis vel ter, cum intervallo tamen, ut si contradictoria dixerit, possit ex sua confessione redargui; Et, si opus fuerit, ad reum convincendum, eumque ad veritatem dicendam inducendum, poterunt coram eo produci Testes, qui ipsum convincant.

Reo communicandæ Testium depositiones.

5. Finito examine, dandum erit ipsi reo exemplar depositionum Testium examinatorum sine eorum nominibus cum termino competenti ad faciendas suas defensiones; &, si delicta sibi objecta non diluat, eaque sint probata sufficienter vel per rei confessionem, aut per Testes reus fuerit convictus, poterit prævia citatione ad sententiam deveniri, & reus in pœna, ejus delicto debita, condemnari. Si vero diluerit legitime, erit absolvendus aut declarandus innocens. Si autem de ejus innocentia non plene constiterit, debet absolvi nihilominus, appositâ clausula, ex hactenus deductis, quia innocentia Rei non fuit plene probata.

6. Si Abbas Generalis aut Hegumeni, vel Abbas Provinciæ, commiserint alicui, ut causam examinet, & judicium ferat; is debet: Primò, terminos facultatis suæ non excedere, sed intra eos se continere; nimirum si examen tantum modo ipsi commissum fuerit, non debet sententiam ferre: Secundò, confectum ut supra processum judicialem, propriaque manu subscriptum, & sigillo Monasterii signatum, transmittat ad Superiorem.

7. Monachi omnes curare debent: Primò, ut delinquentem charitative moneant juxta sanctum Evangelium, antequam accusetur vel denuncietur: Secundò, ut quantum fieri potest, evitent formam judicii, multoque magis exceptiones, quæ dari solent, vel possunt contra solemnitatem juris in processu facto, & sententia lata; Nam Institutum Monasticum, quod assumpsere, docet eos, non contendere judicio, sed propriæ voluntati renunciare, pœnitentiam agere, & pro Domino pati.

8. Non debet in re levi, vel ex mera suspicione fieri accusatio aut denunciatio; sed in delicto gravi & certo vel quasi certo. Item ab accusatione excluduntur ebriosi, detractores, iracundi, aut similibus vitiis laborantes, qui prius frequenter moniti, emendati non fuerint: Et qui voce activa & passiva privati sunt, iidem non debent a Judice ad testimonium admitti, bene tamen ad informationem. Quando vero ex processu constiterit innocentia accusati, debet a Judice accusator in pœna talionis condemnari.

Voce activâ, & passiva privati in Testes non admittendi.

9. Si delictum, de quo quis accusatur aut denunciatur vel inquiratur, non fuerit publicum, curare debet Judex, ne illud evulget; sed secretum servet, quantum fieri potest.

10. Qui pœnitentiam sponte facere recusaverit, compelli poterit per censuras. Quod si istas proterve spreverit, acriora remedia adhibeantur; semper tamen habito respectu circumstantiæ loci, temporis, & personæ.

CAP. II.

De Culpis & Pœnis.

Cum Constitutiones nostri Ordinis non obligent ad culpam, nisi propter contemptum & scandalum; sed solum obligent ad pœnam transgressoribus infligendam, ideo dicendum nunc est de pœnis, quæ ad correptionem culparum imponuntur.

Lenitas à Superioribus adhibenda.

1. In primis Superiores intelligant, sibi cum Fratribus agendum in spiritu lenitatis; nec, nisi causa attente perspecta, ad acriora remedia esse progrediendum. Quare plerumque præmittenda erit admonitio charitativa seu per se seu per alios; itaut subditus doceatur emendationem delictorum a Superiore quæri, non delinquentium ruinam.

2. Intelligant pariter subditi, eadem pia animi præparatione sibi suscipienda esse ista charitatis remedia, cum qua a Superiore illa applicari justum est credere: cum magno scilicet desiderio proprii profectus & emendationis; Neque dandum locum Diabolo, suggerenti futiles querelas adversus Superiores; aut secum ipsis, aut, quod omnino cavendum est, cum aliis, præsertim externis, etiamsi contingat pœnitentias injungi insontibus ex falsa, ut aliquando accidere necesse est, delatione & errore.

3. Præterea Superiores frequenter recogitent, se de suis subditis rationem Deo reddituros; Ac proinde diligenter serioque caveant, ne ex propria indulgentia & remissione regularis disciplina laxetur: Dum nimirum subditi, impunitatem sibi ex Superioris conniventia pollicentes, quodlibet audere paulatim assuescant. Quamobrem caute circumspecteque attendant, ne quis contra Constitutiones abusus quovis prætextu inducatur; Noverintque ex parvis transgressionibus magnam quandoque ruinam disciplinæ regulari imminere; Idque si ipsorum vitio contingat, gravissimæ ipsos noxæ reos fore.

4. In pœnis injungendis Superiores hæc præcipue observent:

Primum, ut aucta gravitate culpæ ex gravitate circumstantiarum, pœna pariter augeatur. Et in iis quidem Monasteriis, in quibus est frequen-

tior

tior Monachorum numerus, ad mensam communem ex schedula, a Superiore vel ejus Vicario scribenda, legatur culpa & pœna, indicato etiam nomine delinquentis ad communem ædificationem; nisi forte ipse reus eodem in loco ex sua devotione velit se ipsum simili modo accusare. Quod etiam Superior, cum id expedire in Domino judicaverit, injungere poterit.

Secundum, ut pœna gravior & gravissima non, nisi cum maturiori consilio Patrum Seniorum, ab Abbate infligatur; eaque in scriptis, & postquam de culpa constiterit per confessionem rei, vel per competentia testimonia; &, si id rei gravitas exposcat, Abbatis etiam Generalis sententia rogetur.

Tertium, ut Fratribus provectæ ætatis quoad aliquas pœnas, ætati minime convenientes, Abbas ita dispenset, ut alias simul magis congruentes injungat. In graviori vero & gravissima culpa taxatam in Constitutionibus pœnam nullatenus mutet, nisi causa commutandi sit legitime probata coram Abbate Generali.

Quartum, ut Abbas, dum alicujus culpam redarguit, aut pœnam ei injungit, caveat summopere, ne id ex ira aut odio aut vehementi animi perturbatione faciat; multoque minus, ne injuriosis verbis, aut contumeliis, sive imprecationibus reum excipiat. Quod si id fecerit, a Seniore Monasterii moneatur semel, bis, & tertio. Sique emendatus non fuerit, ad Abbatem Generalem deferatur, qui ei debitam culpæ pœnam omnino injungat.

De contumacibus.

5. Si quis ex Fratribus injunctam sibi pœnitentiam ex protervia, aut alia animi perturbatione subire detrectaverit, in Cella includi reum jubeat Abbas; & postea mittat ad eum Seniores Patres, qui illum moneant ad pœnitentiam, & inducant ad obedientiam, quam si fecerit, bene erit; si autem adhuc in contumacia perseveraverit, triduo illum includi in Cella jubebit, & pane tantum & aqua vesci. Idque, cum culpa, ob quam pœna injungitur, non sit gravior aut gravissima; Nam in eo casu augenda erit pœnitentia juxta qualitatem delicti, quemadmodum infra dicetur Cap. 14. num 1.

6. Cum culpæ aliæ sint leves, aliæ graves, graviores & gravissimæ; debet Abbas pœnitentias juxta culparum qualitatem injungere, ut infra præscribitur. Pœnas vero commutare, & pro gravibus leves injungere, aut vice versa pro levibus graves imponere, non poterit, sine consilio & Congregatione Monachorum. Quæ autem hic taxatæ non sunt pœnæ, cum consilio eorumdem Monachorum in Domino taxabit.

CAP. III.

De levi Culpa & Pœna.

Levium Culparum non est numerus; Ex his autem, quæ hic apponuntur, de cæteris judicari pronum erit.

Culpa levis, quæ sit.

Levis culpa est: Primo, si quis ad inchoationem Officii, vel Congregationis, vel Collationis spiritualis non adfuerit.

2. Si quis aliquid dixerit vel fecerit, unde Fratres offendantur.

3. Si quis quidpiam utensilium ex desidia fregerit, aut perdiderit, vel cibi potusve aliquid effuderit.

4. Si quis communi Refectioni non interfuerit.

5. Si quis constitutis horis Silentium fregerit.

6. Si quis pro victu, aut vestimentis, vel alia re murmuraverit.

7. Si quis eorum, qui communibus officiis deputati sunt, munus suum in re aliqua neglexerit.

8. Si quis potum vel cibum sine licentia sumpserit.

9. Si officio in tabula assignato defuerit.

10. Si quis in cæremoniis Missæ, Divinorumque Officiorum, minus decenter se gesserit, aut aliquid omiserit, vel de suo addiderit.

11. Si quis oculos vagos ad vanitatem direxerit.

12. Si quis strepitum in Cella vel Monasterio aut Ecclesia, sonitumque fecerit. Quicumque in præfatos & similes defectus inciderit, & de illis proclamatus fuerit, vel ipse se sponte proclamaverit, vel aliunde hoc ipsum constiterit: Abbas injungat peccanti unum Psalmum, vel aliquot orationes Dominicas, vel Psalmos, seu genuflexiones in Refectorio aut in Ecclesia juxta modum, quo excessit, & qualitatem Personæ.

Quæ pœna injungenda.

CAP. IV.

De gravi Culpa, & Pœna.

Gravem Culpam censemus: Primo, si quis Frater cum Fratre, vel externo, intus vel foris rixas habuerit. Si quis Fratri vel Sæculari contumeliam dixerit, vel minas & maledicta in eosdem protulerit.

Quæ sint culpæ graves.

2. Si quis inter Fratres discordiam, dicta unius alteri referendo, vel alio modo seminaverit.

3. Si quis jurare, mentiri, turpia vel scurrilia dicere, ad risum alios ineptis garritionibus provocare, silentium frangere cum offensione præsertim fraterna, in consuetudinem duxerit.

4. Si quis cum fœminis aut pueris colloquendo, attentis circumstantiis loci, temporis, & personarum, suspicionem aliquam vitii ingesserit, aut ingerere potuisse jure præsumptus fuerit.

5. Si quis dormierit sine Tunica & Cucullo.

6. Si quis exiverit sine Socio assignato, aut illum mutaverit, aut extra Monasterium reliquerit, vel solus sine licentia iverit: vel hora, qua in Monasterium redire debet, non redierit.

7. Si quis ex Cella egrediatur, & per Monasterium vagetur tempore dormitionis.

8. Si quis medicinam sumpserit, aut sanguinis minutionem fecerit, sine licentia.

9. Si quis culpam præteritam Fratri, pro qua satisfecit, improperaverit.

10. Si quis jejunium ab Ordine præscriptum fregerit.

11. Si quis Missam, Confessionem, Communionem, aut Officium Divinum in Choro sine licentia omiserit.

Pro supradictis, & similibus culpis injungantur jejunium, & strictum silentium per aliquod tempus: Genuflexiones & prostrationes tempore refectionis communis, aut in Ecclesia: Psalmi etiam & Orationes aliquot Dominicæ secundum discretionem Abbatis.

Et quæ pœnæ injungendæ.

CAP. V.

De graviori Culpa, & Pœna.

Gravior Culpa est: Primo, si quis jejunia Ecclesiæ violaverit.

Quæ culpæ graviores.

2. Si quis peccatum mortale manifeste commiserit contra præcepta Dei vel Ecclesiæ, præter casus infra recensendos, cum de gravissima Culpa sermo erit.

3. Si quis sciens & volens sententiam excommunicationis aut suspensionis incurrerit a jure vel ab homine latam, tam a Prælato Ecclesiastico quam a Superiore Religioso: exceptis item casibus, in quibus ob gravissimam Culpam excommunicatio vel suspensio infligitur.

4. Si quis sciens se esse excommunicatum, aut suspensum, ut supra, celebraverit, vel in suis Ordinibus ministraverit.

5. Si quis calumniam in Fratres struxerit, sive in judicio, sive privatim.

6. Si quis per fas aut nefas procuraverit, ut ipse

vel

vel alter eximatur a poteſtate Superioris tam Monaſterii quam Provinciæ, aut Abbatis Generalis.

7. Si quis per contumaciam vel manifeſtam rebellionem inobediens ſuo Superiori fuerit, vel cum eo intus aut foris contenderit.

8. Si quis ſecreta Congregationum, Generalis, Hegumenorum, Provinciæ, & Monaſteriorum, aliis Monachis ſive Profeſſis ſive Novitiis, vel etiam externis, temerè revelaverit.

9. Si quis Decretis Congregationum antedictarum ſeſe oppoſuerit, aut Superiori præcipienti aliquid in virtute ſanctæ Obedientiæ contradixerit.

10. Si quis Prælato Eccleſiaſtico aut Principi ſæculari in eis, quæ ad illos ſpectant, inobediens & contumax exiterit.

Et quæ pro illis infligendæ pœnæ.

Pro hujuſmodi & ſimilibus Culpis injungantur jejunia: Item aſſignetur ultimus locus: Proſtratio ante fores Templi vel Refectorii vel Chori, dum fratres intrant: Sejunctio aut ſequeſtratio a Fratribus, itaut nullus Fratrum audeat ſe illi conjungere, vel aliquod ei mittere, nec vocetur ad aliquod officium in Eccleſia vel in Choro: Menſa ponetur eidem ſequeſtrata, ne cum aliis commiſceatur: Demum privatio vocis activæ & paſſivæ in ſtricta forma ad aliquot annos injungatur. Ex prædictis autem pœnis Superior cum conſilio Seniorum Patrum plura vel pauciora, longius vel brevius, juxta culpam Pœnitenti imponat.

CAP. VI.

De graviſſima Culpa & Pœna.

Quæ culpa graviſſima:

Graviſſima Culpa eſt: Primo, ſi quis hæreſim aut ſchiſma contra unam Sanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam ſecutus fuerit, aut a Fide Chriſtiana defecerit.

2. Si ab Ordine noſtro poſt profeſſionem apoſtataverit, dimiſſo vel retento Habitu.

3. Si quis proprietarius fuerit in pecunia, libris, veſtibus, aut re alia magni momenti, tam recipiendo, quam dando vel alienando.

4. Si quis graviter Fratrem, vel extraneum quemcumque percuſſerit, & leviter etiam Superiorem, idque irato animo.

5. Si quis ſigillum Confeſſionis fregerit.

6. Si quis literas nomine Abbatis Generalis, Hegumenorum, Abbatis Provinciæ vel Monaſterii, aut Monachi alicujus, vel Monachorum confixerit, ſive eas ſigillo officii, aut dignitatis, vel Perſonæ firmaverit, ſive non: Item qui literas ad Abbatem Generalem, aut Hegumenos directas, interceperit aut aperuerit & legerit.

7. Si quis veneficium, incantationem, ſortilegium, necromantiam, aut quamcumque aliam Diaboli invocationem exercuerit.

8. Si quis publicum ſcandalum, vel infamiam gravem Ordini fecerit per manifeſtum lapſum carnis cujuſcumque ſpeciei ſit.

9. Si quis maligne conſpirationem in Superiorem ſuum machinatus fuerit.

10. Si quis machinationes & ſchiſmata ad deſtructionem vel diviſionem Ordinis attentaverit.

11. Si quis a Superiorum ſententia ad Tribunalia ſæcularia appellare aut confugere auſus fuerit. Quod ſi ab Abbate gravari ſe prætenderit, ad Abbatem Generalem, aut Congregationem Hegumenorum, vel ad Congregationem Generalem recurrat. Et ſi adhuc ab his prætenderit ſe gravari, recurrere poterit ad Patriarcham, aut Romanum Pontificem.

12. Si quis Ordinem aliquem Eccleſiaſticum ſine Superiorum licentia ab Epiſcopo acceperit, aut ſine licentia Epiſcopi Ordinarii auſus fuerit ad Sæculares concionari, eorum confeſſiones audire, a caſibus Ordinario reſervatis ſciens & volens illos abſolvere, aut Sacramenta Baptiſmi, Extremæ Unctionis, vel Matrimonii adminiſtrare: uno verbo, miniſteria Parochi obire.

Et quibus purganda pœnis.

Pro talibus criminibus, cum conſilio Patrum Seniorum, præter pœnas gravioris culpæ, reus privetur cucullo & corona, & in cellam tamquam in carcerem detrudatur, ab omnium Fratrum conſortio ſejunctus ad aliquos menſes. Ne tamen hujuſmodi pœnitens propter impatientiam ſuam in deſperationem præceps ruat, mittat ad eum quandoque Superior Patres ſeniores, qui illum blandis verbis commoneant ad pœnitentiam, & provocent ad patientiam: Foveant per conſolationem, & inducant ad emendationem. Recogitet autem Abbas, qualem Deo ſit ipſe redditurus rationem, ſi forte ſua impatientia & imprudenti ſeveritate Fratrem perdat, pro quo Chriſtus mortuus eſt; Memineritque, Sanctum Patrem noſtrum Antonium ſolicitum fuiſſe dicere: Fratrem, in aquas lapſum, erigendum eſſe, non ad naufragium impellendum.

CAP. VII.

De Culpis & Pœnis Superiorum.

1. Quæcumque de levi, gravi, graviori, & graviſſima culpa & pœna dicta ſunt, ea de Superioribus reſpective intelligantur; Itaut delinquentem Abbatem Monaſterii Abbas Generalis puniat: hunc Congregatio Generalis; Idque intelligendum de pœnis ſuſpenſionis ab officio, depoſitionis & privationis vocis, loci, & Coronæ, de quibus infra ſermo erit.

Levis Abbatis culpa:

2. Levis Culpa Abbatis eſt, ſi Cellas Monachorum & officinas per ſe vel per Vicarium viſitare neglexerit: Si ad Divinum Officium, & ad communem refectionem ſine cauſa aliquoties non venerit: Si e Monaſterio ſine neceſſitate exierit: Si cœremonias eccleſiaſticas minus decenter exercuerit: Si quid dixerit vel fecerit, unde Fratres offendantur: Si in cibo, potu, & veſtimentis Fratres cum indebita parſimonia tractaverit: Si erga aliquem Fratrem plus favoris vel aſperitatis exhibuerit: Si quid poculentorum vel eſculentorum, in re tamen parvi momenti, extraneis dederit ſine cauſa legitima. Pro hujuſmodi defectibus ab Abbate majore corripiatur, & Pſalmi, vel aliquot orationes Dominicæ, ſeu genuflexiones ei injungantur.

Gravis:

Gravis Culpa eſt: Si Fratri, vel externo verba injurioſa dixerit, maledicta & imprecationes pronunciaverit: Si diſcordias inter Fratres ſeminaverit: Si jurare, mentiri, turpia vel ſcurrilia dicere, frequenter deprehenſus fuerit: Si Sæcularium domos ſine neceſſitate frequentaverit: Si cum Fœminis aut Pueris colloquendo, attentis circumſtantiis, ſuſpicionem aliquam vitii ingeſſerit: Si dormierit ſine Tunica & Cucullo: Si medicinam ſine licentia Medici ſumpſerit: Si culpam præteritam, pro qua ſatisfactum ſit, alicui exprobaverit: Si ſine Socio extra Monaſterium iverit: Si jejunium ab Ordine præſcriptum fregerit: Si Miſſam, Divinum Officium in Choro ſine cauſa omiſerit: Si abſque eorum culpa Officiales ab officiis maligne removerit. Pro hujuſmodi Culpis injungatur jejunium per aliquot dies, item Pſalmi aliquot, & orationes Dominicæ, & genuflexiones.

Gravior:

Gravior Culpa eſt: Si peccatum mortale manifeſte commiſerit contra præceptum Dei vel Eccleſiæ, præter caſus infra recenſendos, cum de graviſſima culpa ſermo erit: Si ſciens & volens ſententiam excommunicationis aut ſuſpenſionis incurrerit: Si, ſciens ſe eſſe excommunicatum vel ſuſpenſum, celebraverit, vel in ſuis

Ordini-

Ordinibus miniſtraverit: Si rationem dati & accepti in libro deſcribere neglexerit: Si quem Novitium admiſerit non prævio examine: Si nomina Novitiorum & Profeſſorum non deſcripſerit: Si Abbati Generali, aut Abbati Provinciæ, de ſtatu ſui Monaſterii aut Provinciæ non ſcripſerit, ut ſupra ſuo loco dictum eſt: Si Monachum de ſuo Monaſterio in aliud ſine cauſa & ſine Congregatione Monachorum miſerit: Si calumniam in Fratres ſtruxerit: Si procuraverit, ut ipſe vel alter eximatur a poteſtate Superioris, aut in officio confirmetur: Si per contumaciam vel manifeſtam rebellionem inobediens Superiori fuerit, vel cum eo contenderit: Si ſecreta Congregationum revelaverit: Si Decretis Congregationum, vel Abbatis Generalis, ſeſe oppoſuerit: Si Superiori præcipienti aliquid in virtute Sanctæ Obedientiæ non obedierit: Si quid parvi momenti in virtute Sanctæ Obedientiæ Fratribus præcipere conſueverit: Si Prælato Eccleſiaſtico, aut Principi ſæculari in eis, quæ ad illos ſpectant, contradicere culpabiliter ac temere præſumpſerit: Si Fratribus, propriæ conſcientiæ rationem juxta morem reddentibus, ſecretum non ſervaverit. Pro ſimilibus culpis injungatur jejunium per plures dies; Item Pſalmi plures, & orationes Dominicæ, & genuflexiones: Aut demum ab officio ſuſpendatur vel removeatur, ex conſilio Congregationis Hegumenorum.

Graviſſima. Graviſſima culpa eſt: Si hæreticus aut ſchiſmaticus fuerit, aut a Chriſtiana Religione defecerit: Si ab Ordine noſtro apoſtataverit: Si graviter Fratrem vel extraneum percuſſerit, & leviter etiam Superiorem: Si abſque Superioris licentia fabricam magni momenti præceperit: Si munus a Fratre acceperit, ut ei officium aliquod committat: Si bona mobilia aut immobilia Monaſterii ſine Congregatione Monachorum, aut Abbatis Generalis, aut eorum, ad quos ſpectat, licentia alienaverit: Si Monachum propria auctoritate e Monaſterio ejecerit ſine licentia Abbatis Generalis: Si ſciens & volens Novitium, impedimentum aliquod habentem, admiſerit, nec facultatem habuerit, vel a legitimo Superiore obtinuerit: Si ſigillum Confeſſionis fregerit: Si literas nomine Abbatis Generalis, vel Hegumenorum, vel Congregationis Generalis confinxerit, aut nomine Monachorum: Si literas ad Superiores directas interceperit, vel aperuerit & legerit: Si veneficium, incantationem, ſortilegium, necromantiam, aut alias hujuſmodi diabolicas artes exercuerit: Si legitime convictus fuerit, peccatum carnis admiſiſſe: Si conſpirationem in Abbatem Generalem molitus fuerit: Si machinationes & ſchiſmata ad deſtructionem vel diviſionem Ordinis attentaverit: Si a Superiorum ſententia ad Tribunal Sæcularium appellaverit: Si ſine licentia Abbatis Generalis ordinem aliquem Eccleſiaſticum acceperit, aut ſine licentia Epiſcopi Ordinarii auſus fuerit concionari ad Sæculares, eorum Confeſſiones audire, aut reliqua facere, quæ facultatem Ordinarii requirunt. Pro talibus criminibus ex conſilio Congregationis Hegumenorum, præter pœnas gravioris culpæ, reus in Cellam ad aliquot menſes tamquam in carcerem detrudatur. Præterea voce activa & paſſiva per quinquennium privetur. Si vero apoſtata fuerit, vel homicida, aut proprietarius, eam pœnam ſubeat, quæ infra deſcribetur. Eamdem apoſtatarum pœnam luent, qui a Sancta Catholica Fide ad hæreſim, vel ſchiſma, vel infidelium ſectam defecerint.

CAP. VIII.

De Percuſſoribus.

Pœnæ contra Percuſſores. 1. Si quis Fratrum vel Abbatum animo irato percuſſionem alicui comminatus fuerit, pœnam gravioris culpæ per hebdomadam ſuſtinere cogatur: Si vero aliquem Fratrem, aut extraneum manu percuſſerit, eamdem pœnam luat per quindecim dies, niſi gravis læſio fuerit: Si vero percuſſerit ligno, aut lapide, vel alia re ſine gravi læſione, per menſem eidem graviori pœnæ ſubjaceat.

2. Propter gravem autem læſionem Fratris vel extranei, ſive manu ſive quacumque alia re percuſſio fuerit, vel levem etiam læſionem Superiori factam, percuſſor pœnam graviſſimæ culpæ per duos menſes ſuſtineat, & utraque voce per triennium careat, a ſolo Abbate Generali abſolvendus.

3. Si vulnus lethale inferatur, mors tamen non ſequatur, eamdem pœnam graviſſimæ culpæ per ſex menſes abſque ulla diſpenſatione ſuſtineat, & per quinquennium voce careat: Si autem (quod Deus avertat) uſque ad homicidium aliquis prolaberetur, talis omnino ſine ulla diſpenſatione puniatur pœnis graviſſimæ culpæ per decennium, & utraque voce perpetuo careat.

4. Tantum vero prædictis pœnis addatur, quantum Abbati de conſilio Patrum Seniorum viſum fuerit expedire, attenta qualitate Perſonæ percutientis, percuſſæ, percuſſionis, & ſcandali magnitudine.

5. Frequentans hoc vitium etiam levi percuſſione, ad nullum officium eligibilis cenſeatur.

6. Percuſſores Superiorum, præter expreſſas pœnas, voce utraque perpetuo careant cum ſuis complicibus & fautoribus.

CAP. IX.

De Proprietariis.

Contra Proprietarios. 1. Qui cibum, potum, aut alia parvi momenti ſine licentia Superioris receperit, prima vice charitative moneatur a Superiore: Pro ſecunda gravius reprehendatur: Deinceps vero pœna graviori puniatur pro arbitrio Abbatis.

2. Si pecuniam, aut aliquam rem magni momenti ſine licentia a quocumque habuerit, vel alienaverit, non debet a Confeſſario abſolvi, niſi prius ipſe pœnitens illud Superiori præſentaverit, aut alienatum, ſi poſſibile fuerit, recuperaverit. Deinde, ſi peccatum proprietatis publicum fuerit, aut a Superiore per indicia vel teſtes deprehenſum, proprietarius præter privationem vocis activæ & paſſivæ, per menſem gravioris culpæ pœnam luat, quæ augeri & minui poterit juxta qualitatem delicti & quantitatem materiæ. Debet autem a Congregatione Generali determinari quantitas materiæ ſufficientis ad culpam gravem proprietatis, ut dicatur res magni momenti, quæ recipitur, vel alienatur, & propter quam incurritur in caſum reſervatum & in pœnam graviorem; atque eadem notificari.

3. Si poſt mortem proprietarius quis inventus fuerit ſive Subditus ſive Abbas, nec in infirmitate peccatum ſuum confeſſus fuerit, deque eo doluerit; Sacrificium aut aliquod Officium pro ipſius anima non fiet, & ſepultura eccleſiaſtica privetur; Idque cum conſilio Patrum ſeniorum, niſi forſan ex tali pœna ſcandalum ſæcularibus generaretur.

4. Surripientes aliquid tam ex Monaſterio quam ex Cella Fratrum, & ab externis; præter infamiam, duplicata pœna proprietariorum puniantur.

5. Qui

5. Qui non relevat pecunias, aut bona mobilia seu immobilia, acquisita a se, vel ab aliis Fratribus, inter proprietarios recensetur, & pœna proprietariorum plectetur. Eamdem culpam & pœnam incurret Abbas, qui Bona Monasterii in loco abscondito ponit, sine duorum saltem Fratrum notitia.

CAP. X.

De Apostatis.

Contra Apostatas.

1. Monachus quicumque, si post professionem Habitum sponte dimiserit, aut retento Habitu, sed inconsulto Superiore Monasterium deseruerit, cum magna charitate & prudentia a Superiore requiratur, qui proinde per se vel per alios omnem operam impendat, ut ovem errantem ad ovile quamprimum reducat. Redeuntem cum omni charitate & paterni amoris significatione recipiat. Et antequam ad pœnas pœnitenti injungendas procedat, eumdem doceat per se vel per aliquem ex Patribus senioribus, non eas imponi ad ipsius pœnitentis destructionem, sed ad ædificationem & salutem. Cum autem ad suscipiendam correptionem illius animum bene præparatum fuisse compererit, sequentes pœnitentias eidem injungat cum consilio Patrum seniorum.

Quomodo recipiendi.

Primo, ad prælationem per quinquennium inhabilis fiat, & voce tum activa tum passiva privetur, & primo anno ultimum locum teneat: Et per mensem integrum corona & cucullo privetur, si Habitum dimisisset; Secus, si eum retinuisset. Si vero Laicus aut Clericus, in Minoribus Ordinibus constitutus esset, per quinquennium novissimus sedeat, & voce activa & passiva privetur, perque mensem cucullo privetur, si Habitum dimisisset.

Secundo, per aliquos menses in Cellam includatur, & jejunet in pane & aqua.

Tertio, per unam hebdomadam postquam e Cella egressus, & ad consortium Fratrum admissus fuerit, sequestratum locum habeat in Ecclesia, in Choro, & in Mensa.

2. Si secundo vel tertio apostataverit, pœnæ suprapositæ ei multiplicentur ex consilio Patrum seniorum; quod si cum scandalo, relicto Ordine, inhoneste vixerit, aut diutius extra Ordinem permanserit, pœna illi augeatur juxta qualitatem scandali, delictorum, & moræ diuturnitatem; de quo vero non constat, quod Habitum dimiserit, aut ex Ordine fugerit, sed tantum vagus intra vel extra Provinciam, prætextu adeundi Superiorem, in Habitu circumierit, is pœnas gravioris culpæ sustineat juxta moram vagationis, & qualitatem delictorum; ita tamen, ut Superior prudenter prospiciat, quid attento præsenti statu pœnitentis in Domino expediat, adhibito etiam seniorum Patrum consilio; ne remedia, quæ in salutem Infirmorum Fratrum excogitata sunt, in eorum ruinam & exitium vertantur.

3. Apostata ab Ordine Monastico vel fugitivus, sive Monachus fuerit sive Abbas, a nullo absolvi potest, nec in Monasterium recipi, præterquam ab Abbate Generali: Ad quem proinde remittendus erit Reus, vel saltem scribendum. Cum autem Abbas Generalis facultatem suam Abbati Monasterii commiserit, tunc, convocata Monachorum Congregatione, genuflexus Reus humiliter culpam suam dicat: Et Abbas intonat Psalmum 51. *Miserere mei Deus*, quem Fratres alternatim prosequuntur: Dictoque *Gloria Patri*, Abbas illum absolvit, dicens:

Deus misereatur tui, & dimittat debita tua: & ego auctoritate ipsius, & Reverendissimi Patris nostri Abbatis Generalis, absolvo te a vinculo excommunicationis, in quam propter apostasiam vel fugam ex Ordine incurristi, & restituo te communioni & unioni Fidelium, & participationi Sanctorum Ecclesiæ Sacramentorum. In Nomine ✠ Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen.

Sed si fuerit Abbas Generalis, dicat: Deus misereatur tui, & dimittat debita tua, & ego auctoritate ipsius absolvo te, &c.

Tunc injungat ei pœnitentiam, ut supra.

4. Tempus apostasiæ vel fugæ non computatur Monacho inter annos Monachatus.

5. Idem dicendum est de apostasia a Fide Christiana vel Catholica ad hæresim, schisma, aut infidelium sectam, quod dictum est de apostasia a Professione Monastica. Ab eo tamen casu absolvi nequit, nisi ab Ordinario competente.

CAP. XI.

De Excommunicatione.

A quo, quibus de causis, & quomodo infligenda excommunicatio.

Solus Abbas Generalis potest pœnam excommunicationis infligere Monachis; Id tamen raro admodum fiat, & ex urgentissima necessitate: Et primo quidem ex consilio & deliberatione Congregationis Hegumenorum: Secundo, ob unam ex culpis gravissimis, quæ supra Cap. 6. & 7. recensentur: Tertio, post factum canonice processum, & præmissa trina monitione canonica cum certis intervallis, utpote unius vel plurium dierum, aut etiam horarum, si periculum sit in mora: Quarto, affigenda erit Sententia excommunicationis Cellæ ejus, qui excommunicatur, aut legenda in Congregatione Monachorum, sive excommunicatus præsens sive absens fuerit: Quinto, vulgandum erit ejus nomen omnibus illius Monasterii & Provinciæ Monachis, ut ab omnibus devitetur.

Sententia vero excommunicationis concipietur in hunc modum:

Ego N. Abbas Generalis, habita Hegumenorum N. N. N. N. Congregatione, per hanc sententiam, quam in scriptis pronuncio, Auctoritate Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: Et exigente contumacia Fratris N. N. ob tale delictum (quod debet omnino exprimi) ipsum excommunico, & pro excommunicato haberi declaro: Et tandiu ipsum vitandum denuncio, donec adimpleverit, quod mandatur.

Si Abbas Monasterii vel Visitator ex commissione Abbatis Generalis sententiam excommunicationis pronunciet, dicat:

Ego N. Abbas Monasterii N. vel Visitator Monasterii aut Provinciæ N. specialiter ab Abbate Generali & Hegumenis deputatus, per hanc sententiam, quam in scriptis pronuncio &c.

Cum erit absolvendus, utatur Abbas formula, quæ supra descripta est Cap. 10.

Omnis excommunicatus quacumque excommunicatione, sive a Canone sive ab homine, tam a Prælato Ecclesiastico quam ab Abbate Generali, non ingrediatur Ecclesiam vel Chorum: neque ad communem cum Fratribus mensam admittatur: neque officio ullo, aut dignitate fungatur in Monasterio: neque vocem activam aut passivam habeat in Electionibus; Quinimo, quandiu sic steterit, ab omnibus evitetur, donec resipiscat, & a legitimo Superiore absolvatur, postquam id, quod præceptum est, adimpleverit.

CAP. XII.

De Privatione vocis, loci, Cuculli & Corone.

Explicatio hujusmodi Privationum.

1. Qui privatur voce passiva, per hoc redditur inhabilis ad majora officia in nostro Ordine; minora tamen potest exercere, ut sunt Infirmarii, Janitoris, Coqui, & similia. Privatus autem voce activa non potest suffragium ferre in aliqua

electione, aut Congregatione: neque potest fieri accusator aut testis adversus Fratrem. Potest tamen assumi secreto pro aliqua informatione rei necessariæ. Privatus voce omnimoda nullum Fratrem poterit alloqui, nisi prius a Superiore licentia petita pro aliqua re necessaria.

2. Nullus Abbas audeat Fratrem privare voce, nisi in casibus suprapositis; idque adhibito consilio & consensu Patrum Seniorum.

3. Privatus loco ultimum locum occupet in Choro, Ecclesia, & Refectorio: Sacerdos quidem inter Sacerdotes, Diaconus inter Diaconos, & sic deinceps.

4. Qui pœna erit majori dignus, quam sit privatio loci aut vocis, propter suam proterviam, & gravissimam culpam, poterit Cucullo & Corona privari, & ad obsequia infima in Monasterio destinari, ut dictum est supra Cap. 5. 6. 7. 8. & 10.

CAP. XIII.

De Suspensione & Depositione ab officio.

De Suspensione. 1. Abbas qui suspenditur ab officio, per hoc inhabilis redditur ad illud exercendum, & insuper utraque voce carebit. Si vero proterve officium exercuerit, procedi debet ad depositionem; & inhabilis redditur per quinquennium ad omne officium, & utraque voce carebit.

De Depositione. 2. Qui deponitur ab officio, per hoc privatur non solum eo officio, quod statim alteri committi debet, sed etiam voce activa & passiva per annum carebit.

Hegumenus a solo Abbate Generali. 3. Solus Abbas Generalis cum Congregatione Hegumenorum suspendere potest, aut deponere Hegumenum, & Abbatem Provinciæ, ac Monasterii. Abbatem vero Generalem suspendere ac deponere non potest, nisi Congregatio Generalis.

Abbas Gen. a tota Congr. deponi potest. 4. Qui, præter Abbatem Generalem, Hegumenos, & Abbates Provinciæ vel Monasteriorum, ab officio suspenduntur vel deponuntur, non idcirco voce privabuntur, nisi in culpam graviorem & gravissimam incidissent.

5. Nemo ex Abbatibus suspendi aut deponi debet, nisi ob culpam, de qua supra.

Præmittenda ad Abbatem Gener. suspendendum. 6. Si acciderit aliquod ex peccatis (avertat id Deus) quæ sufficiunt ad Abbatem Generalem ab officio suspendendum vel privandum; simul atque per restimonia sufficientia, vel ipsius confessionem, aut facti notorietatem constiterit, quatuor Hegumeni unà congregati, rem, donec veritas eluceseat, secretam tenentes, Congregationem Generalem Abbatum Provinciarum & Monasteriorum, literis omnium subscriptione signatis, convocabunt, ut dictum est supra Parte 3. Cap. 4. num. 2.

Si vero res divulgata & manifesta esset, non expectata Hegumenorum convocatione Abbates locorum & Provinciarum alii alios vocando conveniant. Et primum audiantur accusatores, deinde reus; nisi res notoria esset. Reo foras dimisso, primus Hegumenorum cum antiquiore Abbate, & cum Secretario, ad hanc causam electo, de toto negotio scrutinium faciet. Et primo quæretur; An constet de peccato, quod objicitur: Secundò, An hujusmodi sit, ut propter illud ab officio suspendi aut deponi debeat; Et idem suffragia promulget, quæ, ut sufficiant, duas tertias partes excedent; Et tunc statim de alio eligendo agatur: Et, si fieri potest, non prius inde egrediantur, quam electionem perfecerint. In qua re duo animadvertenda sunt: Primum, ut si defectus ad suspensionem aut depositionem sufficientes non deprehenderentur; aliis de rebus agatur, propter quas convocata Congregatio videatur, & quod ad Abbatem Generalem attinet, dissimuletur, imo vero nullo tempore divulgari debet; Et sic, cum Abbates convocantur, præmonendi sunt de secreto: Secundum, si constitutum fuerit, illum ab officio suspendere aut deponere, tunc etiam cum eodem Abbate Generali secreto agendum est, ut ipsemet se officio abdicet; ut, cum hoc promulgatum fuerit, peccatum, & officii propter peccatum privatio occultetur.

Si autem defectus non fuerit ejusmodi, ut privandus officio suo sit, sed tantum corrigendus videretur, Quinque eligentur, quibus cura injungatur considerandi, quæ correctio ei conveniat; Et ipse omnino obedire Congregationi Generali teneatur.

Crimina, ob quæ Abbas Generalis suspendi vel deponi ab officio potest. Crimina, ob quæ Abbas Gener. suspendi, vel deponi ab officio potest, sunt hæc: Si hæreticus fuerit, aut schismaticus, aut a Christi Fide ad sectam infidelium defecerit: Si ab Ordine nostro apostataverit: Si graviter Fratrem vel extraneum percusserit, aut homicidium commiserit: Si fabricam magni momenti præceperit, aut bona Religionis alienaverit, aut novum Monasterium acceperit vel fundaverit, aut vetus deseri jusserit, inconsulta Congregatione Hegumenorum: Si Novitium contra Constitutiones Ordinis receperit habentem impedimenta, a quibus ipse dispensandi non habet facultatem: Si Sigillum Confessionis fregerit: Si literas, ad Congregationem Generalem, vel Hegumenorum, directas, interceperit & occultaverit, aut aperuerit legeritque: Si veneficium, sortilegium, & quid simile exercuerit: Si peccatum carnis admiserit: Si munera a Fratre acceperit, ut ei officium aliquod daret: Si muneribus, dolo, vi, aut arte qualibet officium sibi ipsi, aut aliis, dari aut confirmati procuraverit: Si machinationes & schismata ad destructionem vel divisionem Ordinis fecerit: Si a sententia Congregationis Generalis aut Hegumenorum ad Tribunal Sæcularium appellaverit vel confugerit: Si Romano Pontifici aut Patriarchæ contumaciter rebellis fuerit; aut Fratres impulerit, ut eis rebelles sint, & inobedientes: Si sine licentia Ordinarii ea Sacramenta administraverit, quæ expressam licentiam requirunt.

Si verò infirmo corpore & adversa valetudine fuerit, itaut regimini vacare non possit, non debet deponi; sed ei a Congregatione Hegumenorum Vicarius substituatur, donec commissi regiminis triennium compleatur.

7. Si quis Hegumenorum in unum ex supra enumeratis criminibus inciderit, debet ab Abbate Generali, & reliquis Hegumenis deponi.

CAP. XIV.

De Pœna Ejectionis ex Ordine.

Quæ præmittenda, antequam quis ex Ordine ejiciatur; 1. Qui unum vel plures ex gravioribus vel gravissimis Criminibus a Cap. 5. ad Cap. 13. supra descriptis, commiserit, sæpeque monitus non resipuerit: & qui pœnitentiam pro illis non acceptaverit, sex mensium spatio in jejunio probetur, & ad tres menses ab omnium consortio segregetur. Idque præter privationem vocis activæ & passivæ, aut etiam loci, Coronæ, & Cuculli, quam subire debebit juxta qualitatem culpæ gravioris aut gravissimæ.

Si vero unum ex infrascriptis gravissimis Criminibus commiserit, atque semel, iterum ac tertio admonitus & correctus, ad idem crimen redierit, post tertiam admonitionem, ne alios contagione pestifera perdat, ejici tandem poterit, servatis servandis; non aliter tamen, quam ab Abbate Generali de consilio & assensu quatuor Hegumenorum: Deque ejus ejectione certior fiat Reverendissimus Dominus Patriarcha ab eodem Abbate Generali.

2. Ejectus, extra Ordinem degens, sit perpetuo suspensus ab executione Ordinum.

3. Quia vero sumus in medio Nationis pravæ, ne forte ejectus ad hæreticos, vel infideles accedat, debebit Abbas Generalis rem antea cum Patriarcha tractare, hominemque in manus ejus consignare, ut pro sua prudentia & arbitrio de eo disponat.

Ob quæ crimina ejici Monachus potest.

4. Crimina, ob quæ Monachus ex Ordine ejici potest, postquam admonitus & correctus, non resipuerit, idest ter ea commiserit, terque de iis non resipuerit, quamvis ter admonitus & correctus, sunt hæc: Si a Sancta Catholica Ecclesia ad hæreticos, schismaticos, vel infideles defecerit; Si ab Ordine nostro apostataverit: Si Fratrem, vel extraneum graviter percusserit aut occiderit: Si fornicatus fuerit: Si rem magni momenti furatus fuerit a Monasterio, vel a Sæcularibus: Si sciens & volens Cellam, Monasterium, Templum, aut quid simile incenderit: Si sigillum Confessionis fregerit: Si veneficia, incantationes, & cætera hujusmodi exercuerit: Si in Judicio perjurus fuerit: Si ab obedientia Romani Pontificis, aut Patriarchæ, proterve rebellaverit: Si sine licentia Ordinarii sciens & volens ea Sacramenta administraverit, quæ expressam licentiam requirunt: Si machinationes, & schismata fecerit ad destructionem vel divisionem Ordinis: Si a sententia Abbatis Generalis aut Congregationis Generalis, vel Hegumenorum, ad infideles procuraverit: Si ad infideles confugerit, ut procurent sibi vel aliis aliquod officium vel dignitatem in Ordine aut extra Ordinem.

Penes Congregationem Hegumenorum erit judicare, pœnamque ejectionis infligere, etiam ei Monacho, qui non in idem ex supra dictis Criminibus ter incidit, sed tria diversa, vel plura ex iis, Crimina commisit.

Omnia verò in charitate facienda.

5. Atque hoc loco rursus Superiores admoneantur, ne sua socordia, aut vitiosa severitate, Fratres suos ad hunc miserabilem saltum de Monasterio ad sæculum; de sæculo in infernum, adigant; sed cum vix ullum ingenium sit adeo pertinax & ferox, quod aspirante Dei gratia mansuetudine & lenitate Superiorum vinci, tractuque temporis ad bonam frugem revocari non possit: ut Superiores ad hoc extremum remedium devenire non cogantur, discant ab Apostolo, omnia sua in charitate esse facienda. Charitas autem patiens est: benigna est: Charitas non æmulatur: non agit perperam: non inflatur: non est ambitiosa: non quærit, quæ sua sunt: non irritatur: non cogitat malum: non gaudet super iniquitate, sed congaudet veritati. Quamobrem antequam ad ejectionis pœnam progrediantur, præmittenda erunt omnia alia remedia, a Sanctis Patribus præscripta; adeout, si fieri potest, communi omnium, & privatæ singulorum Fratrum ædificationi & saluti prospiciatur.

CAP. ULTIMUM.

Monita Generalia pro observatione Constitutionum.

Particulares Constitutiones si opus sit fieri, a quibus faciendæ.

1. Ut defectibus in Ordinem sensim irrepentibus occurratur, & religiosa perfectio conservetur, vel etiam augeatur, possunt aliquæ novæ Constitutiones pro toto Ordine præsentibus addi, quæ eamdem vim ac robur habeant: sive nonnullæ ex iis mutari vel abrogari; Dummodo Regula, quæ in prioris Partis Capitibus duodeviginti continetur, intacta maneat; idque non aliter fiat, nisi in Congregatione generali. Insuper pro bono particularium Monasteriorum possunt ab Abbate Generali, aut a Congregatione Hegumenorum. vel a Visitatoribus, a Generali vel Hegumenorum Congregatione deputatis, aliquæ particulares Constitutiones fieri, quæ tamen generalibus hisce Constitutionibus expresse non adversentur; sed iis, quantum fieri potest, accommodentur.

Explicatio Regulæ ad solum Abbatem pertinet.

2. Explicatio Constitutionum & Regulæ pertinet ad solum Abbatem Generalem cum consilio Hegumenorum: Isque erit genuinus earum sensus, in quem major pars Congregationis Hegumenorum consenserit.

3. Omnes Abbates tenebuntur habere in quolibet Monasterio duo saltem exemplaria Regulæ & Constitutionum tam generalium quam particularium, si quæ sunt proprii Monasterii; illasque in publica Mensa aut Congregatione faciant legi Fratribus, sub pœna suspensionis ab officio, quolibet mense, die determinanda per Congregationem generalem. Idque intelligitur de prima, secunda, & quinta Parte. Nam tertia & quarta Pars Constitutionum legi debent semel in anno, die item per Congregationem Generalem determinanda.

4. Et quia per vigilantiam aut socordiam Superiorum ut plurimum profectus aut defectus Monachorum in Ordine constant; idcirco omnes Superiores in Domino monentur, ut memores sint rationis, quam in novissimo die reddituri sunt pro Grege sibi commisso. Ac propterea omni studio invigilent, ut quæ ex disciplina S. Patris nostri Antonii, & ex Regulis Sanctorum Patrum nostrorum Pachomii & Basilii aliorumque Sanctorum, in hoc Codice collecta sunt; quæque maxime circa vota Ordinis, Chorum, Orationem mentalem, Jejunium, aliaque spiritualia exercitia præscribuntur, omnia & singula adamussim observentur: Intelligantque super his veluti fundamentis totius monastici Instituti ædificium construendum & ampliandum esse.

Ut vero omnia ordinate peragantur, Monachus quisque officii sui regulas seu constitutiones, in Tabula vel Codice scriptas, apud se habeat, easque diligenter perlegat, & observare satagat.

Ad laudem & gloriam Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & ad honorem Sanctissimæ Virginis Deiparæ Mariæ, & S. Patris nostri Antonii, omniumque Sanctorum. Amen.

Singulæ prædictæ Constitutiones confirmantur.

§. 3. Quare præfatus Michael Abbas Generalis Nobis humiliter supplicari fecit ut Regulas & Constitutiones hujusmodi Apostolicæ confirmationis præsidio communiri de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsius Michaelis Abbatis Generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutum fore censentes, istiusmodi supplicationibus inclinati, omnes & singulas Regulas ac Constitutiones præinsertas, & in eis contenta quæcumque, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò confirmamus & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos juris & facti, ac solemnitatum quarumlibet, in similibus etiam de necessitate observandarum, aliosve quoslibet, etiam formales & substantiales defectus, si qui in præmissis principaliter vel accessorie, aut alias quovis modo intervenerint, seu interveniisse dici, censeri, vel prætendi possent, penitus & omnino supplemus.

Semperque firmas fore, ac observatum iri decernitur.

§. 4. Decernentes ipsas præsentes literas, ac Regulas, & Constitutiones præinsertas semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quos-

quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. præfatæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuntios, aliosve quoslibet, quacumque præeminentia & potestate fungentes & functuros, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & diffiniri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§. 7. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis; ac, quatenus opus sit, Congregationis & Ordinis prædictorum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, etiam Congregationi & Ordini prædictis, illorumque Superioribus, Monachis, & personis sub quibuscumque verborum tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis & decretis in genere vel in specie, seu aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac pluries confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserrentur, & exprimerentur, iisdem præsentibus, pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 8. Volumus autem, ut Regulæ & Constitutiones hujusmodi latine & arabice unà cum præsentibus literis typis supradictæ Congregationis Cardinalium imprimantur, earumque præsentium literarum transumptis, seu exemplis sic impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 31. Martii 1732. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

F. Cardinalis Oliverius.

LVII.

Confirmatur fundatio Congregationis Presbyterorum Sæcularium, sive Collegii sub titulo Sacræ Familiæ Jesu Christi Civitatis Neapolitan. Juvenum Sinensium atque Indorum, instruendorum ad prædicandum Evangelium in Patria.

Dat. die 7. Aprilis 1732. Pont. An. II.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Caroli Imperatoris per Legatum SS. D. N. porrectæ preces pro obtinenda hujusmodi confirmatione.

NUper pro parte charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum Catholici, ac Romanorum Regis in Imperatorem electi, expositum nobis dilectus filius noster Alvarus S. R. E. Presbyter Cardinalis Cienfuegos nuncupatus, Metropolitanæ Ecclesiæ Montis Regalis in Sicilia ex concessione & dispensatione Apostolica Præsul, quod non ita pridem consilio ac persuasu Nostro fundata fuit extra muros Civitatis Neapolitan. una pia Congregatio Presbyterorum Sæcularium seu Collegium sub titulo *Sacræ Familiæ Jesu Christi*, cujus præcipuum Institutum est educatio Alumnorum Sinensium & Indorum, qui ex iis regionibus advenient pro addiscendis Catholicæ Fidei præceptis, amplectendo statu Presbyterali, ac sese parandis ad prædicandum in eorum Patria Christi Evangelium; in quo tamen Collegio etiam admitti possint omnes alii ex quacumque parte Europæ existentes, qui propriis suis sumptibus ibidem sustentari voluerint, ut instruantur, & habiles reddantur ad Sacrum Presbyteratus ordinem suscipiendum, & Sacras Missiones obeundas: Quæ quidem fundatio, regulis ac regimini, quæ servantur in Ecclesiis, Domibus, & Congregationibus Presbyterorum itidem sæcularium Oratorii Sancti Philippi Nerii, ac Piorum Operariorum dictæ Civitatis Neapolitan. conformari, & pro tempore existentis Archiepiscopi Neapolitan. jurisdictioni in omnibus subjecta remanere debeat, iisdem prorsus modo & forma, quibus præfatæ duæ Congregationes Oratorii Sancti Philippi Nerii ac Piorum Operariorum subsunt, reservata ipsi Carolo Regi dicti Collegii Regia protectione quoad bona illius temporalia tam nunc acquisita, quam imposterum acquirenda. Ut autem prædictis Alumnis Sinensibus & Indis modus se se sustentandi suppetat, ac opus hujusmodi ad optatum finem perducatur, de consensu ejusdem Caroli Regis stabilita fuit Dos Collegii præfati pro alimonia dictorum Alumnorum Sinensium & Indorum dumtaxat in annua summa octingentorum ducatorum monetæ Regni Neapolis, retrahenda ex una trecentorum super Tropien., altera ducentorum super Cassanen. Cathedralium, & reliqua annuis pensionibus trecentorum ducatorum paris monetæ super Metropolitana Rheginen. Ecclesiarum fructibus, reditibus, & proventibus, a Nobis per literas sub Plumbo propediem expediendas perpetuo imponendis, ac reservandis: ita tamen, quod si ista fundatio minime perficeretur, vel progressu temporis deficeret, aut a suo Instituto deviaret, adeo ut supradicta Congregatio Presbyterorum Sacræ Familiæ Alumnos Sinenses & Indos ad finem destinatum educare nollet, tunc pensiones præfatæ, ac onus seu obligatio illas persolvendi omnino cessare debeant; quodque Congregatio pro tempore similiter existentium ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, rebus Propagandæ Fidei Præpositorum quovis colore vel causa nunquam manus apponere valeat fundis seu capitalibus ipsius fundationis præsentibus ac futuris, annuisque eorum reditibus, neque prætendere super dicta fundatione superioritatem aliquam, vel directionem, sed ejusmodi Congregationi Cardinalium solummodo competat, ac reservatum sit jus & facultas examinandi, approbandi, & reprobandi Alumnos Presbyteros Collegii præfati tam Europæos, quam Sinenses, Indos, & cujusvis alterius Nationis, postquam Romam pervenerint, qui Evangelii prædicandi causa in Indias, Sinas, ac Regna adjacentia, aliasque partes infidelium proficisci vellent, hancque suam vocationem ac voluntatem libere, & absque ullo præcedente juramento, explicaverint Superiori dicti Collegii, cujus partes erunt cum suis Consultoribus, per pluralitatem suffragiorum Presbyterorum Vocalium supradictæ Congregationis Sacræ Familiæ legitime electis, eorum vocationem & voluntatem hujusmodi explorandi, ac deinde nomina eorum, quos ad Evangelicæ prædicationis munus exercendum aptos repererit, eidem Congregationi Cardinalium transmittendi

Quodnam sit Institutum:

Et quibus concedatur accessus.

Quibus subjecta regulis esse debeat Congregatio.

Quæ dos.

Quod jus super eadem competat Sacræ Congregat. de Propaganda Fide.

tendi adhoc, ut dicti Cardinales illos omnes, vel eorum aliquos accersere, & quos habiles & idoneos judicaverint, sacris Missionibus apud infideles, servatis etiam solemnitatibus in similibus servari solitis, destinare possint. Cæterum ad eumdem Superiorem cum suis Consultoribus spectare debebit examen omnium, in dictum Collegium recipi petentium, illorumque admissio vel exclusio, prout cum pluralitate votorum dictorum Consultorum utilitati præfati Collegii magis in Domino expedire censuerit.

Confirmatur institutio, de qua in Rubrica.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, memoratus Carolus Rex præmissa Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret; Nos piis ipsius Caroli Regis votis hac in re, quantum cum Domino possumus benigne annuere cupientes, dictumque Alvarum Cardinalem, & Præsulem specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, supplicationibus ejusdem Caroli Regis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, fundationem præfatæ Congregationis Presbyterorum Sæcularium, seu Collegii Sacræ Familiæ Jesu Christi, sicut præmittitur, factam, dummodo idem Collegium remaneat subjectum Ordinario in omnibus & per omnia, quemadmodum in toto Regno Neapolis sunt Ordinario subjectæ Domus & Ecclesiæ, atque personæ Congregationum Oratorii Sancti Philippi Nerii, ac Piorum Operariorum, & sub protectione Regia solum quoad bona temporalia acquisita & acquirenda, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò confirmamus & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos tam juris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac dictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuncios, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Apostolicis, & in Universalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus & Ordinationibus; necnon, quatenus opus sit, quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 7. Aprilis 1732. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

F. Card. Oliverius.

LVIII.

De Consilio Sacræ Congregationis Episcoporum & Regularium confirmantur Statuta & Privilegia, auctoritate san. mem. Benedicti XIII. edita a Magistro Generali Ordinis Prædicatorum pro Cathedra Sancti Thomæ Aquinatis, per Sacerdotes Congregationis Beatæ Mariæ Virginis, & Sancti Caroli, ad commendationem doctrinæ SS. PP. Augustini & Thomæ, in Universitate Mutinen. pridem erecta.

CLEMENS PAPA XII.

Dat. die 16 April. 1732. Pont. f. II.

Ad futuram rei memoriam.

Supplex petitio.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Joannes Dominicus de Agnanis, Frater expresse Professus Ordinis Prædicatorum, in Sacra Theologia Magister, ac Bibliothecæ Casanatensis Bibliothecarius, necnon Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, Indici Librorum prohibitorum & expurgandorum præpositæ, Consultor, quod cum jam aliàs tempus electionis ac institutionis primi Professoris Theologi in Cathedra S. Thomæ Aquinatis, per dilectos filios Presbyteros Sæculares Congregationis sub invocatione Beatæ Mariæ Virginis & Sancti Caroli Civitatis Mutinen. in illius Universitate Studii Generalis addita, erecta, dictoque Ordini per publicum instrumentum die XIII. Novembris MDCCXXVIII. confectum donata, immineret: neque celebratio Capituli Generalis ipsius Ordinis instaret, a quo auctoritate ordinaria certa quæpiam Privilegia, in opportunum stimulum condecensque præmium ob insignes singulares labores a Professore illo, eosque aliàs omnino gratis subeundos, eidem pro tempore existenti concedenda, firmari possent; ipse Joannes Dominicus fel. rec. Benedicto Papæ XIII. Prædecessori Nostro libellum precarium porrigens, rescriptum ipsius manu exaratum, obtinuit, quo moderno Magistro Generali Ordinis hujusmodi benigne commissa & impertita fuit opportuna facultas, ut quibuscumque minime obstantibus, Privilegia illa concederet, ac Statuta conderet, quibus Professor ipse frui, ac potiri, regique respective posset & deberet: Ipse vero Magister Generalis in vim facultatis sibi ad id a præfato Benedicto Prædecessore attributæ, & auctoritate etiam sua, Privilegia & Statuta, favente ac dirigente in omnibus eumdem Joannem Dominicum dilecto filio nostro Vincentio Ludovico S. R. E. præfatæ Cardinali Gotto nuncupato, edidit; eademque postmodum obsequenter acceptata, ac a Provincia utriusque Lombardiæ præfati Ordinis in Dieta, auctoritate etiam Apostolica in Conventu ad Sanctam Sabinam de Urbe IX. Martii MDCCXXX. coacta, publicata fuerunt, & ad eorum tenorem dilectus pariter filius Hyacinthus Baronio, Sacræ Theologiæ Magister, qui inclinante jam biennio Cathedram ipsam condigne moderatur, in primum illum Professorem electus & institutus fuit, & aliàs, prout continetur in iisdem Privilegiis & Statutis, tenoris qui sequitur, videlicet:

§. 1. Nos Fr. Thomas Ripoll, S. T. P. ac totius Ordinis Prædicatorum humilis Magister Generalis, ac Servus. Cum celeberrimi Domini Sacerdotes insignis Congregationis Beatæ Mariæ Virginis, & Sancti Caroli Mutinæ, præpositi Universitati ejusdem Civitatis, utique cum ingenti cordis nostri lætitia, in commendationem tutissimæ doctrinæ SS. PP. Augustini & Thomæ, atque in grati eo-

Cathedræ finis.

rum animi perenne monumentum erga Sanctiſſimum Dominum Noſtrum Dominum Benedictum Papam XIII. Ordinis noſtri Filium, Protectorem, & Patrem, qui ſuppliciter petente P. M. Fr. Joanne Dominico de Agnanis, eidem Univerſitati Lauream in Sacra Theologia conferendi facultatem benigne confirmavit; &, quatenus opus eſſet, de novo fecit ac conceſſit, Apoſtolico Reſcripto ſuo ſub die XX. Decemb. anni MDCCXXVII. tumque Apoſtolicis etiam literis in forma Brevis, ad Rectorem ejuſdem datis XXIII. Junii MDCCXXVIII., novam perpetuamque erexerint in laudata Univerſitate Theologicam Cathedram, Sancti Thomæ Aquinatis nuncupandam, eamque liberaliter in perpetuum noſtro donaverint Ordini, abdicata a ſe poteſtate, eaque in perpetuum quoque translata in Filios noſtri Conventus Mutinen. Provinciæ utriuſque Lombardiæ, eligendi pro eadem Cathedra Profeſſorem, tempore, ratione, ac modo, quibus iidem maluerint: ipſique viciſſim Filii Conventus, ſolummodo, & merito quidem, attendentes propagationem Doctrinæ dictorum Sanctorum in Eccleſiæ commodum, proximorum ſalutem, ac ſalubrem eruditionem, & Ordinis noſtri decus, renunciaverint cuicumque honorario pro Profeſſore prædicto; ſicut in Inſtrumento, ſub die XIII. Novembris MDCCXXVIII. prædicti deſuper confecto, latius continetur; Inde, ut ab eximiis illis Sacerdotibus collatum Ordini noſtro juge beneficium a Nobis congrue excipiatur, atque juxta Sanctiſſimi Domini Noſtri mentem ſupremam, & prædictorum Dominorum præclarum deſiderium, Cathedra S. Thomæ certis decoretur Privilegiis, ipſique futuris temporibus vere idonei Profeſſores præficiantur, qui graves labores, ad eam Cathedram, ad inſtar aliarum præfatæ Univerſitatis regendam, utique neceſſarios, temporali licet emolumento deſtituti, condigne perferant, ac libenter, Viro Religioſo dignum, conſequentes præmium; Facultate a prælaudato Sanctiſſimo PP. Noſtro Benedicto XIII. per Chirographum ſuum ſub die XXVII. Januarii proxime præteriti de Apoſtolica dignatione, ad alias humillimas ſupradicti Patris Magiſtri Agnani preces, Sanctitati Suæ oblatas, Nobis facta; necnon reſpective etiam officii noſtri auctoritate, ac præſentium tenore: I. Diſtricte præcipimus, quatenus Filii prædicti Conventus Mutinen. pro tempore, ſolum Deum, ac Religionis ſplendorem habentes præ oculis (juxta laudabile ſupradictorum præſentium filiorum propoſitum) illum eligant in Profeſſorem, quem perſpecta morum honeſtas, ac firmiſſima adhæſio Doctrinæ S. Thomæ, in exercitio præcedentium Lecturarum probata, ſpectabilem ſæculo & in Religione, ac Schola S. Thomæ & noſtra commendabilem reddant, quo decori ſimul & quieti ſui ipſorum Conventus etiam conſulatur. Ut vero bonum commune Provinciæ, Ordinis, ac etiam Eccleſiæ, particulari ejuſdem Conventus condigne præferant, neque ſine ingenti neceſſitate permittant, in ea Univerſitate S. Thomæ Cathedram ſilere, mandamus, quatenus ubi idoneus deſit Conventus filius, quem ſemper præferendum eſſe declaramus & volumus, Profeſſorem, dictis ac dicendis dotibus omnino inſtructum, ex duobus aliis ſtatus Mutinen. Conventibus, Regienſi nimirum ac Corrigien. in primis, tum vero etiam in hiſce deficiente idoneo Lectore, & non aliter, ex alio ejuſdem Provinciæ Conventu aſſumant. Cæterum, quia judicium de eligendi doctrina ad eos potiſſimum noſcitur pertinere, qui propter habitas in Schola S. Thomæ exercitationes, in ea præſtantiores cenſendi ſunt, quoties ſaltem major pars filiorum Conventus Graduatorum in eodem Conventu actu non exiſtant, Graduatorum abſentium Votum per epiſtolas filii in Conventu exiſtentes requirere, expectare, atque tamquam ſi illi electioni intereſſent, numerare teneantur; & idem ſervari volumus, deficientibus filiis Graduatis, in ordine ad filios actu legentes Theologiam, & his ſimiliter deficientibus, reſpective ad Lectores actuales Philoſophiæ. Et dicta quidem omnia & ſingula ſub pœna nullitatis electionis ſerventur, & in Actu electionis ejuſdem, ad Magiſtrum Ordinis, ut mox dicetur, mittendo, exprimantur: atque in Libro ad hoc inſtructo deſcribantur. II. Electionem ſemel rite factam ad Nos & Succeſſores noſtros, ſive ad Vicarios Generales Ordinis pro tempore, Fratres prædicti mittant, pro confirmatione, & Literarum Patentium, pro lectione publice habenda requiſitarum, expeditione. Confirmationem quippe, & conceſſionem prædictas, quemadmodum & irritationem ejuſdem Electionis, ſi de perſona minus digna, aut contra alia a Nobis præſcripta quandoque fiat, Nobis & Succeſſoribus prædictis, privative quoad alios quoſcumque, juſtis de cauſis reſervamus juxta Sanctiſſimi laudatum Reſcriptum; Salva tamen auctoritate Ordinaria tum Capituli Provincialis, cum etiam P. Provincialis, maxime in ſancta Viſitatione, ac inſuper Viſitatorum ejuſdem Conventus, ad Profeſſorem ipſum, adhuc a Nobis & Succeſſoribus prædictis confirmatum & datum, ſuſpendendum: ac etiam a Cathedra & Conventu prædictis removendum, quoties ipſum minus laudabiliter vivendo aut docendo, muneri ſuo deeſſe, comperirent. III. Electio ipſa ſemper fiat ad annos determinatos, itaut experimento comprobari poſſit, an Profeſſor ſemel conſtitutus, docendi gratia, ſed in primis converſationis ac morum meritis exigentibus, ſit in eodem munere confirmandus: atque etiam, ut pateat locus præcedentiæ ſuperius expoſitæ; Sicque primo anni ipſi non excedant tempus ad Magiſterium ſimplex; deinde vero ad alia, ſucceſſive a Nobis firmanda infra, requiſitum. Ne autem Cathedram Profeſſore deſtitui, ſicque ſæculares, D. Thomæ doctrinæ amantes, opportuno Magiſtro carere contingat, poterit Profeſſor quilibet, adhuc abſoluto ſibi per electionem & in Patentibus præfixo tempore, in lectione pergere, donec vel ipſe confirmetur, vel Succeſſor præſens fuerit. Quoties vero Profeſſor ipſe, decurrente vel inſtante tempore pro ſcholaſticis exercitiis in Univerſitate habendis, quacumque de cauſa in Lectione ipſa pergere non poſſit; quemadmodum etiam ſi mori vel amoveri ipſum contingat: ne Diſcipuli prædicti ob recurſum ad Magiſtrum Ordinis pro novo Profeſſore firmando, atque hujuſce ad Univerſitatem ipſam acceſſum, cum ipſorum detrimento diutius Præceptore deſtituantur, Filii Conventus de conſenſu expreſſo P. Provincialis, ſi expeditus ſit ad eum acceſſus, vel Vicarii Provinciæ, vel ſaltem Patrum a Conſiliis Conventus ipſius, pro interim de ſubſtituto provideant, qui pro tempore ſubſtitutionis ſuæ privilegiis, aliis Lectoribus Provinciæ legitime competentibus, fruatur. IV. In nova electione filii Conventus eum præferant, qui ſemel ad id muneris aſſumptus fuerit, ſi muneri ſuo antea plene ſatisfeciſſe compererint; niſi in concurſu Fratris extranei occurrat filius Conventus Mutinen. tum Regien. aut Corrigienſis, ut ſupra, opportunis qualitatibus inſtructus; quem in uſu prædictæ Cathedræ præferendum jam diximus. V. Cum ætatis maturitas, ac diuturnior in docendo exercitatio plurimum conferant ad erudiendam cum proventu & æſtimatione juventutem,

Erectio.

Donatio Ordini.

Confirmandus a Magiſtro Ordinis.

Amoveri poteſt ab aliis.

Labores.

Eligatur ad annos præſcriptos.

Statuta.

Quomodo ſupplendum, donec novus Profeſſor ſit præſens.

Profeſſor qualis eſſe debeat.

A quibus eligendus.

Quiſnam præferendus?

Ætatis, & exercitationis requiſita.

nullus

nullus eligatur in Professorem Cathedræ præfatæ, qui saltem per sex annos cum eximia laude antea non legerit; &, quoad fieri poterit, is eligatur, qui Lectionem Primariam Theologiæ, vel pro Primaria ab Ordinis Magistro approbatam, ad aliquem annum ac etiam ad triennium perfecerit. VI. Attendentes labores singulares Cathedræ Ordinis nostri, quos sæpedictus Professor, & quidem sine ullo temporali emolumento, (cui aliàs obesse nolumus & declaramus; si quando forte ex Conventu, vel aliunde eidem futuris temporibus propter insignes labores ipsos aliquid obveniat) atque adeò sine exemplo, in ea Universitate subire debet, ac perferre; Decernimus & mandamus, quatenus Professor, qui omnia & singula præscripta per leges & consuetudines, pro dictandis & explicandis Lectionibus, pro conferentiis & conclusionibus tam privatis quam publicis, nec non pro cæteris quibuscumque in præfata Universitate juxta ipsius Kalendarium & stilum exercitationibus habendis, laudabiliter, ut supra & infra, perfecerit, itaut solo infirmitatis actualis, vel urgentis tantummodo ad paucos dies gravis necessitatis, per Magistrum Ordinis, Capitulum Provinciale, aut etiam per P. Provincialem Provinciæ prædictæ subinde recognoscendæ, obtentu, & non alio quocumque prætextu, vel ipsis vel ipsorum aliquibus eximatur; non solum de victu, vestitu, ac medicinalibus, quemadmodum cæteri Fratres in eodem Conventu aliàs assignati, provideatur; sed etiam gaudeat omnibus & singulis privilegiis & exemptionibus, quibus Lectores in Collegio ejusdem Conventus legitime potiuntur, aut potiri consueverunt; ac insuper respective insignibus aliis privilegiis, infra auctoritate Apostolica per nos decernendis. Qui vero realiter & cum effectu, absolute, vel etiam ad aliquod tempus, pro prædictis scholasticis functionibus in eadem Universitate determinatum, etiam ob præcisam discipulorum carentiam, eadem non perfecerit, absolute similiter, vel ad idem tempus, nullo penitus ex dictis, multo magis ex dicendis privilegiis, gaudeat; sed per Priorem, nisi aliunde sit canonice exemptus, ad diurnam & nocturnam sequelam Chori, atque ad alia Religionis exercitia, tamquam vere unus ex Patribus simplicibus Conventus, cogi possit ac debeat. VII. Qui modo prædicto datus fuerit in Professorem, atque post expletam Lectionem primariam, vel a Magistro Ordinis pro tempore pro primaria approbatam, sive ad minus post exactum integrum in legendo novennium, per alios quatuor annos legerit condigne secundum prædictas leges & consuetudines, & attestationem a Rectoribus Universitatis, atque a tribus saltem Patribus ex gravioribus dicti Conventus subscriptam, de vere realiter ac laudabiliter cum Discipulorum proventu, & ædificatione proximorum, peracto, vel propediem complendo illo quadriennio, Capitulo Provinciali exhibuerit, possit ac debeat ad Magisterium simplex ab eodem Capitulo postulari, quemadmodum & ad Magisterium Studentium in Studio Generali Bononien. exercendum; nisi aliàs antea suis exigentibus meritis ad hoc posterius fuisset postulatus. Idem vero, proportione quoad annos servata, fiat pro eo, qui per plures quam per novem annos legerit, priusquam ad Cathedram illam assumatur. VIII. Qui post Quindennium, ex Decretis Apostolicis aliàs requisitum, vel post prædictum tempus, pro Cathedra S. Thomæ ex Sanctissimi concessione sufficiens, ad Lauream prædicti Magisterii simplicis a Magistro Ordinis, ad eam promotus, vel ab ea suscipienda dispensatus, necnon a Provincia ad Magisterium Studentium postulatus, a filiis supradictis electus, & a Nobis vel Successoribus nostris, ut supra, datus fuerit, vel confirmatus in Professorem, & per biennium Cathedram moderatus fuerit, atque attestationes de biennio completo vel proxime complendo, Capitulo Provinciali exhibuerit, servatis omnibus & singulis nuper dictis, a Capitulo ipso Provinciali in Regentem vel Baccalaureum, prout sibi spectatis meritis convenientius videbitur, perinde acsi vere, realiter, & non per æquipollens, Magisterium prædictum Studentium Bononiæ complevisset, postulari similiter possit, ac debeat. IX. Ubi denique aliquis electus & datus, sive confirmatus fuerit, ut prædictum est, in Professorem, postquam biennium præmissum, vel etiam Magisterium Studentium Bononiæ, cum postulatione antedicta ad Regentatum vel Baccalaureatum, perfecerit: & per aliud Quadriennium in Cathedra S. Thomæ præstiterit supradicta omnia, modo pariter dicto, atque Attestationes præfatas de eo peracto vel proxime complendo, ad Capitulum Provinciale detulerit, in Magistrum Provinciæ cum loco & voce a Capitulo ipso acceptari possit ac debeat in omnibus & per omnia, ac si Regentatum ipsum aut Baccalaureatum in Studio Generali Bononiensi realiter & cum effectu absolvisset. X. Ne vero contingat, prædictas a Nobis Postulationes ad Magisterium Studentium, Baccalaureatum, vel Regentatum, Professori ex eo denegari a Provincia, quod per Nos & Successores prædictos, numerus postulandorum præfigatur; concedimus de gratia speciali pro futuris perpetuo temporibus, quatenus quotiescumque postulandus occurrat ad aliquem prædictorum Graduum aliquis ex futuris Professoribus, numerus ille pro tempore præfixus pro Professore ipso augeatur; ut idem non tamquam supranumerarius, sed intra numerum ipsum, & quidem modo, loco, & ordine, quos ejusdem merita respective ad alios postulandos exigent, re ipsa postuletur. Reservamus tamen Nobis facultatem, ad ea addenda, quæ ad supradictorum firmiorem executionem aut clariorem expositionem, opportuna a Nobis censeri poterunt; Quemadmodum ex supradicto Chirographo Sanctissimo Nobis & Successoribus Nostris prædictis reservamus facultatem, ut si quandoque contingat, per Capitulum Provinciale impediri, quo minus Professor aliquis, supradicta habens requisita, merita, & opera, postulationibus ac gratiis præmissis fruatur, ipsum auctoritate Apostolica in eorum possessione ponendi & conservandi. Non obstantibus quoad omnia & singula hactenus dicta Statutis Ordinis, Provinciæ prædictæ Legibus, aut Privilegiis: Brevibus quoque Innocentianis, sive Decretis Apostolicis de Quindennio integro pro Magisterio simplici requisito, de æquipollentia tollenda, deque aliis quibuslibet, cæterisque quibuscumque non obstantibus, quæ idem Sanctissimus voluit non obstare; & quibus auctoritate Nobis ab eodem Sanctissimo benigne commissa per præsentes derogamus, & derogatum esse declaramus. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: Amen. Datum Romæ in Conventu nostro Sanctæ Mariæ supra Minervam die XVIII. Februarii MDCCXXX. Fr. Thomas Ripoll, Magister Ordinis. Loco ✠ Sigilli. Regist. fol. LIX. Fr. Dominicus Ponsi, Magister, Ex-Provincialis, & Socius.

Privilegia sub certi oneris conditione Professori concessa:

Auctoritate alias ordinaria:

Auctoritate Apostolica.

In Ordine ad Magisterium Simplex:

Magisterium Studentium;

Et ad Magisterium S. T. cum loco, & voce.

Aliud Privilegium auct. Magistri Ord. concessum.

Præservatio facultatum Magistro Ordinis.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Joannes Dominicus, ut tam dictus Hyacinthus quam successores Professores, & quicumque alii, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, Privilegiorum regularium, ac utique gravium Statutorum hujusmodi executionem firmius lætiusque promoveant,

Supplicis petitionis continuatio.

opportune in præmiſſis a Nobis provideri, & aliàs, ut infra, indulgeri, ſummopere deſideret; Nos ipſum Joannem Dominicum ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum; harum ſerie abſolventes & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus, ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati, de venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, negotiis & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſitorum, conſilio, omnia & ſingula præinſerta Privilegia & Statuta, a memorato Thoma Magiſtro Generali edita, ut præfertur, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus & approbamus, illiſque Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & ſingulos juris & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus; Ipſaque Privilegia & Statuta perpetuo obſervari, auctoritate & tenore præfatis mandamus; Necnon in iiſdem dicto Thomæ Magiſtro Generali facultatem addendi, quæ pro illorum pleniori executione vel declaratione, opportuna cenſeri contingat, præſervantes, ratam, firmamque habemus: Salva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Confirmatio Apoſtolica, cum opportuna præſervatione.

Clauſulæ.

§. 3. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere; & illis, ad quos ſpectat & pro tempore ſpectabit, in omnibus & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritum faciens.

§. 4. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis; necnon, quatenus opus ſit, Provinciæ & Ordinis præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 16. Aprilis 1732. Pontificatus noſtri Anno Secundo.

F. Card. Olivierius.

LIX. Confirmatur Decretum Congregationis Particularis, a Sanctiſſimo Domino Noſtro deputatæ ſuper obſervantia Conſtitutionum Ægidianæ & Carpenſis; & exhibitione & Archiviatione inſtrumentorum pro Communitatibus & Univerſitatibus Provinciæ Marchiæ.

Dat. die 30. Aprilis 1732. Pont. An. II.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

NUper a particulari Congregatione nonnullorum Romanæ Curiæ Prælatorum, a Nobis deputata ſuper obſervatione Conſtitutionum Ægidianæ & Carpenſis in Provincia noſtra Marchiæ, emanavit decretum tenoris, qui ſequitur, videlicet:

Decreti tenor.

§. 1. In Congregatione particulari a Sanctiſſimo Domino Noſtro Clemente XII. deputata RR. PP. DD. Merlini, Guglielmi, & Mei infraſcripti, ſuper obſervantia Conſtitutionum Ægidianæ & Carpenſis in Provincia Marchiæ, habita die 5. Junii 1731. reſolutum fuit: Conſtitutiones Ægidianam. & Carpenſem ſervandas eſſe juxta modum; Modus eſt, quod idem Notarius ſtipulans abſque ulla mercede, præter illam conſuetam ſtipulationis ſive rogiti, teneatur exhibere infra terminum dierum quindecim a die ſtipulationis Notario illius Judicis, a contrahentibus eligendi, coram quo fieri debet inſinuatio, eamdem copiam publicam juxta Bullam Sixtinam archiviandam, una cum inſtrumento originali, ad hoc ut prædictus Notarius Judicis inſinuationis, ad inſtantiam unius vel alterius ex contrahentibus, ſive de eorum mandato, more ſolito illud inſinuet, fidemque inſinuationis faciat tam in margine dicti inſtrumenti originalis, quam copiæ archiviandæ: reſervata tamen facultate contrahentibus prædictos Notarios ſtipulantes cogendi ad præfatam exhibitionem inſtrumenti originalis, & copiæ archiviandæ infra dictum terminum dierum quindecim. -- Factaque per me die ſubſequenti ſexta ejuſdem menſis Junii relatione Sanctitati Suæ de prædicta reſolutione, Sanctiſſimus illam approbavit. *N. Archiepiſcopus Nazian. Auditor.*

§. 2. Cum autem, ſicut dilecti filii Communitates, & Univerſitates, & Homines dictæ Provinciæ Nobis ſubinde exponi fecerunt, ipſi decretum hujuſmodi, quo firmius ſubſiſtat, & ſervetur exactius, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri plurimum deſiderent; Nos ſpecialem ipſis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus, eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati, decretum præinſertum auctoritate Apoſtolica tenore præſentium denuo approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & ſingulos juris & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus.

Confirmatur.

§. 3. Decernentes, eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere; ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, in omnibus & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſulæ.

§. 4. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, dictarum Communitatum & Univerſitatum Provinciæ hujuſmodi, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, &

innovatis.

innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 8. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 30. Aprilis Pontificatus Nostri Anno Secundo.

F. Card. Oliverius.

Præsentium Literarum observantia.

Obstantium derogatio.

LX. Confirmatur Decretum, ab Abbate & Officialibus Congregationis Ecclesiasticæ, sub Invocatione S Petri in Conventu Sanctissimæ Trinitatis Mexican. canonice erectæ editum, ne mulieribus in eorum Collegium, Hospitale, Domus, & habitationes pateat aditus.

Dat. die 20. Maji 1732. Pontif. An. II.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Facti series.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Abbas & Officiales Congregationis Ecclesiasticæ, sub invocatione S. Petri in Conventu Sanctissimæ Trinitatis Civitatis Mexican. in Indiis, canonice (ut asseritur) erectæ, quod ipsi cum approbatione venerabilis Fratris moderni Archiepiscopi Mexican. Decretum ediderunt, ut mulieres cujuscumque status & conditionis, etiam in casu infirmitatis, eorumdem exponentium Collegium, Hospitale, Domum, & quamlibet aliam dictæ Congregationis habitationem ingredi nequirent, itaut decreto hujusmodi sub quovis prætextu nec a quolibet Ordinario, neque ab Abbate, aliisque Officialibus, nunc & pro tempore existentibus prædictæ Congregationis Ecclesiasticæ, derogari unquam possit.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, ipsi exponentes, Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri, plurimum desiderent; Nos ipsos exponentes specialis favore gratiæ prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis Sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus, eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, qui votum dilecti filii Nostri Ludovici ejusdem S R. E. Cardinalis Belluga nuncupati, ad ejusmodi negotium examinandum a prædicta Congregatione Cardinalium deputati, attenderunt, consilio, supraenunciatum Decretum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus: salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Confirmatio Decreti, de quo in Rubrica.

§. 2. Decernentes, easdem præsentes literas semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac ab illis, ad quos spectat & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictæ Congregationis Ecclesiasticæ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 20. Maji 1732. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

F. Card. Oliverius.

LXI. Confirmatur Decretum Congregationis Episcoporum & Regularium quo confirmatur resolutio nuperi Capituli Generalis Ordinis Bethlemitarum in Indiis Occidentalibus, ut Officialium electio in unaquaque Domo per Præfectum, & quatuor Definitores Generales fiat.

Dat. die 27. Maji 1732. Pontif. An. II.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplex Libellus.

NUper pro parte dilectorum filiorum Vocalium Capituli Generalis Ordinis Bethlemitarum in Indiis Occidentalibus, Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præpositæ, expositio, quod in Constitutionibus ejusdem Ordinis a fe. re. Innocentio PP. XI. Prædecessore Nostro confirmatis, statuebatur, electiones Præfecti, Vice-Præfecti, quatuor Discretorum, & Majorum Infirmariorum, ac Procuratorum cujuscumque Domus & Hospitalis, spectare ad Religiosos Domus & Hospitalis hujusmodi, ad formam earumdem Constitutionum votum habentes: Verum quia experientia quadraginta & ultra annorum compertum erat, quamplura inconvenientia in præjudicium etiam regularis observantiæ orta fuisse ac in dies oriri ex prædicto modo faciendi dictas electiones, ideo in eodem Capitulo Generali in Civitate Mexican. mense Februario anno 1730. ad occurrendum hujusmodi absurdis & inconvenientibus, per pluralitatem suffragiorum resolutum fuerat, quod jus eligendi dictos Præfectum, Vice-Præfectum, Discretos, Majores Infirmarios, & Procuratores cujuscumque Domus, pertinere deberet ad Præfectum Generalem, & quatuor Definitores Generales una cum Secretario Generali, & Præfecto Domus, ubi fieri contingat hujusmodi electiones, necnon cum duobus aliis Religiosis, qui munus vel Generalis vel Assistentis Generalis vel Vice-Generalis vel Præfecti alicujus Domus obierint: his omnibus deficientibus cum Religiosis magis antianis, quos reperiri contingat in Domo, in qua fieri debeant electiones prædictæ, & ad eas procedendum esset

Per Constitutiones Ordinis electiones Officialium Religiosis cujusque Domus concedi.

Ex Decreto verò postremi Capituli Generalis Præfecto Generi. & Definitoribus Generalibus committi.

per

per ſcrutinium & vota ſecreta, ita tamen, ut ex novis ſuffragiis, ut ſupra, adhibendis, quinque pro electione canonica ſufficiant: Et in eadem expoſitione ſubjuncto, quod in prædicto Capitulo Generali ſancitum fuerat, quod ejuſmodi electiones fieri debeant de triennio in triennium, abſque eo quod prorogari poſſint, nec quod ullus in Præfectum ejuſdem Domus reeligi queat, ita quod ſi triennium expiraverit, & non potuerit ob abſentiam Patris Generalis procedi ad prædictas electiones ſeu alteram ex illis, tunc Vice-Generalis cum ſuis Aſſiſtentibus eligat per ſcrutinium ut ſupra Præſidentem illius Domus ſeu Domorum, quæ Præfecto indigerent, donec perveniant literæ patentes Electi vel Electorum in Præfectum ſeu Præfectos. Et hoc ipſum ſervandum ſit in caſu obitus vel renunciationis dictorum Electorum; & in abſentia Patris Generalis poſſit Vice-Generalis admittere tales renunciationes, injuncto tamen eidem onere certiorandi dictum Præfectum Generalem, ut ſervata forma ſuperius expreſſa poſſit ad electiones devenire, ut fuſius habebatur ex particula reſolutionis captæ in eodem Capitulo generali; Ac proinde pro parte Vocalium memorati Capituli generalis eidem Congregationi Cardinalium ſupplicato, ut prævia derogatione Conſtitutionum Ordinis in dicto Capitulo IX. §. XVI. prædictam reſolutionem confirmaret, adhoc ut executioni demandari poſſit; Emanavit a prædicta Congregatione Cardinalium Decretum tenoris ſequentis, videlicet.

Hujuſmodi verò electiones quolibet faciendas triennio.

Pro his omnibus peti confirmationem.

Decret. Congregat. hæc approbans.

§. 1. Sacra Congregatio Eminentiſſimorum & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium, negotiis & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſitæ, ad quam Sanctiſſimus Dñus Noſter PP. CLEMENS XII. libellum remiſit, attento ſuffragio Eminentiſſimi Cardinalis Pico, Ordinis Bethlemitarum apud S. Sedem Protectoris, ac re undique mature diſcuſſa, referente pro Eminentiſſimo Cardinali Belluga, Ponente, abſente, Eminentiſſimo Cardinali Barberini, benigne reſcripſit -- Prævia derogatione Cap. 9. §. 16. Conſtitutionum in ea parte, qua diſponitur, electiones Præfectorum, Vice-Præfectorum, quatuor Diſcretorum, majoris Infirmarii, ac Procuratoris faciendas eſſe a ſingulis Communitatibus Conventuum, impoſterum illas eſſe faciendas a Generali, quatuor Aſſiſtentibus, Secretario Generali, Præfecto Domus, ubi fit electio, & duobus Religioſis, qui fuerint vel Generales, aut Aſſiſtentes Generales, aut Vice-Generales, aut Præfecti, &, illis non exiſtentibus, a religioſis Viris magis antianis ejuſdem Domus: & electio intelligatur facta in perſonam ejus, qui habuerit majorem numerum ſuffragiorum: Quod electiones fiant de triennio in triennium abſque facultate eas prorogandi: & ſi dum ſpirat triennium, ob abſentiam Generalis non perveniſſet proviſio ab eodem capta, tunc Vice-Generalis cum ſuis Aſſiſtentibus eligat Præſidentem illius Domus, ubi erat facienda electio, qui eam gubernet pro interim: Quod erit obſervandum in caſu obitus aut renunciationis Electorum ante triennium: Et quod ob abſentiam Generalis valeat Vice-Generalis admittere renunciationes Electorum, cum obligatione tamen de iis certiorandi Patrem Generalem, ad hoc ut poſſit dare opportunas providentias pro electione Succeſſorum. Romæ die 2. Maji 1732. Cardinalis Franciſcus Barberinus. Loco ✠ ſigilli. I. Archiepiſcopus Cor. Secretarius.

Confirmatur.

§. 2. Cum autem, ſicut prædicti Vocales Nobis ſubinde exponi fecerunt, ipſi præmiſſa, quo firmius ſubſiſtant, & ſerventur exactius, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri plurimum deſiderent; Nos ipſos Vocales ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis Sententiis, cenſuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus, eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati, Decretum præinſertum Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus & confirmamus; illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus: ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Clauſulæ.

§. 3. Decernentes, eaſdem præſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere; ac illis, ad quos ſpectat & pro tempore quandocumque ſpectabit, in omnibus & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari & definiri debere: ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis ac ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 27. Maji 1732. Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

F. Card. Oliverius.

Declaratio, quod Provinciæ Galliæ, ac Conventus Beatæ Mariæ Miraculorum de Urbe Tertii Ordinis Sancti Franciſci, comprehendantur in Brevi Sanctiſſimi Domini Noſtri circa vias Crucis &c. LXII.

CLEMENS PAPA XII.

Dat. die 10. Junii 1732. Pontif. An. II.

Ad futuram rei memoriam.

ALiàs Nos ſupplicationibus dilecti filii Bernardi Monterde, Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia nuncupatorum, nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, decrevimus, ac indulſimus, ut loca pia, via Crucis ſeu Calvarii nuncupata, ad inſtar Stationum Montis Calvarii, in Eccleſiis ac locis piis Miniſtro Generali pro tempore exiſtenti dicti Ordinis non ſubjectis, nec ab eo dependen. per Fratres Ordinis præfati tunc erecta & impoſterum erigenda, eiſdem indulgentiis ac privilegiis fruerentur & gauderent, quibus fruebantur & gaudebant erecta in Eccleſiis & locis Ordinis prædicti: ita tamen, ut quoad deinceps erigenda modus & forma ſervarentur, quibus ejuſmodi erectiones in Eccleſiis & locis dicti Ordinis eatenus fieri conſueve-

rant, & accederet licentia Ordinarii loci, ac consensus Parochi, & Superioris Ecclesiæ & loci pii, ubi de eis erigendis agi contingeret, & aliàs, prout uberius continetur in nostris desuper in simili forma Brevis expeditis Literis, tenoris, qui sequitur, videlicet:

§. 1. CLEMENS PP. XII. *Ad futuram rei memoriam.* Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Bernardus Monterde, Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, tam suo, quam dilecti etiam filii moderni Ministri Generalis dicti Ordinis nomine, quod, cum antiqua vigeret ac etiamnum vigeat in Ordine hujusmodi consuetudo erigendi & instituendi per illius Fratres, in vim facultatis sibi aliàs a Sede Apostolica concessa, pia loca, via Crucis seu Calvarii nuncupata, ad instar Stationum Montis Calvarii, nedum in ejusdem Ordinis, sed etiam in aliis Ecclesiis ac locis, ab eo minime dependentibus; isque mos in universis Regnis Hispaniarum, ac plurimis Italiæ regionibus semper antehac retentus fuerit, & adhuc de præsenti servetur: Licetque dudum fel. rec. Innocentius PP. XII. Prædecessor Noster ad preces tunc in humanis agentis Francisci Diaz, dum viveret, Commissarii Generalis pro ultramontana Familia dicti Ordinis, præfata loca pia viæ Crucis seu Calvarii sub quibusdam rec. mem. Innocentii PP. XI. Prædecessoris quoque nostri literis in simili forma Brevis die 5. Septembris 1686. super confirmatione diversarum Indulgentiarum & Privilegiorum ipsius Ordinis editis, comprehendi, ac proinde frui & gaudere posse Indulgentiis & Privilegiis in literis hujusmodi concessis & expressis, declarasset per suas itidem in forma Brevis die 5. Decembris 1696. desuper expeditas Literas, idque absque limitatione ac restrictione dictorum locorum viæ Crucis seu Calvarii ad Ecclesias & loca Ordinis præfati factum fuisset; Nihilominus aliqui existimantes facultatem, illa erigendi & instituendi ad Ecclesias & loca Ordinis prædicti: Indulgentias vero & Privilegia ejusmodi ad personas, obedientiæ ac directioni pro tempore existentis Ministri Generalis ejusdem Ordinis subjectas, respective limitata & restricta esse, a piæ mem. Benedicto PP. XIII. etiam Prædecessore Nostro, Indulgentias & privilegia præfata ad quoscumque utriusque sexus Christifideles, dicto Ministro Generali non subjectos, qui tamen ejusmodi loca pia Crucis seu Calvarii penes Fratres supradicti Ordinis, privative quoad alios quoslibet, visitarent, ibique memoriam Dominicæ Passionis devote recolerent, aliaque injuncta opera peragerent, extendi & ampliari obtinuerunt, prout in ipsius Benedicti Prædecessoris Literis sub plumbo, anno Incarnationis millesimo septingentesimo vigesimo sexto, quinto Nonas Martii, Pontificatus sui anno Tertio, emanatis, uberius continetur.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, ipse Bernardus non minus ratione sui officii Procuratoris Generalis hujusmodi, quam de expresso mandato dicti moderni Ministri Generalis, ad enatam occasione præmissorum confusionem tollendam, remque in statum pristinum restituendam, prædicta loca pia viæ Crucis seu Calvarii per eosdem Fratres, etiam in Ecclesiis & locis, quæ non sint dicti Ordinis, erecta & erigenda, eisdem Indulgentiis & Privilegiis gaudere per Nos declarari summopere desideret, quemadmodum ab ipso Benedicto Prædecessore, postquam Literæ suæ præfatæ prodierant, ad supplicationem dilectæ in Christo filiæ Nobilis Mulieris Violantis a Bavaria Principissa Etruriæ Viduæ, Fratribus Recessus Sancti Francisci ad Montem Florentinum, & Conventus de Ambrosiana nuncupat. dicti Ordinis in vim cujusdam rescripti die 10. Novembris 1729. ejus jussu editi, concessum fuisse memoratur; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ejusdem Bernardi votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere cupientes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes & absolutum fore censentes: necnon utriusque Innocentii, & Benedicti Prædecessorum literarum præfatarum tenores, & alia quæcumque, etiam specificam & individuam mentionem & expressionem requirentia, præsentibus pro plene & sufficienter expressis & specificatis, habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, quod prædicta loca pia viæ Crucis seu Calvarii, in Ecclesiis, Oratoriis, Monasteriis, Hospitalibus, & aliis itidem piis locis, ipsi Ministro Generali non subjectis, nec ab eo dependentibus, per Fratres dicti Ordinis nunc erecta, & in posterum erigenda in Ecclesiis & locis Ordinis præfati, auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus & declaramus; ac, quatenus opus sit, de novo concedimus & indulgemus; ita tamen, ut quoad illa sic deinceps erigenda modus & forma serventur, quibus ejusmodi erectiones in Ecclesiis & locis Ordinis prædicti hactenus fieri consueverunt, & accedat licentia Ordinarii loci, ac consensus Parochi, & Superiorum Ecclesiæ, Monasterii, Hospitalis, & loci pii, ubi de eis pro tempore erigendi agi contigerit.

§. 3. Decernentes pariter, easdem præsentes literas semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari; sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac nostra & Cancellariæ Apostolicæ Regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, & aliis Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio & extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 16. Januarii 1731. Pontificatus nostri anno Primo. F. Card. Oliverius.

§. 6. Cum autem, sicut pro parte dilectorum filiorum Procuratorum Provinciarum Galliæ Fratrum Tertii Ordinis ejusdem Sancti Francisci, ac Guardiani Conventus Beatæ Mariæ Miraculorum nuncupat. de Urbe ipsius Tertii Ordinis, Nobis nuper expositum fuit, tametsi Fratres Tertii Ordinis hujusmodi, utpote supradicto Ministro Generali Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia, ejusque jurisdictioni subjecti, pro certo habeant, se in literis nostris præinsertis comprehensos esse, quia tamen expressa ac individua eorum in dictis literis mentio facta non fuit, vereantur, ne hoc prætextu aliqua forsan sibi desuper moveatur difficultas, aut impediantur, quominus earum-

dem

dem literarum commodo & effectu pacifice potiri valeant: Nobis propterea exponentes præfati humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Fratres Tertii Ordinis Provinciarum Galliæ, ac Conventus Beatæ Mariæ Miraculorum de Urbe in præinsertis literis nostris ad omnes effectus inibi expressos comprehendi, easdem literas Fratribus prædictis in omnibus & per omnia plenissime suffragari debere perinde, ac si de ipsis Fratribus individua mentio in eis facta fuisset, auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus quoque, & declaramus.

§. 7. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 10. Junii 1732. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

F. Card. Oliverius.

LXIII. Confirmatur Decretum Congregationis Episcoporum & Regularium super divisione Provinciæ Austriæ Inferioris Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum in duas Provincias Austriæ Inferioris unam, alteram vero Silesiæ & Moraviæ.

Dat. die 10. Junii 1732. Pontif. An. II.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplex Libellus Congregationi datus pro obtinenda separatione.

NUper pro parte dilectorum filiorum Fratrum Provinciæ Austriæ Inferioris Ordinis Minorum S. Francisci, Conventualium nuncupatorum, Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præpositæ, expositio, quod cum eadem Provincia Conventibus in dicta Austria, ac Silesia, & Moravia constans reperiretur, consideratum fuerat pro majori quiete, tam necessaria Regulari vitæ, illam separatione de præsenti indigere; cum experientia compertum sit, quod inter Austriacos ex una, & Silesios ac Moravos ex altera partibus mutua tranquillitas, nisi Provinciam hujusmodi separando, conciliari nequiverat; Ideoque prædictæ Congregationi Cardinalium supplicato, ut denuo eamdem Provinciam separaret, formando unam ex septem Conventibus, & duarum Residentiarum in Silesia & Moravia consistentibus, & relinquendo solam Provinciam Austriæ Inferioris infra & supra Anasum flumen, quæ novem Conventibus, & unico Monialium Monasterio, quarum cura quatuor Religiosis hujus Provinciæ committitur, constabit; & hac ratione, duarumque Provinciarum distinctione formanda, querimoniæ, quæ inter utriusque nationis Religiosos exortæ sunt, cessabunt; ac pro ejusmodi destinatione Provinciarum charissimus in Christo filius noster Carolus Hispaniarum Catholicus, & Romanorum Rex in Imperatorem electus, mentem suam super præmissis declaraverat, quemadmodum ex relatione ad eosdem Cardinales transmissa a Venerabili Fratre Dominico Archiepiscopo Ephesin. ad eumdem Carolum Regem, & Imperatorem electum, Nostro & Apostolicæ Sedis Nuncio, qui in faciem loci hujus divisionis necessitatem agnovit, constare dicebatur: Emanavit a prædicta Congregatione Cardinalium Decretum, tenoris, qui sequitur, videlicet:

S. Congregationis Decretum.

§. 1. Sacra Congregatio Eminentissimorum & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præposita, attenta relatione P. Ministri Generalis Ordinis, benigne rescripsit pro approbatione, sive pro gratia divisionis Provinciæ juxta modum: Nempe quod divisio fiat eorum tantummodo Conventuum, qui de præsenti constituunt Provinciam Austriacam, assignatis illis, qui sunt infra & supra Anasum Austriacis, & remanentibus cæteris, cui videlicet Moravis & Silesitis pro altera Provincia erigenda. Divisio vero hujusmodi facienda tenore præsentium committitur P. Generali cum omnibus opportunis & necessariis facultatibus, & signanter convocandi in utraque Provincia distincta Capitula, in quibus eligi debebunt Superiores tam custodiales quam locales, juxta Constitutiones Ordinis: firmatis tamen prius, & ante electionem Superiorum assignatis Conventibus, & divisis in Custodias; necnon destinandi Conventus pro studiis tam Philosophicis quam Theologicis, & Moralibus; quinimo pro unico Novitiatu in unaquaque Provincia, & Professoriis, juxta necessitatem. Romæ die 23. Maii 1732. Cardinalis Barbarinus. F. Archiepiscopus Con. Secretarius. Loco ✠ Sigilli.

§. 2. Cum autem, sicut prædicti Fratres Nobis subinde exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent; Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis dictorum Cardinalium.

Confirmatur.

§. 3. Decernentes, easdem præsentes literas semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac dictis Exponentibus, & ab illis, ad quos spectat & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis & Provinciæ, ac Conventuum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, aut quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene

& sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 10. Junii 1732. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

F. Cardinalis Oliverius.

LXIV. Confirmatur Decretum Definitorii, & Vocalium Capituli Provincialis Provinciæ Sanctæ Mariæ Hungariæ Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia, Reformatorum nuncupatorum, super acceptatione alternativæ tripartitæ in eadem Provincia, & distributione officiorum inter Fratres Nationis Hungaricæ, Germanicæ, Slavonicæ.

Dat. die 16. Junii 1732. Pontif. An. II.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio. EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Fulvius a Bononia, Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia, Reformatorum nuncupatorum, quod cum aliàs Venerabilis Frater Matthæus Archiepiscopus Panormitan., qui tunc temporis Ministri Generalis dicti Ordinis munere fungebatur, per quasdam suas Patentes literas die 11. Martii 1727. emanatas, in Provincia Hungariæ eorumdem Fratrum Reformatorum tripartitam alternativam in omnibus electionibus, officiorum distributionibus, inter Fratres totidem Nationum, nempe Hungaricæ, Germanicæ, & Slavonicæ, Novitiorum, vestitionibus, Conventuum partitionibus, aliisque dispositionibus, quæ distributivam justitiam inter nationes hujusmodi inducere & fovere valeant, perpetuis futuris temporibus adamussim servandam esse sanxisset; idque etiam a fel. rec. Benedicto PP. XIII. Prædecessore Nostro per quasdam suas Literas die 4. Aprilis ejusdem anni expeditas confirmasset: Verum nonnullis Fratribus contradicentibus, aliisque annuentibus, literæ prædictæ executioni demandatæ fuerint, ideo ut dissentione animorum penitus evulsa ad concordiam omnes partes reducerentur, de speciali mandato Superioris Generalis ejusdem, & ad instantiam partium coram Commissario Visitatore Generali, tum omnes Religiosi emeriti Provinciæ, qui præsertim Prælaturarum officium gesserant, tum actuales Minister Provincialis, necnon Custos, atque Definitores unà cum Exdefinitore Generali, insimul congregati, matura præmissa consultatione, prædictis Benedicti Prædecessoris literis earumdem literarum Patentium confirmatoriis unanimiter die 7. Martii 1730. assensum præstiterunt: sponte ac libere id ipsum acceptarunt: futuris quoque temporibus inviolabiliter observare spoponderunt: perpetuumque silentium demandarunt, & aliàs, prout uberius continetur in decreto acceptationis hujusmodi desuper facto, tenoris, qui sequitur, videlicet:

Fr. Sigismundus Kerpin, Ordinis Minorum Strictioris Observantiæ S. P. N. Francisci Concionator, Sacræ Theologiæ Lector, & Custos actualis, ac Almæ itidem Provinciæ Sanctæ Mariæ Hungariæ Commissarius Visitator Generalis.

Omnibus & singulis hujus Almæ Provinciæ dilectissimis Patribus & Fratribus salutem & sanctam pacem.

Decretum de quo in Rubrica. §. 1. Quemadmodum Seraphici Spiritus amorem Dei, ita & corporis nostri membra dilectionem proximi significant, edocentque: *Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent; ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Quapropter sicut membrum unum ab altero separari quammaxime reformidat, pari modo & nos omnem divisionem, omnem dissensionem, omnem charitatis læsionem vehementissimè timeamus; necesse est; soliciti semper servare unitatem spiritus, & fraternæ Charitatis. Caput nostrum Christus est, & nos membra ejus; Christum non diligit, qui ejus membra negligit. *Tanta in humani corporis membris inest copula, tantus amor, tamque inseparabilis & insuperabilis dilectionis unitas, ut unum sine alio non valeat gaudere.* Lætitia illis communis est, pœna æqualis, ita quod uni tribuitur, cætera se recepisse gratulentur, ait Laurentius Justinianus de Ligno vitæ. Ita etiam Christo fit, quod corpori Christi irrogatur, dicente illo: *Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex Fratribus meis minimis, mihi fecistis*; & ad Saulum: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Bene hic advertit Augustinus, quod Saulus non Christum, sed membra, hoc est fideles ejus sit persecutus; *Voluit tamen dicere Sanctos meos, Servos meos, postremo honorabilius, Fratres meos, sed me, hoc est membra mea, quibus ego sum Caput.* Dignum est, ut nos membra sequamur, quo Caput nostrum præierit; præivit Christus, & præcepit: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Dilexit nos Christus dulciter absque amaritudine, sed ex benevola affectione, bonum nobis volens, fovens, favens, & faciens: Dilexit nos efficaciter absque fictione, sed opere, & veritate, omnibus benefaciendo, docendo universos; sic ergo & nos diligamus invicem, Fratres enim sumus: *Ecce quam bonum & quam jucundum, habitare Fratres in unum.* Nihil æque oblectat animum quàm hæc fraterna charitas; nullum habet laborem, ingentem vero voluptatem. Ablata unione, corpus corruat necesse est: & extincta charitate dissolvitur omnis Religio. Contra verò, quemadmodum corpus nostrum per unionem partium suarum bene dispositarum, sibique invicem succurrentium, subsistit; sic similiter Congregatio religiosa firmatur & formatur in suo esse corporis moralis, si singula membra strictam unionem habeant, sibique invicem per vinculum mutuæ charitatis firmiter cohæreant. O ter quaterve beatam Religionem, cujus membra fraternæ dilectionis spiritu compaginantur. Eugenius PP. IV. in literis datis ad Fratrem Albertum de Sarciano, tunc Vicarium Generalem, Seraphico nostro Ordini sequens præclarum dedit elogium: *Ordo tuus, inquit, in Seraphicæ Charitatis ardore in principio fundatus, tamquam fœcundus plantationum hortulus uberrimos hucusque protulit fructus.* Dum enim plantati ex prima Beati Francisci vite palmites in Religione, honestate, sanctimonia, in primis ipsa charitate exculti fuerunt, in tantum est ea plantatio propagata, ut, per universum orbem diffusa, maximis Sacrarum literarum veritatibus, humilitatis & patientiæ divitiis abundans, populos repleat, saginetque divini eloquii pabulo, &, pulsis ignorantiæ tenebris, sanctæ conversationis amore desiderioque inebriet. Et Orbis Terrarum in cujus singulas pene particulas penetrastis, illa ipsa quam in vobis viderit, senserit, adoraverit, ardeat charitate, faciatque exemplum à vestra vita sumptum; & quod vobis maximum, & in intentione primarium esse debet, animas vestras vel ea ratione salvas faciatis, qui proximas inde curabitis lucri facere. Hæc Pontifex.

§. 2. In cujus argumentatione hoc mihi notare

Ad Rom. 12. v. 4.

Matth. 25. v. 40.

Act. 9. v. 4.

Tract. 28. & Joann.

Joann. 13.

Psal. 132.

fas est, quod, sicut speravit exemplum fraternæ charitatis profuturum aliis ad ædificationem, & vobis ad salutem, ita exemplum discordiæ futurum sit mundo in scandalum, & vobis ipsis in damnationem sempiternam; inde profecto lacrymæ, inde dolor sensibilis sauciavit animam, dum ingressus hanc almam Provinciam audivi, & experimento proprio didici, miras fore, & augere in dies animorum scissiones, discordias, & contentiones, Fratribus in diversos sensus abeuntibus; quibusdam nempe laudantibus & obedienter acceptantibus, aliis vero sub prætextu enormis læsionis, & gravis illatæ injuriæ, multifarie multisque modis & mediis impugnantibus decretum Reverendissimi Patris Ministri Generalis a Sanctissimo Domino Nostro PP. Benedicto XIII. in forma Brevis confirmatum, ac ante triennium in Conventu Sopronienſi publicatum, vi cujus tripartita electio, & officiorum distributio sub diversis pœnis futuris temporibus observanda præcipitur. Quia vero hæc animarum dissentio, & Sacris Canonibus, Ordinisque Constitutionibus vetita oppositis, præter pusillorum scandalum, & sæculi admirationem, magnum almæ Provinciæ, majusque in futurum minatur detrimentum; Officii mei ratio exigebat, opportunum tanto malo adferre remedium. Quapropter in hunc finem ad partium instantiam, & de speciali facultate Reverendissimi Patris Commissarii Generalis, Superioris nostri longe colendissimi, convocavi ad Metropolitanum Possonienſem Divæ Virginis Annunciatæ Conventum Patres A. RR. Ministrum Provincialem, totumque Venerabile Definitorium, & admodum Rev. P. Ordinis Exdiffinitorem Generalem, cæterosque emeritos Provinciæ Patres olim Ministeriatu functos, & præmissa privata cum iisdem consultatione, & animorum compositione, tandem septima Martii ad Cellam meæ residentiæ omnes congregavi, ac habita priùs ad eos de pace & fraterna charitate adhortatione, singuli prævia fraterna deprecatione ex laudabili publici boni ac Provinciæ tranquillitatis zelo omnes offensas atque quascumque injurias directe aut indirecte illatas sibi mutuo sincere condonarunt, ac desuper sponte & libere consenserunt, & acceptarunt Constitutionem Sanctissimi Domini Nostri PP. Benedicti XIII. incipien. *Exponi Nobis &c.* sub datum Beneventi 4. Aprilis 1727., & decreta Reverendissimi Patris Ministri Generalis de tripartita electione in Provinciam introducta, & futuris semper temporibus inviolate observare spoponderunt.

§. 3. Porro pro perpetua pace, & animorum concordia, tanto fortius & firmius stabilienda, statuit Venerabile Diffinitorium, & AA. RR. Ordinis respective, & Provinciæ Patres Emeriti, ut in causa acceptatæ vel recusatæ hucusque Apostolicæ Constitutionis, tripartitam electionem præcipientis, perpetuum omnibus silentium imponatur, ita ut nullo unquam tempore quis gloriari aut conqueri audeat, se in causa vicisse aut succubuisse: pariter, ne quis jactare audeat aut gloriari, se ex sua natione habere Superiorem, minus in suo patrocinio sese fundare, cum Superior omnium subjectarum sibi nationum æqualem curam & paternam solicitudinem gerere, omnesque pari sinceritate, & amoris exhibitione prosequi teneatur, quod Fratribus Laicis peculiariter simul & nervose a Superioribus inculcandum, atque a suis Confessariis efficaciter sæpius suggerendum erit. Si quis vero in præmissis contravenerit, illi indilate de solo Patrum Discretorum Conventus consilio ad domum disciplinæ includantur, inibi per triduum in pane & aqua jejunaturi; quibus pœnis etiam subjiciantur Socii, si has publicæ paci pernicioſas transgressiones non revelaverint. Superiores vero locales, statutas hasce pœnas non infligentes, ipso facto ab officio suspendantur, aut gravius etiam arbitrio Venerabilis Diffinitorii puniantur. In cujus rei fidem majusque robur propria manu subscripserunt, & majus Provinciæ sigillum appossuerunt.

Ita est Fr. Matthias Thum, Provinciæ Diffinitor, Slavus.

Fr. Ludovicus Purman, Provinciæ Diffinitor, Hung.

Fr. Gaspar Szente, Provinciæ Custos, Hung.

Fr. Bernardus Ramocsahazii, Provinciæ Pater, Hung.

Ita est Fr. Joannes Capostranus Sebach, Germanus Minister.

Fr. Carparus Nukeries, P. Diffinitor, Croata.

Fr. Josephus Boiger, P. Diffinitor, Germ.

Fr. Antonius Posomp, Provinciæ P. Hung.

Fr. Andreas Pordamp, Hungariæ Provinciæ Pater, & Exdiffinitor Generalis.

Loco ✠ Sigilli Magni.

§. 4. Quoniam vero in votis habes, ut & cæteri Patres & Fratres præclaro hoc exemplo commoti sibi invicem cohæreant, singulos verbis D. Pauli Apostoli ad Colossenſes 3. paterne exhortor: *Super omnia autem charitatem habere, quod est vinculum perfectionis, & pax Christi exultet in cordibus vestris, in quo & vocati estis in uno corpore.* Sicut anima non vivificat nisi conjuncta membra, ita nec Spiritus Sanctus Religiosos per discordias & scissuras separatos. Meminerint itaque serio dilectissimi Patres & Fratres, quod ubi charitas est, ibi Deus sit. Dei provide eritis, si unum fueritis, sit in vobis proinde unio intellectus & judicii, ut idem cum Superioribus & majoribus vestris sapiatis, sit unio affectionis & dilectionis, ut confratres vestros tamquam omnes genui nos hujus Provinciæ Filios, non carnaliter, sed spiritualibus per Deum, secundum Deum, & in Deo dilegatis, ac omnes particulares amicitias, quas maledicta olim a S. Patriarcha nostro Franciſco nationalitas dictaret, penitus abscindatis; Sit tandem unio voluntatum & cordium, ut unanimes idem & spontanee acceptetis, & prompte subscribatis, quod sicut pro communi hujus almæ Provinciæ bono desiderio ita omnibus ex animo benedico: In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: Amen. Datum in nostro Possonienſi dictæ Virginis Annunciatæ die 7. Martii 1730. Fr. Sigismundus Skerpin Commissarius Visitator Generalis: Et postmodum cum prædicta Provincia Mariana ex tercentis septuaginta octo Sacerdotibus & Clericis componatur, & singuli a supradicto Visitatore Generali interrogati, memorati Benedicti Prædecessoris literis, uno excepto, videlicet dilecto filio Provinciali, omnes Vocales, nemine prorsus discrepante non modo prædictas literas iterum habentes, capitulariter acceptarunt, verum etiam concorditer statuerunt tripartitam alternativam in eis contentam pariter extendendam esse ad subrogationes & substitutiones perpetuis futuris temporibus sub nullitatis pœna omnino servandam, & aliàs prout etiam continetur in decreto Capitulari tenoris sequentis, nempe: Ad stabiliendam in hac alma Beatissimæ Virginis Mariæ Hungariæ Provincia perpetuam pacem & tranquillitatem, Nos infrascripti in Capitulo Provinciali Possonii legitimi congregati Vocales uno ore & corde acceptamus, atque ut veros & obedientes S. R. E. & Sancti Patris nostri Franciſci Filios decet, perpetuis futuris temporibus observari desideramus & volumus Breve Sanctissimi Domini Nostri Benedicti XIII. san. mem. vi cujus bipartita electio, & officiorum distributio

præci-

præcipitur. Quia vero in prædicto Pontificio Brevi in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub excommunicationis majoris latæ sententiæ pœna, in hac Mariana Provincia observari, & executioni demandari præcipitur, expressum non est, utrum præfata alternativa servanda sit non solum in electionibus, sed etiam in subrogationibus & substitutionibus, ea propter negotium istud adamussim expendens Venerabile Definitorium, & totum Provinciæ Capitulum, in Conventu Posonienſi congregatum, unanimi omnium nationum consensu determinavit, quod suprafacta alternativa intelligi, sumi, & perpetuis futuris temporibus observari debeat, non solum in Electionibus Capitularibus, sed etiam in quibuscumque subrogationibus & substitutionibus; ita quidem, ut si intra Capitulare Triennium contingat eligendum esse Vicarium, vel Commissarium Provincialem, aut Prominiſtrum, vel Custodem, talis eligatur ex ea natione, ex qua fuit ille, loco cujus iste subrogandus vel substituendus manet. Hanc autem præsentem & ultimam determinationem Capitularem Venerabile Definitorium, & totum Provinciæ Capitulum in perpetuum observari ac manuteneri mandat, & a modo secus futuras Electiones, subrogationes, aut substitutiones pro nullis, & irritis haberi statuit & præcepit. Desiderat quoque hanc Provinciæ determinationem circa subrogationes aut substitutiones a Reverendissimo Patre Vice-Commissario Generali, aut, si opus fuerit, etiam a Sacra Congregatione confirmandam. Desuper duo instrumenta confecta & conscripta sunt, unum Romam mittendum, alterum in Archivio Provinciæ servandum, quibus omnes & singuli de corpore Capituli subscripserunt in Conventu nostro Posonienſi Beatissimæ Virginis Annunciatæ die 23. Junii 1730.

Subscriptiones Vocalium.

Fr. Hieronymus Lukasi Guardianus Posonien.
Fr. Bernardus Imnerk Guardianus Sopron.
Fr. Blasius Miartan Guardianus S. Catharinæ.
Fr. Franciscus Xelutnix Guardianus Nitrien.
Fr. Arsenius Kosler Guardianus Erskvivak.
Fr. Henricus Klikovies Guardianus Neemeth.
Fr. Gabriel Gajan Guardianus Malauken.
Fr. Severinus Podhradgyai Guardianus S. Antonii.
Fr. Florianus Ozolii Guardianus Jaurinen.
Fr. Athanasius Weninger Guardianus Kissmastonien.
Fr. Benignus Kasfai Guardianus Sabarien.
Fr. Michael Gomboss Guardianus Papen.
Fr. Zacharias Pussai Guardianus Comaron.
Fr. Sebastianus Hoini Guardianus Strigon.
Fr. Antonius Szumjogr Guardianus Pestien.
Fr. Leo Orehorski Guardianus Sancti Ladislai.
Fr. Hiacinthus Klanihons Præsidens Strigon.
Fr. Christophorus Schiesci Præsidens Alben.
Fr. Crescentius Paur Guardianus S. Montis Calvarii.
Fr. Matthias Fsum Præsidens Kesfthelien., & Provinciæ immediatus Exdefinitor.
Fr. Joseph Boyger Præsidens Badensis, & immediatus Exdefinitor.
Fr. Carparus Szente Præsidens Resprim. & immediatus Ex-Custos.
Fr. Ægidius Hiss Guard. Sumeghiens., & Definitor actualis.
Fr. Marianus Vyfallchs Ex-Guardianus Andocien., & Definitor actualis.
Fr. Gasparus Vuketits Provinciæ immediatus Exdefinitor.
Fr. Petrus Heineg Provinciæ Definitor actualis.
Fr. Demetrius Heim Ex-Guardianus Praten. Provinciæ Difinitor, & Secretarius.
Fr. Sebastianus Pankl Provinciæ Custos.
Fr. Antonius Posonii Provinciæ Pr.
Fr. Bernardinus Karnhki Pr.
Fr. Capistranus Ebeck Exminister Provincialis.
Fr. Andreas Pordani Exdefinitor gratis iterato, & Minister Provincialis actualis.

Loco ✠ Sigilli.

Sequuntur nomina aliorum Vocalium.

§. 5. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, firmiora sint, & serventur exactius illa, quæ Apostolici muniminis præsidio roborantur; Nobis propterea dictus Fulvius Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum Fulvium Procuratorem Generalem specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, decretum acceptationis alternativæ tripartitæ, hujusmodi præinsertum, tam a Definitorio, quam a Vocalibus Capituli Provincialis prædictæ Provinciæ in vim suprædictarum literarum factum, & deinde ad subrogationes, & substitutiones extensum, ut præfertur, cum omnibus & singulis in eo contentis, auctoritate Apostolica tenore præsentium pariter confirmamus & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos juris & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Apostolica confirmatione roboratur.

§. 6. Decernentes, easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 7. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon prædictorum Ordinis & Provinciæ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, aut quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 16. Junii 1732. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

F. Card. Oliverius.

LXV.

Erigitur Confraternitas, seu Congregatio nuncupat. Perpetuæ Adorationis Sanctissimi Sacramenti, in Ecclesia Collegiata Sanctæ Mariæ ad Martyres de Urbe.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dat. die 5. Julii 1732. Pont. An. II.

Exordium.

PAstoris æterni, qui pro gregis salute in ara Crucis immolari voluit, vices quamquam

immeriti, gerentes in Terris, pia Christifidelium vota, Divini Cultus incrementum, & ipsorum fidelium salutem concernentia ad exauditionis gratiam libenter admittimus, ut per operum piorum exercitium ad æternæ beatitudinis gaudia pervenire mereantur.

Supplex Libellus.

§. 1. Cum itaque, sicut nonnulli Christifideles Almæ Urbis Nostræ Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro sua erga Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum pietate ac devotione, utque alios fideles ad augumentum Divini Cultus, & venerationis, eidem Augustissimo Sacramento debitæ, accendant, in Sæculari & Collegiata Ecclesia Sanctæ Mariæ ad Martyres, vulgo de Rotunda nuncupat. Urbis præfatæ, unam eorumdem utriusque sexus Christifidelium Confraternitatem, seu Congregationem, sub titulo Perpetuæ Adorationis ejusdem Sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ per Nos erigi summopere desiderent;

Confraternitas erigitur.

§. 2. Nos piis dd. fidelium desideriis hujusmodi benigne annuere, animarumque saluti paterna charitate prospicere cupientes, supplicationibus, illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, in Sæculari, & Collegiata Ecclesia prædicta, unam utriusque sexus Christifidelium Confraternitatem, seu Congregationem, quæ non sit pro hominibus unius specialis artis sub titulo præfato sine alicujus præjudicio, & dummodo dilecti filii nostri in eadem Urbe Vicarii in Spiritualibus Generalis expressus ad hoc accedat assensus, Apostolica authoritate, tenore præsentium perpetuo erigimus & instituimus;

Privilegia, quæ ei conceduntur.

§. 3. Necnon Confratribus dictæ Confraternitatis, seu Congregationis, pro tempore existentibus, ut processionaliter incedere: Divina Officia in sua Cappella vel Oratorio recitare: ac pro negotiis ipsius Confraternitatis, seu Congregationis, se congregare: ac quæcumque Statuta, Capitula, Ordinationes, & Decreta, pro salubri eorum & dictæ Confraternitatis seu Congregationis regimine & directione necessaria & opportuna, licita tamen, & honesta, Sacrisque Canonibus, & Concilii Tridentini decretis, & Constitutionibus Apostolicis non contraria, per memoratum Vicarium examinanda & approbanda, facere & edere: illaque pro tempore, prout eis videbitur, & expediens fuerit, prævia simili examinatione & approbatione, mutare, alterare, corrigere, & in melius reformare: & insuper omnia & singula legata relicta, res, & bona quomodolibet qualificata, mobilia & immobilia, per quoscumque Christi fideles dictæ Confraternitati seu Congregationi per viam testamenti, donationis, aut aliàs quomodolibet pro tempore elargienda & relinquenda, recipere, illaque per eorum Officiales & Deputatos regere, gubernare, & administrare, ac in ipsius Confraternitatis seu Congregationis, & eorum piorum operum usus convertere, libere similiter & licite valeant; ita tamen, ut de receptis & administratis per eos eidem Vicario juxta decreta Conc. Trident. hujusmodi rationem reddere teneantur, auctoritate & tenore prædictis concedimus & indulgemus.

Indulgentiæ nonnullæ pro Confratribus & Sororibus.

§. 4. Insuper, ut præfati Confratres in piorum operum exercitio confoveantur, ac magis ad illa imposterum exercenda, necnon alii Christifideles ad dictam Confraternitatem seu Congregationem de cætero ingrediendum perampius invitentur, eademque Confraternitas seu Congregatio majora in dies suscipiat incrementa, de Omnipotentis Dei Misericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui dictam Confraternitatem seu Congregationem imposterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere pœnitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti, Ecclesiam seu Oratorium ipsius Confraternitatis seu Congregationis devote visitaverint, plenariam: necnon ejusmodi Confraternitati seu Congregationi nunc & pro tempore adscriptis Confratribus & Consororibus, vere itidem pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui semel in anno saltem per horam, sibi a Superiore, vel alio per dictam Confraternitatem seu Congregationem ad id Deputato præscribendam, in honorem ejusdem Sanctissimi Sacramenti, in ipsius Confraternitatis seu Congregationis, aliave Ecclesia vel Oratorio, ubi illud asservatur, sive interdiu sive noctu devote oraverint, idemque Sanctissimum Sacramentum adoraverint, similiter plenariam; ac dictis Confratribus & Consororibus, pariter pœnitentibus, & confessis, sacraque Communione refectis, qui præfatæ Confraternitatis seu Congregationis, aliamve Ecclesiam vel Oratorium, ubi Sanctissimum Sacramentum hujusmodi itidem asservatur, die festo Visitationis B. MARIÆ VIRGINIS a primis Vesperis usque ad occasum solis Festi ejusmodi singulis annis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, etiam plenariam; atque eisdem Confratribus & Consororibus in cujuslibet eorum mortis articulo, si vere pœnitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti, vel, quatenus id facere nequiverint, saltem contriti, nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus, corde devotè invocaverint, plenariam quoque omnium peccatorum suorum Indulgentiam & remissionem misericorditer in Domino concedimus & elargimur. Præterea dictis Confratribus & Consororibus, sicut præmittitur, pœnitentibus & confessis, ac Sacra Communione refectis, ipsius Confraternitatis seu Congregationis, aliamve Ecclesiam vel Oratorium ejusmodi, feria quinta in Cœna Domini, atque in festo Corporis Christi, & per totam illius octavam, devote, ut supra, visitantibus, & orantibus, quo die præfatorum id egerint, septem annos & totidem quadragenas; Quoties vero in aliqua Ecclesia vel Oratorio idem Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum adoraverint: Missis & aliis Divinis Officiis ibidem pro tempore celebrandis interfuerint: pauperes Hospitio susceperint: vel pacem inter inimicos composuerint, seu componi fecerint, vel procuraverint: sicuti etiam qui corpora defunctorum tam Confratrum & Consororum, quam aliorum ad sepulturam associaverint: aut quascumque processiones de licentia ipsius Vicarii faciendas, idemque Sanctissimum Sacramentum tam in processionibus, quam cum ad infirmos, aut aliàs ubicumque & quomodocumque pro tempore deferetur, comitati fuerunt: vel, si impediti, campanæ ad id signo dato semel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam dixerint: aut etiam quinquies Orationem, & Salutationem easdem pro animabus defunctorum Confratrum & Consororum hujusmodi recitaverint: aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint: & ignorantes præcepta Dei, & ea, quæ ad salutem sunt, docuerint: aut quodcumque aliud pietatis vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet prædictorum operum exercitio sexaginta dies de injunctis eis, seu aliàs quomodolibet debitis, pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus, præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Inhibitione hæc Confraternitas alteri aggregetur.

§. 5. Volumus autem, quod si dicta Confraternitas seu Congregatio alicui Confraternitati aggregetur, vel quavis alia ratione uniatur, seu etiam quomodolibet instituatur, præsentes, & quævis aliæ literæ Apostolicæ illis nullatenus quoad Indulgentias & remissiones præfatas suffragentur, sed ex tunc eo ipso prorsus nullæ sint.

Datum

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 5. Julii 1732. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

F. Card. Oliverius.

LXVI. Sequitur Erectio ejusdem Congregationis & Confraternitatis in Archiconfraternitatem.

Dat. die 9. Julii 1732. Pont. An. II.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Officiales & Confratres Confraternitatis seu Congregationis sub denominatione seu titulo: *Perpetuæ adorationis Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti*, in Sæculari & Collegiata Ecclesia S. Mariæ ad Martyres, vulgo de Rotunda nuncupata, Almæ Urbis Nostræ existentis, quod Nos per alias nostras in simili forma Brevis novissime expeditas literas eamdem Confraternitatem seu Congregationem sub denominatione præfata auctoritate Apostolica perpetuo ereximus & instituimus, ac illi sic erectæ ejusque Confratribus & Consororibus nonnullas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes, sub certis modo & forma tunc expressis, itidem perpetuo concessimus, & aliàs, prout in eisdem literis Nostris uberius continetur.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti Exponentes, Confraternitatem seu Congregationem hujusmodi Archiconfraternitatis titulo decorari, plurimum desiderent; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Confraternitatem seu Congregationem prædictam in Archiconfraternitatem cum omnibus & singulis prærogativis, juribus, honoribus, & præeminentiis solitis & consuetis, auctoritate præfata tenore præsentium sine cujusque præjudicio perpetuò pariter erigimus & instituimus; ac ipsius Archiconfraternitatis sic erectæ Officialibus & Confratribus præsentibus & futuris, ut ipsi alias quascumque Confraternitates seu Congregationes ejusdem Instituti extra Urbem prædictam ubicumque locorum existentes eidem Archiconfraternitati (servata tamen forma tam Constitutionis fe. re. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris nostri, quam Decretorum Congregationis S. R. E. Cardinalium, Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis præpositæ die 6. Martii 1606., & die 10. Aprilis 1720. desuper respective editorum) aggregare, illisque omnes & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes, ipsi Confraternitati seu Congregationi, sic in Archiconfraternitatem erectæ, a Nobis concessas, communicare libere & licite possint & valeant, auctoritate, & tenore præsentis concedimus & indulgemus.

§. 3. Decernentes, easdem præsentes literas semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & diffiniri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac, quatenus opus sit, supradictæ Confraternitatis seu Congregationis, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 9. Julii 1732. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

F. Card. Oliverius.

LXVII. Bona Ecclesiastica in Ditione Augusto II. Poloniæ Regi, uti Saxoniæ Duci subjecta, consistentia, ab hæreticis occupata, eisdem, ad Catholicæ Ecclesiæ unionem vel jam reversis, vel in posterum redituris, remissa declarantur.

Dat. die 9. Julii 1732. Pont. An. II.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. SEdes Apostolica, pia Mater, probe agnoscens, assidueque recogitans, potissimam curam, & solicitudinem suam in Fidei Catholicæ, sine qua impossibile est placere Deo, unitate ac integritate retinenda, & animarum, pretioso Christi Domini Sanguine redemptarum, æterna salute procuranda, sitam esse, nihil prætermittit, ac intentatum relinquit, quod ad eamdem fidem, ubi illæsa viget, sartam tectam tuendam, ubi vero collapsa est, restituendam, ipsasque Fidelium animas in viam salutis dirigendas judicat pertinere; ac propterea ab Orthodoxa Religione, rectaque via deviis & errantibus filiis, quos nunquam oblivisci tur, nedum maternum sinum jugiter aperit, sed etiam iter sternit planum, per quod sublatis quibusvis impedimentis ad Christi ovile, atque ad cor facilius redire valeant, prout in Domino conspicit salubriter expedire.

Causæ edendæ hujusce Constitutionis. §. 1. Cum itaque Nos, qui militantis Ecclesiæ, ac universi Dominici Gregis regimen in Beatissimo Petro Apostolorum Principe divinitus accepimus, ac iis Christiani Orbis Provinciis Pastoralis vigilantiæ Nostræ studium præcipue impendere debemus, quæ opem & operam Nostram magis exposcere videantur, peculiarem usque ab ipsius Pontificatus Nostri primordiis paternæ considerationis Nostræ intuitum direxerimus ad Ducatum Saxoniæ; ubi scilicet hæresis postremis hisce temporibus originem & incrementum sumpsisse dignoscitur, ac pro cujus reductione ad priscam & Catholicam Fidem plures ex Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris præclara cum eorum nominis laude strenue mul-

tumque elaborarunt: diuque Nobiscum animo reputantes, unde factum sit, quod tot eorumdem Prædecessorum labores, ac collata in eum finem egregia studia nedum optatus fructus consequuta fuerint, neque impleta ampla illa spes, quam Sancta Dei Ecclesia collocaverat in reversione ad ejus gremium charissimi in Christo filii Nostri Augusti Poloniæ Regis Illustris, ipsius Saxoniæ Ducis, ac Sacri Romani Imperii Principis Electoris, tum dilectissimi in Christo pariter filii nostri Friderici Augusti Regii Poloniæ, & Electoralis Saxoniæ Principis, nati sui, qua sibi pollicebatur futurum, ut reliqui inclytæ Stirpis Saxoniæ Principes, ac populi ipsius Ducatus, monstratam ab iis viam feliciter inirent, ac sicuti Saxonicam Domum in hæresi amplectenda & fovenda olim sequuti fuerant errantem, ita sequerentur resipiscentem, re accurate perpensa merito dubitaverimus id exinde præsertim provenire, quod plerique ægre adduci valeant ad dimittendum & relinquendum bona Ecclesiastica, quæ præteritorum temporum injuria ac confusione, dum hæresis in eo Ducatu omnia misceret, occupata ab illis detinentur, utpote qui sine iis bonis vitæ humanæ subsidiis vel commoditatibus, quibus assueti sunt, exuerentur; eorumque filii & familiæ necessaria substentatione, cui aliunde subvenire nequirent, carere cogerentur, & ad duram paupertatem redigerentur.

§. 2. Hinc est, quod Nos, quos constituit Dominus super familiam suam, ut tamquam fidelis servus & prudens Christi patrimonium administraremus, reductionem Ducatus prædicti ad Catholicæ & Universalis Ecclesiæ unionem, totque animarum salutem nullis terrenarum rerum respectibus impediri aut retardari debere existimantes; ac proinde, quæ Gentem Saxonem a veræ Religionis proposito, amittendarum facultatum metu, incurrendæque miseræ egestatis horrore retrahere possent, submovere volentes: Nobisque persuadentes, opus reductionis hujusmodi eo majores progressus habiturum fore, quo amplior uberiorque in bonis ecclesiasticis remittendis Nostra & hujus Sanctæ Sedis perspecta fuerit benignitas & indulgentia; post maturam, quam cum aliquot ex venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus desuper habuimus, deliberationem: nonnullorumque Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum vestigiis: necnon menti felicis re. Clementis Papæ XI. Prædecessoris itidem nostri, Nobis apprime notæ, insistentes, de eorumdem Venerabilium Fratrum Nostrorum consilio & assensu, ac etiam motu proprio & ex certa scientia nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia & singula bona Ecclesiastica cujuscumque qualitatis, quantitatis, & valoris in Ducatu Saxoniæ, aliisque Ditionibus, memorato Augusto Regi, uti Saxoniæ Duci subjectis, consistentia, præteritorum temporum confusione occupata, sicut præmittitur, modernis eorum possessoribus, seu detentoribus cujusvis status, gradus, ordinis, dignitatis, conditionis, & præeminentiæ fuerint, qui ad Catholicæ Ecclesiæ unitatem jam redierunt, vel imposterum redierint, eorumque Successoribus quibuscumque Catholicis, & in sinceritate Orthodoxæ Fidei perseverantibus, unà cum fructibus perceptis, harum serie de speciali dono gratiæ plenarie remittimus, condonamus, cedimus, & relaxamus; dictisque possessoribus seu detentoribus, eorumque successoribus, ut ipsi de bonis præfatis tamquam suis propriis tam inter vivos, quam ex causa mortis, aut aliàs quomodolibet, disponere possint, plenam & liberam tenore præsentium tribuimus facultatem & potestatem; neque illos pro parte Sedis Apostolicæ, Ecclesiarum, Monasteriorum, & locorum piorum, aut personarum Ecclesiasticarum, ad quas & quæ bona prædicta olim pertinebant, aut aliorum quorumvis in eis seu ad ea jus vel interesse habentium, seu habere prætendentium, ratione & occasione præmissorum desuper molestari, inquietari, aut perturbari posse, motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, statuimus, decernimus, & declaramus.

Constitutio, de qua in Rubrica.

§. 3. Non obstantibus de Jure quæsito non tollendo, aliisque Nostris, & Cancellariæ Apostolicæ Regulis; necnon recolendæ memoriæ Symmachi, quæ incipit: *Non licet*; ac Pauli Secundi Prædecessorum quoque Nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, & quibusvis aliis Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus & Ordinationibus: ac quarumcumque Ecclesiarum, Monasteriorum, & locorum Piorum fundationibus, ac etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Obstantium specialis, ac specifica derogatio.

§. 4. Cæterum speramus eosdem, Augustum Regem, & Fridericum Principem, Ducatu præfato ad verum Dei cultum ac Orthodoxam Fidem, favente ac benedicente Domino, redacto, pro eorum singulari in Deum ipsum pietate, Ecclesiarum prædicti Ducatus rationes & commoda semper curæ & cordi habituros, &, quantum in eis erit, promoturos.

§. 5. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Fides Transumptorum.

§. 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ remissionis, condonationis, cessionis, decreti, statuti, ac declarationis, infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Harum literarum firmitas.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo trigesimo secundo, septimo idus Julii, Pontificatus Nostri Anno Secundo.

✠ Ego Clemens Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.



Signum Sanctissimi D.N.

† † *Ego Franciscus, Episcopus Ostien. Cardinalis Barberinus.*

S. R. E. Cardinalium subscriptiones.

† *Ego*

† Ego Petrus, Epiſcopus Tuſculanus, Cardinalis Ottobonus, S. R. E. Vice-Cancellarius.

†

† Ego Annibal, Epiſcopus Sabinenſis, Cardinalis Albanus Tit. S. Clementis, S. R. E. Camerarius.

† Ego Ludovicus, Epiſcopus Albanenſis, Cardinalis Picus.

† Ego I. R. S. Laurentii in Lucina Prior Presbyter, Cardinalis Imperiali.

†

† Ego F. A. Tituli S. Praxedis Presbyter S. R. E. Cardinalis Zondadari.

† Ego P. M. Tituli Sanctæ Mariæ Tranſtyberim S. R. E. Presbyter Cardinalis Corradinus.

†

†

†

† Ego Curtius Tituli S. Euſtachii S. R. E. Presbyter Cardinalis Origus.

†

†

†

†

† Ego Nicolaus Tituli Sanctorum Nerei & Achillei S. R. E. Presbyter Card. Spinula.

†

†

† Ego Julius Tituli S. Chryſogoni S. R. E. Cardinalis Alberonus.

†

† Ego Georgius Tituli Sancti Agnetis S. R. E. Presbyter Card. Spinula, Sancti Agnetis nuncupatus.

† Ego Cornelius Tituli S. Ceciliæ S. R. E. Presbyter Card. Bentivolus.

†

† Ego Ludovicus Tituli S. Priſcæ S. R. E. Cardinalis Belluga.

†

†

†

† Ego Alvarus Tituli Sancti Bartholomæi in Inſula S. R. E. Presbyter Cardinalis Cienfuegos.

†

†

†

† Ego Joannes Baptiſta Tituli Sancti Matthæi in Merulana Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis de Alteriis, Sancti Matthæi nuncupat.

† Ego Vincentius Tituli S. Onuphrii S. R. E. Presbyter Card. Petra, Major Pœnitentiarius.

†

†

†

† Ego Nicolaus Maria Tituli Sanctorum Joannis & Pauli S. R. E. Presbyter Cardinalis Lercari.

†

†

†

†

†

†

† Ego Frater Ludovicus Tituli Sancti Pancratii S. R. E. Presbyter Cardinalis Gotti, Ordinis Prædicatorum.

† Ego D. L. Tituli Sancti Calixti S. R. E. Presbyter Card. Porzia.

† Ego Petrus Aloyſius Tituli Sancti Laurentii in Pane & Perna Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Caraffa.

†

†

† Ego Franciſcus Tituli Sancti Sylveſtri in Capite Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis Burghefius.

†

† Ego A. Tituli S. Mariæ de Ara-Cœli S. R. E. Card. Salviati.

†

†

† Ego V. Tituli Sancti Petri in Monte Aureo S. R. E. Card. Bichius.

†

†

† Ego Antonius Tituli Sancti Stephani in Monte Cœlio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis Gentili.

† Ego Fr. I. A. Tituli Sancti Martini ad Montes, S. R. E. Presbyter Cardinalis Guadagni, Vicarius.

† Ego Laurentius Tituli Sanctæ Mariæ in Via lata, Prior Diaconorum, Cardinalis de Alteriis.

† Ego C. S. Agnetis Diaconus Cardinalis Columna.

† Ego F. SS. Viti & Modeſti S. R. E. Diaconus Cardinalis Oliverius.

†

† Ego Alexander Sanctæ Mariæ in Coſmedin S. R. E. Diaconus Cardinalis Albanus.

† Ego Alexander S. Mariæ de Schala S. R. E. Diaconus Card. Falconerius.

† Ego Nicolaus Sanctæ Mariæ ad Martyres S. R. E. Diaconus Cardinalis Judice.

† Ego Antonius Sancti Nicolai in Carcere Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus Cardinalis Bancherius.

† Ego Nerius S. Adriani S. R. E. Diaconus Cardinalis Corſinus.

† Ego B. SS. Coſmæ, & Damiani S. R. E. Diaconus Cardinalis Ruſpoli.

A. Card. Pro-Datarius.

F. Card. Oliverius.

Viſa de Curia I. Archiep. Ancyranus.
L. Martinettus.

Reg. in Secret. Brevium.

Hoſpitale Sancti Lazari, extra muros Placentiæ poſitum, ſupprimitur, erigiturque in Collegium ſub eodem titulo. LXVIII.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Dat. die 13. Julii 1732. Pontif. II.

Exordium.

CLericalem vitam eligentibus, ſanctiſque Eccleſiæ regulis & doctrinis a primo ætatis flore imbuendis opem, ac ſtrenuam manum admovere cogitantibus, Apoſtolicum adeſſe præſidium maxime convenit; ne ullus adverſitatis incurſus futuros Dei miniſtros a propoſito revocet, neve unquam in eorum animis, quod adſit robur ſacræ Inſtitutionis, infringat.

Hoc Hoſpitale Julio Card. Alberono in adminiſtrationem conceſſum.

§. 1. Itaque Hoſpitale pauperum Sancti Lazari prope & extra mœnia civitatis Placentiæ Provinciæ Bononienſis, quod dudum certo tunc expreſſo modo Adminiſtratore ſeu Rectore carens, Nos dilecto filio noſtro Julio Tituli Sancti Chryſogoni Presbytero Cardinali, Alberono nuncupato, per eum quoad vixerit juxta Conſtitutionem fel. rec. Clementis Papæ V. Prædeceſſoris Noſtri, in Concilio Viennenſi editam, tenendum, regendum, & adminiſtrandum, Apoſtolica auctoritate commiſimus; in quo olim pauperes leproſi ex chriſtiana charitate recepti curabantur: ceſſante verò poſtmodum lepræ morbo, nec per Italiam amplius graſſante, cum a dicti Hoſpitalis Rectoribus & Adminiſtratoribus loco leproſorum pauperes ſenes invalidi, ac etiam juvenes utriuſque ſexus ibidem admitterentur, licet Hoſpitale prædictum

per plures annos non modicum utilitatis pauperibus Diœcesis Placentinæ Provinciæ prædictæ attulerit, & nihilominus tractu temporis ex diversitate in eo commorantium non levia incommoda prodierint, dictusque Julius Cardinalis, qui ex prædicta Civitate Placentina natales accepit, porrectis Nobis humilibus precibus Hospitale prædictum in meliorem & longe utiliorem statum ad Dei gloriam, publicumque Ecclesiæ bonum, ex reditibus dicti Hospitalis, ac etiam ære suo convertere proposuerit, pro sua pietate & rerum gerendarum prudentia pristinam in Ecclesiæ Ministris disciplinam & mores pro dignitate reparare atque instaurare cupiens, in eodem Hospitali Collegium pro Clericis sæcularibus universæ Diœcesis prædictæ, ante illorum ad sacros Ordines promotionem spiritualia exercitia peraturis: etiam pro aliis Clericis pariter sæcularibus, qui studiis suis nondum completis ex Seminario Diœcesano dimissi fuerint: ac pro aliis Alumnis seu Convictoribus tam dicti Seminarii, quam totius Diœcesis studiis perinde ecclesiasticis, sacrisque Ritibus imbuendis, ut infra, per Nos erigi & institui plurimum desideret;

Quid huic in causa fuerit, ut illud converteret in Collegium.

§. 2. Nos ejusdem Julii Cardinalis laudabile propositum, piumque desiderium, plurimum in Domino commendantes, ac Clericis prædictis specialem gratiam facere volentes, dictique Hospitalis fundationem & institutionem, etiamsi illæ Apostolica auctoritate confectæ fuissent, necnon Hospitalis prædicti statuta, Apostolicæ Sedis auctoritate etiam pluries confirmata & approbata, ac pias ultimas voluntates quascumque quorumcumque pie testantium, & donationes & largitiones Christifidelium in dicti Hospitalis bonum quandocumque & cum quibusvis oneribus & obligationibus factas, etiam per quemvis contractum nominatum vel innominatum, ac speciem transactionis habentem, præsentibus pro plene & sufficienter ac de verbo ad verbum expressis habentes, illarumque omnium & singularum dispositionibus, contractibus, transactionibus, conventionibus, quantumvis validis & efficacibus, & pias publicasque causas respicientibus, ac valide etiam inter pie Testantes ac Christifideles, & Hospitale hujusmodi initi contractus vim habentibus, & quomodolibet stipulatis, derogantes Motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine Nostris, omnes & singulas personas, quæ nunc in eodem Hospitali reperiuntur, adsignata prius cuilibet earum annua præstatione ad eorum, & cuilibet illorum naturalem vitam duratura, ac de sex mensibus in sex menses anticipate persolvenda, centum quinquaginta librarum monetæ Placentinæ: necnon Ministros prædicti Hospitalis, retentis tamen ex eis illis, quos dictus Julius Cardinalis Collegio, ut infra erigendo, inservire idoneos putaverit: & quoad dilectum filium nunc existentem Hospitalis hujusmodi Rectorem, curam animarum annexam habentem, ipse donec & quousque de aliquo perpetuo beneficio Ecclesiastico, ad sui congruam sustentationem sufficienti, provisus, aut ei pensio annua perpetua sufficiens, Apostolica auctoritate reservata, seu congrua alimentaria arbitrio Venerabilis Fratris Episcopi Placentin. sive ejus Vicarii in Spiritualibus generalis, taxanda, assignata fuerit, ab Hospitali prædicto amoveri non possit, Apostolica auctoritate perpetuo amovemus. Dictum vero Hospitale, & omnia ac singula ejus onera, ac pia opera in vim cujuscumque etiam testamentariæ dispositionis ex causa mortis confectæ, & in executionem ultimarum piarum voluntatum, necnon commune & publicum bonum, ac commodum respicientis, aut aliàs omnino adimplendæ, etiam vigore cujusvis contractus, consensu dicti Julii Cardinalis nobis præstito, Apostolica auctoritate perpetuo supprimimus & extinguimus.

Hospitale supprimitur cum derogationibus &c.

§. 3. Eadem auctoritate, ac motu pari, similiter perpetuò in Hospitali sic suppresso & extincto erigentes atque instituentes Collegium sub denominatione ac titulo ejusdem S. Lazari, per d. Julium Cardinalem ejusque successores perpetuò regendum & gubernandum, etiam per Ministros & Officiales, sibi suisque successoribus benevisos, ac unum Rectorem sæcularem Presbyterum, ad ipsius Julii Cardinalis & ejus successorum nutum semper & quandocumque amovibilem, deputandum, etiam ad curam animarum Parochianorum Ecclesiæ prædicti Sancti Lazari jamdudum dicto Hospitali suppresso unitam, de gremio tamen post deputationem primi Rectoris Collegii erigendi ad instar nominationum, quæ a Regularibus pro assumendis Presbyteris ad animarum curam in eorum Ecclesiis Parrochialibus fieri solent, & ab Ordinario loci ad eamdem curam animarum exercendam approbandi, prædicta cautione quoad jam existentem Rectorem Curatum salva & illæsa remanente: ad hoc, ut in Collegio erigendo recipi valeant Clerici sæculares universæ Diœcesis prædictæ, ad sacros Ordines promovendi, ut ipsi in illo Spiritualia exercitia antequam ad quemlibet ex sacris Ordinibus promoveantur, rite peragere valeant: quique ad Collegium, ut infra erigendum cum approbatione Episcopi seu Vicarii prædictorum admitti debeant: quique pro suis alimentis, durantibus exercitiis prædictis, ab eis suscipiendis congruam ac debitam præstationem juxta temporum opportunitatem solvere teneantur; alii vero Clerici ex Seminarii Placentini Alumnis & Convictoribus studia Sacrarum literarum ac Theologiæ theoreticæ & practicæ prosequantur, venerandosque Ritus ecclesiasticos, sacras Cœrimonias, & cantum Gregorianum sub Præceptoribus, qui sint Presbyteri sæculares in sacra Pagina, ac Verbo Dei scripto & tradito probe eruditi, perdiscant; & ipsi Clerici, hoc pacto imbuendi, ex Alumnis pro tempore existentibus dicti Seminarii, præ aliis quibuscumque selecti, gratis admittantur; atque ex Convictoribus ibidem existentibus assumendi eadem prælatione pariter frui debeant, ac sub justo annuo stipendio recipiantur: hac tamen conditione, ne Alumni & Convictores prædicti sine prævia approbatione Episcopi seu Vicarii hujusmodi in prædictum Collegium erigendum admitti possint; utque sub regimine Presbyterorum sæcularium, a dicto Julio Cardinali ejusque successoribus eligendorum & deputandorum, vivere teneantur.

Hospitali suppresso Collegium constituitur.

Jus d. Cardinali, ejusque successoribus super eo competens.

Qui sint in Collegium recipiendi.

Alumnorum Privilegia.

§. 4. Collegio autem sic erecto & instituto pro illius, ac Clericorum in eo retinendorum, necnon Rectoris, prælectorum Magistrorum, aliorumque loci Ministrorum substentatione omnia & singula bona, res, proprietates, & actiones, ad Hospitale suppressum, Rectoremque Curatum respective antea quomodolibet spectantia, tamen ab omnibus & quibuscumque oneribus & obligationibus quorumcumque piorum operum adimplendorum a pie Testantibus, aliisque Christifidelibus prædictis causa mortis, aut in actu donationum, quæ dicuntur fieri inter vivos, quomodolibet injunctis, penitus & omnino eximentes & liberantes; illorumque omnium & singulorum fructus, reditus, & proventus, qui antea in Hospitalis suppressi usum impendebantur, quique, ut accepimus, octodecim millium librarum monetæ Placentinæ valorem annuum non excedunt, prædicto Julio Cardi-

Reddituum assignatio.

nali,

nali, sive ejus Procuratori deputando, ut bonorum, rerum, & proprietatum hujusmodi veram, realem & actualem possessionem nomine dicti Collegii apprehendere, & apprehensam retinere possit, Diœcesani loci vel cujusvis alterius facultate minime in his requisita, eadem auctoritate, perpetuò applicamus & appropriamus.

Hujusce Decreti firmitas, & observantia.

§. 4. Amotionem vero, suppressionem, extinctionem, erectionem, institutionem, applicationem, & appropriationem prædictas: necnon easdem præsentes literas semper & perpetuo validas & efficaces fore & esse; & ab omnibus, ad quos spectat, observari debere; nec illas ullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio sive intentionis nostræ aut quopiam alio quantumvis substantiali defectu, etiam ex eo, quod causæ, propter quas illæ emanarunt, sufficienter adductæ, examinatæ, verificatæ, & approbatæ; & quicumque in præmissis & circa ea interesse quomodolibet habentes, ad id vocati & auditi non fuerint, nec iisdem præmissis consensum suum præstiterint, notari, impugnari, retardari, invalidari, suspendi, annullari, aut ad viam & terminos juris reduci, aut adversus eas quodcumque juris aut gratiæ remedium impetrari unquam posse, nec illas sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi; sed semper ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum & validissimum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data quandocumque eligenda concessas, semper & perpetuo validas & efficaces fore & esse, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere. Sicque, & non aliàs, per quoscumque Judices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, & Sedis Apostolicæ Nuncios, & alios quoscumque quavis auctoritate, potestate, prærogativa, & privilegio fungentes, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, definiendi, & interpretandi facultate & auctoritate, judicari, diffiniri, & interpretari debere; & quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus.

Obstantium derogatio.

§. 5. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostris, & Cancellariæ Apostolicæ Regulis de jure quæsito non tollendo, ac de gratiis non concedendis ad instar, & Lateranensis Concilii novissime celebrati, suppressiones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis, fieri prohibentis, aliisque Apostolicis, etiam in Synodalibus, Provincialibus, Generalibus, Universalibusque Conciliis editis vel edendis, specialibus vel generalibus Constitutionibus & Ordinationibus, dictique Hospitalis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eidem Hospitali, ut præfertur, suppresso, illiusque Rectori & Superioribus, aliàs in contrarium præmissorum etiam pluries concessis, approbatis, & innovatis; necnon ejusdem Hospitalis fundatione & institutione, ac piis ultimis voluntatibus prædictis, & quibuscumque contractibus. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio servanda foret, eorum tenores his eisdem præsentibus etiam pro plene & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, latissime & plenissime ac specialiter & expresse, motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, hac vice dumtaxat derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Jura Card. Alberoni concessi ejus Successoribus asseruntur.

§. 6. Volumus autem, ut dictus Julius Cardinalis, ejusque successores prædicti, perceptione omnium & singulorum fructuum, redituum, & proventuum, hucusque per eumdem Julium Cardinalem percipi solitorum, ac juribus, & præeminentiis universis, quibus ipse Julius Cardinalis hactenus gavisus fuit, necnon plena & omnimoda jurisdictione super Collegio, ut præfertur, erecto, frui & gaudere libere & licite possint & valeant.

§. 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ amotionis, suppressionis, extinctionis, erectionis, institutionis, applicationis, appropriationis, decreti, derogationis, & voluntatis, infringere; vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentari præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo trigesimo secundo, tertio Idus Julii, Pontificatus Nostri Anno Secundo.

A. Card. Pro Datarius.
F. Card. Oliverius.

LXIX.

Confirmatur Breve Benedicti XIII. quo statuitur, ne quis Monachus Ordinis Carthusien. gratias vel officia, inconsultis ejusdem Ordinis Superioribus, ab Apostolica Sede possit impetrare.

Hanc Benedicti XIII. PP. Constitut legere est in præcedenti Vol. num. LXX. pag. 188.

CLEMENS PAPA XII.

Dat. die 31. Julii 1732. Pont. Anno III.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

EX injuncto Nobis cœlitus Apostolicæ servitutis munere illa, quæ a Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris pro felici Christifidelium, divinis obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipatorum, statu conservando, & firmiter stabiliendo pie provideque emanasse noscuntur, ut solidiori robore perennent, Apostolici muniminis præsidio, cum id a nobis petitur, libenter constabilimus.

Bened. XIII. Decretum.

§. 1. Aliàs siquidem fel. rec. Benedicto PP. XIII. Prædecessori Nostro pro parte dilecti filii Vincentii Dinelli Procuratoris Generalis Ordinis Carthusien. exposito, quod aliqui ipsius Ordinis Monachi, ambitionis spiritu ducti, officia dicti Ordinis ab hac Sancta Sede per importunas preces impetrare non erubescebant, cum maximo regularis disciplinæ detrimento, ac propterea eidem Benedicto Prædecessori pro parte dicti Vincentii Procuratoris Generalis supplicato, ut in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaretur; idem Benedictus Prædecessor incommodis, quibus ea de causa Ordo prædictus afficiebatur, obviam ire volens, hujusmodi supplicationibus inclinatus, ne de cætero perpetuis futuris temporibus quicumque dicti Ordinis Monachus a prædicta Sede quodvis officium, seu gratiam, absque speciali sive Prioris majoris Carthusiæ, vel Procuratoris Generalis pro tempore existentis ejusdem Ordinis licentia & consensu, quoquo modo impetrare posset, auderet, vel

præsu-

præsumeret, Apostolica auctoritate statuit & ordinavit, & aliàs, prout in memorati Benedicti Prædecessoris literis, desuper in simili forma Brevis die 20. Augusti 1725. expeditis, uberius continetur.

A SS. D. N. confirmatur.

§. 2. Cum autem, sicut dictus Vincentius Procurator Generalis, Nobis nuper exponi fecit, ipse præmissa, quò firmius subsistant, & inviolabilius serventur, Apostolicæ confirmationis nostræ robore communiri summopere desideret: Nos, specialem ipsi Vincentio Procuratori Generali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, prædictas Benedicti Prædecessoris literas, omniaque & singula in eis contenta, dicta auctoritate tenore præsentium perpetuò approbamus & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes, easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac ab illis, ad quos spectat & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus & singulis illis, quæ in iisdem Benedicti Prædecessoris literis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 31. Julii 1732. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

F. Card. Oliverius.

LXX.

Decretum, ut in Capitulo Generali Provinciæ Januen. Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia duo Vocales pro singulis Custodiis eligantur.

Dat. die 21. Augusti 1732. Pont. An. III.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii, Minister Provincialis, Custos, & Definitores Provinciæ Januen. Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, quod cum dicta Provincia in tres Custodias, nimirum Januensem, Orientalem, & Occidentalem, divisa reperiatur, jamque inde ab anno 1672. pro parte tunc existentium Fratrum ejusdem Provinciæ fel. rec. Clementi PP. X. Prædecessori Nostro supplicatum fuisset, ut ad tollenda dissidia, quæ tempore celebrationis Capituli Provincialis dictæ Provinciæ non sine fidelium scandalo inter ejusmodi Custodias oriri consueverant, alternativam inter eas electionem Ministri Provincialis, Custodis, & Definitorum Provinciæ prædictæ demandare vellet, quemadmodum in altera Provincia Januen. Fratrum ejusdem Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum per quasdam rec. mem. Urbani PP. VIII. Prædecessoris quoque nostri in simili forma Brevis die 29. Maji 1643. expeditas literas præscripta & ordinata fuerat; ac idem Clemens Prædecessor instantiam ejusmodi tunc pariter existentis prædicti Ordinis apud Sedem Apostolicam Cardinalis Protectoris arbitrio remisisset, ipse Cardinalis Protector decretum edidit, per quod sub certis modo & forma in eo expressis concessit, ut petita alternativa electio imposterum servari posset, quatenus primodictæ Provinciæ consensus in tunc proximo Capitulo Provinciali desuper accederet, & aliàs, prout in decreto prædicto, cujus tenorem præsentibus pro plene & sufficienter expresso haberi volumus, uberius dicitur contineri.

Alternativa in his Custodiis Officialium electio alias statuta.

Pro eadem obtinenda supplicatum mox Sanctissimo D. N.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, decretum hujusmodi hactenus executioni demandatum minime fuerit, ac interea dissidia prædicta in Capitulo Provinciali perduraverint; ipsi exponentes pro publica tranquillitate suæ Provinciæ dictam alternativam Electionem inibi stabiliri summopere desiderant; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, audito per Nos super præmissis Voto Congregationis Generalis dicti Ordinis, quod deinceps in Capitulo Provinciali primodictæ Provinciæ duo Vocales Definitorii Provincialis eligantur, & sint ex singulis tribus Custodiis præfatis: ex una scilicet Minister Provincialis, & Definitor: ex altera Custos, & Definitor: & ex reliqua duo Definitores alternis vicibus, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus; itaut ejusmodi alternativa Electio quoad Ministrum Provincialem & Custodem prædictos incipere debeat ab iis Custodiis, quæ in duobus Capitulis Provincialibus proxime celebratis, dictos Ministrum Provincialem & Custodem respective non habuerunt.

Quo pacto a S. S. provisum.

Harum Literarum firmitas.

§. 3. Decernentes, easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon Provinciæ, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, aut quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 21. Augusti 1732. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

F. Card. Oliverius.

LXXI. Mandatum super observatione Brevis Clementis XI. circa bipartitam divisionem officiorum pro Monachis Regnorum Galleciæ, & Legionis Provinciarum de Campos, Congregationis Hispaniarum Ordinis Cistercien.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dat. die 5. Sept. 1732. Pont. Anno III.

Exordium.

EX injuncto Nobis divinitus Apostolicæ servitutis munere in iis, quæ a Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris, dirimendarum in Monasticis Congregationibus, pie sancteque in Ecclesia Dei institutis, exortarum litium, religiosæque concordiæ studio provide constituta sunt, ut firma semper, atque illibata persistant, jugiterque serventur, pastoralis officii nostri partes, cum a Nobis petitur, libenter interponimus.

Facti series.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Monachi Regnorum Galleciæ, & Legionis, ac Provinciarum de Campos, Congregationis Sancti Bernardi Hispaniæ Ordinis Cistercien., quod cum inter eos ex una, & dilectos pariter filios Monachos Regni Toletan., aliarumque Provinciarum adjacentium ejusdem Congregationis, multiplices gravissimæque controversiæ vigerent, diuque agitatæ fuissent, demum fel. rec. Clemens PP. XI. Prædecessor Noster, ejusmodi controversias e medio tollere, ac paci & tranquillitati ipsius Congregationis prospicere volens, per quasdam suas in simili forma Brevis die 3. Octobris 1710. expeditas literas, demandavit, eamdem Congregationem in duas partes dividi: quarum unam Gallæci, & oriundi ex Provinciis de Campos in Terris finitimis Regni Legionis: alteram vero oriundi ex Castella Nova, Asturiis, Rivogia, & locis Montaneis Burgensibus, constituerent; modumque & formam præscripsit, quibus conferenda, ac distribuenda essent officia Capitularia dictæ Congregationis, aliasque saluberrimas edidit ordinationes pro felici Congregationis præfatæ directione ac gubernio; injungendo, ut præmissa sic a se statuta observari deberent in quatuor Capitulis Generalibus tunc proxime celebrandis, quibus peractis perdurare deberent, si dissensiones in dicta Congregatione cessassent; sin minus, ad se seu Romanum Pontificem pro tempore existentem recursus pro nova provisione habendus foret, & alias, prout uberius continetur in ipsius Clementis Prædecessoris literis, tenoris, qui sequitur videlicet.

Provincia divisa a Clemente XI.

Clem. PP. Literæ.

§. 2. CLEMENS PP. XI. *Ad futuram rei memoriam.* (a) Sacrosancti Apostolatus officium superni dispositione consilii Nobis, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, impositum, salubriter exequi adjuvante Domino jugiter satagentes, exorta inter Religiosos Viros, quos vota sua Altissimo in sanctitate & justitia, paceque fraterna reddere decet, animorum dissidia opportunis rationibus dirimere, illisque, ne rursus quandocumque excitari valeant, ansam mature præcidere studemus, sicuti prudenti deliberatione prævia ad Omnipotentis Dei Gloriam, & animarum salutem arbitramur in Domino expedire.

Clem. IX. expositæ Provinciarum hujusmodi controversiæ.

§. 3. Dudum siquidem, cum per tunc in humanis agentem Dionysium Montilla, Monachum Congregationis Sancti Bernardi Hispaniæ Ordinis Cistercienfis, exortis gravibus controversiis inter Monachos ejusdem Congregationis, recursus ad fel. rec. Clementem PP. IX. Prædecessorem nostrum habitus fuisset; ipse Clemens Prædecessor causam controversiarum hujusmodi ad quamdam Congregationem tunc existentium S. R. E. Cardinalium, & Romanæ Curiæ Prælatorum, super reformatione dicti Ordinis specialiter deputatam, remisit, cui cum idem Dionysius quædam gravamina per quosdam Monachos Manchenos & Alcarrenos, novos Castellanos nuncupatos, Monachis aliarum nationum illata exposuisset, dicta Congregatio Particularis tunc existenti Episcopo Vallisoletano commisit, ut Capitulo Generali dictæ Congregationis tunc proxime celebrando præsideret, & partes dissidentes concordare, ortasque differentias extinguere, satageret; ipse vero Episcopus, commissionem hujusmodi executus, Capitulo Generali interfuit; sed cum pro reconciliandis partibus, & discordiis tollendis sedulam operam navasset, nihil ad effectum perducere valuit, ex eo, quia nulla discordantium pars suis prætensionibus cedere voluit, & sic, absoluto Capitulo, præfatus Episcopus re infecta discedere coactus fuit.

Particularis Congr. examini demandatæ.

Concordia posthac inter Monachos inita.

§. 4. Porro, transacto anno a Capituli hujusmodi celebratione, tunc pariter existentes Generalis Reformator, & sex Definitores quamdam transactionem seu concordiam formaverunt, eamque quondam Hyacintho de Albengozar, Monacho dictæ eorum Congregationis tunc in Romana Curia pro eadem Congregatione Procuratori Generali, ut illius confirmationem a Sede Apostolica obtinere curaret, transmiserunt: Cumque subinde præfata concordia per quasdam ejusdem Clementis Prædecessoris literas, die 14. Octobris 1669. in simili forma Brevis expeditas, confirmata fuisset, rec. mem. Clemens PP. X. itidem Prædecessor Noster circa præfatas Clementis IX. Prædecessoris literas per alias binas suas die 14. Februarii, & die 24. Decembris 1671. in eadem forma Brevis expeditas literas, diversas edidit declarationes & ordinationes super æqualitate, in Abbatiis, aliisque officiis inter Monachos ex locis citra & ultra Montes, Castellam Veterem a nova separantes, sitis respective oriundos servanda; nonnullaque statuit de Abbatibus immediate non reeligendis, illorumque Electionibus non amplius per Monachos Conventuales, sed in Definitorio per Generalem Reformatorem & Definitores, & sex Electores certa forma eligendis, præterquam in casu mortis, renunciationis, vel privationis, & aliàs, prout in præfatis utriusque Clementis Prædecessorum literis, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, uberius continetur. Sed quia memorata transactio seu concordia ad producendam pacem & quietem in præfata Congregatione Monachorum nedum insufficiens recognita fuerat, imo potius experientia compertum extiterat, ex ea discordias, contentiones, & persecutiones in dicta Congregatione emanasse; ideoque dilecti filii Monachi Regni Galleciæ, & de Campos, atque Terrarum Regno Legionis finitimarum; desiderantes, ut zizania, fructus bonorum operum suffocantia, tandem eradicarentur: &

A Clem. XI. confirmata adjectis postea statutis &c.

Quam vana evaserit dicta Concordia.

(a) Hasce Clementis PP. Literas, quamvis legi possint Tom. VIII. hujus Editionis pag. 74. ubi citantur Constitutiones ab eodem Pontifice pro hoc Ordine latæ, referre hic putavi, ut Lectorum commodo inservirem, totam rei hujusce seriem ob oculos eis objiciens.

pax,

pax, atque mutua charitas suæ Religioni restitueretur, dilectos pariter filios Paulum Freyra, & Dionysium Ximene, Monachos expresse Professos ejusdem Congregationis, in eorum Procuratores constituerunt, illosque ad Romanam Curiam, ut opportunum ejusmodi malis remedium a Sede Apostolica obtinerent, miserunt; Cum iidem Paulus, & Dionysius Procuratores anno 1700. rec. mem. Innocentio PP. XII. Prædecessori pariter nostro supplicem libellum super præmissis porrexissent, idem Innocentius Prædecessor eorum causam Congregationi tunc existentium S. R. E. Cardinalium, negotiis Episcoporum & Regularium præpositæ, commisit; ipsa vero Cardinalium Congregatio die 20. Aprilis ultimo dicti anni, cognito supradictarum literarum impedimento, rescripsit, ut ad Nos pro aperitione oris recurrerent.

Hinc Innocentio XII.

Postmodum Clementi XI. supplicatum.

§. 5. Nos autem, ut in negotio hujusmodi, quod grave satis videbatur, debita maturitate procederemus, dilecto filio nostro Francisco S. R. E. Cardinali Acquavivæ nuncupato, tunc in Hispaniarum Regnis nostro, & Apostolicæ Sedis Nuncio, scripsimus, ut super in dicto libello expositis suam Nobis transmitteret relationem; ipse vero Franciscus Cardinalis tunc Nuncius auditis Partibus, & eorum Procuratoribus in Oppido Matriti existentibus, præsertim dilecto filio Christophoro Ossorio Exgenerali, præmemoratorum Pauli & Dionysii Procuratorum ex una, & dilecto etiam filio Angelo Ramirez Procuratori Generali dictæ Congregationis ex altera, partibus die 23. Aprilis 1702. relationem suam super statu Religionis unà cum punctis seu articulis, coram ipso inter dictas partes concordatis, ad nos transmisit; ex quibus satis apparebat, exposita ab eisdem Paulo & Dionysio Procuratoribus maximum habere fundamentum. Unde subinde, nempe die 28. Novembris hujus anni, præfata causa in Signatura nostra Gratiæ, coram Nobis habita, proposita, & contradicente pro parte Monachorum Castellæ Novæ, Rivogiæ, Asturianorum, & Montanearum Burgensium, dilecto pariter filio Joanne Guerrero Monacho ejusdem Congregationis, qui per mandata procuræ per eum exhibita ad præfatam Curiam ab illis eorum Procurator missus fuerat, de ejusdem Signaturæ voto rescripsimus, pro aperitione oris arbitrio ejusdem Congregationis Cardinalium.

Requisitæ Informationes.

Causa proposita in Signatura Gratiæ.

§. 6. Cumque ista Cardinalium Congregatio in suis decretis super dicto arbitrio emanatis variasset, commisimus eidem Congregationi Cardinalium, ut quoad aperitionem oris cum voto Auditorii Palatii Apostolici, suffragantibus omnibus ejusdem Auditorii Cappellanis nostris, & Auditoribus, procederet; qui, rationibus a dictis Paulo & Dionysio adductis moti, die 19. Novembris 1703. suum votum unà cum decisione pro aperitione oris, atque arbitrio publicarunt: & subinde nempe die 23. Septembris 1704. eadem causa in eadem Signatura Gratiæ coram Nobis habita denuo proposita, commisimus eidem Congregationi Cardinalium, ut ipsa etiam quoad nullitatem, validitatem, vel invaliditatem bipartitæ, stabilitæ per transactionem seu concordiam a præfatis Generali & Definitoribus Generalibus confectam, & in prædictis Clementis IX. Prædecessoris literis insertam, cum voto eorumdem Auditorum, suffragantibus pariter omnibus, similiter procederet. Dicti vero Cappellani, & Auditores die 12. Januarii 1705. demonstrantes pluribus rationibus, dictam bipartitam seu concordiam, imo transactionem, esse nullam, injustam, inæqualem & enormiter læsivam; die 4. Februarii ejusdem anni aliam decisionem & votum, in quo literas compulsoriales a prædicto Joanne, Monachorum Castellæ Novæ, eisque adhærentium Procuratore, petitas negarunt, ediderunt. Postmodum autem, cum dicta bipartita nulla & injusta declarata fuisset, memorati Paulus & Dionysius Procuratores in eadem Signatura Gratiæ die 22. Septembris 1705. coram Nobis pariter habita, institerunt, ut committeremus eidem Congregationi Cardinalium, quatenus ipsa pro novo temperamento stabiliendo cum voto eorumdem Auditorum & Cappellanorum nostrorum procederet. Votum tamen prædictæ Signaturæ fuit, ut præfata causa Congregationi particulari, a Nobis deputandæ, committeretur. Proposita autem prædicta causa die 4. Februarii 1707. in Congregatione nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium, per Nos specialiter deputata, non sine scissura votorum rescriptum fuit: Nobis supplicandum esse pro expeditione aliarum literarum Apostolicarum in simili forma Brevis cum sanatione nullitatum bipartitæ, aliorumque defectuum, si qui essent, reducendo vota Capitularia ad æqualitatem, etiam mediante subrogatione proximiorum in defectum Graduatorum. Verum, quia defectus sanandi, detecti & publicati in decisionibus memoratorum Auditorum Cappellanorum nostrorum, enormem læsionem & injustitiam, quorum sanatio præcipue post tam longam litem, rationi & æquitati parum consona videbatur, ostendebant; Idcirco prædicti Paulus & Dionysius Procuratores, super dicta resolutione Congregationis particularis a nobis iterum audiri impetrarunt. Eadem tamen particularis Cardinalium Congregatio die 26. Junii dicti anni 1707. respondit: *In Decisis juxta modum*: Modus autem fuit, ut bipartita etiam quoad tres Præsidentias servaretur; Quodque in tribus proximis Capitulis ex illa medietate, ad Monachos nationis de Puertos *a cà* nuncupat. spectan. Monachis Campesinis conferrentur septem Abbatiæ, ex quibus quatuor essent Matrices; Gallæcis autem sex, ex quibus tres pariter essent Matrices: & ulterius inter ipsos quolibet triennio una Præsidentia alternaretur, quibus officia Capitularia, necnon voces Capitulares tres ex quatuor partibus dictæ medietatis conferretur dictis Monachis Gallæcis, & Campesinis, facta inter eos æquali distributione, & data dictis Monachis Campesinis ‚| prælatione in casu numeri inæqualis; ea tamen adjecta lege, ut in quolibet Capitulo tam Abbatiæ, quam officia hujusmodi variarentur. Reliquæ vero Abbatiæ, Præsidentiæ, officia Capitularia, & voces Capitulares inter Monachos reliquarum omnium Nationum de Puertos *a cà* nuncupat. distribuerentur; Ita tamen, ut quoad Abbatias Monachi Asturiani, Rioxani, & Montanenses sex tantum haberent; Officium vero Generalatus in secundo proximo Capitulo Monacho Gallæco, vel Campesino conferretur.

Rescriptum.

Votum.

Congr. Particularis ad hoc deputata.

§. 7. Porro cum hæc resolutio, quæ aliqualiter læsionem temperat, eisdem Monachis Campesinis & Gallæcis gravamen minime tollat, nec auferat, imo potius prædominium factionis adversæ confirmet; iidem Paulus & Dionysius Procuratores, contradicente exadverso eodem Joanne, præfatorum Monachorum Castellæ Novæ, Rivogiæ, Asturiæ, & Montanearum Procuratore, denuo reclamarunt. Unde proposita iterum causa in eadem Signatura Gratiæ die 14. Maii 1709. coram Nobis itidem habita, Ponente dilecto pariter filio Magistro Annibale Albano, in utraque Signatura nostra Referendario, nostro secundum carnem ex Fratre germano Nepote, porrecta fuit commissio pro avocatione ad

Concordia suprad. nulla, læsiva &c. cognita.

Causa in Signatura Gratiæ repropositа.

Nos

Nos dictæ causæ a dicta Congregatione particulari Cardinalium: factaque propterea tam super meritis causæ, quam super ultimo posteriori decreto, ejusdem Congregationis particularis Cardinalium edito, matura consideratione: Decretum hujusmodi, ultimo loco emanatum, præfatis Monachis Gallæcis & Campesinis læsivum, & ad sedandas factiones, pacemque in eorum Religione stabiliendam insufficiens judicatum fuit; ac proinde emanavit ab eadem Signatura rescriptum: Pro avocatione ejusdem causæ ad Nos: & quod daretur resolutio in Camera. Hinc est, quod Nos tranquillitati dictæ Congregationis Monachorum in præmissis, quantum cum Domino possumus, benigne consulere cupientes, motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine eamdem causam, ac lites, & controversias quascumque, inter Partes antedictas quomodolibet & in quacumque instantia tam in Sacro Palatii Apostolici Auditorio, quam in alio quovis Tribunali, & coram quocumque Judice pendentes, quarum omnium & singulorum statum, & merita, nominaque, & cognomina, ac qualitates Judicum, & Collitigantium, & alia quæcumque, etiam specificam & individuam mentionem, & expressionem requirentia, præsentibus pro plene & sufficienter expressis, & exactissime specificatis haberi volumus, in statu & terminis, in quibus de præsenti reperiuntur, a præfatis, & aliis quibusvis Tribunalibus, & Judicibus ad Nos harum serie avocamus; illasque omnes & singulas supprimimus, perimimus, extinguimus, & abolemus, ac perpetuum desuper utrique Parti silentium imponimus, osque occludimus. Præterea earumdem tenore præsentium statuimus & ordinamus: Primò, quod in quatuor primis proximis Capitulis, Congregatio Cistercienſium Hispaniæ, quæ consistit in quadraginta duobus Monasteriis, nempe: decem & septem in Provincia de Campos, & Terris adjacentibus Regni Legionis: tresdecim in Regno Gallæciæ: sex in Castella Nova, & præcise in Regno Toleti: tribus in Asturiis, & duobus in Provincia Rioxæ: & uno in Montaneis Burgenſibus, in duas partes dividatur; Unam nempe faciant Gallæci, & oriundi ex Provincia de Campos, & dictis Terris adjacentibus Regni Legionis; Alteram vero oriundi ex Castella Nova, Asturiis, Rivogia, & Montaneis Burgenſibus: Secundò, quod inter Monachos Gallæcos ex una, & Campesinos & Terris adjacentibus Regni Legionis ex altera partibus, fiat subdivisio in duas partes: animadverso, quod censeatur & reputetur oriundus ex prædictis Terris ita divisis & subdivisis ille, qui in aliqua ex illis natus est tempore, quo ejus parentes, aut aliquis ex illis, domicilium permanens in prædictis Terris habebat: Tertiò, quod omnia officia Capitularia, quorum electiones celebrantur quolibet triennio, tam intra quam extra Capitulum Generale distribuantur æqualiter inter Monachos oriundos ex Terris ut supra divisis, itaut tot officia Capitularia habeant Religiosi oriundi ex Terris Castellæ Novæ, Asturiæ, Rioxæ, & Montanearum Burgenſium, quot Religiosi oriundi ex Regno Gallæciæ, & Terris Provinciæ de Campos, & adjacentibus Regni Legionis: alternando inter has duas partes sic divisas officium dispar, quatenus adsit, subdividendo pariter medietatem præfatorum officiorum, tangentem Monachos Gallæcos & Campesinos, in duas partes æquales, quarum una in omnibus & singulo triennio conferatur Religiosis oriundis ex Gallæcia, & altera Religiosis oriundis ex Provincia de Campos, & Terris adjacentibus, alternando inter has duas partes Monachorum sic divisas officium dispar: Quartò, quod officia Capitularia, quæ eliguntur in singulo Capitulo Generali, & sunt sexdecim, nempe sex Definitores, quatuor Procuratores Generales, duo Visitatores Generales, duo Suppletores Visitatorum, unus Promotor Fiscalis, & unus Secretarius Capituli, dividantur in duas partes omnino æquales: in quarum Una ponantur tres Definitores, duo Procuratores Generales, unus Visitator Generalis, unus Suppletor, & Promotor Fiscalis; in Alia vero tres Definitores, duo Procuratores Generales, unus Visitator Generalis, unus Suppletor, & Secretarius Capituli; & inter has duas partes divisas alternetur Secretarius Capituli, & Promotor Fiscalis: ex his vero duabus partibus Unam habeant Monachi ex Castella Nova, Asturiis, Rioxa, & Montaneis de Burgos: Aliam habeant Monachi ex Gallæcia, & Campos, ac Terris convicinis Regni Legionis; alternando inter dictas duas Partes Generalatum de triennio in triennium, quod officium conferatur in primo proximo Capitulo Generali Monacho Gallæco vel Campesino, sicque de triennio in triennium alternetur: Quinto, quod hæc pars, tangens Monachos ex Gallæcia, & Campos cum Terris convicinis Regni Legionis, subdividatur inter Gallæcos ex una, & Campesinos & circumvicinos Regni Legionis, ex alia partibus; ita tamen, ut ex Una parte ponantur duo Definitores, & unus Procurator Fiscalis ad formam alternativæ primæ divisionis: ex Alia unus Definitor, unus Procurator Generalis, unus Visitator Generalis, & unus Suppletor, alternando has partes subdivisas inter has Nationes quolibet Capitulo, & sic officium Generalis Reformatoris; itaut, quando Generalis Reformator debeat eligi ex Regno Gallæciæ & Provinciis de Campos, pro una vice eligatur oriundus ex Regno Gallæciæ, & pro altera ex Provinciis de Campos & Terris circumvicinis Regni Legionis: Sexto, quod triginta octo Abbatiæ, quæ sunt in Religione (exclusa Palatiolensi, cujus Abbas semper est Generalis Reformator) distinguantur in tres classes, quarum Prima sit Collegiorum, quæ sunt sex: Secunda sit Abbatiarum, quæ nuncupantur Matrices seu Monasteria, in quibus recipiuntur educanturque Novitii, & sunt viginti: Tertia Monasteriorum, in quibus non educantur Novitii, & sunt duodecim; quæ omnia per suas classes, ut supra, dividantur in duas partes omnino æquales, quarum prima contineat tria Collegia, decem Monasteria Matricia, & sex Monasteria non Matricia: Septimò, quod prædictæ triginta octo Abbatiæ ex unaquaque ex classibus designatis dividantur pro æquali, & Una pars, nempe decem & novem, conferantur Monachis oriundis ex Castella Nova, Asturiis, Rioxa, & Montaneis: Alia vero Monachis oriundis ex Gallæcia, Campos, & Terris circumvicinis ejusdem Regni Legionis: Octavò, quod decem & novem ex prædictis Abbatiis, conferendis dictis Monachis Gallæcis, Campesinis, & Terris circumvicinis memorati Regni Legionis, subdividantur in duas partes æquales, ponendo in unaquaque tot Abbatias cujuscumque classis pro qualibet parte; & una pars sic subdivisa conferatur Gallæcis, altera vero Campesinis, & oriundis ex Terris circumvicinis supradicti Regni Legionis; Impar vero Monasteriorum inter ipsos alternetur: Nono, quod ex tribus Præsidentiis una conferatur singulo triennio Castellanis Novis, Asturianis, Rivogianis, & Montanensibus: altera Gallæcis, Campesinis, & circumvicinis ejusdem Regni Legionis: tertia vero alteri ex prædictis duabus partibus, quæ Genera-

Avocatio Causæ ad SS.

Papæ Decreta.

Divisio Congreg. Hispaniæ in duas.

Alia subdivisio:

Officiorum distributio.

Divisio Abbatiarum.

De Præsidentiis &c.

lem non habet in triennio, conferatur; illa vero, tangens Campesinos & Gallæcos, inter ipsos alternetur: Decimò, quod ex duobus Prædicatoribus Generalibus cum voto perpetuo in Capitulo, unus ex Monachis oriundis ex Castella Nova, Asturiis, Rioxa, & Montaneis; alius autem ex Gallæcia, Campos, & Terris circumvicinis dicti Regni Legionis eligatur; ita tamen, ut si una vice fuerit, electus Monachus oriundus ex Campos, & Terris circumvicinis supradicti Regni Legionis eligatur: Undecimo, quod duodecim Magistri, & quatuor Prædicatores Jubilati antiquiores, qui habent vocem perpetuam in Capitulo Generali, dividantur in duas partes æquales, scilicet sex Magistri, & duo Prædicatores pro qualibet parte; & unam partem habeant Monachi oriundi ex Castella Nova, Asturiis, Rioxa, & Montaneis: aliam vero partem habeant Monachi oriundi ex Gallæcia, Campos, & Terris circumvicinis ejusdem Regni Legionis; Hæc vero secunda medietas subdividatur æqualiter inter Gallæcos, & Campesinos, nempe tres Magistri Jubilati & unus Prædicator Jubilatus pro Gallæcia, & alii tres Magistri & unus Prædicator pro Campos, & Terris circumvicinis prædicti Regni Legionis; ea tamen conditione, quod si aliqua ex supradictis partibus divisis & subdivisis non habeat Magistrum Jubilatum, vel Prædicatorem Jubilatum per lecturam seu prædicationem duodecim annorum, habeat facultatem subrogandi proximiorem in exercitio lecturæ vel prædicationis: Duodecimò, quoad Monachos eligendos ad Cathedras Universitatum Capitulum & Generalis Reformator provide attendant, ut eligantur Monachi ex omni natione juxta divisionem & subdivisionem, ut etiam inter ipsos post jubilationem & assecutionem Cathedrarum præfixa æqualitas servetur: Decimotertiò, quod si intra triennium, facta jam electione in Capitulo Generali, quacumque ex causa Generalatum vacare contingat, quamcumque Abbatiam seu quodcumque Officium ex supradictis, in locum sic vacantem promoveri debeat, & subrogari ab iis, ad quos spectat, Monachus oriundus ex illa parte, ut supra divisa & subdivisa, ex qua orundus erat ille, ob cujus mortem promotionem, renunciationem, aut privationem, officium vacare contigerit, qui sic subrogatus exercere valeat munus suum dumtaxat ad tempus, quod supererat decedenti, renuncianti, privato, vel promoto,

In reliquis Ordinis Constitut. servandæ.

§. 8. Volumus autem, quod in reliquis omnibus, præsentibus nostris Ordinationibus non repugnantibus, serventur Constitutiones Ordinis, Decreta Sacrarum Congregationum, & Constitutiones Apostolicæ; utque hic modus observandi bipartitam inferatur inter Constitutiones juratas dictæ Congregationis Monachorum, & unà cum illis legatur temporibus legi solitis in Monasteriis dictæ Congregationis, & in omnibus Capitulis generalibus, ac juretur ab omnibus Capitularibus observantia omnium prædictorum, antequam procedatur ad electiones; quod si forte aliquis jurare & observare renuerit, ejiciatur extra Capitulum, voceque activa & passiva pro eadem vice careat, sicque lis extincta remaneat.

De harum Literarum observantia,

§. 9. Præterea mandamus, ut hæ provisiones nostræ in quatuor Capitulis Generalibus proximis servari debeant, iisque completis perseverent, si dissentiones cessaverint; sin minus ad Nos seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, recursus pro nova provisione fieri debeat.

Ac firmitate.

§. 10. Decernentes, easdem præsentes literas semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia pleniſſime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque, & non aliter, in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. præfatæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 11. Quocirca Ven. Fratri Episcopo Astoricen., vel eo absente seu impedito, Ven. etiam Fratri Episcopo Calaguritano, per præsentes committimus & mandamus, quatenus ipse per se, vel per alium, seu alios easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, & quoties, pro parte interesse habentium, seu alicujus eorum fuerit requisitus, solemniter publicans, illisque in eisdem præmissis efficacis defensionis præsidio assistens, faciat auctoritate nostra, illos, & eorum quemlibet, præsentium literarum, & in eis contentorum hujusmodi commodo & effectu, pacifice frui & gaudere; non permittentes, illos desuper quomodolibet indebite molestari, perturbari, & inquietari; contradictores quoslibet, & rebelles per censuras & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque; super his habendis, servatis processibus, censuras & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii Sæcularis.

Obstantium derogatio.

§. 12. Non obstantibus quoad ea, quæ præsentibus sunt contraria, præfatis utriusque Clementis Prædecessorum literis, aliisque omnibus, & singulis præmissis, &, quatenus opus sit, de non tollendo jure quæsito, aliisque Nostris, & Cancellariæ Apostolicæ Regulis; necnon re. me. Bonifacii PP. VIII. Prædecessoris pariter nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas, aliquis auctoritate præsentium in judicium non trahatur: aliisque Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac, quatenus opus sit, Congregationis, & Monasteriorum, ac Ordinis hujusmodi, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§. 13. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis sic impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 3. Octobris 1710. Pontificatus Nostri Anno Decimo. F. Card. Oliverius.

Quem effectum hujusmodi Clem. XI. Literæ sortitæ fuerint.

§. 14. Ac licet pro parte dictorum Monachorum Regni Toleti, & Provinciarum adjacentium executio præinsertarum literarum aliquandiù impedita, sive retardata fuisset, subinde tamen plenarium effectum suum sortitæ sunt tam in Capitulo Generali ejusdem Congregationis, quod anno 1717. celebratum fuit, quam in aliis tribus subse-

quenti-

quentibus Capitulis ejusmodi, in quibus electiones ad Abbatias, Generalatum, aliaque officia dictæ Congregationis factæ, cæteraque transacta fuerunt ea quiete, & animorum concordia, ut Monachi, ex utraque parte simul legitime congregati, semel atque iterum deliberaverint, & per secreta suffragia decreverint, bipartitam divisionem, aliasque ordinationes, in dictis Clementis Prædecessoris literis contentas, perpetuò retinendas ac servandas fore & esse, totidemque vicibus plenum Diffinitorium præfatæ Congregationis per geminos alios solemnes & publicos actus Procuratorem deputaverit pro impetranda ab hac S. Sede literarum prædictarum confirmatione & extensione in perpetuum: ingenue fatendo, rationem & normam regiminis in iis stabilitam eidem Congregationi apprime congruere, dum ita omni æquitate Prælaturæ ac munera distribuantur; & exinde, sicuti experientia edocuerat, cessaverant omnes factiones, quæ antea in dicta Congregatione dominabantur, atque præpollebant; ac tam pernicioſa dissidia in eam invexerant, Religiosaque tandem pax & tranquillitas eisdem Congregationi & Monachis reddita fuerat. Verum postmodum prædicti Monachi Regni Toletan. & Provinciarum adjacentium, mutato consilio, ac causari dissentiones in ipsa Congregatione nedum omnino extinctas, adeoque locum esse novæ provisioni a Sede Apostolica capiendæ juxta dispositionem earumdem Clementis prædecessoris literarum, coram tunc existente Auditore re. me. Benedicti PP. XIII. prædecessoris etiam nostri, citationem cum inserta Commissione directa Congregationi particulari ab ipso Benedicto Prædecessore deputanda expediri curarunt, cui tamen dicti Exponentes sese opposuerunt, ac eidem Benedicto Prædecessori interim exposito, quod non solum præinsertæ Clementis Prædecessoris literæ pacifice observatæ fuerant, sed insuper in Regno Galliæ, & Provinciis de Campos plusquam duæ ex tribus partibus Monasteriorum seu Conventuum præfatæ Congregationis reperiebantur, emanarunt die 20. Decembris 1728. a dicto Benedicto prædecessore quædam literæ, quibus duæ ex tribus partibus Abbatiarum, Officiorum, ac Suffragiorum Capitularium ejusdem Congregationis Exponentibus prædictis adjudicabantur relicta eorum reliqua tertia parte præfatis Monachis Regni Toletan. ac Provinciarum adjacentium, & aliàs, prout in ejusmodi literis, quarum tenorem præsentibus pro plene & sufficienter expresso ac inserto haberi volumus, latiùs dicitur contineri.

Aliæ Benedicti XIII. Literæ.

§. 15. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, suspensa executione harum literarum Benedicti Prædecessoris, occasione quinti ac novissimi Capituli Generalis dictæ Congregationis, quæstio inter Partes excitata fuisset super modo procedendi in eodem Capitulo Generali, allegantibus Monachis Regni Toletan. & Provinciarum adjacentium, Capitulum illud celebrandum esse cum plena votorum seu suffragiorum libertate absque ullo alio recursu ad Sedem Apostolicam; tametsi in supradictis Clementis Prædecessoris expresse in casu discordiæ demandatus fuerat: contra vero Exponentibus præfatis ejusmodi literas Clementis Prædecessoris observandas esse asserentibus, & si secus fieret, de nullitate Capituli Generalis dicentibus, atque ad dictam Sedem Apostolicam provocantibus; Cumque nihilominus Capitulum hujusmodi die 5. Maji 1730. nulliter habitum fuisset, ac successivæ ambæ Partes Sedem prædictam adiissent, a qua Monachi Regni Toletan. & Provinciarum adjacentium, Capitulum sic celebratum confirmari, nec-

Quid actum in anteriori Capitulo Generali.

non deinceps votorum seu suffragiorum libertatem concedi postularunt: ac vicissim dicti Exponentes, Capitulum præfatum nullum declarari, ac præinsertas Clementis Prædecessoris literas posthac quoque observari petierunt; Nos hanc controversiam Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præpositorum, cognoscendam remisimus, ubi inter alia dubia inter easdem Partes concordata, & a dicta Congregatione Cardinalium resoluta, illo quoque proposito ac disputato: *An, & quomodo esset providendum in futurum in casu &c.* Memorata Congregatio Cardinalium die 16. mensis Maji proxime præteriti, re undique perpensa, ac prævio maturo examine discussa, referente Ven. Fratre Nostro Francisco Episcopo Ostien. & Veliternen. ipsius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali Barberino nuncupato, rescripsit: Nobis consulendum, ut Clementis prædecessoris literas præfatas perpetuo servari mandaremus.

§. 16. Quare dicti Exponentes Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut statui ejusdem Congregationis Monachorum opportune in præmissis providere, & , ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsorum Exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere cupientes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de eorumdem Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præpositorum, qui die 18. mensis Julii mox elapsi, reproposita Causa cum dubio: *An esset standum, vel recedendum a decisis, quoad perpetuitatem literarum Clementis Prædecessoris?* in Decretis die 16. Maji perstiterunt, consilio, præinsertas Clementis Prædecessoris literas enarratas, Benedicti Prædecessoris literis, quas, quatenus opus sit, per præsentes revocamus, minime obstantibus, perpetuò servari in futurum, auctoritate Apostolica harum serie præcipimus & mandamus; sicque & non aliter per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac dictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & ejusdem Sedis Nuntios, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & diffiniri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Clementis Literas servari præcipitur.

§. 17. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus & singulis illis, quæ idem Clemens Prædecessor in literis suis hujusmodi concessit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Obstantium derogatio.

§. 18. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio quam extra habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Fides Transumptorum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem

sub Annulo Piscatoris die 5. Septembris 1732. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

F. Cardinalis Oliverius.

LXXII. Confirmantur nonnulla Statuta pro meliori regimine Provinciæ Granaten. Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia.

Dat. die 10. Sept. 1732. Pont. An. III.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Petitio.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Joannes de Sok, Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, quod juxta mentem hujus S. Sedis, ac resolutionem novissimi Capituli Generalis ejusdem Ordinis in Civitate Mediolanen. anno 1729. celebrati in Capitulo Provinciali Provinciæ Granaten. dicti Ordinis habito die 20. Maji 1730., communi consensu Vocalium, nemine que discrepante, inter alia statutum fuit, ut omnes Conventus Provinciæ præfatæ, nullo excepto, nonnisi Cantu Gregoriano uterentur in divinis Officiis, & Missæ Sacrificiis solemniter celebrandis, duoque erigerentur, aut destinarentur Conventus ipsius Provinciæ, in quibus Religiosi Studentes post emensum fructuose triennium studii Theologiæ Moralis Practicæ, sicuti jam ab eadem Sede in Regnis Hispaniarum dispositum, & a Ven. Fratre Archiepiscopo Panormitan. tunc temporis Ministro Generali prædicti Ordinis die 19. Februarii 1727. palam indictum fuerat; sicque, & non aliter iidem Studentes in Provinciali, vel intermedio Capitulo dictæ Provinciæ, prævio accurato examine, verbi Dei Prædicatores, & Sæcularium Confessarii institui valerent; In unoquoque verò e præfatis duobus Conventibus, hujusmodi studiis destinatis, constitui nequiret nisi unus Lector, qui antea per aliquot annos Theologiam Scholasticam publice ac laudabiliter legisset, vel saltem integrum Philosophiæ cursum perfecisset; Ac Lectores ejusmodi pro tempore existentes, qui literarias exercitationes præscriptas adimplerent, frui deberent privilegiis & exemptionibus, quibus ipsius Theologiæ Scholasticæ Lectores gaudent, non secus, ac si eamdem Theologiam Scholasticam toto tempore ad id definito legissent. Præterea in Congregatione seu Capitulo Provinciali intermedio supradictæ Provinciæ in Civitate Granaten. die 24. mensis Novembris proxime præteriti peracto, omnium itidem Vocalium consensu & suffragio ordinatum fuit, ut unus ejusdem Provinciæ Conventus in Seminarium sive Professorium institueretur ac deputaretur, quo Clerici dictæ Provinciæ immediate post emissam ab eis regularem professionem irremissibiliter mitterentur, ibique per unum saltem annum permanerent, linguæ latinæ, & cantui Gregoriano præfato operam navaturi; & interim omnia, quæ durante anno probationis observaverant in Clausura, tum privatis cum publicis in communitate exercitiis vacando, eodem modo facere tenerentur; utque Magister Alumnorum dicti Seminarii seu Professorii, qui rite illos docuisset, privilegiis quoque & exemptionibus Magistris Novitiorum Ordinis prædicti attributis potiretur.

Decreta nonnulla pro bono Provinciæ regimine.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, præmissa ad majorem Dei Gloriam, ac doctrinæ, & regularis disciplinæ in Ordine præfato incrementum tendere dignoscantur, Nobis propterea ipse Joannes Minister Generalis humiliter supplicari fecit, ut illa Apostolicæ confirmationis nostræ præsidio communire, perpetuæque eorum observantiæ providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ejusdem Joannis Ministri Generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præpositorum, qui relationem venerabilis Fratris Nostri Episcopi Ostien. & Veliternen. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ præfatæ Cardinalis Barberini nuncupati sibi super præmissis factam, necnon dilectum filium Procuratorem Generalem Ordinis prædicti audiverunt, consilio, enunciata statuta & ordinationes auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus & confirmamus; illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos juris & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus: salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Auctoritate Apostolica confirmantur.

§. 2. Decernentes, easdem præsentes literas, firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac dictæ Sedis Nuncios judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon, quatenus opus sit, præfatorum Ordinis ac Provinciæ, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 10. Septembris 1732. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

F. Card. Oliverius.

LXXIII. Confirmantur Statuta nonnulla super distributione Officiorum Provinciæ Terræ Laboris Ordinis Fratrum S. Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum.

Claufulæ.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. die, annoque eod.

Exordium.

PAstoralis officii, quod authore Deo gerimus, cura animum noſtrum ſolicitat, ad ea peculiari paternæ charitatis ſtudio ſtatuenda, per quæ Chriſtifidelium, divinis obſequiis ſub ſuavi Religionis jugo mancipatorum, quieti & felici regimini opportunis rationibus ſalubriter conſulatur.

§. 1. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Joſephus Maria ab Ebora Commiſſarius Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia nuncupat. quod ad ſedandas graves moleſtias, imo ſcandaloſas controverſias in Provincia Fratrum Reformatorum dicti Ordinis Terræ Laboris in Regno Neapolis inter Fratres Neapolitanos, adhærentes, & exteros, ſuper diſtributione officiorum, quæ in tres partes ab aliquibus, & ab aliis in duas partes dividi prætenduntur, vigentes, poſt maturam conſiderationem, auditamque ſuper præmiſſis Fratrum graviorum & peritorum ejuſdem Reformationis ſententiam, ad occurrendum ejuſmodi inordinationibus expedire exiſtimat: Primò, ut Natio Neapolitana deinceps non ſolum Civitatem Neapolitanam, ſed totam illius Diœceſim complectatur; & ſemel Provincialatum, incipiendo a proxime futuro Capitulo Provinciali, ac ſemper duo vota in Definitorio habeat: Secundò, quod omnes alii Religioſi extra dictam Diœceſim, ſuppreſſo nomine adhærentium, unum corpus exterorum conſtituant; & per duas vices continuas Provincialatum hujuſmodi, & quatuor vota ſive ſuffragia in Definitorio, attento quod duas ex tribus partibus ejuſdem Provinciæ componunt, habere debeant: Tertiò, ut Cuſtodis officium etiam per turnum bis ad exteros, & ſemel ad Neapolitanos pertineat; ex ſexdecim vero Conventibus, quibus dicta Provincia de præſenti conſtat, decem prædictis exteris, quinque Neapolitanis, & reliquus diſpoſitioni Miniſtri Provincialis pro tempore exiſtentis attribuantur, ita tamen, ut Conventus Neapolitani pariter per ſuum turnum reſpective provideantur.

Statuta.

§. 2. Quare dictus Joſephus Maria Commiſſarius Generalis Nobis humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportune providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſius Joſephi Mariæ Commiſſarii Generalis votis hac in re quantum cum Domino poſſumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ac etiam motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ut in poſterum ſupranarrata diſpoſitio fideliter obſervetur, ſervata tamen ſemper canonicæ electionis forma, tenore præſentium ſtatuimus & ordinamus; Mandantes propterea, & diſtincte præcipientes Superiori Generali pro tempore exiſtenti Ordinis hujuſmodi, ut prædictam diſpoſitionem executioni demandet, & ab iis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, obſervari faciat, ſub excommunicationis, privationis officiorum, ac vocis activæ & paſſivæ, ac perpetuæ inhabilitatis, necnon nullitatis omnium actuum Capitularium, quos contra prædictam diſpoſitionem fieri contigerit, adverſus contrafacientes infligendis pœnis; Ac decernentes, ipſas præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere; ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus & per omnia pleniſſime ſuffragari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Confirmantur.

§. 3. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis; necnon Provinciæ & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis, ac ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 10. Septembris 1732. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

F. Card. Oliverius.

Confirmantur omnia & ſingula Privilegia & Exemptiones, a Romanis Pontificibus conceſſa Officialibus Bombardariis ſeu Libratoribus Tormentorum, eorumque Auxiliatoribus in Arce S. Angeli de Urbe. LXXIV.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. die 15. Sept. 1732. Pont. An. III.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Officiales Bombardarii ſeu Libratores Tormentarii, & Arcis noſtræ Sancti Angeli de Urbe Auxiliatores, quod ipſi per Chirographum manu Noſtra ſubſcriptum, & dilecto filio Magiſtro Carolo Mariæ Sacripante Cameræ noſtræ Apoſtolicæ Theſaurario Generali, dictæque Arcis Præfecto ſeu Caſtellano, directum omnia Privilegia & Exemptiones, eis conceſſa ac competentia: necnon pluries etiam a Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris, & a Nobis, dum in minoribus conſtituti eramus, ac Theſaurarii Generalis dictæ Cameræ munere fungebamur, per ſententiam anno MDCCV. latam, aliaſque reſolutiones ejuſdem Cameræ, reſpective approbatas, & quibus iidem exponentes ratione ſervitii, quod prædictæ Arci præſtant, fruuntur, confirmari obtinuerunt, & aliàs, prout in dicto Chirographo uberius continetur tenoris, qui ſequitur, videlicet:

Petitio Bombardariorum.

Monſignor Carlo Naria Sacripante Noſtro Teſoriere Generale, Caſtellano della Noſtra Fortezza di Caſtel Sant, Angelo.

Chirographum Theſaurario Generali datum.

§. 1. Avendo gli Officiali, Bombardieri, ed Ajutanti della detta noſtra Fortezza di Caſtel Sant' Angelo di queſta Città di Roma fatto rappreſentare, che ſebbene la loro Compagnia in compenſo non meno del peſo, a cui ſoggiace, del mantenimento a proprie ſpeſe della Cappella di Santa Barbara loro Protettrice eſiſtente nella Chieſa della Traſpontina, dove hanno la propria ſepoltura, fanno ogni giorno celebrare la Santa Meſſa, ed ogni anno con nobile apparato e pompa la Feſta, e la proceſſione della ſolenne Feſtività

del Corpus Domini, chè del continuo ſervizio, quali ſono tenuti preſtare in tutto l'anno a detta noſtra Fortezza ſenza veruno ſtipendio; riſpetto però a detti Ajutanti abbino da più Pontefici Noſtri Predeceſſori ottenuti in diverſi tempi varj Privilegj, confermatigli ancora dalla fel. mem. di Clemente X. con ſuo Chirografo del xv. Ottobre MDCLXX., & in ultimo luogo da Benedetto XIII. di ſimil. mem. con altro ſuo Chirografo del dì xx. Settembre MDCCXXVIII., e che tra gli altri Privilegj loro conceduti vi ſia particolarmente quello di dover eſſer eſſenti dal peſo di prender la Patente, di pagare le Taſſe, e da altro qualunque officio e peſo delle loro Univerſità, Conſolati, ed Arti; ed ancorche dalla Congregazione particolare deputata l'anno MDCLXXXXIII. dalla fel. mem. di Innocenzo XII. foſſe loro preſervata la detta Eſenzione, reſtrittivamente però al numero di ſoli ducento, compreſi ancora i Giubilati, e purche fuſſero delle quattro Arti, cioè de' Muratori, Falegnami, Ferrari, e Scarpellini, e non di altre, nientedimeno, eſſendoſi doppo coll'eſperienza riconoſciuto non eſſer in modo veruno pratticabile di poter avere dalle dette ſole quattro Arti il numero di duecento perſone atte ed idonee per il ſuddetto eſercizio, e molto meno altro maggiore di ducento quaranta, che almeno indiſpenſabilmente è neceſſario per il ſervizio di detta Noſtra Fortezza; che però, eſſendo nell'anno MDCCI. ricorſi alla fel. mem. di Clemente XI. altro Noſtro Predeceſſore, foſſero con benigno reſcritto aggraziati del godimento de i ſudetti Privilegj, benche foſſero di altre Arti diverſe delle quattro ſuddette; e che ſiccome non mancarono anche doppo alcune delle Univerſità delle medeſime Arti, e particolarmente quella de' Ferrari, e l'altra de' Calzolari, di pretendere anche giudizialmente d'impugnare la predetta eſenzione; promoſſane però giudiziale iſtanza nell'anno MDCCI. avanti di Noi, di quel tempo Teſoriere Generale, n'emanaſſe contemporaneamente contro le dette due Univerſità ſentenza favorevole a i detti Ajutanti e Bombardieri, in cui furono queſti dichiarati liberi ed eſenti in virtù di detti loro Privilegj, da quali ſi fiano taſſe, pene, & altri qualſifiano officj e peſi particolari, provenienti da Statuti delle loro Univerſità; e che quantunque, doppo paſſata in giudicato la detta ſentenza, fiano ſtate tanto dal Reverendiſſimo Cardinale Corradini, quanto dal fu Cardinal Marefoſchi mentre erano Uditori di detto Noſtro Predeceſſore Clemente XI. rigettate le iſtanze, in diverſi tempi promoſſe in nome particolarmente delle Univerſità de' Fruttaroli, e delle altre de' Sellari e Cappellari contro i detti Bombardieri ed Ajutanti per lo pagamento delle ſuddette taſſe: ed a favore di queſti decretata ed ordinata l'oſſervanza de i detti loro Privilegj, e della detta ſentenza; e che in ultimo luogo ancora, e nel dì 12. del paſſato meſe di Settembre ſia ſtata dal noſtro Monſignor Uditore rigettata ſomigliante iſtanza fatta dalla Univerſità de' Carrettieri; e non oſtante ancora che le dette Univerſità, quali nel detto anno MDCCII. avevano come ſopra patito l'accennata contraria ſentenza, ne otteneſſero poi nell'anno MDCCXXIV. la Commiſſione al Tribunale della piena Camera *in gradu reſtitutionis in integrum*: e che propoſtaſi per tre volte la Cauſa a relazione di Monſignor Maggi Ponente della medeſima, ſopra il dubio -- *An conſtet de re judicata, ſen potius de Cauſis reſtitutionis in integrum* -- riconoſciutaſi dal medeſimo Tribunale la chiara e manifeſta giuſtizia della detta ſentenza, reſcriveſſe -- *Conſtare de re judicata* -- Con tutto ciò, avendo eſſi Oratori coll'eſperienza riconoſciuto, e tuttavia ſempre più riconoſcendo, che non oſtante i Privilegj conceduti alla loro Compagnia, e più volte da' Sommi Pontefici Noſtri Predeceſſori confermati, la ſentenza, ed altri Giudicati per l'oſſervanza de' medeſimi in diverſi tempi riportati, ogni nuovo Conſole delle loro reſpettive Arti vuol tentare colle liti di controvertergli l'Eſenzioni e Privilegj ſuddetti con grave diſpendio della detta loro Compagnia di Santa Barbara, ed in pregiudizio ancora del continuo ſervizio, che ſono tenuti preſtare nella detta noſtra Fortezza di Caſtel Sant'Angelo; che però per eſimerſi dalle moleſtie, che poteſſero in qualunque tempo venirgli ſopra di ciò inferite dalli Conſoli ed Officiali delle dette loro reſpettive Arti, ci hanno fatto ſupplicare, affinche ci degnaſſimo di confermargli l'Eſenzioni e Privilegj ſuddetti; e Noi ben'informati di tutto l'eſpoſto da eſſi Oratori, volendo però conſolarli, come appreſſo, nella loro domanda; Quindi è, che avendo nel preſente noſtro Chirografo per eſpreſſo e di parola in parola per inſerto l'intiero tenore de i Privilegj, alla detta Compagnia de' Bombardieri, Ajutanti, ed altri Officiali di detta noſtra Fortezza di Caſtel Sant'Angelo conceduti, & in diverſi tempi confermati da più Sommi Pontefici Noſtri Predeceſſori, e ſpecialmente da Clemente X., e Benedetto XIII. della ſopracennata ſentenza, riſoluzioni del detto Tribunale della piena Camera, e degli altri giudicati, come ſopra, emanati, delle ragioni e motivi, dedotti tanto per parte di eſſi Supplicanti, quanto delle Univerſità delle Arti ſuddette, ed ogni altra coſa quanto ſi voglia neceſſaria d'eſprimerſi; di noſtro Moto proprio, certa ſcienza, e pienezza della noſtra Suprema Poteſtà Pontificia, approviamo, e pienamente in tutto e per tutto confermiamo i Privilegj ed Eſenzioni, come ſopra, conceduti, e più volte anche confermati da' detti Pontefici Noſtri Predeceſſori, e canonizati colle ſovraccennate Sentenza, Riſoluzioni della piena Camera, & altri Giudicati, e così legittimamente competenti alla predetta Compagnia di Santa Barbara; alla quale vogliamo, che ſiano perpetuamente oſſervati, come ſi preſcrive nella detta ſentenza, riſoluzioni, & altri giudicati ſopraenunciati; Nè poſſano in avvenire i medeſimi Supplicanti contra la forma della ſentenza, riſoluzioni, e giudicati ſuddetti, eſſere in verun modo da i Conſoli ed altri Officiali delle loro reſpettive Arti, moleſtati ed impediti nel libero e pacifico godimento dell'Eſenzioni e Privilegj ſudetti; Per il qual'effetto commettiamo a Voi, e Monſignori Teſorieri, Caſtellani di detta Fortezza, voſtri Succeſſori, che in virtù di queſto noſtro Chirografo facciate, e facciano ora, ed in ogni futuro tempo, oſſervare ed eſeguire agli Officiali, Bombardieri, ed Ajutanti predetti l'Eſenzioni e Privilegj, come ſopra competenti alla detta loro Compagnia; dandovi Noi intorno a ciò tutte le facoltà in qualſivoglia modo neceſſarie ed opportune, oltre quelle, che come Teſoriere e Caſtellano ſuddetto di già vi competono; ed anche di reaſſumere ed avocare a Voi, e a detti voſtri Succeſſori tutte e qualſifiano cauſe da qualſivoglia Giudice e Tribunale, quanto ſi voglia privilegiato, tanto moſſe, quanto da moverſi contro li detti Supplicanti, contro la forma delli detti loro Privilegj ed Eſenzioni, e dipendenti da' medeſimi; e quelle, privativamente quanto ad ogni altro Giudice, conoſcere, decidere, e terminare ſommariamente ſenza ſtrepito e figura di Giudizio, & ſola facti veritate inſpecta: rimoſſa ogni e qualunque appellazione e

ne e ricorso, essendo così mente e volontà nostra precisa. Volendo e decretando, che il presente nostro Chirografo, benche non ammesso, nè registrato in Camera secondo la disposizione della Bolla di Pio IV. Nostro Prædecessore *De Registrandis*, vaglia, e debba aver sempre il suo pieno effetto, essecuzione, e vigore con la nostra semplice sottoscrizione; nè gli si possa mai opporre di surrezione, orrezione, nè di alcun' altro vizio o difetto della nostra volontà ed intenzione; e che mai sotto tali altri pretesti possa essere impugnato, moderato, e molto meno rivocato; e che così, e non altrimenti, debba sempre giudicarsi, definirsi, ed interpretarsi da qualunque Giudice e Tribunale, anche Collegiato della stessa nostra piena Camera, e da qualsisiano Congregazioni, benche composte di Reverendissimi Cardinali, e da questi anche Legati a Latere, Reverendissimo Cardinal Camerlengo, Monsignori Tesorieri, e da qualunque altro: togliendo loro ed a ciascuno di essi ogni facoltà & autorità di giudicare, definire, ed interpretare diversamente; dichiarando Noi d' adesso preventivamente nullo, irrito, ed invalido tutto ciò, che scientemente o ignorantemente si facesse o si tentasse di fare in contrario; ancorchè non vi siano stati chiamati, citati, nè sentiti li Consoli, Officiali, ed Uomini di qualsisia Università ed Arti, e loro Difensori, ed ogni altro che vi avesse, o pretendesse di avervi interesse, quanto si voglia privilegiato e privilegiatissimo: non ostante la Bolla del detto Pio IV. *de Registrandis*, la Regola della nostra Cancellaria *de jure quæsito non tollendo*, li Statuti delle dette Università, oblighi, tasse, pene, & altro in essi prescritto, anche confermati specialmente da questa Santa Sede, e qualsisiano altre Costituzioni ed Ordinazioni Apostoliche nostre, e de' nostri Predecessori, e, quanto alle cose premesse, le facoltà e privilegj, conceduti e competenti a qualsivoglia Giudice e Tribunale, Leggi, Statuti, anche di questa nostra Città di Roma, sue riforme, usi, stili, e consuetudini, ed ogni altra cosa, che facesse, o potesse fare in contrario: alle quali tutte e singole, avendone il tenore qui per espresso, e di parola in parola inserto, e supplendo Noi con la pienezza della Nostra Suprema Potestà ad ogni vitio e difetto quantunque sostanziale e formale, che potesse intervenirvi, questa volta sola per l' effetto premesso ampiamente deroghiamo. Dato dal nostro Palazzo Apostolico Quirinale, questo dì 21. Agosto MDCCXXXII.

CLEMENS PP. XII.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, ipsi Exponentes, quò lites, quas dilecti pariter filii Consules propriarum Artium cum variis & injustis prætensionibus in dies sibi intentare non cessant, evitare, majorique, qua par est, diligentia & attentione solitis studiis, a prædictis litigiis interruptis, quibus cum maximo eorum dispendio, & temporis jactura obnoxii sunt, operam dare valeant, præmissa Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent; Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Chirographum præinsertum, omniaque & singula in illo contenta & expressa, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus pariter & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis vim, robur, & efficaciam adjungimus, ac omnes & singulos juris & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus & sanamus. Roboratur.

§. 3. Decernentes, easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, semper firma, valida & efficacia existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat & pro tempore spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. Ecclesiæ Camerarium, & alios Cardinales, etiam de Latere Legatos, necnon Cameræ prædictæ Præsidentes Clericos, Thesaurarium, & Commissarium Generales, cæterosque Officiales & Ministros nunc, & pro tempore existentes, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Præsentium Literarum firmitas.

§. 4. Non obstantibus fel. recor. Pii PP. IV. Prædecessoris pariter Nostri de gratiis qualecumque interesse dictæ Cameræ Apostolicæ concernen. in eadem Camera intra certum tunc expressum tempus Registrandis, itaut præsentes literas ibidem præsentari & registrari nunquam necesse sit, aliisque Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, & quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis: ac omnibus & singulis illis, quæ in Chirographo præinserto concessa sunt non obstare. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse deroganus, cæterisque contrariis quibuscumque. Obstantium derogatio.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 15. Septembris 1732. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

F. Cardinalis Oliverius.

Serva Dei Catherina de Ricciis, Monialis expresse professa Ordinis Sancti Dominici, Beatæ nomine appellari, ac cum radiis pingi &c. conceditur. LXXV.

CLEMENS PAPA XII.

Dat. die 1. Octob. 1732. Pont. An. III.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

IN Apostolicæ Dignitatis fastigio, nullis licet meritorum nostrorum suffragiis, per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam constituti, ad ea, per quæ sacrarum Virginum, cum cœlesti Sponso in beata æternitate regnantium, in quibus utpote vasculis imbecillioribus opus dexteræ Excelsi mirabilius apparuit, ac tanquam pretiosis monilibus multipliciter gaudet atque refulget Ecclesiæ Matris gloriosa fœcunditas, cultus & veneratio in terris promoveatur, libenter intendimus, sicut pia Christifidelium, præsertim catholicorum Principum, vota postulant, & ad omnipotentis Dei gloriam, ipsiusque Ecclesiæ decus & præsidium, ac ædificationem fidelium & animarum salutem, cognoscimus, in Domino expedire.

Processus super Vitæ Sanctitate &c. Congr. examini datus.

§. 1. Cum itaque accurate discussis atque perpensis per Congregationem Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, sacris Ritibus præpositorum, processibus de Sedis Apostolicæ licentia confectis super Vitæ Sanctitate, & Virtutibus in gradu heroico, quibus Serva Dei Catherina de Ricciis, Monialis expresse professa Ordinis Sancti Dominici, claruisse, necnon Miraculis, quæ ad ejus intercessionem a Deo patrata fuisse asserebantur; Congregatio præfata coram Nobis constituta, auditis etiam Consultorum suffragiis, unanimiter censuerit, ad ejusdem Servæ Dei Beatificationem, quandocumque Nobis videretur, tuto procedi posse; Hinc est, quod Nos piis atque enixis dilecti filii Nobilis Viri Joannis Gastonis, Etruriæ sibi subjectæ Magni Ducis, ac totius Ordinis Sancti Dominici, necnon dilectarum in Christo filiarum Monialium Monasterii Sancti Vincentii Civitatis Praten. in quo prædicta Serva Dei regularem professionem emisit, atque in Domino obdormivit, supplicationibus, Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, de memoratorum Cardinalium consilio & assensu, auctoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus, ut eadem Serva Dei Catherina de Ricciis imposterum Beatæ nomine nuncupetur, ejusque Corpus & Reliquiæ venerationi Fidelium (non tamen in processionibus circumferenda) exponantur: Imagines quoque radiis seu splendoribus exornentur: Ac de ea sub ritu duplici recitetur Officium, & Missa celebretur de Virgine non Martyre singulis annis juxta Rubricas Breviarii & Missalis Romani die 12. Februarii. Porro recitationem Officii, ac Missæ celebrationem hujusmodi fieri concedimus in locis tantum infrascriptis: nempe in Civitate Florentin. ubi dicta Serva Dei ortum habuit: in præfata Civitate Praten. ubi diem clausit extremum: ac in universo Ordine Sancti Dominici tam Fratrum quam Monialium, cujus Habitum gessit; &, quantum ad Missas attinet, etiam a Sacerdotibus confluentibus. Præterea primo dumtaxat anno a datis hisce literis, &, quoad Indias, a die, quo eædem præsentes literæ illuc pervenerint inchoando, in Ecclesiis Civitatum Florentin. ac Praten. & Ordinis prædictorum, Solemnia Beatificationis ejusdem cum Officio & Missa sub ritu duplici majori, die ab Ordinariis respective constituta, & intra sex menses promulganda, postquam tamen in Basilica Principis Apostolorum de Urbe celebrata fuerint ejusmodi Solemnia, pro qua re diem 23. mensis Novembris proxime venturi assignamus, pariter celebrandi facimus potestatem.

B. Catharina Fidelium venerationi exponenda conceditur.

Officii & Missæ celebratio, quibus in locis, & temporibus.

§. 2. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac Decretis de & super non Cultu editis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Obstantium derogatio.

§. 3. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumpris seu exemplis, etiam impressis, manu Secretarii supradictæ Congregationis Cardinalium subscriptis, & sigillo Præfecti seu pro-Præfecti ejusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides ab omnibus, & ubique, tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Fides transumptorum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die prima Octobris 1732. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

F. Card. Oliverius.

Constitutio, diversas continens ordinationes pro bona directione Conclavis, ac rerum Sede Apostolica vacante agendarum. LXXVI.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Dat. die 5. Octob. 1732. Pont. An. III.

Exordium.

APostolatus Officium, quod inscrutabilis divinæ Sapientiæ atque Clementiæ altitudo humilitati nostræ, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, committere dignata est, postulat, ut non præsentia tantum spectantes, sed futura quoque prospicientes, in iis etiam, quæ post resolutionis nostræ diem, consummatumque a Nobis mortalis hujus peregrinationis cursum eventura sunt, per opportunas, Deique gloriæ, ac Ecclesiæ utilitati consentaneas, leges dirigendis atque ordinandis, Pastoralis solicitudinis nostræ partes interponamus, sicut, omnibus diutinæ considerationis trutina perpensis, in Domino expedire arbitramur.

Pontifices, qui Constit. pro canonica Papæ electione ediderunt.

§. 1. Sane plurimi Prædecessores Nostri, & præsertim recol. mem. Symmachus, Nicolaus II., Alexander III., Gregorius X., Clemens V., Clemens VI., Julius II., Paulus IV., Pius IV., Gregorius XV., ac Urbanus VIII. probe intelligentes, quanti ponderis & momenti sit ad Dominici gregis ac Catholicæ Ecclesiæ providum regimen Electio Romani Pontificis, qui Domini & Salvatoris Nostri Jesu Christi in terris Vicarius, Beatique Petri Successor, ac omnium Fidelium Pater & Pastor existit; nec unius membri sed totius corporis salutem agi, animo reputantes, cum de Capite consulitur, multas diversis temporibus etiam in Conciliis generalibus saluberrimas ediderunt Constitutiones; quibus omni cupiditati, ambitioni, simoniacæ, alterive cuivis pravitati, turpitudini, deformitati, ac dissidiis ab ejusmodi Electione præcluso aditu, summa prudentia, parique consilio providerunt, ut hoc tam sanctum, tamque grave opus pie ac rite perageretur; & in eo non caro & sanguis aut aliquis humanus affectus locum ullum sibi vendicaret, sed Spiritus Sancti gratia cuncta dirigerentur ac gubernarentur; ficque ad Christi hæreditatis, quam pretioso Sanguine suo quæsivit, curam & administrationem gerendam, nonnisi qui vocatus foret a Deo tamquam Aaron assumeretur: Veluti quoque de ancipiti, ac Romanæ & Universali Ecclesiæ periculoso tempore, quo illa visibili suo Capite ac Pastore viduata remanet, anxie soliciti dicti Prædecessores, ne eadem Ecclesia multiplicibus longe vacationis exponeretur incommodis, haud prætermiserunt, ea opportune statuere, quæ ad maturandum ipsius Electionis felicem exitum conducere videbantur; ac decernere, quæ interea agenda & servanda essent, & alias, prout in præfatis Constitutionibus, quarum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Causæ edendæ hujus Constitutionis.

§. 2. Quia tamen sæpe contingit, ut legum vel maxime salutarium, si non crebro excitetur, sensim ex animis hominum effluat memoria: experientiaque edocet, nonnulla ex iis, quæ Sede Apostolica Vacante præscripta fuerunt, aut usus invexit, pro temporum varietate, juxta quam humana etiam consilia multoties variare oportet, immutanda ac supplenda esse, ut recto in primis rerum tam difficili tempore agendarum ordini, justitiæ administrationi, atque Ærarii Pontificii indemnitati cumulatius prospectum cautumque sit; quemadmodum Nosmetipsi, qui in minoribus constituti majorem ætatis partem in Romana Curia egimus, ac dum

Cardi-

Cardinalatus honore fungebamur, Comitiis ad Romanum Pontificem eligendum ter interfuimus, satis perspeximus, ac plures ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, eximia pietate ac circumspectione præditi, Nobis etiam innuere atque significare non omiserunt.

§. 3. Hinc est, quod Nos pro Apostolici muneris, Nobis divinitus commissi, ratione, habita prius super præmissis cum memoratis, nonnullisque aliis ipsius S. R. E. Cardinalibus matura deliberatione, de illorum consilio, ac etiam Motu proprio & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura Constitutione, ea, quæ sequuntur, statuenda, decernenda, & ordinanda duximus.

Prædecessorum Pontif. Constit. confirmantur.

§. 4. Primum igitur enarratas Prædecessorum Nostrorum Constitutiones, ac omnia & singula in eis contenta & dispositа, quæ præsentibus tamen literis non adversantur, harum serie confirmamus, approbamus & innovamus, ac inconcusse & inviolabiliter observari præcipimus & mandamus.

§. 5. Cæterum, tametsi opus non esse in Domino confidimus, urgente Nos tamen Pastoralis Officii debito, ac præcipuo, quo tenemur, boni publici desiderio, Cardinales nunc & pro tempore existentes per viscera misericordiæ ejusdem Domini Nostri Jesu Christi, & per effusionem sui pretiosi Sanguinis enixe rogamus, hortamur, obsecramus, & monemus, ut tunc potissime, dum scilicet de creando Romano Pontifice agitur, serio perpendant rei, quam gerunt, gravitatem, ministerii, quod per eos tractatur, magnitudinem, ac personæ, quam in Ecclesia Dei sustinent, dignitatem; seduloque recogitent, se in renuntiando Supremo ipsius Ecclesiæ Rectore divinæ mentis interpretes constitutos, nudaque omnia & aperta esse in oculis ejus, cui solemnis & arctissimi Jurisjurandi religione fidem suam promissuri & obligaturi sunt; neque aliud esse forsan posse in omni eorum vita factum, de quo tam arduum atque difficile eis futurum sit, rationem reddere æterno justoque Judici, sempiterna vel præmia vel supplicia decreturo. Itaque etiam sub Divini interminatione judicii eisdem Cardinalibus præcipimus itidem & mandamus, ut in suffragiis ferendis, ac aliis omnibus & singulis Electionem quomodolibet concernentibus, solum Deum præ oculis habentes; & non sua, sed quæ Christi sunt, quærentes, religiose, sincere & libere, humanis quibusque artibus, factionibus, partium studiis, omnique demum carnis affectu, ac privatis commodis & desideriis remotis, atque Principum Sæcularium intercessionibus, cæterisque mundanis respectibus, ac etiam grati animi, & cujusvis alterius necessitudinis titulo minime attentis, & postpositis, se se gerant ad eligendum eum, quem Universali Ecclesiæ fructuose utiliterque gubernandæ idoneum secundum Deum judicaverint; ac memores supradictarum Constitutionum, pœnarumque in eis contentarum, ne quidquam facere, admittere, aut attendere, quod ab hoc proposito alienum sit, vel per quod Electio retardetur, aut libertati suffragandi quoquo modo officiatur, per se vel alium, directe aut indirecte, quovis colore, prætextu vel ingenio audeant seu præsumant.

Adhortatio ad S. R. E. Cardinales, ut solum Deum, & Eccl. suæ utilitatem in eligendo Pontifice respiciant.

Cardinalium auctoritas Sede Vacante.

§. 6. Porro ab eisdem Prædecessoribus provide constitutum est, ut, Apostolicæ Sedis Vacatione durante, Collegium Cardinalium in iis, quæ ad Pontificem Maximum, dum viveret, pertinebant, nullam omnino potestatem aut jurisdictionem habeat: neque gratiam neque justitiam faciendi, aut factam per Pontificem defunctum executioni demandandi, sed omnia futuro Pontifici reserventur: neque de Ditione temporali S. R. E. vel de pecuniis Cameræ aut Datariæ Apostolicæ etiam pro solutione debitorum ante obitum Pontificis quomodolibet contractorum, aut aliàs ex quavis causa (certis quibusdam casibus expressis dumtaxat exceptis) quidquam disponere: nec ad proprium commodum aliquid percipere: nec æs alienum contrahere possit. Nos præmissa approbantes, sub pœnis per dictas Constitutiones indictis insuper statuimus & declaramus, quod idem Collegium Cardinalium, mandata de solvendis pecuniis hujusmodi (præterquam in prædictis casibus exceptis, ac aliis infra exprimendis) favore cujusvis personæ, tam in Conclavi quam extra illud existentis, etiam titulo remunerationis, præmii, laboris, ac etiam supplementi mercedis, expedire & relaxare; itaut tam Cardinales, qui contra præmissa aliquid attentaverint, quam Camerarius, Thesaurarius, Depositarius, & alii Officiales, qui eis in talibus obtemperaverint, de suo proprio Cameræ Apostolicæ plenarie satisfacere, & pecunias erogatas restituere, & quævis damna resarcire a futuro Pontifice cogantur; Nec etiam ejusmodi titulo licentiam extrahendi frumenta e Statu Ecclesiastico concedere, nisi ubi extractio ex causa vere onerosa competat, & tunc, dummodo quantitatem debitam non excedat, ac tempus, quo extractio permitti solet, advenerit; Neque cuiquam immunitatem seu exemptionem ab officio vel servitio ei incumbente, vulgo Jubilationem nuncupatam, tribuere; Nec ullos reos & delinquentes absolvere, vel per liberi commeatus tabulas, quas Salvum Conductum appellant, etiam ad tempus assecurare, nisi qui leviora delicta Sede ipsa Vacante commiserint, minusque Exilium, aliamve quamcumque pœnam etiam pecuniariam illis remittere, condonare, vel moderari valeat. Si quid vero contra præsentem prohibitionem factum sit, quilibet, ac etiam Officialis, qui id exequi coactus fuerit, rem denunciare teneatur futuro Pontifici, ut possit ad gestorum revocationem procedere, & in transgressores ad præscriptum hujus nostræ, ac Prædecessorum Constitutionum, animadverrere. Teneatur quoque Thesaurarius Generalis sub pœna privationis sui Officii exhibere novo Pontifici intra mensem, ab ejus Electione numerandum, computa seu rationes accuratas & distinctas omnium expensarum Sede Vacante factarum cum specifica expressione singularum summarum, causarum, ac personarum, quibus pecuniæ persolutæ fuerint, adhoc ut ipse Pontifex aliquot Cardinales sibi benevisos, qui tamen non sint tribus numero pauciores, deputet ad examinandum ea computa sive rationes, ac dispiciendum, sibique referendum, an aliquid inutiliter, sive plus æquo impensum, aut aliàs præsenti, vel Prædecessorum Constitutionibus, aut Chirographis, infra etiam nominandis, aliqua ex parte hac in re contraventum fuerit.

Quod Mandata de solvendis pecuniis expedire non possint.

Licentias frumenti extrahendi.

Jubilationes concedere.

Reos absolvere.

Quod Thesaurarius computa expensarum Sede Vac. factarum novo Pontifici exhibere.

§. 7. Cumque tempore Sedis Vacantis duplex habeatur Cardinalium Congregatio, altera nempe Generalis, sive totius Collegii, & altera particularis constans tribus Cardinalibus antiquioribus, uno scilicet ex quoque Ordine cum Camerario, quorum Officium tertia die post Conclavis ingressum omnino expirat, in eorumque locum tres alii sequentes in Ordine quolibet tertio die una cum eodem Camerario succedunt; Volumus, ut in dicta Congregatione particulari sive ante, sive post cæpta Comitia, levioris dumtaxat momenti, ac in dies seu passim occurrentia negotia expediantur; Si quid vero gravioris momenti ac indaginis fuerit, id omne ad Congregationem Generalem, seu Collegium Cardinalium deferatur; Ac ulterius quæ in una Congregatione particulari

De Congreg. Generalibus, & Particularibus.

decreta,

decreta, resoluta, vel denegata fuerint, in alia revocari, mutari, aut concedi nequeant; sed id faciendi jus habeat ipsa tantum Congregatio Generalis per pluralitatem suffragiorum.

De confirmandis Officialibus Curiæ Romanæ, ac totius Ditionis.

§. 8. Usum autem multo jam abhinc tempore vigentem proponendi in prima Congregatione Generali confirmationem Gubernatoris Almæ Urbis, deinceps quoque retineri mandamus. Et quod attinet ad cæteros Sedis Apostolicæ, Curiæ Romanæ, ac Ditionis Ecclesiasticæ Officiales & Ministros cujuscumque qualitatis, gradus, ordinis, & conditionis fuerint, illos omnes in secunda Congregatione pariter Generali, eodem contextu, ac unico urnæ sive bussulæ, ut vocant, gyro juxta morem antiquum simul & semel confirmari permittimus, aliàs pro confirmatis haberi volumus. Si tamen aliquis ex dictis Officialibus & Ministris adeo graviter in munere suo deliquisse aut defecisse, seu male versatus fuisse credatur, ut plane indignus reputetur, qui in muneris sui exercitio relinquatur, Statuimus, quod Cardinales in Ordine Priores, rem totam, ac probationes, quæ adversus talem Officialem seu Ministrum uppetunt, distincte ac ordine exponant in una Congregatione Generali, adhoc ut singuli Cardinales earum subsistentiam atque relevantiam recognoscere possint: ac post tres exinde dies in alia Congregatione item Generali proponi & agitari debeat, num dictus Officialis seu Minister confirmandus, vel a sui muneris exercitio suspendendus veniat usque ad Electionem futuri Pontificis? illudque obtineat, ac firmum sit, quod resolutum fuerit majori parte suffragiorum secretorum: & si decreta est suspensio, plures ad munus, de quo agetur, exercendum in primis habiles & idonei a Cardinalibus proponantur, & ex iis, qui præ cæteris aptior visus fuerit, in locum Officialis seu Ministri suspensi subrogetur per pluralitatem similiter suffragiorum, donec eligatur Pontifex.

De Edictis à Pro-Legatis Nomine, ac Stemmate Legatorum imprimendis.

§. 9. Quoniam vero exempto ab humanis Pontifice Cardinales Legati in Provinciis Status Ecclesiastici protinus ad Comitia invitantur, injuncto eis, interim suæ Legationis administrationem tradere pro-Legatis, quibus mandatur, ut eam Sacri Collegii nomine suscipiant, populorum securitati provideant, ac sedulo curent, ne tumultus excitentur; Ad quamcumque dissensionis & controversiæ, quæ inter Cardinales Legatos, eorumque pro-Legatos facile enasci possent, occasionem submovendam, decernimus, ut Edicta, quæ in Provinciis præfatis, Sede Apostolica vacante, & Cardinalibus Legatis absentibus, evulgari contigerit, ab ipsis pro-Legatis cum propria subscriptione, apposito tamen eisdem Edictis nomine, & quæ typis imprimentur, etiam Stemmate gentilitio, Cardinalium Legatorum absentium, libere publicentur. Cardinales autem Legati, quamdiu a Legatione abfuerint, ac Sedis Vacatio duraverit, nulli subalterno in Legatione Ministro seu Officiali, aut cuivis alteri quicquam, insciis pro-Legatis imperent, minusque executioni demandari faciant.

Tres Cardinales eligendi, qui præsint Clausuræ &c. Conclavis.

§. 10. Præterea tres imposterum Cardinales ex eis, qui Comitiis aliàs interfuerint, a Collegio eligendos, præfici Clausuræ, ac curam Conclavis habere & gerere, statuimus, qui disposita a Prædecessoribus circa Clausuram ac curam hujusmodi omni sedulitate & diligentia exequantur: Cellas Cardinalium bis qualibet hebdomada, aliaque ipsius Conclavis loca crebro visitent: illius munditiæ præsint: ac solerter perquirant, ne in ejusdem Conclavis muris, fenestris, laquearibus, vel pavimentis vetita foramina fiant, vel fenestræ aperiantur aut amplientur, unde cum exteris colloquendi sive communicandi copia & facultas detur: ac si quæ foramina facta, aut fenestras sic apertas & ampliatas deprehenderint, statim occludi & obturari, in pristinumque statum restitui curent: prohibeant quoque arma seu stemmata gentilitia cujusvis Cardinalis quocumque Officio fungentis alio quam propriæ suæ Cellæ imponi, appendi, & depingi: & si illa repererint in quacumque alia parte Conclavis consistentia, statim amoveri ac deleri faciant: Cellas porro Cardinalium absentium, sive mobilibus instructas & ornatas, sive non, Cardinales in Conclavi existentes nusquam occupent, sed ad dictos tres Cardinales, Clausuræ & curæ Conclavis præpositos, pertineat earumdem Cellarum usum & commodum Cardinalibus, qui Cellas suas vicinas habent, congrua inter eos servata proportione destinare, donec prædicti Cardinales absentes advenerint: Ipsorum autem trium Cardinalium munus istiusmodi toto tempore Comitiorum durare volumus, eisque quamcumque necessariam, amplamque in præmissis & circa ea potestatem harum serie tribuimus.

Scrutinia renunciari, aut recipi prohibetur.

§. 11. Scrutinia etiam, quæ pro Electione Pontificis bis in die a Cardinalibus fiunt, sive manuscripta sive impressa fuerint, e Conclavi ad eos, qui foris sunt, mitti ac renunciari, & ab eis recipi, proferri, aut evulgari, omnino prohibemus, sub pœnis adversus mittentes e Conclavi, ac exinde respective recipientes literas, scripta, nuncios, notas, aut signa, etiamsi Cardinalatus honore præfulgeant, a dictis Prædecessoribus expresse sancitis, eo ipso per transgressores incurrendis.

Frugalitas & temperantia in victu servanda.

§. 12. Atque menti Prædecessorum pariter insistentes, eisdem Cardinalibus præcipimus, ut frugalitatem & temperantiam in victu observent, procul ab omni luxu & pompa, atque etiam, in deferendis ad Conclave cibariis, lautioris cultus ostentatione.

Præfigitur numerus sex Magistrorum Cœremoniarum.

§. 13. Ne Magistrorum Cœremoniarum, qui in Comitiis adhibentur, nimium excrescat numerus, in futurum non plures quam sex ad summum, duo scilicet participantes, & totidem non participantes nuncupati, ac reliqui duo antiquiores ex supranumerariis in Conclave admittantur.

De numero servientium Conclavi.

§. 14. In eorumdem quoque Prædecessorum Constitutionibus inter alia habetur, quod Sacristæ cum uno Clerico Coadjutore in officio Sacristiæ, ac unus Collegii Secretarius tantum Conclave ingrediantur: adsintque unus Faber Lignarius, & unus Cœmentarius: item octo aut decem Servientes publicæ utilitati & commoditati omnium, veluti pro lignis portandis, pro verrendo Conclavi, & similibus necessariis ministrandis, qui a Collegio Cardinalium, non tamen ex familia alicujus Cardinalis, per fabas secretas eligantur, ita tamen, ut is obtineat, qui plura vota tulerit, & illis salaria de publico persolvantur. Nos eidem Sacristæ, ultra Clericum hujusmodi, ac Subsacristam, alterum, qui eidem Sacristiæ, & Missis celebrandis deserviat seu assistat: Magistris Cœremoniarum, qui in Conclave ut supra admittentur, unum famulum, non quidem pro eorum singulis, sed pro omnibus sic admittendis: Secretario autem Collegii duos Adjutores, qui eum assiduo, quo tunc maxime oneratur, labore levare possint, ac unum quoque famulum, qui tamen per Cardinales deputatos approbari debeant, in Conclave ducere & habere permittimus. Cumque octo, decemve publice Servientes prædictos necessariis in Conclavi ministrandis haud satis esse, compertum sit, indeque factum, ut eorum numerus in præteritis Comitiis auctus fuerit; imposterum triginta quinque (dictis tamen duobus famulis pro Magistris Cœremoniarum, ac Secretario Collegii in eo numero comprehensis) & non plures Servientes ejusmodi a Collegio Cardinalium eligantur; qui, sicuti de illis octo aut decem a Prædecessoribus dispositum

est,

est, non sint ex familia alicujus Cardinalis; minime attenta aut suffragante quacumque contraria consuetudine aut declaratione, etiam pluries ab eodem Collegio Cardinalium edita. Quo autem ad Fabros Lignarium, & Cœmentarium, nullus recipiatur, qui revera artes illas non calleat, publiceque profiteatur ac exerceat; nec Collegium ullam potestatem habeat dispensandi circa dictas qualitates, aliaque præmissa.

De electione Vice-Camerarii, & Pro-Pœnitentiarii Majoris.

§. 15. Per obitum Pontificis, nec Camerarii, nec Pœnitentiarii Majoris officia cessare a dictis Prædecessoribus cautum quoque reperitur; verum, quia contingere potest alterius, sicut in novissimis accidit Comitiis, ac etiam utriusque Officii hujusmodi vacatio ante novi Pontificis creationem, formam propterea tunc observandam stabilire volentes, decernimus, ut si, & quando id evenerit, Congregatio Generalis triduo post secutam vacationem alterutrius ex præfatis Officiis habeatur, ac vota seu suffragia Cardinalium, post absolutum Scrutinium simul congregatorum, pro deputatione illius, qui Camerarii, vel Pœnitentiarii Majoris vices suppleat usque ad Electionem novi Pontificis, exquirantur, denturque per schedulas secretas & impressas, a Magistris Cœremoniarum etiam ab infirmis Cardinalibus colligendas, ac coram tribus Cardinalibus eo tempore in Ordine Prioribus, præsentibus eisdem Cœremoniarum Magistris atque Collegii Secretario, aperiendas; isque deputatus habeatur, in quem major pars votorum seu suffragiorum præfatorum convenerit; ac sic Deputato facultates omnes, quas ipse Camerarius, vel Pœnitentiarius Major exercere poterat, quamdiu Sedes vacaverit, attribuimus.

Pœnitentiarii præd. facultas ampliatur.

§. 16. Ad hæc cum juxta Statuta dictorum Prædecessorum idem Pœnitentiarius Major, & ejus Officiales ea tantum tempore Sedis Vacantis facere & expedire valeant ad forum conscientiæ dumtaxat pertinentia, quæ poterant vivente Pontifice exercere, & in reliquis munus eorum conquiescat, itaut a quibuscumque Matrimonialibus, & aliis dispensationibus, ac absolutionibus, & declarationibus, necnon quibusvis aliis expeditionibus, forum fori mixtim vel separatim quomodolibet respicientibus, omnino abstinere debeant; aliquæ vero sint Censuræ Ecclesiasticæ, a quibus iis innodati, præterquam in mortis articulo constituti, nonnisi ab ipso Romano Pontifice pro tempore existente absolvi queunt, adempta nominatim Pœnitentiario Majori id faciendi potestate; atque multoties accidat, ut talibus Censuris irretiti vere pœnitentes, & errata sua sincero animo detestantes, absolutionis beneficium Sede Vacante enixius implorent; Quò disciplinæ Ecclesiasticæ conservationi, simulque animarum fidelium, quos Dei misericordia ad pœnitentiam vocaverit, saluti consultum sit, eidem Pœnitentiario Majori, vel ei, qui in illius locum suffectus fuerit, ut præfertur, facultatem tribuimus, ab his etiam Censuris Sede Vacante fideles prædictos, re tamen prius in Signatura ipsius officii Pœnitentiariæ Apostolicæ examinata, servatisque aliis servandis, absolvendi, ad tempus scilicet & cum reincidentia in dictas Censuras; itaut qui fuerint absoluti, ad novum Pontificem intra terminum, pro distantia locorum definiendum, recurrere, & ab eo plenariæ absolutionis beneficium petere & obtinere teneantur; nec Pœnitentiario Majori, seu in illius locum suffecto, præfixum terminum post Pontificis Electionem ampliare vel propagare liceat.

Vicesgerentis Vicarii Urbis hoc decedente facultates.

§. 17. Et si Vicarium Pontificis in Alma Urbe ejusque Districtu in Spiritualibus Generalem, Sede Vacante, e vivis quoque decedere contigerit, ne Animæ Christi fidelium Urbis ac Districtus præfatorum aliquod inde accipiant in ipsis Spiritualibus detrimentum, tunc existenti Vicesgerenti dicti Vicarii, quamdiu Sedes vacaverit, omnes & singulas facultates, auctoritatem, & potestatem, quæ eidem Vicario pro exercitio officii Vicariatus quomodolibet competebant, quasque Pontifex ipse occurrente vacatione Vicariatus, Sede plena, Vicesgerenti prædicto quandoque per aliquod tempus, donec scilicet Successorem Vicarium deputaverit, attribuere solet, tenore præsentium concedimus ac impartimur.

De providendo ingruentibus Ecclesiarum necessitatibus.

§. 18. Inferiorum quoque Ecclesiarum, præsertim Sedi Apostolicæ immediate subjectarum, necessitatibus, quæ Sede Vacante occurrunt, aliqua ratione subvenire cupientes, cum non rarò per Catholicos præcipue Antistites, & Locorum Ordinarios, aliosve Christifideles, instantibus aut ingruentibus illo tempore dictis inferioribus Ecclesiis, vel aliàs rei Ecclesiasticæ incommodis, opportunum promptumque a Collegio Cardinalium requiratur remedium, quod Pontifex, si adesset, ferre minime prætermitteret; Volumus, ut si res talis sit, quæ in aliud tempus differri valeat, futuro Pontifici omnino reservetur; sin autem nullam admittat moram, tunc eidem Collegio concedimus, ut committere possit negotium Præfecto, & aliquot aliis Cardinalibus ejus Congregationis, ad quam Pontifex illud examinandum verisimiliter remisisset; qui negotio accurate discusso ea desuper decernant, per modum tamen provisionis, donec nimirum eligatur Pontifex, quæ juxta datam sibi a Domino prudentiam juribus & rationibus ecclesiasticis custodiendis ac tuendis apta & consentanea censuerint.

Auditori Signat. Justitiæ facultas datur eas prosequendi Causas, quæ pendebant coram Auditore Papæ.

§. 19. Et quia, Sede Vacante, ejus, qui munus Auditoris defuncti Pontificis obibat, plane expirat jurisdictio, indeque plurium Causarum forensium Audientia, ac Justitiæ cursus non sine ingenti identidem litigantium jactura impediuntur; pro tempore existenti Auditori Signaturæ Justitiæ, cujus dum Cardinalatus dignitate fulgebamus, Præfecturam gessimus, earumdem tenore præsentium committimus & mandamus, dantes ei ad hoc facultates necessarias & opportunas, ut citationes & recursus, qui coram Auditore Pontificis defuncti tunc pendere reperientur, prout juris fuerit, expediat.

Confirmatur Chirographum Alexandri VIII. super expensis Conclavis.

§. 20. Cameræ Apostolicæ dispendiis, quantum fieri potest, obviare præterea cupientes, Chirographum fel. rec. Alexandri Papæ VIII. Prædecessoris etiam Nostri, super moderatione expensarum Sede Vacante, ac ratione Conclavis faciendarum die XXIX. Novembris MDCXC. editum, etiamsi antehac executioni usquequaque demandatum non fuerit, in omnibus & per omnia, quæ præsentibus itidem, ac Chirographo per Nos etiam, ut infra, edendo, non adversantur, servari præcipimus.

Officium Gubernatoris Conclavis, ac Civitatis Leoninæ supprimatur.

§. 21. Insuper justis & rationabilibus causis Nobis notis, animumque nostrum moventibus, adducti, Officium Gubernatoris Conclavis, ac utriusque Burgi seu Civitatis Leoninæ, cum ejusdem Officii titulo, denominatione, essentia, ac juribus, privilegiis, facultatibus, jurisdictione, stipendiis, honoribusque, & oneribus universis ei annexis, ipsarum tenore præsentium perpetuo supprimimus, tollimus, extinguimus, & abolemus: ac suppressum, sublatum, extinctum, & abolitum esse, & perpetuo fore, declaramus. Gubernium vero dicti Burgi seu Civitatis Leoninæ tempore Sedis Vacantis per Almæ Urbis Gubernatorem in futurum administrari & exerceri sancimus eisdem prorsus modo & forma, quibus per eum vivente Pontifice administratur & exercetur. Gubernium autem Conclavis una cum Cohorte Militum, sumptibus Cameræ Apostolicæ alenda, quam ipsius Conclavis Gubernator habere consuevera, cæterisque juribus, privilegiis, facultatibus,

Gubernium Civitatis Leoninæ Gubernatori Urbis;

Conclavis, ejusque Cohortis Militum demandatur Præfecto Palatii Apost.

jurisdi-

jurisdictione, (non tamen in utroque Burgo seu Civitate Leonina hujusmodi) honoribus & oneribus, qui & quæ dicto Gubernatori Conclavis quomodocumque competebant ac incumbebant respective, aut competere & incumbere poterant, Præfecto Palatii Apostolici pro tempore existenti, Sede Vacante, similiter in perpetuum demandamus & committimus, idque præter & ultra facultates ac jurisdictionem in eodem Palatio, seu aliter, illi concessas per quasdam piæ memoriæ Benedicti Papæ XIII. Prædecessoris etiam Nostri, in forma Brevis literas, quas Sede Vacante durare ac vigere statuimus, &, quatenus opus sit, ad id tempus extendimus & ampliamus; Mandantes propterea per Cameram Apostolicam dicto Præfecto Palatii Apostolici in singulos menses, quibus Sedes vacaverit, submministrari mille scuta monetæ Romanæ, unde cibos ac frugalem mensam Prælatis Conclavi assistentibus parare ac præbere valeat; ad quem effectum linteis ac supellectilibus etiam argenteis Palatii prædicti ad usum hospitum seu exterorum, vulgariter *della Foresteria* destinatis; necnon opera & ministerio Officialium Palatii præfati, quorum munera per obitum Pontificis minime cessant, uti possit. Ad eumdem quoque Præfectum Palatii spectare volumus curam asservandi ac custodiendi Pontificios Annulos, illamque supellectilem argenteam, quæ pro futuro Pontifice concinnari & aptari debent.

Cui 1000. scuta in singulos menses assignantur.

§. 22. Officium item Custodis Fontium, qui in Conclave demandantur, utpote supervacaneum, perpetuo supprimimus, extinguimus, & abolemus, memorati Gregorii XV. aliorumque Prædecessorum contrariis dispositionibus amplissime derogantes.

Extinguitur quoque Officium Custodis Fontium.

§. 23. Cumque rec. etiam mem. Innocentius Papa XII. Prædecessor Noster, dum venalitem Officiorum Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Auditoris, ac ejusdem Cameræ Thesaurarii Generalium, atque duodecim Præsidentium Clericorum, & unius Præsidis, sustulit, omnia & singula emolumenta tam ordinaria quam extraordinaria, jura, bona, obventiones, jocalia, regalia, & alios quoslibet proventus certos & incertos, quæ Sede plena vel vacante in compensationem pretii persoluti eisdem Officialibus debebantur & solvebantur, penitus cessare decreverit; ac tam illa quam subinde universa, quæ Cardinalis Camerarius similiter Sede plena aut vacante percipere consueverat, exceptis dumtaxat provenientibus ex Sigillo Officii Camerariatus, quæ scilicet ipsi Camerario reservata, ac quibusdam aliis, quæ publicæ Aromatariæ seu Medicamentorum Officinæ, pro Pauperibus in Urbe institutæ, assignata fuerunt, ipsi Cameræ Apostolicæ generaliter ac perpetuo reuniverit, applicaverit, & incorporaverit, prout constat ex binis ejusdem Innocentii Prædecessoris desuper sub plumbo Anno Incarnationis Dominicæ MDCXCII. decimo Kal. Novemb., & Anno MDCXCVIII. quarto Idus Augusti expeditis literis, quarum tenores præsentibus pariter pro plene & sufficienter expressis & insertis haberi volumus; Proinde Nos perpetuam reunionem, applicationem, & incorporationem ejusmodi, dictasque Innocentii Prædecessoris literas similiter confirmantes, ac, quatenus opus sit, innovantes: necnon quamcumque consuetudinem, usum, interpretationem, gratiam, declarationem, aut concessionem in contrarium quomodolibet subsecutam emolumenta præfata tempore Sedis Vacantis respicientem, revocantes & abrogantes, Prohibemus, ne de cætero prædicti Auditor, Thesaurarius, Præsidentes Clerici, & Præses, ac Cardinalis Camerarius, nunc & pro tempore itidem existentes, quicquam ex emolumentis, aliisque præmissis quibuscumque, sic reunitis, applicatis, & incorporatis, Sede Vacante, attingant, exigant, aut percipiant; translato vicissim in eamdem Cameram onere eorum sumptuum, quos dictus Cardinalis Camerarius ratione emolumentorum præfatorum, dum ab eo percipiebantur, tempore Sedis Vacantis sustinebat.

Confirmantur literæ Innocentii XII. de non solvendis Camerario, Thesaurario, Clericis Cameræ &c. ullis emolumentis.

§. 24. Chirographum insuper pro reformandis potissimum quibusdam minus necessariis aut superfluis, aliisque ordinandis expensis, quæ Sede Vacante non minus per dictam Cameram Apostolicam, quam per Cameram Capitolinam, seu ejus nomine, fieri noscuntur, nonnullisque aliis rebus eo tempore salubriter dirigendis, propediem edere decrevimus, quod eamdem vim, robur, & efficaciam, ac præsentes, habere volumus.

Chirographo mox edendo robur idem adjicitur.

§. 25. Neque tamen, dum animum ad levamen Ærarii Pontificii adjicimus, Christi pauperum ac egenorum obliviscimur, probe scientes eo maxime tempore, cum de creando Pontifice agitur, divinam opem per assiduas preces, aliaque Christianæ pietatis & charitatis opera impensius expetendam, ac promereri satagendum esse; ideoque sicuti magnopere commendamus, ita quoque retineri volumus laudabilem morem in tribus postremis Comitiis observatum, ut nimirum defuncti Pontificis Eleemosynarius id muneris exercere pergat cum debita Collegio Cardinalium subjectione, & ab eo dependentia, donec ac quousque novus Pontifex eligatur; utque eadem pecuniæ quantitas in subventionem dictorum pauperum & egenorum Sede Vacante per ipsum Eleemosynarium dispensetur ac erogetur, quæ vivente Pontifice distribui solet, ad quem effectum consueta mandata a tribus Cardinalibus in Ordine Prioribus seu Deputatis expediantur.

De Eleemosynis in pauperes erogandis.

§. 26. Postremo districte præcipiendo mandamus omnibus & singulis Cardinalibus præsentibus, ac quandocumque futuris, ne contra hanc nostram Constitutionem, & in ea præscripta atque contenta, quicquam disponere, ordinare, statuere, facere, tractare, moliri, vel attentare, eave in aliquo corrigere, alterare, seu mutare præsumant quovis prætextu, causa, vel exquisito colore.

De stricta Literarum harum observantia.

§. 27. Utque hujusmodi nostra Constitutio inviolabilius servetur, tres Cardinales, qui supra memoratam Congregationem particularem pro tempore constituunt, ac Ordinum Capita communiter appellantur, & cum iis Cardinalis Camerarius, eamdem Constitutionem in omnibus & per omnia, prout etiam disposita a dictis Prædecessoribus, huic nostræ Constitutioni non repugnantia, exacte observari procurent & faciant; super quo per eos ipsumque Camerarium rationem futuro Pontifici reddi debere statuimus & mandamus.

§. 28. Decernentes pariter, ipsas præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod ejusdem S. R. E. Cardinales, eorumque Collegium, & alii quilibet, in præmissis jus vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati sive auditi fuerint, vel ex alia quacumque causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clausa, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel interesse habentium, aliove quolibet etiam formali & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, aut in controversiam vocari, vel adversus illa aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari vel impetrari, seu impetrato, vel etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato,

Clausulæ.

quempiam

quempiam in judicio vel extra illud uti, seu se juvare posse ; Sed easdem præsentes literas semper & perpetuo firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere ; ac iis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter quoque observari ; Sicque, & non aliter, in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ipsosque Cardinales, ac eorum Collegium, & quosvis alios quacumque præeminentia & potestate fungentes & functuros, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere ; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§. 29. Non obstantibus præmissis, ac, quatenus opus sit, nostris & Cancellariæ Apostolicæ Regulis de jure quæsito non tollendo, quodque Cardinales in Constitutionibus & Regulis pro tempore edendis non comprehendantur, nisi illæ eorumdem Cardinalium favorem concernant, vel de ipsorum, seu majoris partis eorum consilio emanaverint, ipsiusque Pii IV. Prædecessoris de gratiis, dictæ Cameræ Apostolicæ interesse quomodolibet concernentibus, in eadem Camera intra certum tempus præsentandis & registrandis ; itaut præsentes literas ibidem præsentari aut registrari nunquam necesse sit, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus & Ordinationibus, necnon Decretis Consistorialibus, dictique Collegii, & aliis quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel qualibet firmitate alia roboratis statutis, stylis, usibus, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis, indultis, & literis Apostolicis, eisdem Collegio & Cardinalibus, ac cuilibet eorum, aliisve sub quibuscumque verborum tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter, & aliàs quomodolibet & ex quavis causa, etiam hic forsan necessariò exprimenda, in contrarium præmissorum concessis, emanatis, editis, ac pluries & quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis.

§. 30. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium & singulorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum dumtaxat specialiter & expresse, ac plenissime & amplissime derogamus, ac derogatum esse volumus & mandamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Præsentes Literæ Quinterno Cancellariæ adscribendæ &c.

§. 31. Volumus quoque, & Apostolica auctoritate decernimus, has nostras literas in Libellum redigi, aliisque Prædecessorum nostrorum Constitutionibus, quæ in prima Congregatione generali post decessum Pontificis, & deinde in Conclavi leguntur, adjungi, ac unà cum eis legi, necnon juramentum a Cardinalibus de eisdem nostris Literis observandis, emitti, prout quoque illas simul cum dictis Constitutionibus Quinterno Cancellariæ Apostolicæ adscribi, atque ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, dictæque Cancellariæ, & in Acie Campi Floræ de Urbe publicari : Volentes etiam, quod ipsarum præsentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra illud adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exibitæ vel ostensæ.

§. 32. Nulli ergo omnino hominum liceat, paginam hanc nostrorum confirmationis, approbationis, admonitionis, hortationis, mandatorum, præceptorum, decretorum, statutorum, ordinationum, suppressionis, extinctionis, abolitionis, prohibitionis, voluntatis, & derogationis, infringere, vel ei ausu temerario contraire ; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo septingentesimo trigesimo secundo, Quarto Nonas Octobris, Pontificatus Nostri Anno Tertio.

✠ Ego Clemens Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.



† Ego Petrus, Episcopus Tusculanus, Cardinalis Ottobonus, S. R. E. Vice-Cancellarius promitto, voveo, & juro.

S. R. E. Cardinalium subscriptiones.

† Ego Ludovicus, Episcopus Albanensis ; Cardinalis Picus promitto, voveo, & juro.

† Ego I. R. Tit. S. Laurentii in Lucina Presbyter, Cardinalis Imperialis promitto, voveo, & juro.

† Ego I. A. Cardinalis Tituli S. Petri ad Vincula Presbyter de Via promitto, voveo, & juro.

† Ego A. F. Tituli S. Praxedis Presbyter S. R. E. Cardinalis Zondadari promitto, voveo, & juro.

† Ego P. M. Tituli Sanctæ Mariæ Transtyberim S. R. E. Presbyter Cardinalis Corradinus promitto, voveo, & juro.

† Ego Curtius Tituli S. Eustachii S. R. E. Presbyter Cardinalis Origus promitto, voveo, & juro.

† *Ego Nicolaus Tituli Sanctorum Nerei & Achillei S. R. E. Presbyter Card. Spinula promitto, voveo, & juro.*

†

†

† *Ego Julius Tituli S. Chryſogoni S. R. E. Cardinalis Alberonus promitto, voveo & juro.*

†

† *Ego Georgius Tituli S. Agnetis S. R. E. Presbyter Card. Spinula promitto, voveo, & juro.*

† *Ego Cornelius Tituli S. Ceciliæ S. R. E. Presbyter Card. Bentivolus promitto, voveo, & juro.*

†

† *Ego Ludovicus Tituli S. Priſcæ S. R. E. Cardinalis Belluga promitto, voveo, & juro.*

†

†

†

† *Ego Alvarus Tituli Sancti Bartholomæi in Inſula S. R. E. Presbyter Cardinalis Cienfuegos promitto, voveo, & juro.*

† *Ego Joannes Baptiſta Tituli Sancti Matthæi in Merulana S. R. E. Presbyter Cardinalis de Alteriis promitto, voveo, & juro.*

† *Ego Vincentius Tituli S. Onuphrii S. R. E. Presbyter Card. Petra, Major Pœnitentiarius promitto, voveo, & juro.*

†

† *Ego Angelus Maria Tit. S. Marci S. R. E. Presbyter Cardinalis Quirinus promitto. voveo, & juro.*

† *Ego Nicolaus Maria Tituli Sanctorum Joannis & Pauli S. R. E. Presbyter Cardinalis Lercari promitto, voveo, & juro.*

†

† *Ego F. A. Tit. S. Sixti Presbyter Card. Finus promitto, voveo, & juro.*

†

†

†

†

† *Ego Frater Vincentius Ludovicus Tituli Sancti Pancratii S. R. E. Presbyter Cardinalis Gotti, Ordinis Prædicatorum promitto, voveo, & juro.*

† *Ego D. L. Tituli Sancti Calixti S. R. E. Presbyter Card. Porzia promitto, voveo, & juro.*

† *Ego Petrus Aloyſius Tituli Sancti Laurentii in Pane & Perna S. R. E. Cardinalis Caraffa promitto, voveo, & juro.*

†

†

† *Ego Franciſcus Tituli Sancti Sylveſtri in Capite S. R. E. Presbyter Cardinalis Burgheſius promitto, voveo, & juro.*

†

† *Ego A. Tituli Sanctæ Mariæ de Ara-Cœli S. R. E. Card. Salviati promitto, voveo, & juro.*

†

†

†

† *Ego V. Tituli Sancti Petri in Monte Aureo S. R. E. Card. Bichius promitto, voveo, & juro.*

†

† *Ego Joſeph Tituli S. Thomæ in Pariene Presbyter Cardinalis Firrao promitto, voveo, & juro.*

† *Ego Antonius Xaverius Tituli S. Stephani in Monte Cœlio S. R. E. Presbyter Cardinalis Gentili promitto, voveo, & juro.*

† *Ego Fr. I. A. Tituli Sancti Martini ad Montes, S. R. E. Presbyter Cardinalis Guadagni, Vicarius promitto, voveo, & juro.*

† *Ego T. Tit. SS. Quirici, & Julitæ Cardinalis de Aquaviva promitto, voveo, & juro.*

† *Ego Laurentius Tituli Sanctæ Mariæ in Via lata, Prior Diaconorum, Cardinalis de Alteriis promitto, voveo, & juro.*

† *Ego C. S. Agatæ Diaconus Cardinalis Columna promitto, voveo, & juro.*

† *Ego F. SS. Viti & Modeſti S. R. E. Diaconus Cardinalis de Abbatibus Oliveriis promitto, voveo, & juro.*

†

† *Ego Alexander Sanctæ Mariæ in Coſmedin S. R. E. Diaconus Cardinalis Albanus promitto, voveo, & juro.*

† *Ego Alexander S. Mariæ de Schala S. R. E. Diaconus Card. Falconerius promitto, voveo, & juro.*

† *Ego Nicolaus Sanctæ Mariæ ad Martyres S. R. E. Diaconus Cardinalis Judice promitto, vsveo, & juro.*

† *Ego Antonius Sancti Nicolai in Carcere S. R. E. Diaconus Cardinalis Bancherius, promitto, voveo & juro.*

† *Ego Nerius S. Adriani S. R. E. Diaconus Cardinalis Corſinus promitto, voveo, & juro.*

† *Ego B. SS. Coſmæ, & Damiani S. R. E. Diaconus Cardinalis Ruſpolus promitto, voveo, & juro.*

† *Ego Agapitus S. Georgii in Velabro Diaconus S. R. E. Cardinalis Moſca promitto, voveo, & juro.*

A. Card. Pro-Datarius.

F. Card. Oliverius.

VISA De Curia.

I. Archiep. Ancyranus.

Loco ✠ Plumbi.

D. Stivanus.

Reg. in Secret. Brevium.

Sequitur Chirographum.

Reverendiſſimi Cardinali Capi d'Ordini, e Camerlengo di Santa Chieſa.

AVendo Noi con ſpeciale noſtra Bolla, ſpedita ſotto il dì 4. di Ottobre proſſimo paſſato, proviſto al buon regolamento del Conclave, e ad altre coſe concernenti la Sede Vacante, ed in eſſa riſervatoci di ſtabilire ſopra ciò con ſuſſeguente noſtro Chirografo altre proviſioni, le quali quantunque non abbiamo ſtimato opportuno inſerire ed eſprimere nella medeſima Bolla, vogliamo nondimeno, che abbiano l'iſteſſa forza e vigore, come ſe in eſſa di parola in parola foſſero inſerte e regiſtrate; Quindi è, che col preſente noſtro Chirografo, nel quale abbiamo per eſpreſſo e di parola in parola regiſtrato l'intiero tenore delle Bolle, Coſtituzioni, ed altre Diſpoſizioni, concernenti ſpecialmente il regolamento del Conclave e della Sede Vacante: li Privilegii, Facoltà, ed Indulti conceſſi da' Noſtri Predeceſſori a qualunque Perſona, quantoſivoglia graduata e privilegiata, benche decorata della dignità Cardinalizia, ed ogni altra coſa quantoſivoglia neceſſaria di eſprimerſi; Di noſtro Moto proprio, certa ſcienza, e pienezza della noſtra Suprema ed Aſſoluta Poteſtà ſtabiliamo, prefigiamo, ed ordiniamo le ſeguenti proviſioni, e dichiarazioni, cioè:

I. Avendo Noi in detta noſtra precedente Bolla eſpreſſamente proibito al Sagro Collegio de' Reverendiſſimi Cardinali, ed alla Congregazione de' Capi d'Ordini, ogni e qualunque ſpedizione di mandati ſtraordinarj a favore di qualſivoglia Perſona a titolo di rimunerazione, premio, fatica, ſupplemento di mercedi, e ricognizioni,

perciò,

percio, a fine che quelli, i quali attualmente servono neceſſariamente in Conclave, e che ſolevano avere ſimili premj o ſuſſidj ſtraordinarj, da Noi aboliti, abbiano un congruo aſſegnamento, confermando primieramente le proviſioni di ſcudi cento il meſe aſſegnati alli due Medici, e di altri ſcudi cento il meſe al Chirurgo, ed altre proviſioni o aſſegnamenti fiſſamente ſomminiſtrati ſin'ora a diverſi altri Miniſtri, o Perſone, Vogliamo in oltre, che

Al Segretario del Sagro Collegio ſi paghino parimente ſcudi cento il meſe col peſo di dover ſomminiſtrare il vitto alli due Ajutanti, che gli abbiamo permeſſo con detta noſtra Bolla di condurre in Conclave, alli quali vogliamo in oltre, che ſi paghino ſcudi dieci il meſe per ciaſcheduno, in ricompenſa delle non ordinarie fatiche, alle quali ſoccombono.

Alli Maeſtri di Cerimonie non partecipanti, ch' entraranno in Conclave, aſſegniamo, e vogliamo, che ſi paghino ſcudi venticinque il meſe per ciaſcuno: ed alli Maeſtri di Cerimonie ſopranumerarj, quando a tenore di detta noſtra Bolla ne vengano ammeſſi due o uno di loro in Conclave, altri ſcudi venti il meſe ſimilmente per ciaſcuno, proibendo di nuovo eſpreſſamente, che nè a titolo del peſo di ſonare il campanello, nè per qualunque altro motivo, poſſa ſpedirſi a loro favore alcun' altro mandato: Dichiarando però, che, qnando ſi trovino, come preſentemente ſono, tre Maeſtri di Cerimonie non partecipanti, s'intenda, che il terzo de' medeſimi debba preferirſi per eſſer introdotto in Conclave a qualunque degli altri Maeſtri di Cerimonie ſopranumerarj, de'quali in tal caſo non ſi poſſa introdurre al più che un ſolo, acciocche non eccedano mai il preſiſſo numero di ſei:

Al Confeſſore del Conclave aſſegniamo, e vogliamo, che ſi paghino ſcudi trenta il meſe, & altri ſimili ſcudi trenta il meſe al ſotto-Sagriſta:

Alla Perſona, che s'introdurrà con il Sagriſta per ſervire le Meſſe, aſſegniamo ſcudi ſei il meſe.

Occorrendo il caſo, che il primo Maeſtro di Cerimonie ſia decorato del carattere Veſcovile, come accade preſentemente, vogliamo, che al medeſimo ſia permeſſo di condurre in Conclave un Sacerdote, che gli aſſiſta, conforme ſuole praticarſi con il Sagriſta, e che a ciaſcuno di eſſi loro Aſſiſtenti ſi paghino ſcudi dieci il meſe.

Incarichiamo poi, ed ordiniamo eſpreſſamente al ſuddetto primo Maeſtro di Cerimonie, che uſi una particolare attenzione, acciocche le Ruote dalla parte interiore del Conclave ſiano chiuſe a i tempi debiti, e che le chiavi vengano da lui medeſimo cuſtodite: nè reſtino, maſſime in tempo di notte, in mano altrui. Vogliamo in oltre, che ſia incombenza de i tre Reverendiſſimi Cardinali deſtinati a tenore della noſtra Coſtituzione alla ſoprintendenza della Clauſura e cura del Conclave, d'invigilare parimente all'eſatta oſſervanza di queſta diſpoſizione, viſitando di tempo in tempo le medeſime Ruote.

II. Vogliamo, ed ordiniamo, che alli trentacinque Scopatori ſi debbano dare due ſtramazzi con capezzale, due lenzuoli, & una coperta, quando entrano in Conclave, e che in fine del primo meſe debbano loro darſi due altri lenzuoli, oltre de' quali per qualunque durazione quantoſivoglia lunga della Sede Vacante non poſſano eſſi pretendere alcun'altra coſa, nè per il ſervizio del letto, nè per qualunque altro titolo; per lo che proibiamo eſpreſſamente ed individualmente, il concedere loro, conforme è ſtato praticato negli ultimi Conclavi, li camini, ed ogni altra ricognizione di ferri, legni, ſtigli, cementi, e coſe ſimili, le quali tutte vogliamo, che rimanghino a beneficio della noſtra Camera, e che detti Scopatori debbano reſtare contenti de' ſalarj a loro aſſegnati, e delle ricognizioni, che ſogliono ricevere da'Reverendiſſ. Cardinali.

III. Vogliamo, ed ordiniamo, che li Reverendiſſimi Cardinali deputati alla ſtruttura del Conclave debbano far chiudere con muri ſtabili le porte, ſcale, e ſcalette del noſtro Palazzo Vaticano, le quali corriſpondono nel medeſimo Conclave, ed invigilare, che non ſi chiudano inutilmente cammini, fineſtre, porticelle, ed altri luoghi da quelle parti, dalle quali non può averſi alcuna corriſpondenza tra li Conclaviſti e gli Eſtranei.

IV. A fine di togliere l' abuſo, che venga a bello ſtudio riempito il magazzeno delle legna, corriſpondente in Conclave, quando ſi ſtima verisimilmente eſſere proſſima l'Elezione del nuovo Papa, vogliamo perciò ed ordiniamo, che qualunque volta occorra di riempirlo in tutto il tempo della Sede Vacante, debba ſempre prenderſene la licenza dalla Congregazione de' Reverendiſſimi Cardinali Capi d' Ordini: Dichiarando in oltre, che qualunque quantita di legna, la quale rimanga inconſunta in tempo di detta Elezione, debba queſta intieramente riſervarſi a beneficio del noſtro Palazzo Apoſtolico, ed a tal' effetto debbano i Prefetti pro tempore di detto Palazzo avere il peſo e cura di farſene render conto da chi ne hà la cuſtodia, ſubito terminato il Conclave.

V. Vogliamo, che le due Compagnie delle noſtre Guardie di Fanteria, le quali ſogliono aqquartierarſi in Borgo nel tempo della Sede Vacante, ſi debbano aqquartierare una dalla parte di Borgo Pio, e l'altra dalla parte della Chieſa di S. Spirito: e che nel Corpo di Guardia di queſta ultima ſi cuſtodiſca di notte la chiave di un raſtello, che Noi ordiniamo, debba farſi in avvenire in tempo di Sede Vacante per chiudere l' apertura verſo fiume vicino a detta Chieſa ed Oſpedale di San Spirito, ove corriſponde il paſſo della barchetta.

VI. Ordiniamo in oltre eſpreſſamente a tutti li Corpi di Guardia e loro Ufficiali, che debbano laſciar paſſare liberamente di giorno e di notte gli Eſecutori del Governo e del Governatore di queſta noſtra Città, il quale dovrà continuare ad eſſercitare la ſua Giuriſdizione anche in detto Borgo, per avere Noi eſtinta, ſoppreſſa & abolita la carica del Governatore del Conclave, e la Giuriſdizione, che ivi eſſercitava. Nel caſo però, che detti Eſecutori paſſino di notte, vogliamo, che il loro Caporale debba moſtrare alla Guardia quel contraſegno, o indicare quel nome, di cui converranno inſieme il Governatore di Roma ed il Commiſſario dell'Armi.

VII. Eſſendo dalle Coſtituzioni d'Innocenzo XII., confermate e rinovate in detta noſtra Bolla, ſtati tolti al Cardinal Camerlengo, all'Uditore Generale della noſtra Camera, Teſoriere parimente Generale, alli dodici Chierici e Preſidente di detta Camera, tutti e qualſivoglia emolumenti si ordinarj come eſtraordinarj, anche a titolo di Regaglie e Giocali, dichiariamo, che tra queſti s'intendano compreſi, e tolti, ſiccome Noi comprendiamo, e togliamo, e vogliamo, che s'intendano compreſi, e tolti, anche li panni lugubri, e qualunque altra coſa di qualſiſia ſpecie, ſotto qualſivoglia titolo e denominazione, che ſi pagava in tempo di Sede Vacante dalla Camera Apoſtolica, Camera Capitolina, e Palazzo Apoſtolico.

VIII. Di più eſpreſſamente ordiniamo e vogliamo, che a niun' altro Miniſtro Camerale ſi ſomminiſtri nel tempo della Sede Vacante veruno di quegli emolumenti, che altre volte in detto tempo diſtribuivanſi loro ſotto nome e titolo di regaglie, regali, e panni lugubri; Ed in oltre proibiamo, che a chiunque ſi ſia dalla Camera Apoſtolica, e della Capitolina, o ſia a nome dell'una o dell'al-

dell'altra, si diano panni lugubri, corucci, e veli, o l'equivalente in danaro; dichiarando, che in questa disposizione sono comprese ancora tutte & singole Persone, alle quali venivano accordati dal Chirografo di Alessandro VIII. segnato li 29. Novembre 1690. a cui in questa parte espressamente deroghiamo. Non intendiamo però, che in questa ordinazione siano compresi quegli emolumenti, che sotto anche un tal titolo sono soliti a pagarsi a coloro, che godono qualche Vacabile o altro Ufficio acquistato titulo oneroso collo sborso effettivo di danaro, alli quali vogliamo, che si paghino, come prima facevasi; e per giuste particolari ragioni, che muovono l'animo nostro, eccettuamo ancora da questa generale ordinazione la partita di scudi 563. solita distribuirsi a Monsignor Sagrista, Cantori, ed altri della nostra Cappella Pontificia.

IX. E siccome avanti le tre prossime passate Sedi Vacanti, attesoche cessavano e l'Ufficio di Elemosiniere, e quell'Elemosine, che da lui distribuivansi in tempo di Sede piena, pareva molto conveniente l'assegnamento, che davasi a ciascheduno de i Caporioni per distribuirlo in tante porzioni di scudi cinque l'una a povere Famiglie ne' loro Rioni, e l'altro ad ogni Conservatore per lo stesso effetto, conforme si è anche praticato nelle dette ultime tre Sedi Vacanti; Così avendo Noi colla nostra Costituzione stabilmente provisto al maggiore sollievo dell' indigenza de' Poveri col far continuare la carica di Elemosiniere, per le mani del quale debbano distribuirsi l'elemosine in tutta la stessa considerabile quantità, che sogliono somministrarsi vivente il Pontefice, ed a cui potranno ricorrere le povere Famiglie per quelle particolari contingenze ancora, per le quali da principio fu introdotta la suddetta distribuzione, che doveva farsi da i Conservatori e Caporioni, proibiamo, che in avvenire si diano a i suddetti Conservatori e Caporioni i mentovati denari.

X. Avendo oltre questo fatta seria riflessione a quanto distribuivasi nel più volte mentovato tempo della Sede Vacante al Senatore, Conservatori, Priori de' Caporioni, ed altri Ufficiali del Popolo Romano, ogni dieci giorni anticipatamente a titolo di paga, il che importava ciascheduna volta scudi 1055. ed avendo dall'un canto maturamente considerati i motivi, per tali quali erano queste paghe assegnate, e che sono presentemente in gran parte cessate; nè volendo dall' altro intieramente levare loro questo emolumento, anche in riguardo di qualche maggiore fatica ed attenzione, che devono in detto tempo usare, ordiniamo, che in avvenire le suddette paghe si riducano e riformino per la metà; Eccettuando però i tredici Caporioni, a i quali in vece delli venticinque scudi, che a ciascheduno di loro si davano ogni dieci giorni, vogliamo, che si paghino scudi diciasette: ed il Comandante delle Ripe, e lo Scrittore del Popolo Romano, alli quali e per la maggiore spesa in tal tempo, e per la natura de' loro Ufficj, ordiniamo, che si continui il solito assegnamento: Siccome parimente si dovrà continuare al Conservatore, che assiste alla Ruota in riguardo del maggiore dispendio ed incommodo, che soffre nella permanente dimora a San Pietro per tutto il tempo del Conclave; dovendo però cominciare questo assegnamento maggiore degli altri dal giorno solamente, che principiarà la suddetta assistenza.

XI. Rispetto poscia alla Soldatesca del Popolo Romano, che in tal tempo soleva arrolarsi in numero di 300. persone, compresi gli Ufficiali subalterni, ordiniamo, che la medesima in avvenire sia composta del Colonello, Alfiere, due Sergenti, nove Caporali, due Tamburini, un Foriere, un Cancelliere, e soli ducento sedici Soldati effettivi; espressamente proibendo l'abuso introdotto delle Piazze morte, e l'altro gravissimo tal volta succeduto, che le persone arrollate non godano della intiera paga, potendo nascere da ciò moltissimi disordini in pregiudizio ed inquietitudine delle povere Famiglie ed Artisti; E specialmente incarichiamo il Commissario dell' Armi, Collaterale, ed altri, che assistono al pagamento delle medesime Soldatesche, d'invigilare, acciocche non succedano in avvenire questi inconvenienti; ed il suddetto Commissario dell'Armi dovrà subito fare arrestare quei Soldati, che comparissero in vece delle Piazze morte, e molto più quelli, che venissero scoperti di servire con qualche condizione di rilasciare ad altri o tutto o parte dello stipendio, che loro si paga; Ed in oltre dovrà dar parte a i Reverendissimi Capi d'Ordini di ogni particolarità, e complici della scoperta contravenzione, acciocche da i medesimi vengano ordinati i più severi proporzionati castighi contro coloro, che avranno delinquito. E volendo estinguere ogni vestigio e nome di Piazze morte, ordiniamo, che a quelli Ufficiali, a i quali erano legittimamente assegnate, si dia a proporzione qualche compenso in danaro, purchè tra tutti non ecceda l'equivalente della paga di nove Soldati.

XII. Essendo in oltre cessati quei motivi, per li quali anticamente pareva necessario in tempo di Sede Vacante di eleggere diversi Ufficiali, principalmente per le custodie delle Porte, ed altri luoghi di Roma, e sue vicinanze, in maniera tale, che presentemente nel suddetto tempo o le Persone elette in verun conto esercitano i supposti Ufficj, o parte degli assegnamenti destinati a questo titolo si impiegano ad altri effetti; Quindi è, che estinguiamo, supprimiamo, ed aboliamo, e vogliamo, che si abbiano per estinti, soppressi, ed aboliti tutti quegli Ufficj ed Ufficiali del Popolo Romano, che altre volte si eleggevano dal Cardinal Camerlengo pro tempore in tempo di Sede Vacante; ne vogliamo, che si paghi più cosa alcuna a chiunque si sia nè dalla Camera Apostolica, nè dalla Camera Capitolina a titolo di panni, danari, o altri assegnamenti, che distribuivansi a conto de i suddetti Ufficj, eccettuando unicamente da questa generale Ordinazione gli assegnamenti di quei tali, che godono qualche Vacabile, o altro Ufficio acquistato titulo oneroso collo sborso effettivo di danaro, e quegli delli Conclavisti de' Reverendissimi Cardinali, che di fatto entreranno in Conclave: Volendo però, che negli Ordini de i pagamenti rispetto a i primi si esprima, che si da tal somma in vece di quel tanto, che distribuivasi loro a titolo degli Ufficj, come sopra soppressi: e rispetto a i secondi, che vengono loro somministrati per la spesa delle Zimarre, che sogliono portare in Conclave.

XIII. A fine poscia di prevenire le istanze degli stessi Conclavisti per qualche altro ajuto in congiuntura di dovere colla mutazione della Stagione rinovare le suddette Zimarre, espressamente ordiniamo, che tali istanze non si ammettano in veruna maniera dal Sagro Collegio, chè nel primo giorno di Novembre, o nel primo di Luglio, e doppo chè siano passati due mesi almeno di Conclave; sperando però nella Divina assistenza, e nella pietà de i Reverendissimi Cardinali, che impediranno i gravissimi pregiudizj della Chiesa colla pronta Elezione di un nuovo Pontefice. Venendo poi il tempo ed il caso di ammettere la mentovata istanza, saranno somministrati scudi 30. per ogni Cella di Cardinale, che si trovarà in Conclave.

XIV. Di più vogliamo ed ordiniamo, che doppo terminata la Sede Vacante, e seguita l'Elezione del Pontefice, si debbano onninamente con tutta

la

la maggiore esattezza rivedere i Conti al Commissario, Proveditore del Conclave, ed a tutti gli altri Ministri, che si saranno ingeriti, ed averanno avuta parte nelle spese concernenti il medesimo, riconoscendosi le robbe comprate, la loro qualità, e prezzi, affinche la nostra Camera non venga defraudata; e di questa revisione ne faccia susseguentemente la relazione al Pontefice eletto, secondo viene prescritto in detta nostra Bolla.

XV. Ed affinche sia inviolabilmente osservato tutto ciò, che viene da Noi disposto nel presente Chirografo, siccome nella nostra Costituzione è stato da Noi prescritto, così presentemente ripetiamo e vogliamo, che chiunque contro l'espresso tenore del medesimo ordinarà, o darà esecuzione a qualche pagamento da farsi dalla Camera Apostolica, dalla Capitolina, o dal Palazzo Apostolico, a titolo di quanto è stato da Noi di sopra proibito, estinto, abolito, e soppresso, sia tenuto del proprio a risarcire i danni inferiti con tali indebiti pagamenti.

XVI. Vogliamo ed ordiniamo in oltre, che succedendo in Conclave la morte di qualche Cardinale, li Conclavisti del medesimo si debbano subito fare uscire a tenore delle Costituzioni de' nostri Predecessori; e non possano esser pigliati al servizio da verun' altro Cardinale nel medesimo Conclave.

XVII. Perchè alcune variazioni e dichiarazioni, da Noi stabilite ed ingionte in detta nostra precedente Costituzione, richieggono, che si proveda a quello, che dovrà farsi nel tempo de i Novendiali, vogliamo perciò, ed ordiniamo, che il solito Foglio, il quale s' imprime per regola alle Congregazioni de i Reverendissimi Cardinali, contenga quanto siegue, cioè:

Che nella prima Congregazione generale, la quale si aduna nella Camera de' Paramenti, si leggano dal Segretario del Sagro Collegio le Costituzioni de' Sommi Pontefici Gregorio X. che incomincia: *Ubi periculum* al *§. Cæterum*, di Giulio II. *de Simoniaca Electione*, di Pio IV. Gregorio XV. *de Electione*, e di Urbano VIII. confermatoria del Rito dell'Elezione stabilito dal detto Gregorio, aggiungendovi ancora la detta nostra Costituzione, le quali tutte vengano nell'istesso tempo giurate dalli Reverendissimi Cardinali.

Che si franga l' Anello Piscatorio; Che li Presidenti del Piombo consegnino l'impressorio del Piombo delle Bolle, che parimente verrà infratto; Che il Datario o sotto-Datario consegni la Cassa delle Suppliche, ed il Segretario de' Brevi, o il suo Sostituto, quella de' Brevi; Che si proceda poi alla conferma, ovvero elezione del Governatore di Roma, e si deputino due Persone erudite, l' una per fare l'Orazione in lode del defonto Pontefice, e l' altra sopra l' elezione del nuovo; Che si deputino parimente alcuni Cardinali, i quali sopraintendano alla struttura del Conclave; il che terminato, si accompagni poi il Cadavere del morto Papa alla Basilica Vaticana.

Che nella seconda Congregazione, da tenersi nella Sagrestia di San Pietro, si debbano a tenore di detta nostra Bolla, alla quale intieramente ci riferiamo, confermare con un solo giro di Bussola tutti gli Ufficiali di Roma, e dello Stato Ecclesiastico; Che vengano ammessi li Conservatori di Roma; E che li Cardinali deputati riferiscano la situazione da loro stabilita per la struttura del Conclave.

Che nella terza Congregazione venga eletto con voti segreti il Confessore, e doppo l' occaso del Sole si dia sepoltura al Cadavere del morto Pontefice, standovi presenti li Cardinali dal medesimo creati.

Che nella quarta Congregazione si eleggano due Medici, ed il Chirurgo.

Che nella quinta Congregazione si eleggano parimente lo Speziale, e due Barbieri con due Coadiutori.

Che nella sesta Congregazione dall' ultimo Cardinale Diacono vengano estratte le Celle; e che li Maestri di Cerimonie non partecipanti esibiscano i loro Brevi facoltativi di entrare in Conclave, purche fra tutti non eccedano il numero di sei, a tenore di quanto in detta nostra Bolla è stato prescritto.

Che nella settima Congregazione si propongano le istanze per avere il terzo Conclavista da i Cardinali presenti in Roma, riservando quella de i Cardinali assenti al tempo del loro arrivo; e che si eleggano gli Scopatori per servizio e mondezza del Conclave, a tenore di detta nostra Costituzione.

Che nell' ottava Congregazione si eleggano due Cardinali, da' quali debbano approvarsi li Conclavisti; e che a i medesimi dello stesso giorno debbano tanto li Cardinali, quanto ogni altro, che avrà l' ingresso in Conclave, trasmettere in un foglio da loro sottoscritto, li nomi e cognomi, grado, e patria di quelli, che intendono di seco condurre in Conclave: Avvertendo, che rispetto a i Cardinali esattamente si osservino le Bolle Apostoliche, le quali trà le altre cose dispongono, che i Conclavisti debbano esser persone, che siano state almeno un' anno al loro servizio.

Che nella nona Congregazione si deputino per suffragj segreti tre Cardinali, i quali debbano per tutto il tempo della Sede Vacante sopraintendere ed invigilare alla clausura, e cura del Conclave, ed altresì alla mondezza del medesimo, il tutto a tenore di detta nostra Costituzione; Portaranno per tanto seco i Cardinali una Schedola, nella quale siano scritti li Nomi di quei Cardinali, che stimaranno più opportuni per una tale incombenza, le quali Schedole verranno aperte in publico, e rimaranno eletti quei Cardinali, che avranno maggior numero di Voti, quantunque non eccedano la metà.

Che nella decima Congregazione li Cardinali non costituiti in Ordine Sagro, siano tenuti di esibire i loro Brevi per aver la voce nella Elezione; E che vengano deputati il Muratore, ed il Falegname per servizio del Conclave, i quali dovranno avere li requisiti espressi in detta nostra Bolla, avendo riguardo di preferire secondo il solito quei soggetti, che dal Cardinal Camerlengo saranno stati deputati per la struttura del Conclave.

Che poi nel giorno seguente, cantata la Messa dello Spirito Santo, e recitata l' Orazione *de Eligendo*, li Cardinali entrino processionalmente nel Conclave, e vengano loro lette le antiche Costituzioni unitamente con l' altra, da Noi come sopra promulgata, le quali dovranno da essi secondo il solito giurarsi; Doppo di che, il Cardinal Decano farà loro una Esortazione per la sollecita Elezione di un buon Pastore alla Chiesa Universale.

Quali provisioni e dichiarazioni, da Noi, come sopra, stabilite, e ciascuna di esse singolarmente, vogliamo, che si debbano sempre ed in perpetuo onninamente, pienamente, ed esattamente osservare, adempire, ed eseguire; che non si possano mai in alcun futuro tempo, sotto qualunque pretesto e causa, benche incognita ed inopinata, da veruna Persona impugnare, da quelle in tutto o in parte riclamare, o in qualsisia modo controvertere o ritardare la di loro inviolabile esecuzione; e per tal' effetto ordiniamo a voi Reverendissimi Cardinali Capi di Ordini, e Camerlengo pro tempore, che dobbiate a suo tempo invigilare per il loro totale adempimento, con darne gli ordini opportuni, ed in caso di bisogno, publicarne qualunque Editto,

delegandovene Noi sopra ciò tutte le opportune facoltà; e farete tutt' altro, che per l'esecutione di tutte le cose premesse stimarete in qualunque modo essere necessario, per esser così mente e volontà nostra precisa ed espressa. Volendo e decretando, che al presente nostro Chirografo, il quale ordiniamo, che immediatamente venga registrato in Camera, e ne' suoi Libri, a tenore della Bolla di Pio IV. *de Registrandis*, non si possa mai opporre di surrezione, orrezione, nè di alcuno altro vizio o difetto della nostra volontà ed intenzione; nè che mai sotto tali o altri qualunque pretesti quantunque validi, validissimi, legitimi, e sostanziali, benche chiusi nel corpo della Legge, anche di jus quesito, e pregiudizio del Terzo, possa essere impugnato, moderato, o rivocato, ridotto ad viam juris, o concedersi verso di esso l'aperizione Oris, o altro qualunque rimedio di ragione o di fatto, di Grazia o di Giustizia, o concesso per Moto proprio, e con pienezza di Podestà, giovare ad alcuna Persona, o in qualunque modo impedire la perpetua ed inviolabile effecuzione di quanto è stato da Noi, come sopra, ordinato e stabilito; e che così, e non altrimente, debba sempre giudicarsi, definirsi, ed interpretarsi sì da Voi, che da qualunque Giudice e Tribunale, benche Collegiale, Commissario e Delegato, Congregazioni anche di Reverendissimi Cardinali, Legati à Latere, Camerlengo di S. Chiesa, Tesoriere, Presidenti, Uditori di Rota, Chierici di Camera, e qualunque altro, togliendo loro ogni facoltà e giurisdizione di definire ed interpretare diversamente; dichiarando Noi sin d'adesso preventivamente nullo, irrito, ed invalido tuttociò, che da ciascuno di essi con qualsivoglia autorità scientemente o ignorantemente fosse in qualunque tempo giudicato, o si tentasse di giudicare contro la forma e disposizione del presente nostro Chirografo; quale vogliamo, che vaglia, e debba aver sempre il suo pieno effetto, esecuzione, e vigore colla semplice nostra sottoscrizione, benche non vi siano stati chiamati, sentiti, nè citati quei, che in qualunque modo vi avessero o pretendessero avervi qualunque interesse, non ostanti la Regola della nostra Cancellaria *de Jure quæsito non tollendo*, e qualsifiano altre Costituzioni ed Ordinazioni Apostoliche, Brevi, Chirografi, anche per nuove permissioni e concessioni, ed altri qualunque indulti nostri e de' nostri Predecessori, concernenti specialmente il Conclave, e Sede Vacante, nelle parti però repugnanti a queste nostre provisioni e dichiarazioni, le facoltà e privilegj in essi concessi, anche a i Cardinali, e Sagro Collegio, ed a qualunque altra Persona quantosivoglia privilegiata, e privilegiatissima, che per comprenderla vi si ricercasse di farne una espressa ed individua menzione, benche muniti di Decreti irritanti, ed altre forme, e clausole, anche derogatorie delle derogatorie più effrenate, insolite, ed inusitate, che avessero di espressa specificazione, e che si dovessero registrare di parola in parola; Decreti Concistoriali e Camerali, Leggi Civili e Canoniche, Statuti, Riforme, Stili, Usi, consuetudini anche immemorabili, e qualunque altra cosa, che facesse, o potesse fare in contrario; alle quali tutte e singole, avendone il tenore qui per espresso, e di parola in parola inserto e registrato, e supplendo Noi con la pienezza della nostra Podestà Pontificia ad ogni vizio e difetto quantunque sostanziale e formale, che vi potesse intervenire, per questa volta sola, e per la plena e total' effecuzione ad effetto di quanto si esprime nel presente nostro Chirografo, ampiamente ed espressamente deroghiamo, anche con pienezza di derogatoria delle derogatorie.

Dato dal nostro Palazzo Apostolico di Monte Cavallo questo dì 24. Decembre 1732.

CLEMENS PP. XII.

Erectio ac Dotatio Collegii Ritus Græci in Oppido Ullani Bisignanen. Diœcesis pro Pueris & Adolescentibus dicti Ritus ex Epiro descendentibus. LXXVII.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Dat. die 11. Octob. 1733. Pont. An. III.

INter multiplices onerosi Nobis ex alto commissi Pastoralis officii solicitudines illa potissimum mentem animumque excitat nostrum, per quam Ecclesiastica Italo-Albanorum Juventus, quæ procul a Turcarum tyrannide ad maternum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ se contulit sinum, & in ejusdem fidelis adolescit amplexu, per rectos sacræ disciplinæ tramites dirigatur, ut sic directa pretiosos absconditosque in agro Dominico bonorum morum sacrarum Literarum, & divinarum rerum inveniat Thesauros illos, qui eam, aliosque per eam æterna beatitudine locupletent, eisque sic locupletatis provide Sacrorum Conciliorum id enixe exoptantium decreta debitum sortiantur implementum. Exordium.

§. 1. Cum itaque, sicut accepimus, in Terris Regni Siciliæ citra Pharum, & præsertim Calabriæ, quamplura Ritus Græci loca reperiantur, quorum Juventus, etsi probis moribus, sacrisque literis addiscendis ad latinorum Seminaria Puerorum ecclesiasticorum inibi existentia admittantur, nihilominus ob Ritus & Idiomatis diversitatem ab hujusmodi admissione eidem Juventuti ea non proveniat utilitas, quæ ejusdem Ritus cultui opportuna esse dignoscitur; unde quamplures errores abususque, ac multa eidem Ritui in spiritualibus dissona oriuntur; Nos bonæ, exactæque, ac a nonnullis Romanis Pontificibus, & præsertim a fe. re. Clemente Papa XI. Prædecessoribus Nostris, optatæ Juventutis prædictæ educationi, reique spiritualis debito cultui consulere volentes, atque attendentes nullum aptius remedium a Nobis adhiberi posse, quam si, prout Collegiorum Nationalium alibi erectorum experientia docet, in oppido Ullani Bisignanen. Diœces., quæ fere tota a familiis dicti Ritus colitur, unum Collegium hujusce Ritus erigatur, in quo Pueri & Adolescentes ex Epiro, in qua Regni prædicti Terris citra Pharum ex honestis parentibus, legitimoque matrimonio orti alantur, & Græcis literis, liberalibus disciplinis, ac scientiis, sacra præsertim Theologia, ecclesiasticis præterea Ritibus, a Viris probatæ fidei & doctrinæ, Rituque memorati peritis sedulo instituantur, ut postquam in hujusmodi studiis profecerint, non solum spiritualibus suæ Nationis necessitatibus, verum etiam Missionibus Orientalibus operam suam locare valeant, & sic divina favente gratia recta Sacramentorum, necnon divinorum Officiorum administratio sperari possit sic, ut sana & integra fidei prædicatio & doctrina in Orientis partibus aliquando restituatur. Hinc Nos ut tam pium ac necessarium opus ad omnipotentis Dei gloriam, & Sanctæ Fidei Catholicæ exaltationem, & Juventutis bonam exactamque educationem debite perficiamus, Motu proprio, ac ex certa scientia, meraque deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine a Monasterio Abbatia nuncupato Sancti Benedicti de Ullano, ejusdem Sancti Benedicti, seu alterius Causa hujusce erectionis.

Ordinis,

Ordinis, dicti Oppidi ejusdemque Diœcesis, quod dilectus filius noster Petrus Aloysius Titulo Sancti Laurentii in Pane & Perna S. R. E. Presbyter Cardinalis Caraffa nuncupatus, in Commendam ad sui vitam ex concessione & dispensatione Apostolicis ad præsens obtinet: Palatium Abbatiale dicti Monasterii cum omnibus & singulis ejus mansionibus, ædibus, ædificiis, officinis, aliisque membris, unà cum omnibus & singulis Domunculis, eidem Palatio annexis: necnon Ecclesiam ejusdem Sancti Benedicti eidem Palatio propinquam, & in qua animarum cura Parochianorum dicti Monasterii, quæ illius Abbati perpetuo Commendatario pro tempore existenti subest, & per unum Presbyterum idoneum ab eodem Abbate perpetuo Commendatario nominandum, & ab Ordinario loci approbandum, exercetur; ac perpetuam sine Cura Cappellaniam in dicta Ecclesia, cui per alterum Presbyterum ejusdem Ritus ab eodem Abbate perpetuo Commendatario deputato deservitur, quique Missam singulis Festis diebus inibi celebrare tenetur, eique ab eodem Abbate eleemosyna pro celebratione cujuslibet Missæ hujusmodi duo Caroleni monetæ dicti Regni persolvuntur, Apostolica auctoritate, de consensu præfati Petri Aloysii Cardinalis, dismembramus, separamus, & segregamus; itaut nullum jus alicui impositerum in Palatio & Ecclesia præfatis competat, aut competere quomodolibet possit & valeat; eisque sic dismembratis, separatis, ac segregatis Palatium jamdictum in Collegium Puerorum & Adolescentium Ritus Græci ex Epiro provenientium, & in dicto Regno, quod Neapolitanum appellatur, ex veris catholicis parentibus ortorum, in oppido Ullani Apostolica auctoritate perpetuo erigimus & instituimus; eoque sic erecto & instituto Ecclesiam memoratam, & Domunculas, prævia Curæ Animarum Parochianorum a Monasterio, necnon juris nominandi unum pro exercitio Curæ Animarum Parochianorum hujusmodi, ac deputandi alterum Presbyteros pro Ecclesia a Nobis, sicut præfertur, dismembrata servitio, ac Missæ celebrationi, ab Abbate perpetuo Commendatario abdicatione, eadem Apostolica auctoritate de dicto consensu similiter perpetuò unimus, annectimus, & incorporamus; dictamque curam per dicti Collegii Rectorem, cui Collegium congruam substentationem assignare debeat & teneatur, exercendam: necnon jus nominandi & deputandi hujusmodi ad dictum Collegium a Nobis, ut præfertur, per præsentes erectum & institutum, ad quod, & pro eo ad illius Rectorem jus deputandi Presbyterum, qui unus ex ejusdem Collegii Minister, non tamen illius Rector, existat pro dictæ Missæ celebratione deputare spectet & pertineat; cum hoc tamen, quod nunc & pro tempore existens dicti Monasterii Abbas & perpetuus Commendatarius eidem Collegio pro celebratione Missæ consuetam duorum carolenorum prædictorum pro qualibet Missæ celebratione eleemosynam persolvere debeat & teneatur, eadem Apostolica auctoritate de pari dicti Petri Aloysii Cardinalis consensu transferimus, ac eidem Collegio pro illius dote, illiusque Alumnorum, Magistrorum, Præfectorum, aliorumque ei inservientium substentatione, omnes & singulos fructus, jura, obventiones, & emolumenta universa quæcumque, tam certa quam incerta, & ex cura animarum Parochianorum, ac aliàs quomodocumque & undecumque ex Domunculis provenientia, & in quacumque re consistentia; necnon omnes & singulas taxas, quæ Seminariis Puerorum Ecclesiasticorum Ritus latini in dicto Regno existentibus a prædicto aliisque Monasteriis, in quibus Itali Albani Ritus Græci degunt & existunt, commendari solitis, ad præscriptum Concilii Tridentini annuatim persolvuntur, prævia taxarum hujusmodi a Seminariis Ritus latini hujusmodi, quæ ulterius Pueros Italos Albanos Ritus Græci admittere non teneantur, separatione, Collegio a Nobis per præsentes, ut præfertur, erecto; itaut prædictum aliaque Monasteria & Beneficia, existentia in dictis locis & terris, Italo-Albanorum prædicti Ritus Græci pro tempore obtinentes, taxas ab eis, ut præfertur, persolvi solitas imposterum Collegio a Nobis per præsentes erecto hujusmodi persolvere debeant & teneantur, eadem Apostolica auctoritate pariter perpetuò applicamus & appropriamus;

Palatium Abbatiale S. Benedicti de Ullano.

Ecclesia Parochialis,

Ac una Cappellania ab eadem Abbatia dismembratur.

Novoque Collegio applicatur.

Dotis pars:

§. 2. Et Nos summam sex millium scutorum monetæ Romanæ ad effectum illa investiendi in tot bona stabilia in utilitatem & manutentionem dicti Collegii & Alumnorum ex Apostolica nostra benignitate in ejusdem Collegii a Nobis per præsentes, ut præfertur, erecti subsidium assignamus, elargimur, & donamus;

Alia sex millia scut. eidem assignantur.

§. 3. Curam verò, regimen, & administrationem Collegii a Nobis erecti Ven. Fratri Nostro moderno & pro tempore existenti Episcopo Bisignanen. ac per eum sub legibus præscribendis, servataque forma Concilii, regendi, gubernàndi, & administrandi committimus & mandamus, illudque ejus Ordinariæ Jurisdictioni subjicimus, & subjectum esse volumus; eique, donec in dictum Collegium illius Alumni admittantur, liceat omnium & singulorum a Nobis unitorum, annexorum, & incorporatorum per se, vel alium ab ipso Episcopo deputandum, seu alios, dicti Collegii nomine realem, actualem, & corporalem possessionem propria auctoritate libere apprehendere, & apprehensam perpetuò retinere; illorumque fructus, reditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta quæcumque, necnon sex millia scuta prædicta percipere, exigere, levare: ac in ejusdem Collegii a Nobis per præsentes erecti utilitatem investire in bonis stabilibus, ut præfertur.

Cura ejusdem Bisignanen. Episc. committitur.

§. 4. Verum quia frumenta aliæque fruges, quæ ex annuis reditibus primo dicti Monasterii colliguntur, in duobus dicti Palatii, a Nobis in Collegium per præsentes erecti hujusmodi, horreis reponi ac conservari consueverunt, volumus, ut dicto Petro Aloysio Cardinali, donec ipse vixerit, & Monasterium, sicut præfertur, obtinuerit, liber decernatur ingressus ad horrea donec alter sibi ad repositionis & asservationis hujusmodi effectum, Collegii a nobis erecti sumptibus, sibi exhibeatur locus; prædicti verò Petri Aloysii Cardinalis in Monasterio successores aliunde, & in loco, a Collegio, a Nobis per præsentes, erecto, omnino separato sibi quærere debeant & teneantur. Ac demum, ut Collegium a Nobis per præsentes erectum aliquod perenne grati animi obsequium erga Monasterii Abbates perpetuos Commendatarios exhibere valeat, unam libram Ceræ albæ in die Festo Sancti Benedicti dare debeat & teneatur.

Census annuus Abbati Commendat. solvendus.

§. 5. Decernentes, præmissa omnia & singula, ac easdem præsentes nullo unquam tempore ex quibuscumque causis de subreptionis aut obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel quocumque alio defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus vel controversiam vocari, ad viam & terminos juris reduci, aut adversus eas quodcumque juris vel facti, aut gratiæ remedium impetrari, aut etiam Motu proprio, deque Apostolicæ potestatis plenitudine concedi, nec sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per quoscumque Romanos Pontifices successores Nostros, ac etiam per Nos & Sedem Apostolicam præfatam pro tempore

Clausulæ.

faciendis & concedendis, comprehendi posse vel debere; sed semper ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt toties in pristinum, & eum, in quo ante præmissa quomodolibet erant, statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data per dictum modernum, & pro tempore existentem Episcopum Bisignanen. quandocumque eligenda concessas, validasque & efficaces fore & esse, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; illisque ac Collegio seu Seminario a Nobis per præsentes, ut præfertur, erecto hujusmodi, illiusque Pueris, Magistris, Officialibus, aliisque Ministris, in eo pro tempore existentibus præfatis, perpetuo suffragari; sicque, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, dictæque Sedis Nuncios, judicari & diffiniri debere, irritumque & inane decernimus, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon primodicti Monasterii & Ordinis, cujus illud existit, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, quibusvis Superioribus & Personis, ac quibusvis Collegiis seu Seminariis, illorumque Rectoribus, aliisque personis sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis & insolitis clausulis, ac etiam irritantibus, & aliis Decretis in genere vel in specie, etiam motu simili, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis & innovatis. Quibus omnibus & singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ac verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, latissime & plenissime & expresse hac vice dumtaxat derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ dismembrationis, separationis, segregationis, erectionis, institutionis, unionis, annexionis, & incorporationis, translationis, applicationis, & donationis, commissionis, mandati, voluntatis, decreti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo trigesimo secundo, quinto idus Octobris Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Visa de Curia.

I. Archiep. Ancyranus.

A. Cardinalis Pro-Datarius.

Moderantur quædam Decreta pro Provincia Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Discalceatorum Regni Portugalliæ. LXXVIII.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. die 17. Nov. 1732. Pont. An. III.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Michael a Jesu Maria Minister Provincialis Provinciæ Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia Discalceatorum nuncupatorum Regni Portugalliæ, quod aliàs pro conservatione pacis, justitiæque distributivæ, & ad arcendum ambitum eadem Provincia divisa est in duo Territoria, alterum *Beira*, & alterum *Minium* respective nuncupata, e quibus par numerus Definitorum, Guardianorum, aliorumque Officialium in Capitulis, & Congregationibus dictæ Provinciæ constitueretur; Minister vero Provincialis, & Custos alternatim eligerentur: & inter alia decretum, stabilitumque fuit, quod si munus pro tempore existentis Ministri Provincialis Provinciæ præfatæ intra triennium, quo illud durare consuevit, per decessum seu aliter vacare contingeret, dignior Pater totius Provinciæ illius sigillum assumeret, & Capitulum pro Electione Vicarii Provincialis convocaret: Item, quod si in uno ex dictis duobus Territoriis aliqui de novo erigerentur Conventus seu Hospitia, eorum Superiores in Capitulo ejusdem Provinciæ suffragari nequirent, donec in altero Territorio totidem Conventus seu Hospitia pariter erigerentur; idque ad servandam æqualitatem votorum sive suffragiorum in utroque Territorio, quæ omnia subinde per quasdam fel. rec. Clementis PP. XI. Prædecessoris Nostri desuper in simili forma Brevis die 25. Februarii 1719. expeditas literas, quarum tenorem præsentibus pro plene & sufficienter expresso & inserto haberi volumus, approbata & confirmata fuerunt. Hæc Provincia in duo Territoria aliàs divisa.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, experientia postmodum edocuerit, bono regimini & tranquillitati ipsius Provinciæ expedire, ut enarrata duo decreta reformarentur ac immutarentur, atque in Capitulo Provinciali dictæ Provinciæ anno 1726. celebrato unanimis prodierit resolutio, quatenus Minister Provincialis apud hanc Sanctam Sedem pro congrua eorum moderatione obtinenda instaret; Quare prædictus Michael Nobis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum Michaelem specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes & absolutum fore censentes, supplicationibus, ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præpositorum, qui rem mature discusserunt, consilio, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, ut deinceps occurrente Officii Ministri Provincialis supradictæ Provinciæ infra tempus, quo durare solet, per decessum seu aliàs vacatione, sigillum ejusdem Provinciæ assumat, Capitulumque Decreta, de quibus in Rubrica. Moderantur.

pro

pro Electione Vicarii Provincialis convocet dignior Pater Provinciæ ejus Territorii, cujus erat Minister Provincialis; deficiente vero Patre Provinciæ hujusmodi, Definitor seu Custos antiquior in electione; hisque pariter deficientibus in dicto Territorio, illius Guardianus habitu antiquior, quo semper idem suffragiorum sive votorum numerus ex utroque Territorio habeatur in quacumque electione: utque erecto uno Conventu aut Hospitio in aliquo ex Territoriis præfatis, ejus Superior statim suffragari possit in Capitulo prædicto, dictusque Superior sit per unum triennium ex uno, & per aliud triennium ex altero Territoriis: Salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Harum Literarum firmitas.

§. 2. Decernentes, ipsas præsentes literas firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac illis, ad quos spectat & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§. 3. Non obstantibus, quoad ea, quæ præsentibus adversantur, supradictis Clementis prædecessoris literis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis & Provinciæ hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 17. Novembris 1732. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

LXXIX.

Confirmatis Literis Sa. me. Clementis PP. XI. Presbyteris Congregationis Piorum Operariorum post decennalem in eadem moram, ac Ordinarii loci approbationem ad Sacramentales Confessiones audiendas votum in Capitulis Generalibus conceditur.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. die 26. Nov. 1732. Pont. An. III.

Aliàs S. Sedi supplicatum, ut Capitulum Gen. quolibet triennio celebraretur; singula officia forent triennalia.

§. 1. Dudum pro parte tunc existentis Præpositi, & Capituli Generalis Congregationis Presbyterorum Piorum Operariorum nuncupatorum, rec. mem. Clementi PP. XI. Prædecessori Nostro exposito, quod ex eorum Constitutionibus potissimum Cap. 2. eruebatur, Capitulum dictæ Congregationis singulis annis officia annalia seu ad annum esse debere: itidem in Cap. 3. ipsarum Constitutionum habebatur, quod in receptione Vocalium omnes, qui decennale tyrocinium in dicta Congregatione laudabiliter explevissent, admitterentur, & aliàs, prout in præfatis Constitutionibus, quæ a fel. rec. Gregorio XV. & Urbano VIII. Romanis Pontificibus Prædecessoribus pariter nostris Apostolico munimine in forma specifica roboratæ, atque ab initio ejusdem Congregationis eo usque servatæ fuerant, uberius asserebant contineri. Quoniam vero jam pridem compertum erat, dictas Constitutiones Congregationis hujusmodi, quæ primum in Civitate Neapolitan. ortum habuerat, & subinde quoque extra illud Regnum adoleverat, in ejus exordio optime accommodatas, tunc aliquo modo progressum, & bonum ipsius regimen impedire, ideo anno præcedenti in Capitulo Generali statutum fuerat, ut idem Capitulum futuris temporibus non nisi triennio expleto celebraretur, dictaque officia deinceps triennalia forent; utque Vocales ad numerum tricenarium reducerentur, ita ut in casu vacationis tantum alii juxta formam præscriptam admitterentur, quemadmodum ex resolutionibus desuper habitis fusius asserebatur etiam contineri.

Ac Vocalium numerus ad tricenarium redigeretur.

Quæ a Congregat. Epis. & Regul. concessa.

§. 2. Porro cum die 24. Julii 1716. ad preces tunc quoque existentis Procuratoris Generalis ipsius Congregationis, dictæ duæ resolutiones in Congregatione tunc pariter existentium S. R. E. Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præposita, relatæ fuissent, eadem Congregatio Cardinalium die 25. Septembris anni prædicti illas confirmandas esse censuerat; sed quia aliqui Presbyteri præfatæ Congregationis Piorum Operariorum, qui ad præscriptum primitivæ Regulæ illi nomen dederant, deduxerant præjudicium, quod ex limitatione numeri Vocalium sentiebant, ea huic resolutioni adhibita erat moderatio, ut sine illorum, qui primodictam Congregationem Piorum Operariorum ante publicationem decreti hujusmodi ingressi fuerant, præjudicio procederetur; nonnullisque ex eisdem Presbyteris adversus præfatas duas resolutiones reclamantibus, negotium iterum ad supradictam Congregationem Cardinalium delatum fuerat; & Partibus utrimque voce & scriptis informantibus, dicta Congregatio Cardinalium in decisis perstiterat. Et in eadem expositione subjuncto, quod ipsi Exponentes binas resolutiones hujusmodi Apostolicæ confirmationis patrocinio communiri plurimum desiderabant, idem Clemens Prædecessor supplicationibus, prædictorum Exponentium nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, binas resolutiones a Capitulo Generali factas, ut præfertur, cum omnibus & singulis in eis contentis, auctoritate Apostolica confirmavit, & aliàs, prout in ipsius Clementis Prædecessoris literis in simili forma Brevis die prima Aprilis 1717. desuper expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plene & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, plenius continetur.

Et a Clemente XI. confirmata.

§. 3. Cum autem, sicut dilecti filii, modernus Præpositus, aliique Presbyteri Capitulares dictæ Congregationis Piorum Operariorum Nobis nuper exponi fecerunt, experientia edocuerit, enarratam limitationem numeri Vocalium ad triginta dumtaxat multis in eadem Congregatione incommodis occasionem præbere, in novissimo Capitulo Generali prædictæ Congregationis die 11. Aprilis anni proxime præteriti celebrato, concordibus suffragiis resolutum fuit, ut numerus præfatus sub certis modo & forma infra dicendis augeretur, & in hac parte procuraretur derogatio memoratarum Clementis prædecessoris literarum. Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eosdem Exponentes specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet

In novissimo Capitulo decretum, ut a S. Apost. Vocalium major numerus deponeretur.

innodatæ

innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum ipsius S. R. E. Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præpositorum, qui relationem dilecti filii Procuratoris Generalis dictæ Congregationis Piorum Operariorum sibi desuper factam attenderunt, remque undique mature discusserunt, consilio, resolutionem enunciati Capituli Generalis novissime celebrati, per quam disponitur, quod omnes Presbyteri ejusdem Congregationis Piorum Operariorum, qui decennium post Novitiatum in Congregatione prædicta transegerint, atque ab Ordinario loci ad Sacramentales Fidelium Confessiones audiendas approbati fuerint, votum sive suffragium in Capitulo Generali ipsius Congregationis habere possint, eadem auctoritate tenore præsentium confirmamus & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos juris & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus: salva tamen in reliquis præfatorum Clementis Prædecessoris literarum forma & dispositione, necnon quoad præmissa auctoritate ejusdem Congregationis Cardinalium.

Votum Presbyteris a decennio in Congreg. degentibus &c. conceditur.

§. 4. Decernentes, ipsas præsentes literas firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 5. Non obstantibus quoad ea, quæ præsentibus adversantur, supradictis Clementis Prædecessoris literis, aliisque præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Congregationis Piorum Operariorum prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 26. Novembris 1732. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

LXXX. Decretum, ut Fratres Provinciæ Portugalliæ Tertii Ordinis Sancti Francisci ad Studia extra illam se conferre nequeant sine licentia Provincialis, ejusque Definitorii, vel sine facultate Ministri Generalis cum consilio ejusdem Definitorii &c.

Dat. die 20. Dec. 1732. Pont. An. III.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Preces, earumque causa.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Antonius a Conceptione Minister Provincialis Tertii Ordinis S. Francisci Provinciæ Portugalliæ, quod, licèt in eadem Provincia Studia pro iis Religiosis, qui illis operam dare velint, non deficiant, plures tamen ex eis fugam arripiunt, ac in Hispaniis proficiscuntur sub prætextu ibidem incumbendi literariis exercitationibus in aliquo ex Conventibus dicti Tertii Ordinis, vel Fratrum de Observantia, quò dum perveniunt, ut plurimum contigit, eos majorem laborem in addiscenda musica, quam in literis consequendis impendere.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Antonius Minister Provincialis, quo talis inordinatio cum disciplinæ regularis detrimento imposterum tollatur, opportune in præmissis a Nobis provideri, &, ut infra, indulgeri plurimum desideret; Nos ipsum Antonium Ministrum Provincialem specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præpositorum, consilio, ut Fratres memorati Tertii Ordinis Provinciæ Portugalliæ ad studia extra dictam Provinciam sine licentia Provincialis ejusque Definitorii, vel sine facultate Ministri Generalis cum consilio ejusdem Definitorii Provincialis, sub pœnis fugitivorum a jure & statutis Religionis se conferre nequeant, auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus: Salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Decretum.

§. 3. Decernentes pariter, easdem præsentes literas firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & diffiniri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Provinciæ & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 20. Decembris 1732. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

F. Card. Oliverius.

LXXXI. Innovatio literarum Clementis X. super prohibitione ambitus: ac confirmatio quorumdam decretorum Capituli Generalis Congregationis Clericorum Regularium de Somascha pro hujusmodi impediendo ambitu.

Dat. die 28. Jan. 1733. Pont. An. III.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Congregationis

Cleri-

A Generali Congreg. hujus Capitulo edita Decreta.

Clericorum Regularium de Somascha nuncupatorum, quod Capitulum Generale dictæ Congregationis, menſe Majo proxime præterito Mediolani celebratum, in executionem mandatorum Congregationis Ven. Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſitæ, quibus eidem Capitulo Generali injunctum fuerat, ut rationem iniret occurrendi ambitioſæ cupiditati Religioſorum ipſius Congregationis de Somaſcha, qui Vocalatus in ea pro tempore vacantes, aut gratias expectativas ad illos, a Sede Apoſtolica procurabant; re diligenter, uti par erat, diſcuſſa nonnulla edidit decreta, quæ ad compeſcendum ejuſmodi ambitum in primis expedire ſibi viſa ſunt, quæque a majori parte Vocalium ſimul congregatorum ſigillatim, & ad unum approbata fuerunt, tenoris, qui ſequitur, videlicet.

Quæ ſint hujuſmodi Decreta.

Primo: Che eletti da chi ſpetta li reviſori de' meriti, e queſti riconoſciuti da' medeſimi Deputati, debbano i nomi di coloro, che avranno i requiſiti, reſtare affiſſi per tre giorni in luogo publico ſecondo l' ordine delle Provincie, affine che ogni uno de' PP. Vocali ſegretamente poſſa informarſi delle loro qualità e merito formale, per indi, inerendo alle noſtre Coſtituzioni, proporſi li meriti all' intero Capitolo Generale, che doverà con voti ſegreti giudicarli.

II. Che in avvenire non ſi poſſino approvare i meriti di alcuno, il quale non abbia fatta Scuola per tre anni a' noſtri, o pure non ſia ſtato Maeſtro in moribus de' Novizj, o de' Chierici, o eſercitata la cura d'Anime (purche non ſia Superiore) o abbia ſervito all'Oſpitale, e per lo ſpazio de' ſuddetti tre anni, quando ad uno de' detti Miniſterj ſia ſtato deſtinato da Superiori; ma ſopra tutto, che nella approvazione de' meriti debbà attenderſi più al coſtume, che a qualunque altra condizione.

III. Che oltre i ſoliti giuramenti eſpreſſi nelle noſtre Coſtituzioni, prima d' obligarſi il Novizio a i tre voti ſolenni, debba fare il giuramento di non procurare in alcun modo Breve di Vocalato.

IV. Che ſuccedendo il caſo, che Dio non voglia, che alcuno de' noſtri ricorreſſe directe vel indirecte, mediate vel immediate per conſeguire Breve di Vocalato, reſti ipſo facto decaduto da' ſuoi meriti. Chi informarà ſopra il Memoriale, ſotto pena della privazione di voce activa e paſſiva debba avvertire, che per forza del detto ricorſo il recurrente e decaduto dagli ſteſſi meriti, che ſaranno enunciati nel Memoriale, ed incorſo nelle pene comminate nella Bolla di Clemente X.

V. Che reſti comandato in virtù dello Spirito Santo, e con formale precetto di Santa Obedienza a qualunque graduato e non graduato della noſtra Congregazione, quando non ſia ricercato da Noſtro Signore, di non fare atteſtati, ſedi, ed altre ſimili informazioni, le quali poſſano facilitare il conſeguimento del Vocalato, e rivocato non poſſa naſcondere la proibizione del ricorſo come ſopra.

VI. In fine, che dal noſtro Padre Procuratore Generale a nome di tutto il Capitolo Generale ſi ſupplichi alla Sagra Congregazione di avvalorare con l' Oracolo di Noſtro Signore, quanto lo ſteſſo Capitolo ha giudicato di ſuggerire in venerazione degli ordini Supremi di detta Congregazione.

§. 2. Quare prædictus Procurator Generalis Nobis humiliter ſupplicari fecit, quatenus in præmiſſis opportune providere, & ut infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſius Procuratoris Generalis votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere cupientes, illumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de eorumdem Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſitorum, conſilio, enunciatas fel. rec. Clementis PP. X. Prædeceſſoris Noſtri literas die 15. Februarii 1675. in ſimili forma Brevis emanatas, quibus omnibus & ſingulis ſupradictæ Congregationis de Somaſcha Clericis & perſonis ambitus, ſeu recurſus ad favores quarumcumque perſonarum ſæcularium, & eccleſiaſticarum, de gremio ejuſdem Congregationis non exiſtentium, pro obtinendis guberniis, ac ſuperioritatibus, aut vocalatu Capituli Generalis dictæ Congregationis, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, & perpetuæ inhabilitatis pœnis prohibetur, omniaque & ſingula in literis præfatis contenta & diſpoſita, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium innovamus, ac pro innovatis haberi volumus & mandamus; necnon præinſerta decreta a noviſſimo Capitulo Generali edita, ut præfertur, primum nempe & ſecundum prout jacent, reliqua vero ſcilicet tertium, quartum, & quintum ſub infraſcriptis emendationibus, auctoritate præfata harum ſerie approbamus & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac quoſcumque juris & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus & ſanamus. Quæ quidem emendationes ſunt hujuſmodi, nimirum quoad tertium ex dictis decretis: Che oltre i ſoliti giuramenti eſpreſſi nelle noſtre Coſtituzioni prima di obligarſi il Novizio alli tre Voti ſolenni, debba giurare la totale oſſervanza del ſuddetto Breve di Clemente X. e dell altro, che ſi ſpera ottenere dalla Santità di Noſtro Signore ſenza procurare nè directamente nè indirettamente alcuna diſpenſa. Quoad quartum: Che oltre le pene comminate in detto Breve di Clemente X. chiunque (che Dio non voglia) contraverrà al medeſimo, reſti ipſo facto decaduto dalli ſuoi meriti, e che ſotto le pene del medeſimo Breve s'intendano compreſi non ſolamente quelli, che ivi ſono eſpreſſi, ma eziandio li Superiori, e ogni altro che contribuirà o con le informazioni o in altra maniera, a chi pretendeſſe di ottenere tali diſpenſe. Quoad quintum: Che reſti proibito ad ogni Superiore graduato e non graduato di detta Congregazione, quando ſia ricercato per parte di Sua Santità o delle Sagre Congregazioni delle Informazioni ſopra le iſtanze, di chi domandaſſe li Vocalati o altre ſimili grazie e diſpenſe, il fare tali informazioni a favore de' ricorrenti ſenza eſprimere in eſſe la proibizione de' ſuddetti Brevi, & il giuramento fatto, sì da' Supplicanti, che dalli Superiori da non cooperare a tali conceſſioni contro alla forma de' medeſimi Brevi.

Confirmatis Clementis PP. X. Literis, dd. Decreta rata habentur.

Emendantur tria ultima Capita dictorum Decretorum.

§. 3. Decernentes, eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere; ac ab illis, ad quos ſpectat, ac pro tempore quandocumque ſpectabit, in omnibus & per omnia inviolabiliter obſervari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ prædictæ Cardinales, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Præſentium Literarum firmitas.

§. 4. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordi-

Obſtantium derogatio.

nationi-

nationibus Apostolicis, ac, quatenus opus sit, supradictæ Congregationis de Somascha, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§. 5. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 28. Januarii 1733. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

F. Card. Oliverius.

LXXXII. Deputantur Presbyteri Congregationis Missionis pro administratione ac directione Collegii Clericorum prope Civitatem Placentiæ Provinciæ Bononien. recenter erecti, cum diversis Ordinationibus perpetuo servandis.

Dat. die 3. Febr. 1733. Pont. An. III.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

IN Apostolicæ Dignitatis fastigio, nullis licet meritorum nostrorum suffragiis, per ineffabilem divinæ Bonitatis abundantiam constituti, circa Collegiorum ad piam rectamque adolescentium, aliorumque in sortem Domini vocatorum educationem recenter erectorum statum, felicemque progressum libenter intendimus; & ut Christifidelium quorumcumque, præsertim sublimi Cardinalatus honore fulgentium in eum finem operam suam, ac bona sibi a Deo collata liberaliter conferentium, vota optatos habeant effectus concessæ Nobis a Domino potestatis partes studiosa charitate interponimus, sicut, omnibus maturæ considerationis trutina perpensis, salubriter expedire arbitramur.

Ad quid primò fuerit institutum hoc Hospitale.

§. 1. Aliàs siquidem postquam Hospitale sub titulo Sancti Lazari, prope & extra Muros Civitatis Placentin. Provinciæ Bononien. situm, quod dudum Administratore seu Rectore caruerat, dilecto filio nostro Julio Tituli Sancti Crisogoni S.R.E. Presbytero Cardinali Alberono nuncupato, per eum quoad viveret juxta Constitutionem fe. re. Clementis Papæ V. prædecessoris Nostri in Concilio Viennensi editam tenendum, regendum, & administrandum, auctoritate Apostolica commiseramus seu concesseramus, per Nos accepto, quod dictum Hospitale olim quidem Leprosis curandis destinatum fuerat; verum, ubi morbus hujusmodi per Italiam grassari desierat, vice ac loco Leprosorum, egeni primùm, & infirmi senes illuc introduci cæperant, ac demum postremis temporibus utriusque sexus atque cujusvis ætatis pauperes invalidi ipsius Placentin. Civitatis & Diœcesis passim receptarentur; adeout etsi idem Hospitale aliquando non modicum utilitatis & levamenti attulisset, progressu tamen temporis ex diversitate sexus & ætatis hujusmodi non levia incommoda orta essent; ipse vero Julius Cardinalis, qui in ea Civitate, illiusve partibus ortus & educatus erat, ac Hospitale præfatum in meliorem & longe utiliorem statum

A Card. Alberono in meliorem statum reductum:

ad Dei gloriam, publicumque Ecclesiæ bonum tum ejusdem Hospitalis proventibus, tum ære suo convertere, priscamque in Altaris Ministris disciplinam & mores pro dignitate, quantum in se erat, in patria sua reparare atque instaurare sibi proposuerat, ex dicto Hospitali Collegium pro Clericis sæcularibus universæ Diœcesis præfatæ, qui spiritualibus exercitiis vacare debebant, priusquam ad Sacros Ordines promoverentur, quique ante completa literarum studia e Seminario Ecclesiastico Placentin. egrediebantur, necnon pro aliis Alumnis seu Convictoribus tam dicti Seminarii quam totius Diœcesis studiis Ecclesiasticis, Sacrisque Ritibus ibidem imbuendis, institui summopere desiderabat;

Et in Collegium erectum.

Quo pacto, quibusve conditionibus expeditæ super hujusm. erectione Apostolicæ literæ:

§. 2. Nos pium ac laudabile ejusdem Julii Cardinalis propositum plurimum in Domino commendantes, Motu proprio, ac ex certa scientia Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine omnes & singulas personas, quæ tunc in dicto Hospitali reperiebantur, assignata prius unicuique earum annua præstatione ad sui vitam duratura, ac de semestri in semestre anticipate persolvenda centum quinquaginta librarum monetæ Placentin., necnon Ministros (retentis tamen ex iis, quos ipse Julius Cardinalis servitiis dicti Collegii aptos & idoneos censeret) atque etiam Rectorem Hospitalis hujusmodi, cui cura animarum eidem Hospitali annexa incumbebat, postea tamen quam dicto Rectori de aliquo perpetuo Beneficio Ecclesiastico ad sui substentationem sufficienti provisum, annuave similis pensio Ecclesiastica, Apostolica auctoritate, reservata, seu aliàs congrua portio alimentaria arbitrio Ven. Fratris Episcopi Placentin. sive dilecti filii ejus Vicarii in spiritualibus Generalis taxanda, constituta foret, amovimus; ipsumque Hospitale unà cum omnibus oneribus & obligationibus, ei quomodolibet injunctis, perpetuo suppressimus & extinximus; ac in dicti Hospitalis sic suppressi & extincti locum perpetuo itidem ereximus ac instituimus unum Collegium sub eodem titulo seu denominatione Sancti Lazari, a memorato Julio Cardinale, ejusque in regimine & administratione hujusmodi Successoribus, regendum & gubernandum etiam per Ministros & Officiales sibi benevisos; ac unum Rectorem Presbyterum sæcularem, eorum nutu & arbitrio semper & quandocumque amovibilem, etiam ad curam animarum exercendam deputandum, de gremio tamen ipsius Collegii, post deputationem primi Rectoris ad instar nominationum, quæ a Regularibus ad curam animarum obeundam in suis Ecclesiis fieri solent, & ab Ordinario loci ad eamdem curam animarum approbandum; in quo Collegio reciperentur nedum Clerici sæculares universæ Diœcesis prædictæ ad Sacros Ordines promovendi, adhoc ut inibi Exercitia spiritualia peragerent, antequam ad dictos Ordines promoverentur, solutis tamen per eos congruis alimentis pro qualitate & conditione temporum præscribendis; sed alii etiam Clerici sæculares hujusmodi, præsertim Alumni & Convictores Seminarii prædicti, inde ante absoluta studia egredientes, ab Ordinario pariter approbati, ut in eodem Collegio Sacrarum Literarum, ac Theologiæ theoreticæ & practicæ studium prosequerentur, atque Ritus Ecclesiasticos, & cantum Gregorianum sub præceptoribus, qui forent Presbyteri sæculares, Sacra Pagina, ac Verbo Dei scripto & tradito probe eruditi, perdiscerent; ita quod Alumni gratis, Convictores vero hujusmodi, solutis ipsi Collegio similiter congruis alimentis, admitterentur; omnes autem Clerici præfati sub regimine Presbyterorum quoque sæcularium, a Julio Cardinale & successoribus prædictis eligendorum & deputandorum, vivere deberent: ipsique

Collegio

Collegio sic erecto & instituto pro illius manutentione, ac Clericorum in eo gratis retinendorum, Rectoris, Lectorum, Magistrorum, aliorumque Ministrorum substentatione omnia & singula bona, res, proprietates, & actiones, ad Hospitale ita suppressum & extinctum, illiusque Rectorem curatum respective quoquo modo spectantia, eorumdemque bonorum fructus, reditus, & proventus, qui, ut pariter acceperamus, octodecim millium librarum dictæ monetæ valorem annuum non excedebant, in perpetuum quoque applicavimus & appropriavimus; & aliàs, prout in Nostris desuper sub plumbo Anno Incarnationis Dominicæ 1732. Tertio Idus Julii, Pontificatus Nostri Anno Secundo expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro plene & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur. Ac postmodum hujusmodi literæ pro parte ipsius Julii Cardinalis eidem Ven. Fratri Episcopo Placentin. exhibitæ, protinus executioni demandatæ fuerunt in eâ parte, qua eatenus demandari poterant, facta inter alia assignatione dictarum centum quinquaginta singulis personis ac Ministris, mille vero librarum annuarum similis monetæ Rectori Hospitalis sic suppressi & extincti pro congrua ejus portione alimentaria, quemadmodum in dictis literis injunctum fuerat.

Quæ ab Episcopo Placentino executioni fuerunt demandatæ.

§. 3. Cum autem, sicut idem Julius Cardinalis Nobis nuper exposuit, is pro magnitudine susceptı a se operis ad locum ipsum, ut cuncta ordine inspiceret ac disponeret, accedere opportunum judicaverit; & ad majorem Dei gloriam suis magna ex parte pecuniis manus admoveri curaverit, peramplo ædificio ad usum Collegii, ut præfertur, erecti & instituti, quod prosequi ac perficere intendit, statim ac transacta hyeme per minus rigido anni tempore licebit; ea vero occasione serio secum expensa, ac cum aliis prudentibus viris consulta atque discussa ratione, rem ipsam ad optatum debitumque effectum perducendi compererit, haud ita facile fore, tot idoneos Presbyteros sæculares seorsim degentes invenire, ac ex diversis partibus accersere, qui eo, quo par est, fervore, animorumque consensu, non minus annuos reditus ejusdem Collegii provide administrare, quàm Clericos præfatos rite, sicut præmittitur, edocere ac instruere valeant; ac proinde vigore facultatis sibi in enarratis literis nostris attributæ Presbyteros Congregationis Missionis, utpote quæ secundum ejus institutum, & quamdam declarationem re. me. Alexandri Papæ VII. prædecessoris etiam nostri, per suas in simili forma Brevis literas die 22. Septembris 1565. editam, Clero Sæculari aggregata existit, ad præmissa deputandos duxerit sub diversis conditionibus, cum Superioribus ipsius Congregationis Missionis ab eodem Julio Cardinale jam communicatis, perpetuoque, ac quamdiu ejusmodi Collegium duraverit, servandis; illudque Consilium eo lubentius complexus sit, quod Presbyteri dictæ Congregationis Missionis præcise instituti noscuntur pro instruendis atque excolendis personis Ecclesiasticis ultra obligationem Sacrarum Missionum, quas peragunt maxime populis ruri degentibus, quasque per illorum in præfatum Collegium introductionem, cum eorumdem Presbyterorum numerus auctus fuerit, in Terris, Castris, aliisque locis supradictæ Diœcesis Placentin. peragere poterunt; cupiatque propterea dictus Julius Cardinalis deputationem hujusmodi cum conditionibus præfatis Apostolicæ confirmationis nostræ præsidio communiri: ac insuper decerni, nullum Clericum prædictæ Diœcesis ad Sacros Ordines illic promoveri posse, qui prius Exercitiis spiritualibus in eodem Collegio per decem dies non vacaverit, Alumnos vero & Convictores in ipso Collegio pro tempore degentes, quò impensius literarum studiis divinoque cultui incumbant, aliqua peculiari præprogativa invitari, ac donari; Nobis propterea humiliter supplicavit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ejusdem Julii Cardinalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, felicesque dicti Collegii successus pro commisso Nobis divinitus pastoralis solicitudinis munere promovere & juvare sinceris exoptantes affectibus, hujusmodi supplicationibus inclinati, deputationem Presbyterorum Congregationis Missionis pro administratione bonorum, ac redituum Collegii sic erecti & instituti, atque instructione ac directione Clericorum in ipso Collegio pro tempore existentium, ab eodem Julio Cardinale factam, seu propediem faciendam, conditionesque ad id præscriptas, infra referendas, auctoritate Apostolica tenore præsentium itidem perpetuo approbamus & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur & efficaciam adjungimus, ac quoscumque juris vel facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerunt vel intervenerint, supplemus & sanamus; quæ quidem conditiones sunt, quæ sequuntur, videlicet. Primo: Personæ deputandæ ex Presbyteris & Laicis Congregationis Missionis numero duodenario pauciores esse nequeant, octo nimirum Presbyteri & quatuor Laici seu Coadjutores; isque numerus pro opportunitate & incremento redituum Collegii potius augendus sit, quam imminuendus. Secundo: Presbyteri & Laici Congregationis Missionis, servitio seu ministerio Collegii addicti, remaneant nihilominus uniti capiti & corpori ejusdem Congregationis, ac jugiter subjecti visitationi & correctioni illius Superiorum Majorum tam quoad spiritualia quam quoad propria eorum & Collegii temporalia. Tertio: Ad Superiores Majores Congregationis pertineat omni tempore & quacumque occurrente occasione destinare ac deputare tum Rectorem Collegii, cui incumbet exercitium curæ animarum cum facultate supplendi per alium, servata tamen forma literarum nostrarum prædictarum circa approbationem Ordinarii, & alia in eisdem Literis præscripta, tum reliquos omnes Officiales ac personas servitio Collegii necessarias, illosque & illas amovere, aliosque collocare, prout opus vel expediens fuerit. Quarto: Officialibus Ministerio Collegii deputatis pro tempore, ac præcipue Rectori, comperat plena administratio omnium rerum temporalium ejusdem Collegii tam præsentium quam futurarum, ac ubicumque existentium, quin alius quisquam sese in ejusmodi administratione immediate ingerere valeat; neque aliud eos maneat onus sive obligatio quam reddendi rationem suæ administrationis tam Superioribus Majoribus Congregationis, quam ipsi Julio Cardinali & successoribus, quoties illam exigent. Quinto: Nec Superiores Majores nec Rector bona, & capitalia Collegii nunc & pro tempore existentia, eorumve annuos reditus alienare, distrahere, oppignorare, aut permutare valeant sine expressa licentia & consensu eorumdem Julii Cardinalis & Successorum, sed omnia conservare & meliorare debeant in majus commodum & beneficium ipsius Collegii dumtaxat, itaùt nec fructus quovis sub prætextu in alios usus erogare, seu convertere possint. Sexto: Rector, Officiales, aliæque personæ servitio Collegii destinatæ, ac etiam Superiores Majores Congregationis (pro iis, quæ directionem Collegii in spiritualibus & temporalibus respiciunt) recognoscere debeant præeminentem auctoritatem sive superioritatem Julii Cardinalis

Cardinalis prædicti erga hoc Collegium beneficentia:

Presbyteros Congr. Missionis pro ejus regimine deputat.

Quæ deputatio confirmatur sub conditionibus.

Ne personæ deputatæ sint pauciores duodecim,

Qui suis Superioribus sint omnino subjecti.

Ad quos pertineat Rectorem, cæteroſque Officiales destinare.

Iis vero plena rerum temporalium competat administratio.

Nemini vero ejus bona alienare, oppignorare &c. liceat.

Ipsius Cardinalis, & Successorum, quæ sit facultas.

suorumque successorum, profitendo erga illos eamdem dependentiam & subjectionem quam ipsa Congregatio profitetur quoad functiones sui Instituti Ordinariis locorum, ubi adsunt ejus Domus; & inter alia ipsi Julius Cardinalis & Successores, quatenus repererint Rectorem, vel alios destinatos ministerio Collegii in aliquo deficientes vel culpabiles, petere valeant a Superioribus Majoribus eorum amotionem, & aliorum subrogationem in locum amotorum: si id sine rationabili causa sibi denegaretur, illos propria auctoritate a superioritate præfata removere; hæcque facultas Julio Cardinali & successoribus reservata censeatur, etiam circa Alumnos, Convictores, & Ordinandos juxta formam quoad istos dictarum nostrarum Literarum. Septimo: Rector, Officiales, aliæque personæ Congregationis, servitio ejusdem Collegii tam in ejus aperitione quam progressu temporis destinandæ, non solum uniti & unitæ capiti & corpori Congregationis remanere debeant, ut præfertur; sed etiam specialiter aggregati & aggregatæ sint, & esse censeantur Provinciæ Romanæ pro necessaria faciliorique communicatione inter Julium Cardinalem & Successores, ac Visitatorem pro tempore Provinciæ hujusmodi, qui verisimiliter in Urbe residebunt, ubi commode de rebus, bonum gubernium Collegii concernentibus, unà deliberare & agere poterunt. Octavo: Pro prospero regimine Collegii in eisdem spiritualibus & temporalibus liceat superioribus Majoribus Congregationis, cum scientia tamen semper, & approbatione Julii Cardinalis & successorum, regulas seu statum condere circa normam, seu modum vivendi, conversandi, ac sese gerendi in Collegio; illasque & illa successu temporis, quotiescumque necesse fuerit, mutare, alterare, ac variare, quæ accurate in omnibus observari debeant, perinde acsi a Nobis sigillatim approbatæ seu approbata fuissent.

Ipsi vero Officiales Congreg. Romanæ aggregentur.

Superioribus autem Congregat. comperat vivendi normam præscribere.

§. 4. Porro nonnullorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum exemplo eadem auctoritate Apostolica harum serie statuimus & ordinamus, quod deinceps nemo ad aliquem ex Sacris Ordinibus in Civitate & Diœcesi Placentin. assumatur, nisi prius, (præter ea, quæ a Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis constituta sunt) ad minus per decem dies in Collegio præfato, postquam apertum fuerit, inclusus, spiritualibus Exercitiis vacaverit, ac de omnibus ad digne suscipiendum & rite exercendum Ordinem hujusmodi eruditus fuerit, & de hoc literas testimoniales Presbyterorum dictæ Congregationis Missionis ad ipsum Ordinarium detulerit, sub pœna adversus contrafacientes suspensionis ab executione Ordinum aliter susceptorum, & alias, prout a supradicto Alexandro Prædecessore quoad initiandos eisdem Sacris Ordinibus in Urbe, ac sex Episcopatibus suburbicariis, per suas pariter in forma Brevis die 7. Augusti 1662. expeditas literas sancitum reperitur. Cæterum quo tam Alumni quam Convictores Collegii præfati pro tempore existentes, etiam præmii laborum suorum aliquando consequendi spe excitati, eò alacrius memoratis studiis, Sacrisque & Ecclesiasticis disciplinis assiduam operam impendant, eosdem Alumnos & Convictores, qui per aliquot annos in dicto Collegio laudabiliter versati, studiis & disciplinis præfatis sedulo ac cum progressu incubuerint, & aliàs idonei fuerint, in collatione Beneficiorum Ecclesiasticorum, quibus imminet cura animarum, ac præsertim de quibus per concursum juxta Decreta dicti Concilii Tridentini providendum est, cæteris paribus, ac in æqualitate suffragiorum aliis anteferri volumus & mandamus, salva ac servata in reliquis omnibus & singulis, quæ præsentibus non adversantur, præfatarum literarum Nostrarum forma & dispositione.

Decretum quod Clerici Placentini Ordines suscipere nequeant nisi per decem dies in hoc Collegio Spiritualibus vacaverint Exercitiis.

Alumnis vero in concursu ad Beneficia prælatio conceditur.

§. 5. Decernentes, ipsas præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, semper ac perpetuo firma & efficacia existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inconcusse observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, aliosve quoslibet quacumque præeminentia & potestate fungentes & functuros, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Præsentium Literarum firmitas.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac, quoties opus sit, præfatæ Congregationis Missionis, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; necnon omnibus & singulis illis, quæ in prioribus literis Nostris prædictis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Obstantium derogatio.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 3. Februarii 1733. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

F. Card. Oliverius.

Statuitur, ut Procurator Assistentes Generales Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini eligi non possint in Generalem ante sexennalem vacationem ab officio. LXXXIII.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dat. die 5. Febr. 1733. Pont. An. III.

§. 1. FElici prosperoque Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, quem in præcordiis gerimus paternæ charitatis, regimini & gubernio pro pastorali nostra solicitudine, quantum cum Domino possumus, salubriter prospicere, omnemque ambitus & cupiditatis occasionem ab ejusdem Ordinis Alumnis, quemadmodum in diversis aliis Religionis Ordinibus provide constitutum dignoscitur, procul arcere volentes; Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ne deinceps perpetuis futuris temporibus ille ex Fratribus dicti Ordinis, qui Procuratoris Generalis, aut aliquo quatuor Assistentium Generalium officio perfunctus fuerit, in Priorem Generalem ipsius Ordinis immediate, ac nisi prius ab officio hujusmodi per integrum sexennium vacaverit seu cessaverit, ullo modo eligi possit & valeat, tenore præsentium statuimus & ordinamus.

Decretum.

§. 2. Decernentes, easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus, etiam in Capitulo generali Ordinis hujusmodi proximè celebrando, sortiri & obtinere; & ab illis, ad quos spectat & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia plenissime & inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Harum Literarum perpetua observantia.

Obstantium derogatio.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, stylis, usibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eidem Ordini, illiusque Superioribus, Procuratori, & Assistentibus Generalibus præfatis, & aliis quibusvis Fratribus & personis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides Transumptorum.

§. 4. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 5. Februarii 1733. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

F. Card. Oliverius.

LXXXIV. Confirmatio Decreti, in nupero Capitulo Generali Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo editi, quo Provinciis Calabriæ citerioris & ulterioris conceditur alternativa Provincialatus, & quatuor Definitorum.

Dat. die 19. Febr. 1733. Pont. An. III.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

EX injuncto Nobis desuper Apostolicæ servitutis officio, votis illis, per quæ paci & quieti inter Christifideles quoslibet, præsertim sub suavi Religionis jugo, Altissimo famulantes, opportune consulitur, libenter annuimus, atque favoribus prosequimur opportunis.

Decretum de quo in Rubrica.

§. 1. Cum itaque, sicut dilectus filius modernus Prior Generalis Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Nobis nuper exponi fecit, in Capitulo Generali dicti Ordinis mense Novembris anni 1731. in Alma Urbe nostra celebrato, statutum fuerit, ut in Provincia Calabriæ citerioris & ulterioris ejusdem Ordinis alternativa Provincialatus, quatuor Definitorum, & duorum Sociorum pro Capitulo Generali, pro majori quiete ipsius Provinciæ in duas distinctæ, nempe Cussentin. & Cathacen. introduci deberet, ipse Prior Generalis alternativam hujusmodi a Nobis approbari & confirmari summopere desiderat; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur dicti moderni Prioris Generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præpositorum, qui relationem dilecti pariter filii moderni Procuratoris Generalis Ordinis prædicti super præmissis eisdem Cardinalibus factam attenderunt, & rem mature discusserunt, consilio, petitam alternativæ confirmationem auctoritate nostra Apostolica concedimus; nempe ut in futuro triennio, computando a Capitulo Provinciali proxime celebrando, Provincialis sit ex parte Calabriæ citerioris cum duobus Definitoribus, & uno Socio pro Capitulo Generali ex eadem parte citeriori: Reliqui vero duo Definitores, & alter Socius pro Capitulo Generali sint ex parte Calabriæ ulterioris, & Conventuum illi annexorum, ex qua pariter parte erit Socius Provincialis ad Provinciam visitandam; In subsequenti autem triennio Provincialis viceversa ex parte Calabriæ ulterioris cum duobus Definitoribus, & uno Socio pro Capitulo Generali eligatur: sed Socius Provincialis pro visitatione sit ex parte Calabriæ citerioris; & sic deinceps per turnum sive alternativam perpetuo inviolabiliter servetur. Cæterum Priores locales imposterum ex illa parte, in qua Conventus existunt, eligantur sive instituantur. Celebratio demum Capituli Provincialis, sive Congregationis intermediæ in quocumque Conventu magis commodo, & a Priore Generali vel Provinciali juxta Ordinis Constitutiones designan. fieri poterit: salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes, easdem præsentes literas semper firmas, validas & efficaces existere, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia pleniissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, Provinciarum, & Conventuum dictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 19. Februarii 1733. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

F. Card. Oliverius.

LXXXV. Confirmatur Decretum Capituli Provincialis Provinciæ Sancti Eulearii, seu Aquitaniæ, Tertii Ordinis Sancti Francisci, circa Electionem Custodis pro Capitulo Generali.

Dat. die 27. Febr. 1733. Pont. An. III.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Preces pro obtinenda confirmatione Decreti.

§. 1. NUper pro parte dilectorum filiorum Commissarii Generalis, Provincialis, Custodis, quatuor Difinitorum, Exprovincialis, Guardianorum, & Discretorum Provinciæ Sancti Eulearii, seu Aquitaniæ, Tertii Ordinis Sancti Francisci, pro Comitiis Provincialibus canonice & legitime congregatorum, Nobis expositum fuit, quod ipsi ad evitandas deinceps lites & dissentiones super Custodiatu dictæ Provinciæ ediderunt Decretum tenoris sequentis, videlicet:

Confirmatur & explicatur.

§. 2. Ne impoſterum circa Cuſtodiatum jurgia, lites, controverſiæ, contentiones, aut cavillationes in longius protrahantur, vel de novo naſcantur, Religioſi pœnitentes Tertii Ordinis Sancti Franciſci Provinciæ Sancti Eulearii, ſeu Aquitaniæ, canonice ac legitime congregati pro comitiorum Provincialium celebratione, Regiis mandatis obtemperantes, quibus in ordine ad Capitulum Generale Chriſtianiſſimus Princeps jubet, nos ita eſſe paratos, ut omnes ad præfatum Capitulum mittendi, ſemper comparati ſint ad iter, & ſuo tempore proficiſci teneantur: Ne mora ſit nobis in ruinam, juxta Statutorum noſtrorum præſcriptum, quod maxime jacet Cap. V. Part. VIII. Decretum noſtrum inter comitiorum ſolemnia actum Toloſæ in Conventu noſtro Beatæ Mariæ de Pace die 12. Junii 1724. iterum confirmando ac roborando circa ejuſmodi Electionem, de novo ſtatuimus, quolibet triennio poſt Electionem Patris Provincialis eligendum fore Cuſtodem Provinciæ juxta formam Statutorum noſtrorum ac Sacrorum Canonum ſtatuta, qui Socius Patris Provincialis ad præfatum Capitulum Generale ſimul unà, aut cum illius Prominiſtro, ſe conferre ac intereſſe poſſit & debeat. Quoniam vero hæc noſtra Provincia pro Statutorum determinatione eo uſque nedum diffuſa ſit, quin Pater Provincialis ſufficientem per ſe illi opem infundere poſſit; nec aliunde, niſi in ordine ad Capitulum Generale Cuſtos eligatur, ut omnes declinemus juriſdictionis conflictus, quibus Religionis decus & ordo alterari ſolent, omnibus & ſingulis Statutorum privilegiis, quibus juriſdictio Cuſtodis juriſdictioni Patris Provincialis æquari videtur, expreſſe renunciamus, ut ſunt ſigillorum jura, Conventus viſitandi privilegia, Fratres excommunicandi, incarcerandi, necnon Clericos ad Sacros Ordines mittendi poteſtas aut juriſdictio, præſertim præcedentia illa, qua vi Statutorum Cap. VI. Part. X. poteſt ac debet, circa quæ aſſentationem noſtram, qua in præfato Decreto ſub die 12. Junii 1724. ejuſmodi privilegiis ac præcedentiis ſubſcripſimus, ex æquo retractamus; nolentes præter ſupra memorata Cuſtodem omnibus frui juribus ac privilegiis, quæ ſparſim in ſui favorem in Conſtitutionibus noſtris continentur; Quod ſi in dies Deo favente noſtrorum augeatur Conventuum numerus, Cuſtodi aſſignari poterint cuſtodiæ: quo eveniente, omnibus & ſingulis in ſua Cuſtodia juribus ac privilegiis gaudebit Cuſtos, quæ ipſi in tali caſu jure ac merito competunt. Ut autem iſta firma ſint in futurum, prima data occaſione ad Sanctam Sedem erit recurſus, quatenus Summus Pontifex pro ſua bonitate ac benignitate præſens iſtud noſtrum Decretum approbare, confirmare, ac roborare dignetur; Actum unanimi conſenſu in Capitulo Provinciali in Conventu noſtro Sanctæ Mariæ de Bono Occurſu die 22. Maji 1730.

Quod ſit hujuſmodi Decretum:

Et a quibus ſubſcriptum.

Frater Damaſus Commiſſarius Generalis.
Frater Capraſius Miniſter Provincialis.
Frater Fulgentius Cuſtos Provinciæ.
Frater Victor Diffinitor.
Frater Philippus Diffinitor.
Frater Ferdinandus Diffinitor.
Frater Joachim Diffinitor.
Frater Leo Exprovincialis.
Frater Caſimirus Guardianus -- Conventus Beatæ Mariæ de Bono Occurſu.
Frater Elizeus Guardianus -- Conventus Toloſani.
Frater Joſeph Guardianus -- Conventus Inſulæ Jardanis.
Frater Dominicus Guardianus -- Conventus Maſerienſis.
Frater Hyacinthus Guardianus -- Conventus Miramontani.
Frater Jacobus Guardianus -- Conventus Colonienſis.
Frater Paulus Guardianus -- Conventus Tonnenſis.
Frater Candidus Guardianus -- Conventus Turnonenſis.
Frater Exuperius Guardianus -- Conventus Barbaſtenſis.
Frater Hilario Superior Hoſpitii Aginnenſis.
Fr. Bernardinus Diſcretus Capituli.
Fr. Fabianus Diſcretus.
Fr. Martialis Diſcretus.
Fr. Guillelmus Diſcretus.
Fr. Theodorus Diſcretus.
Fr. Michael Diſcretus.
Fr. Ciprianus Diſcretus.
Fr. Joannes Franciſcus Diſcretus.
Fr. Bruno Diſcretus.
Fr. Julianus Secretarius Provincialis.

Præſens Decretum concordat cum originali.

Fr. Caſimirus Andricu prædictæ Provinciæ Procurator in Curia Romana.

§. 3. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, ipſi Exponentes Decretum hujuſmodi, quo firmius ſubſiſtat, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri, plurimum deſiderent; Nos dictos Exponentes ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus, eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati, præinſertum Decretum Capituli Provincialis auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus; illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & ſingulos juris & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus.

Confirmatur auctoritate Apoſtolica.

§. 4. Decernentes, eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ac illis ad quos ſpectat & pro tempore ſpectabit, in omnibus & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab illis reſpective inviolabiliter obſervari; Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Cæſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari & diffiniri debere; ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Solitæ Clauſulæ.

§. 5. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, illorum tenores præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis ac ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 27. Februarii 1733. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

F. Card. Oliverius.

Sta-

LXXXVI. Statutum alternativæ in Electione Provincialis pro Provincia Franciæ Ordinis Fratrum B. M. de Monte Carmelo.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dat. die 3. Martii 1733. Pont. An. III.

Exordium. PAstoralis officii, quod authore Deo gerimus, cura animum nostrum solicitat ad ea peculiari paternæ charitatis studio statuenda, per quæ Christifidelium, divinis obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipatorum, quieti, & felici regimini opportunis rationibus consulatur.

Petitio, quibus innixa fundamentis. §. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Eliseus Monsignani, Procurator Generalis Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo antiquæ observantiæ Regularis, quod cum Provincia Franciæ dicti Ordinis ex diversis nationibus componatur, ac in quatuor distrìctus: distrìctum scilicet primò Franciæ: secundò Normanniæ: tertiò Leodii, & Lotharingiæ (qui simul collecti conficiunt numerum centum tredecim Sacerdotum & Clericorum) & quartò distrìctum Picardiæ, Atrebatum, & Hannoniæ centum octoginta Sacerdotes & Clericos complectentem; sit divisa; Verum propter multorum expostulationes in certa quadam agitatione & dissensione versetur, quibus nullum aliud remedium afferri potest pro pace & tranquillitate in eadem Provincia firmiter stabilienda, quam instituendo alternativam seu Turnum pro Provincialatu adinstar duarum aliarum Regni Galliæ Provinciarum; ideo dictus Eliseus Procurator Generalis animi sui sensum unà cum illo Prioris Generalis Ordinis hujusmodi protulit, ad occurrendum ejusmodi incommodis expedire, ut, quantum fieri potest, inter duas ejusdem Provinciæ partes æquilibrium & æquitas servetur: tres quidem primi distrìctus scilicet Franciæ, Normanniæ, & Leodii-Lotharingiæ ex una parte, ex altera vero distrìctus Picardiæ, Atrebatum, & Annonum alternis vicibus de triennio in triennium Provincialatum obtineant.

§. 2. Quare prædictus Eliseus Procurator Generalis Nobis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsius Elisei Procuratoris Generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut in posterum in prædicta Provincia Franciæ alternativa supranarrata fideliter observetur, itaut uno triennio ex Fratribus Franciæ, Normanniæ, & Leodii-Lotharingiæ Provincialis eligatur: altero verò subsequenti triennio e Fratribus distrìctus Picardiæ, Atrebati, & Hannoniæ Provincialis eligatur: cæteris electionibus tum Priorum, tum Definitorum, aliorumque Officialium, remanentibus juxta pristinum usum hactenus observatum, & imposterum in eadem Provincia observandum, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus & ordinamus.

Statuitur alternativa Provincialatus de triennio in triennium.

Præsentium Literarum firmitas: §. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Et obstantium derogatio. §. 4. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac, quatenus opus sit, Provinciæ, & Ordinis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 3. Martii 1733. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

F. Card. Oliverius.

LXXXVII. Confirmatio Decretorum Commissariorum Generalium Indiarum Ordinis Minorum Sancti Francisci Discalceatorum, circa missionem Visitatoris ad Provinciam Sancti Gregorii in Insulis Philippinis ex aliena Provincia &c.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. die 17. Martii 1733. Pont. An. III.

Sancitum ne Visitator Provinciæ Philippinarum §. 1. EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Vincentius Ingles Minister Provincialis Provinciæ Sancti Gregorii in Insulis Philippinis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Discalceatorum nuncupatorum, quod dilecti filii Joannes de Soto, & Dominicus Lossada, ultimus ac modernus respective Commissarii Generales Indiarum dicti Ordinis, quædam decreta pro bono dictæ Provinciæ regimine ediderunt, quibus, Commissariorum Generalium hujusmodi antecessorum suorum ordinationes confirmando, mandarunt Commissario Generali novæ Hispaniæ Ordinis præfati pro tempore existenti, ut nullatenus mittere valeat ad dictam Provinciam Visitatorem ex aliena Provincia: neque eligat vel nominet ex eadem Provincia alium præter tres; a suo Definitorio propositos, ad Visitationem: similiter ne detineat Vocales & Procuratores missos ab eadem Provincia, neve se intromittat in eorum Electionibus, neque in negotiis sibi commissis: & aliàs, prout uberius continetur in ipsorum Joannis, & Dominici Commissariorum hujusmodi patentibus literis, desuper confectis, ac de Hispanico idiomate in latinum versis, tenoris, qui sequitur, videlicet:

Eligatur ex aliena Provincia; Et a suo non propositus Definitorio &c.

Fr. Joannes de Soto Lector Jubilatus, Theologus Regius pro congressu Immaculatæ Conceptionis, & in hac Familia Cismontana totius Ordinis S. P. N. Francisci Commissarius Generalis, & Indiarum, & Servus &c.

RR. PP. Provinciali, ac Venerando Diffinitorio Provinciæ nostræ Sancti Gregorii Philippinarum, salutem in Christo Jesu Domino Nostro.

Tenor Statuti editi ab ultimo Commissario Gen. Indiarum. §. 2. Quoniam Nobis constat R. P. Joannem Luengo, antecessorem nostrum Commissarium Generalem Indiarum, perpendendo inconvenientia gravia, quæ oriebantur ex generali Regula, mittendo ad eam nostram Provinciam Commis-

sarium Visitatorem ex aliena; & quia magis proportionata admittendum ex ea Visitatorem erat Provincia nostra Excalceatorum Sancti Didaci in Mexico, quæ est adeo distans & remota, ut est notorium; &, præterquam quod Visitatores gravissimo periculo vitæ debebant exponi, non poterant Provinciam adire absque gravissimis expensis, parum conformibus paupertati, quam juxta Regulam nostram professi sumus, & quin Provincia exhausta maneat ad succurrendum veris necessitatibus suorum Fratrum, si expensas faciat Visitatoribus in eundo & redeundo; his omnibus attentis Paternitas Sua Reverendissima, utens facultate a lege concessa, ut possit eligi Visitator ex eademmet Provincia visitanda, quando ita fuerit expediens, vel adsit grave aliquod impedimentum, ut ex alia mittatur; & cupiens occurrere supra expressis inconvenientibus, disposuit, ordinavit, & præcepit suis literis Patentibus, ut imposterum Visitator nostræ Provinciæ Philippinarum eligatur ex Patribus benemeritis ejusdem Provinciæ, & quod non admitteretur ex ulla alia Provincia. Propterea cum pro parte ejusdem nostræ Provinciæ eadem Nobis fuerit facta repræsentatio, & supplicatum, ut dignaremur præfata omnia confirmare nostris literis Patentibus, & pariter alias literas Patentes circa idem, & in quibus etiam cavetur, ne Commissarii Generales novæ Hispaniæ detineant Vocales seu Procuratores a dicta Provincia missos: nec se intromittant in eleemosynis ad eamdem pertinentibus, neque in negotiis & dependentiis, quarum causa veniunt, emanatas a prædecessoribus nostris RR. PP. Juliano Chumillas sub 29. Septembris anni præteriti 1688. & Josepho Sunz sub 26. Aprilis 1713. confirmando antecedentes, & aliam a dicto Reverendissimo Chumillas expeditam die 28. Maji 1689. in qua ordinat & præcipit dictis RR. PP. Commissariis Generalibus novæ Hispaniæ pro tempore, ne possint mittere nec nominare in Visitatorem dictæ Provinciæ, nisi unum ex tribus, ad hunc effectum præsentatis a Reverendo Definitorio ejusdem Provinciæ; Igitur, conformando Nos dictamini dictorum trium antecessorum nostrorum fundato in sancto zelo, prudentia, & æquitate, virtute præsentium, & in hac parte utentes nostræ potestatis plenitudine, confirmamus, omnes Patentes, & supra expressas determinationes his nostris pro insertis habentes, & denuo ordinamus & præcipimus per Sanctam Obedientiam in virtute Spiritus Sancti, & sub pœna excommunicationis majoris latæ sententiæ ipso facto incurrenda, Rev. P. Commissario Generali moderno, & pro tempore, ut nullatenus mittere audeant ad dictam Provinciam Philippinarum Visitatorem ex aliena; neque eligant vel nominent ex eadem alium præter tres à suo Definitorio propositos ad visitationem, eo modo, quo præceptum & confirmatum fuit a dictis RR. prædecessoribus nostris Commissariis generalibus Indiarum. Et similiter præcipimus, ne detineant Vocales & Procuratores missos a dicta Provincia, neve se intromittant in eorum eleemosynis, neque in negotiis sibi commissis; Sed potius ordinamus, & monemus, ut cum omni benignitate, charitate, & religiosa affabilitate ipsos recipiant & tractent, eisdemque assistant & faveant in omnibus necessariis ad eorum expeditionem & conductionem in his, quæ ipsis exposuerint; quoniam ita convenit ad bonum gubernium dictæ Provinciæ nostræ, qui in omnibus hic expressis, & in aliis Patentibus prædecessorum nostrorum, hac nostra, ut dictum est, confirmatis, possit, nec debeat esse aliqua tergiversatio; & Vestris Patribus Reverendissimis ordinamus & præcipimus, ut adimpleant, adimplereque faciant, in quantum ad ipsos attinet, omnia his nostris literis contenta, ipsasque notificent per originales vel authenticam copiam Rev. P. Commissario Generali moderno vel pro tempore respective Provinciarum novæ Hispaniæ, ut ipsis constet de hac nostra dispositione, & ipsam ad literam observent, uti præceptum & determinatum est. Datum in hoc nostro Conventu S. P. N. Francisci Matriten. 3. Januarii 1724.

Fr. Joannes de Soto Commissarius Generalis, & Indiarum.

Fr. Didacus de Espinosa Secretarius Generalis Indiarum.

Eadem Decreta confirmata a moderno Commissario Gener.

Fr. Dominicus Lossada Regularis Observantiæ Sancti P. N. Francisci Lector Jubilatus Complutensis, Catholicæ Majestatis pro Immaculatæ Conceptionis Regali congressu Theologus, Exprovincialis Provinciæ Castellæ, Pater illius Sancti Jacobi, Exsecretarius Generalis Ordinis, & Commissarius Generalis omnium Indiarum occidentalium, & Servus &c.

RR. PP. Provinciali, ac Ven. Definitorio nostræ Provinciæ Sancti Gregorii Philippinarum, salutem, & pacem in Christo Jesu Domino Nostro.

Ne Commissarii Gener. Hispaniæ Vocales ex illius Provinciæ detineât. Nec se intromittant in eorum eleemosynis, & negotiis.

§. 3. Quoniam Rev. P. Fr. Joseph à Sancta Ella Prædicator, ex-Prominister, Pater, & Procurator præfatæ nostræ Provinciæ Sancti Gregorii, Nobis præsentavit Memoriale quoddam nomine dictæ Provinciæ, per quod confirmari supplicat literas Patentes expeditas die 3. Januarii 1724. a Reverendissimo P. N. Fr. Joanne de Soto, Lectore Jubilato, Catholicæ Majestatis pro Beatæ Virginis Immaculatæ Conceptionis Regali congressu Theologo, & Ministro Generali totius Ordinis S. P. N. Francisci, cum esset Commissarius Generalis Indiarum, in quibus confirmat, & sub gravibus pœnis observare præcipit Patentes RR. Commissariorum Generalium Indiarum antecessorum ipsius, ad eamdem Provinciam Sancti Gregorii Philippinarum, ipsiusque salubrius gubernium attinentes, propterea virtute præsentium manu propria subscriptarum, majori sigillo nostri officii munitarum, & per Secretarium nostrum referendatarum, conformando Nos cum maturo dictamine & sensu dictorum nostrorum antecessorum, uti innixis justo ac sancto zelo, prudentia, & æquitate, confirmamus Patentes omnes & Decreta supra expressa, quæ hic pro insertis, ac si de verbo ad verbum exprimerentur, habemus; & denuo præcipimus in virtute Sanctæ Obedientiæ sub pœna excommunicationis majoris latæ sententiæ ipso facto incurrenda, admodum Rev. P. Commissario Generali novæ Hispaniæ moderno, ac pro tempore, ut nullatenus audeant mittere ad dictam nostram Provinciam Philippinarum Commissarium Visitatorem alienæ Provinciæ, neque eligant vel nominent ex eadem Provincia aliquem, nisi unum ex tribus ab eadem Provincia, vel ipsius Definitorio propositis & præsentatis; & pariter, ut nullatenus detineant Vocales & Procuratores ab eadem Provincia missos, nec se intromittant in eleemosynis, & negotiis hujusmodi Procuratorum curæ commissis; & quod observent omnia contenta & expressa in dictis literis Patentibus Reverendissimi Patris nostri Joannis de Soto, & aliorum Commissariorum Indiarum in ipsis confirmatis, quas notificari faciant in originali, vel copia authentica, Rev. admodum Patri Commissario Generali novæ Hispaniæ moderno, vel pro tempore, ut ipsis constet de hac nostra ordinatione, ipsamque ad literam, uti præceptum est, observent. Datum in hoc Conventu S. P. N. Francisci Matriten. die 28. Martii 1731.

Fr. Dominicus Lossada, Commissarius Generalis Indiarum.

De Mandato Suæ Reverendissimæ Paternitatis, Fr. Sebastianus de Enzinas Secretarius Generalis Indiarum.

Loco ✠ Sigilli.

§. 4. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, prædictus Vincentius, præmissa quò firmius subsistant, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret; Nos ipsum Vincentium specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præpositorum, consilio, præinserta Decreta, expeditasque desuper patentes literas prædictas auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos juris & facti defectus, qui in præmissis quomodolibet intervenerunt, supplemus: salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Iisdem Decretis robur auctoritatis Apostolicæ adjicitur.

§. 5. Decernentes, easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus & per omnia pleniissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis; necnon, quatenus opus sit, Provinciæ & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 17. Martii 1733. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

F. Card. Oliverius.

LXXXVIII. Præscribitur modus imposterum servandus in deputatione Officialium Curiæ Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia, ac Reformatorum, Excalceatorum, & Recollectorum Franciæ, in locum Officialium hujusmodi, cedentium vel decedentium durante tempore suorum Officiorum.

Dat. die 10. Aprilis 1733. Pont. An. III.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Facti series.

§. 1. CUm, sicut pro parte dilecti filii Ministri Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum Nobis nuper expositum fuit, inter alias ordinationes communi totius Ordinis prædicti consensu editas in novissimo Capitulo Generali, Mediolani habito, decretum fuerit, supplicandum Sedi Apostolicæ pro reductione in antiquum statum deputationis Officialium Curiæ dicti Ordinis in locum eorum, qui durante tempore ejusmodi officiorum illis cesserint, vel ab humanis decesserint; idem Minister Generalis Nobis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur; Nos ipsum Ministrum Generalem specialis favore gratiæ prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, audito prius per Nos super præmissis voto Congregationis Generalis Ordinis prædicti, modum infrascriptum in deputatione dictorum Officialium Curiæ cedentium vel decedentium, deinceps post proxime futurum Capitulum Generale ejusdem Ordinis servari auctoritate Apostolica tenore præsentium præcipimus & mandamus, nempe, Quod, secuta electione Officialium Curiæ prædictæ, pro tempore existens Minister Generalis dicti Ordinis Fratribus Definitorii Generalis sex saltem Religiosos, debitis qualitatibus præditos, illius nationis, ex qua fuerit Officialis electus, proponere debeat, & ex iis tres ab ipso Definitorio seligantur, e quibus in eventum vacationis ejus Officii idem Minister Generalis unum ad sui libitum deputare teneatur; & si contigerit, alterum ex tribus Religiosis sic a Definitorio delectis decedere, aut inhabilem fore, facultas Ministri Generalis deputandi dictum Officialem ad duos reliquos; quatenus vero duo mortui, aut inhabiles fuerint, ad unicum superstitem limitata sit, & esse intelligatur; sin autem omnes tres obierint aut inhabiles reperiantur, tunc deputetur Religiosus dignior illius nationis, de qua erat Officialis electus in Capitulo Generali, demandato, in casu absentiæ Religiosi ita deputati, exercitio officii Secretario Officialis cedentis vel decedentis; quodque delectus trium Religiosorum prædictorum pro Fratribus de Observantia Reformatis, Excalceatis, & Recollectis, Franciæ nuncupatis dicti Ordinis, ab eorum respective Definitorio Generali perficiatur.

Quomodo provisum.

§. 2. Decernentes, easdem præsentes literas firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis prædicti, etiam juramento, confirmatione Apostolica, aut quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis ac insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majo-

rem sub Annulo Piscatoris die 10. Aprilis 1733. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

F. Cardinalis Oliverius.

LXXXIX. Ordini Fratrum Prædicatorum confirmatur facultas celebrandi Processiones Sanctissimi Corporis Christi, & Rosarii Beatæ Mariæ Virginis cum confirmatione Brevis Clementis VIII. & Benedicti XIII. quod declaratur.

Constitutiones hîc laudatas lege suo loco.

Dat. die eadem.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Causæ edendæ hujusce declarationis.

§. 1. CUm, sicut accepimus, etsi ex ipso tenore Constitutionis nostræ, tertio Kalendas Aprilis Anno Incarnationis Dominicæ 1732., quæ incipit *Romanus Pontifex &c.* promulgatæ, perspicue luculenterque appareat, per moderationem a Nobis inibi adhibitam nonnisi ad terminos juris redactam fuisse inter alia Constitutionem fel. rec. Benedicti PP. XIII. Prædecessoris Nostri, cujus initium est *Pretiosus &c.* Anno ejusdem Incarnationis Dominicæ 1727. Septimo Kalendas Junii emanatam, ejusque declarationes, ac privilegia illa, gratias, favores, indulta, exemptiones, facultates, & declarationes, quæ ibidem Ordini Fratrum Prædicatorum de novo concessa fuerunt; nihilominus aliqui Constitutionem nostram sinistre, ac secus, quam par est, interpretantes, pleraque lites & controversias Fratribus prædictis moverint in diversis locis ac tribunalibus, per quas privilegia & prærogativas, quibus iidem Fratres, priusquam ipsa Constitutio Benedicti Prædecessoris emanaret, ex aliis legitimis titulis & concessionibus Apostolicis potiebantur, aggredi & oppugnare adnituntur: dictusque Ordo præcipue vexetur occasione celebrationis duarum Processionum, publicarumque supplicationum, Sanctissimi nempe Eucharistiæ Sacramenti, ac Rosarii Beatæ Mariæ Virginis, tametsi illam Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti die Dominica infra octavam Corporis Christi a re. mem. Pio V. & Clemente VIII. Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris juxta ejusdem Clementis Prædecessoris die 8. Martii 1597. alteram vero Rosarii Beatæ Mariæ Virginis Dominica prima Octobris ab ipso Benedicto Prædecessore per suas die 10. Aprilis 1725. in simili forma Brevis respective expeditas literas; necnon declarationem die 18. Julii 1726. desuper editam, quotannis peragendi facultas eidem Ordini diserte indulta fuerit; adeoque ante memoratam Benedicti Prædecessoris Constitutionem, in qua ejusque declarationibus Ordini prædicto nihil amplius circa duas Processiones præfatas tribuitur, quam quod jam antea per eosdem Pium, Clementem, & Benedictum Prædecessores attributum fuerat; Et quia mens & intentio nostra non est, nec unquam fuit, gratiis, indultis, exemptionibus, & privilegiis, dicto Ordini Fratrum Prædicatorum ante enarratam Benedicti Prædecessoris Constitutionem concessis, præsertim respectu duarum Processionum hujusmodi, aliquod vel minimum generare præjudicium; Hinc est, quod Nos lites & controversias præfatas e medio tollere, earumque occasionem, & quodvis aliud in præmissis impedimentum submovere cupientes: necnon Ordinem & Fratres prædictos specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, ipsorumque Fratrum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutas fore censentes, supradictas Clementis, & Benedicti Prædecessorum literas, editamque ab eodem Benedicto Prædecessore declarationem quoad duas Processiones, publicasve supplicationes præfatas cum omnibus & singulis in eisdem literis & declaratione dispositis & contentis, auctoritate Apostolica harum serie approbamus, confirmamus, & innovamus; illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac illa deinceps exacte observari, atque executioni demandari, eadem auctoritate tenore præsentium præcipimus & mandamus.

Præfatæ concessiones confirmantur.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes, præsentes literas semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac Ordini & Fratribus prædictis, aliisque, ad quos spectat & pro tempore spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, Sedisque Apostolicæ Nuncios, alioſve quoslibet quacumque præeminentia & potestate fungentes & functuros, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus & singulis, quæ in Clementis, & Benedicti Prædecessorum literis & declaratione præfatis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides Transumptorum.

§. 4. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 10. Aprilis 1733. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

F. Card. Oliverius.

XC. Confirmatur Decretum Capituli Generalis anno 1667. celebrati ab Ordine Fratrum Sancti Francisci Capuccinorum circa residentiam Definitorum Generalium in Urbe.

Dat. die 5. Maji 1733. Pont. An. III.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

PAstoralis officii, quod authore Domino gerimus, solicitudo Nos admonet, ut Christifidelium, qui e fluctibus sæculi in arctioris Religionis portum confugerunt, salubri regimini, quantum Nobis ex alto conceditur, prospicere jugiter studeamus.

§. 1. Dudum

1733.

1733. In dicto Capitulo Generali sancitum, ut Definitores Gen. Romæ residerent.

§. 1. Dudum siquidem occasione Capituli Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci, Cappuccinorum nuncupatorum, anno 1667. in Alma Urbe nostra celebrati, inter alia plurima decreta pro felici dicti Ordinis gubernio cum consensu & approbatione omnium Vocalium in eo congregatorum facta & stabilita, expresse statutum ac ordinatum fuit, quod Definitores Generales ejusdem Ordinis in Urbe præfata residerent, quibus pro urgentibus & gravioribus negotiis Religionis, communis foret commissio generalis facta Procuratori Generali per Ministrum Generalem, ita ut procederent insimul & conjunctim usque ad Capitulum Generale Ordinis hujusmodi; ac postmodum omnia & singula decreta præfata per relationem bon. mem. Hieronymi, dum viveret, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Farnesii nuncupati, dicti Ordinis apud Sedem Apostolicam Protectoris, a fel. rec. Clemente PP. IX. Prædecessore Nostro approbata & confirmata fuerunt, prout in ipsius Clementis Prædecessoris literis, desuper in simili forma Brevis die 9. Septembris ejusdem anni 1667. expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plene & sufficienter expresso & ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Quod a Clemen. XI. confirmatum.

§. 2. Cum autem, sicut Venerabilis Frater noster Franciscus Episcopus Ostien. & Velitern. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ prædictæ Cardinalis Barberinus etiam nuncupatus, Ordinis præfati apud Nos & eamdem Sedem similiter Protector, Nobis nuper exposuit, enarrata ordinatio seu dispositio circa Definitores Generales nusquam, vel parum huc usque observata fuerit, & quod ipsi Definitores assueti vivendi rationi, ac moribus in suis provinciis vigentibus, & ad illos Urbis præfatæ ægre se se accommodantes, procurabant, facileque obtinebant a Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris licentiam revertendi in proprias Provincias; unde factum est, ut omnis discussio ac definitio negotiorum majoris etiam momenti dicti Ordinis fere semper sita esset in arbitrio solius Ministri Generalis pro tempore existentis, vel Procuratoris Generalis, qui absente eodem Ministro Generali deputatur juxta consuetudinem ejusdem Ordinis in Commissarium Generalem, pro Ultramontanis, si Minister Generalis in Italia, Italicis autem Provinciis, si ultra Montes extiterit; experientia vero compertum fuerit perniciosum, ac rationi minime consentaneum esse, quod Superiores sive Prælati majores dicti Ordinis destituantur ope & auxilio, quæ accipere possent a Diffinitoribus Generalibus præfatis, a quibus, utpote gnaris rerum ac morum suæ nationis, multum juvari possent ad negotia certius maturiusque definienda: minusque deceat, officium dictorum Definitorum Generalium prope otiosum & inutile jacere contra mentem Constitutionum, & antiquam Ordinis prædicti observantiam; ac proinde dilecti filii modernus Minister, & duo Definitores Generales, in Urbe præfata de præsenti existentes, una cum aliquot aliis præstantibus, ac ætate provectioribus Religiosis ejusdem Ordinis, coram ipso Francisco Episcopo Cardinali congregati, unanimiter censuerint, aliquod huic rei remedium, antequam in Capitulo Generali dicti Ordinis propediem celebrando electiones fiant, adhibendum fore. Quare memoratus Franciscus Episcopus Cardinalis Nobis humiliter supplicavit, quatenus in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ejusdem Francisci Episcopi Cardinalis votis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, supradictam ordinationem seu dispositionem in Capitulo Generali anni 1667. quoad Definitores Generales editam, ut præfertur, & prout illam concernunt Clementis Prædecessoris literas præfatas, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, pariter & approbamus; &, quatenus opus sit, innovamus, illisque perpetuæ ac inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur & efficaciam adjungimus. Præterea volumus atque statuimus, quod ipsa Commissio Generalis, procurationi Generali impertiri solita, imposterum ab eo in urgentibus & gravioribus negotiis Religionis una cum dictis Definitoribus Generalibus simul & collegialiter unitis exerceatur: quodque hoc Definitorium, cui communis erit Commissio Generalis, bis saltem qualibet hebdomada congregari debeat cum eodem Procuratore Generali, qui illius congressibus præsideat, pro definiendis hujusmodi negotiis urgentibus & gravioribus pro tempore occurrentibus, quæ tam a Procuratore Generali, quam ab unoquoque ex Definitoribus Generalibus præfatis proponi possint, & in casu cujusvis inter eos discrepantiæ procedatur per secreta suffragia, quemadmodum in Definitorio Generali servatur; Si quis autem ex Definitoribus Generalibus prædictis in Urbe residere nolit, aut propter aliquod legitimum impedimentum non possit, privatus remaneat omnibus privilegiis & prærogativis, quibus uti Definitor Generalis hujusmodi potiebatur: & tunc per ipsum Diffinitorium Generale cum consensu Ministri Generalis alius Diffinitor Generalis, ex eadem tamen natione, eligatur, & in illius locum cum iisdem privilegiis & prærogativis substituatur ac subrogetur, ut Definitorium semper integrum sit, & completum. Insuper ut dicti Diffinitores Generales eo magis invitentur & alliciantur ad residendum in Urbe præfata, quò operam suam obsequiis propriæ Religionis, ejusque negotiis tractandis ac decidendis impensius addictam, & continuo navandam fore cognoverint: Nos inhærentes ejusdem Ordinis Constitutionibus, quibus præscribitur, recursum & appellationem interponendos esse gradatim a Guardianis ad Ministros Provinciales, & ab his ad ipsum Ministrum Generalem ejusque Definitorium, antequam causæ & lites ad alia Tribunalia extra dictum Ordinem deferantur, omnibus & singulis Romanæ Curiæ Tribunalibus, Judicibus, Officialibus, & Ministris, ac quibusvis etiam Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Congregationibus, ne istiusmodi causas & lites recipiant & recognoscant, nisi juxta modum superius expressum in dicto Definitorio Generali prius agitatæ & definitæ fuerint, sub pœna nullitatis actorum, & quoad Religiosos recurrentes seu appellantes, qui præmissis contravenerint, sub gravibus nostro & Romani Pontificis pro tempore existentis arbitrio infligendis pœnis, auctoritate præfata harum serie prohibemus.

Sed cum parum usque adhuc fuerit observatum.

Ac grave hinc universo Ordini profectum fuerit præjudicium.

Innovatur, ac observari præcipitur: adjectis etiam nonnullis aliis statutis commune Ordinis bonum respicientibus.

§. 3. Decernentes, ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri: & ab illis, ad quos spectat & pro tempore quandocumque spectabit, inconcusse observari, iisque respective plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ pro firmitate harum Literarum.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis præfati, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate

Cum contrariorum derogatione.

alia

alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis acad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Adjectaque Tranſumptis fide.

§. 5. Volumus autem, ut præſentium literarum tranſumptis ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique locorum tam in judicio quam extra habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 5. Maji 1733. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

F. Card. Oliverius.

XCI. Confirmatur Chirographum Benedicti XIII. ſuper augmento aſſignationis annuæ Votantibus Signaturæ Juſtitiæ factæ.

Dat. die 11. Maji 1733. Pont. An. III.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

SIngularis dilectorum filiorum Collegii utriuſque Signaturæ Noſtræ Referendariorum in Nos & Apoſtolicam Sedem fides & devotio, necnon aſſidui graveſque labores, quos ſuſtinent, promerentur, ut ea, quæ ad illorum favorem ex dictæ Sedis munificentia proceſſerunt, quò inviolabili juxta mentem & intentionem Noſtras roboris firmitate perennent, & nemini deſuper quovis prætextu & ex quacumque cauſa dubitandi occaſio locuſque relinquatur, Apoſtolici muniminis præſidio conſtabiliamus.

Aſſign. Votantibus aliàs ab Innoc. XII. facta per Bened. PP. XIII. 2600. Ducatis aucta.

§. 1. Aliàs ſiquidem fe. re. Benedictus PP. XIII. Prædeceſſor Noſter annuam duorum millium ſexcentorum ſcutorum monetæ aſſignationem ſuper reditibus & proventibus Dohanæ Cameræ Noſtræ Apoſtolicæ, tunc ſuæ, præter ſcuta mille ducenta ſimilia a re. me. Innocentio PP. XII. Prædeceſſore pariter Noſtro eidem Collegio aſſignata, nempe quingenta ſcuta paria tunc & pro tempore exiſtenti Decano, necnon ſcuta trecenta ejuſdem monetæ cuilibet ex Votantibus Collegii hujuſmodi, ſingulis annis anticipate perſolvenda, cum jure accreſcendi in caſu deficientiæ alicujus ex prædictis Votantibus, adauxit, & aliàs, prout continetur in Chirographo ab eodem Benedicto Prædeceſſore die 24. Septembris 1725. emanato, & ipſius manu ſubſcripto, ac Ven. Fratri Annibali Epiſcopo Sabinen. S. R. E. Card. Albano, Sancti Clementis nuncupato, ejuſdem S. R. E. Camerario, directo, necnon in executionem Edicti juſſu noſtro publicati in dicta Camera regiſtrato, tenoris, qui ſequitur.

Reverendiſſimo Cardinale S. Clemente Camerlengo.

Tenor Chirographi ab eodem Pontifice dati.

Avendo Noi piena notizia delle gravi e continue fatighe, che ſoſtiene il Collegio de' Votanti della Segnatura di Giuſtizia in tutto il corpo dell'anno, e particolarmente nell' eſtive Congregazioni ſolite tenerſi nel noſtro Palazzo Apoſtolico: e volendo per maggiore rimunerazione delle medeſime accreſcergli l'annuo aſſegnamento di ſcudi mille duecento moneta fattogli dalla ſa. me. d'Innocenzo XII. Noſtro Predeceſſore con ſuo Chirografo in data de' 30. Settembre 1693. ad altri ſcudi due mila e ſeicento, di modo che compreſivi i detti ſcudi 1200. ſiano in tutto ſcudi tre mila ottocento moneta, non ſolo per dargli queſto contraſegno del noſtro Paterno gradimento, che per animarli vie più a proſeguire con diligenza ed attenzione l'eſercizio laborioſo della lor carica ed amminiſtrazione della Giuſtizia. Quindiè, che di Noſtro moto proprio, certa ſcienza, e pienezza della noſtra poteſtà Apoſtolica, avendo nel preſente noſtro Chirografo per eſpreſſo il detto aſſegnamento di ſcudi mille duecento moneta l'anno, fatto dal predetto Innocenzo XII. ed ogn'altra coſa neceſſaria ad eſprimerſi, ordiniamo a voi, che in noſtro nome, e della noſtra Camera delle rendite e proventi delle Dogane di Roma, accreſciate, ſiccome Noi accreſciamo, al Collegio de' dodeci Votanti della Segnatura di Giuſtizia di detto annuo aſſegnamento, oltre li ſuddetti ſcudi 1200. altri ſcudi due mila e ſeicento, che in tutto coſtituiſcono la ſomma di ſcudi tre mila ottocento, da ripartirſi, cioè, ſcudi cinque cento annui al Decano, e ſcudi trecento annui agli altri undici Votanti anticipatamente, con ordine di detto Decano, nel principio di ciaſchedun meſe: di modo tale, che il Decano pro tempore abbia ſcudi duecento di più degli altri, ed il rimanente ſi divida egualmente ed anticipatamente tra loro nel principio di ciaſchedun meſe, compreſovi ancora il Decano, col jus accreſcendi proporzionabilmente in caſo di vacanza di qualche luogo in detto Collegio, incominciando dal primo del corrente meſe; e per l'effetto ſuddetto ſpedirete mandati, e darete tutti gli ordini, che ſtimarete neceſſarj & opportuni, acciò con li denari e proventi delle ſuddette Dogane ſi paghi il predetto annuo aſſegnamento così accreſciuto alli detti dodeci Votanti, loro Decano, vice-Decano, Camerlengo, o altro loro Procuratore, eſſendo tale la mente e volontà noſtra eſpreſſa, volendo e decrerando, che il preſente noſtro Chirografo, benche non ammeſſo nè regiſtrato in Camera, abbia il ſuo pieno effetto, eſecuzione, e vigore colla ſemplice noſtra ſottoſcrizione, non oſtante la Bolla di Pio IV. *de Regiſtrandis*, e qualſivoglia altra Bolla, Coſtituzione, o Ordinazione Apoſtolica, emanata a favore della noſtra Camera, ſuoi Miniſtri, ed Officiali, e qualſivoglia altro uſo, ſtile, ſtatuto, riforma, conſuetudine, Decreto, anche Conciſtoriale, ed ogni altra coſa, che faceſſe, o poteſſe fare in contrario, alle quali tutte e ſingole per queſta volta ſolamente, ed all'effetto ſuddetto pienamente ed amplamente deroghiamo.

Dato nel Noſtro Palazzo Apoſtolico di Monte Cavallo queſto di 24. Settembre 1725.

BENEDICTUS PP. XIII.

Confirmatur.

§. 2. Nunc autem Nos firmiori præmiſſorum omnium & ſingulorum robori & efficaciæ, quantum cum Domino poſſumus, providere, dictoſque Votantes ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutas fore cenſentes, Motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Chirographum præinſertum, omniaque & ſingula in

eo contenta, tenore præsentium confirmamus & approbamus; illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos tam juris quam facti, & solemnitatum quarumcumque, tam ex Juris communis, & Constitutione Apostolica præscripto, quam aliàs quomodolibet in similibus etiam de necessitate observandarum, & alios quoslibet, etiam formales & substantiales defectus, si qui in præmissis, vel eorum aliqui principaliter vel accessorie, aut aliàs quovis modo intervenerint, seu interveniisse dici, censeri, vel prætendi possent, plenissime supplemus & sanamus, ac penitus & omnino tollimus & abolemus.

Clausulæ. §. 3. Decernentes, easdem præsentes, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati & auditi, neque causæ, propter quas præsentes emanarint, adductæ, specificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque causa, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis & enormissimæ & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis formali & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, ad terminos juris reduci, seu in controversiam vocari, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris & facti vel gratiæ remedium intentari vel impetrari, seu impetrato, ac etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in judicio vel extra illud uti, seu se juvare posse; sed ipsas præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat & pro tempore spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatij Apostolici Auditores, ac prædictæ S. R. E. Camerarium, necnon Cameræ Nostræ Apostolicæ Præsidentes Clericos, Thesaurarium Generalem, cæterosque Officiales & Ministros nunc & pro tempore existentes, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus & singulis, quæ in Chirographo præinserto idem Benedictus Prædecessor Noster voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 11. Maji 1733. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

F. Card. Oliverius.

XLII. Facultas nunc & pro tempore existenti Generali Ordinis Fratrum Sancti Francisci de Paula, Minimorum nuncupatorum, erigendi & aggregandi Confraternitates sub denominatione & Instituto S. Francisci de Paula, illisque communicandi Indulgentias.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. die 12. Maji 1733. Pont. An. III.

Exordium. OMnipotentis Dei Salvatoris Nostri, qui ex pietatis suæ superabundantia fidelium mentibus cœlestis inspirationis gratiam, & devotionis ardorem ad divinæ Majestatis obsequia, & piorum operum exercitia salubriter peragenda continuo infundit, exemplo adducti, in eam Pastoralis officii curam cogitationemque sedulo incumbimus, per quam ipsorum fidelium fructuosis hujusmodi operibus & exercitiis vacantium religio & devotio continuum suscipiat incrementum.

§. 1. Cum itaque nuper ad preces dilecti filii moderni Correctoris Generalis Ordinis Fratrum Sancti Francisci de Paula, Minimorum nuncupatorum, in Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, Indulgentiis & Sacris Reliquiis præpositorum, die 20. mensis Januarii habita, proposito dubio, an facultas erigendi & aggregandi Confraternitates sub Instituto ejusdem Sancti Francisci de Paula eidem Correctori Generali esset concedenda, rescriptum fuerit: Nobis supplicandum esse. Hinc est, quod Nos, qui dictum Ordinem in visceribus gerimus charitatis, piis ipsius moderni Correctoris Generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere, eumque specialis favore gratiæ prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutum fore censentes, supplicationibus, ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, de memoratorum Cardinalium consilio, tam prædicto quam pro tempore existenti Correctori Generali Ordinis Fratrum S. Francisci de Paula, ut ejusmodi utriusque sexus Confraternitates ejusdem denominationis & instituti, accedente consensu Ordinariorum, erigere: easque jam erectas Archiconfraternitati in Alma Urbe nostra institutæ aggregare: omnesque & singulas Indulgentias & gratias, a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris concessas, illis communicare libere & licite valeat, servata tamen Constitutionis fe. re. Clementis PP. VIII. Prædecessoris pariter nostri, super erectione & aggregatione hujusmodi Confraternitatum editæ, forma & dispositione, facultatem auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus & impertimur: ac salva semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Concessio, de qua in Rubrica.

§. 2. Decernentes, easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat & spectabit in futurum, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Nostræ & Cancellariæ Apostolicæ Regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis; necnon, quatenus opus sit, Ordinis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis.

Quibus

Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptis danda.

§. 4. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 12. Maji 1733. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

F. Card. Oliverius.

XCIII. Missionariis & Concionatoribus Ordinis Minorum Sancti Francisci, Capuccinorum nuncupat. indulgetur, ut Missionum & Concionum tempore Sacerdotibus tum Sæcularibus tum Regularibus peccata possint confiteri in locis, in quibus Ordinis Confessarii minime reperiuntur.

Dat. die 16. Maji 1733. Pont. An. III.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Causæ hujusce concessionis.

§. 1. EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Cherubini de Noves, Frater expresse professus, & Assistens Generalis Galliæ Ordinis Minorum Sancti Francisci, Capuccinorum nuncupatorum, quod ipse Fratribus Missionariis, Gallis, Sabaudis, Lotharingis, Scotis, Hibernis, & Anglis, sub Assistentia Generali hujusmodi comprehensis, qui in longinquis regionibus vineæ Domini allaborant, necnon Sacris Concionatoribus dicti Ordinis, qui verbum Dei populo tempore præsertim Adventus, Quadragesimæ, & intra octavas Festorum dierum annunciant in locis, ubi Religiosi Confessarii ejusdem Ordinis minime reperiuntur, peccata sua aliis Confessariis, legitime cæteroquin approbatis, confitendi potestatem fieri summopere desiderat; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsius Cherubini votis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere cupientes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequen. harum serie absolventes & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Fratribus Missionariis ac Concionatoribus prædictis, ab eorum Superioribus nunc & pro tempore deputatis, ut quibusvis Sacerdotibus tum Sæcularibus tum aliorum Ordinum Regularibus, ab Ordinariis locorum, ac aliàs legitime ad audiendas confessiones ejusmodi approbatis, in iis locis dumtaxat in quibus Confessarii Ordinis prædicti minime reperiuntur, sicut præmittitur, peccata sua confiteri libere & licite possint & valeant, quamcumque necessariam & opportunam facultatem ad decennium proximum tantum duraturam auctoritate Apostolica tenore præsentium tribuimus & impertimur.

Concessio.

§. 2. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis, quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Obstantium derogatio.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 16. Maji 1733. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

F. Card. Oliverius.

XCIV. Confirmatur Divisio Provinciæ Baren. Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia, in duas, atque Erectio novæ Provinciæ Licien.

Dat. die 28. Maji 1733. Pont. An. III.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

EX injuncto Nobis divinitus Apostolicæ servitutis munere illa, quæ a Superioribus Regularibus pro felici prosperoque Religiosorum Virorum regimine ac tranquillitate per novarum Provinciarum Institutionem provide facta & ordinata esse noscuntur, ut firma semper, atque inviolata persistant, Apostolici muniminis nostri præsidio, cum id a Nobis petitur, libenter constabilimus.

Baren. Provinciæ amplitudo.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Josephus Maria ab Ebora Commissarius Generalis pro Cismontana Familia Ordinis Minorum Sancti Francisci, de Observantia nuncupat., quod cum Provincia Baren., quæ Sancti Nicolai appellatur, ejusdem Ordinis, adeo ampla foret, ut ambitu ad quingenta, longitudine vero ad sexaginta circiter millia passuum pateret, & in duas Regiones Baren. scilicet 28. Conventus complectentem, ac Licien. respective nuncupatas duodecim Conventibus, ducentisque & ultra Fratribus constantem divideretur: Ipse Josephus Maria variis incommodis, quæ ex amplitudine Provinciæ, ac diversitate regionum hujusmodi oriebantur, decurrendi, perpetuamque pacem inter Fratres utriusque regionis præfatæ fovendi studio, reprius cum Visitatore Provinciæ, necnon Diffinitoribus Generalibus Ordinis prædictorum communicata, vigore specialis facultatis sibi ad id a Nobis attributæ supradictam Provinciam Baren. in duas divisit, atque ex memoratis duodecim Conventibus Regionis Licien. novam dicti Ordinis Provinciam Licien. nuncupandam cum omnibus privilegiis, præeminentiis, & honoribus, quibus cæteræ Provinciæ ipsius Ordinis fruuntur, erexit: reservatis Provinciæ Baren. tum antiqua denominatione, tum prærogativis, quibus eatenus gavisa fuerat, & aliàs, prout uberius continetur in ejusdem Josephi Mariæ patentibus literis desuper expeditis, tenoris, qui sequitur, videlicet:

Provinciarum divisio a Commissario Gener. facta.

§. 2. Cum Sanctissimus Dominus Noster Dominus CLEMENS divina Providentia Papa XII. pro sua in Ordinem nostrum benevolentia, & in nos propensione voluntatis, munus Apostolici Commissarii in hac Familia Cismontana Nobis mandaverit, adeoque inter cætera idem arbitrium ac potestatem contulerit, quæ penes Capitula & Congregationes Generales ipsius

Forma Literarum dicti Commissarii.

Ordinis

Ordinis summa est: nos hujusmodi potestate muniti, & in commune Familiæ bonum excubantes animo, ut Provinciarum, quæ nobis parent, quietem, otium, tranquillitatem ab omni molestia incolumem tueamur, omni ope contendimus. Cumque ad eam rem duo potissimum conferant, quorum alterum in usu Justitiæ distributivæ consistit, alterum in eo, ut qui Provinciis præfecti sunt, eas prompte ac celeriter obire, Cœnobia singula invisere, fratrum mores ac disciplinam cognoscere & confirmare possint. Nos propterea, quibus hæc curæ cordique sunt, ea ne in desuetudinem sensim abeant, cavere debemus. Sane Barensem nostram Provinciam Fratrum Minorum de Observantia, quæ Sancti Nicolai appellatur, ejusmodi incommodis laborare compertum est, ut in eadem longo temporis intervallo neque Justitia, quæ desiderabatur, distributiva servata sit, neque Ministri Provinciales eam commode obire potuerint, nec verò in præsentia possint. Ipsa siquidem cum latissime pateat, & tam ample per tractus terræ protrahatur, ut quingenta passuum millia circuitu, centum & sexaginta longitudine contineat; & insuper in Regiones duas divisa sit, altera, quæ Barensis vocatur, habetque Cœnobia viginti & octo: Licien sis altera, quæ Cœnobiis constat omnino duodecim, & Fratribus ultra ducentum; proinde fit, ut Barensium & Licensium nulla propemodum sit communio atque societas: Minister etenim Provincialis, ubi ex Barensibus assumitur, itineris longitudine prohibetur, hyeme præsertim, quominus, ubi necessitas postulet, ad Licensium Cœnobia Fratresque visendos se conferat, id quod maximo detrimento Provinciæ præfatæ consuevit esse; Cui malo utcumque occurrere Provincia ipsa cum vellet, jampridem supra hominum memoriam instituit, ut Ministri Provincialis auctoritate Commissarius delegaretur, qui Cœnobia Licentium gubernaret, si ex Barensibus Minister esset: vel Barensem Regionem procuraret, ubi Licienses haberent Ministrum; sed hac ratione cum non satis utique provisum sit, sæpe enim Fratrum dissidia hujus rei causa, magnique motus extiterunt, negantium videlicet parere se velle Præfectis duobus, quorum alter Ministri, alter Commissarii appellatione rem communem administraret; nos propterea hujusmodi incommodis occurrere, perpetuamque pacem inter nationem utramque fovere volentes, communicato etiam consilio cum ejusdem Provinciæ Visitatore & Patribus nostri Diffinitorii Generalis, secuti etiam exemplum Capituli Generalis Mediolanensis, quod iisdem de causis Lituaniæ Provinciam novissime instituit atque fundavit, in hanc sententiam adducti sumus, quam Sanctissimus Dominus Noster Clemens XII. dignatus est comprobare, ut Licensis Regionis ac Territorii Cœnobia duodecim in novam Provinciam erigeremus, ut re ipsa per hasce literas Apostolicæ auctoritatis munere utentes erigimus & constituimus cum omnibus privilegiis, prærogativis, & honoribus, quibus aliæ Provinciæ Ordinis nostri de jure vel consuetudine gaudere solent: reservato antiquæ Provinciæ Sancti Nicolai præcedentiæ honore aliisque prærogativis, quibus ad hæc usque tempora ornata est; Mandantes Provinciali Ministro hujus novæ Provinciæ, quam Licensem appellari volumus, ut in sigilli majoris usum effigiem S. Patris Antonii Patavini, minoris vero Patris Orontii Licensium Episcopi atque Patroni Imaginem adhibeat. Præcipimus etiam omnibus & singulis Fratribus tam Licensis quam Barensis Provinciarum in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, ut istiusmodi divisionem, novæque Provinciæ fundationem approbent, ratamque habeant; obnunciantes præterea, nos tanquam in rebellem ac pertinacem pœnarum severitate animadversuros, si quis nostræ huic voluntati atque sanctioni quovis modo interceserit.

Datum Romæ ex Ara-Cœlidie 28. Februarii 1733.

Loco ✠ Sigilli.

Fr. Josephus Maria ab Ebora Commissarius Generalis Ordinarius & Apostolicus.

De Mandato P. S. Reverendissimæ Fr. Vincentius Antonius de Capla Secretarius Generalis.

§. 3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Josephus Maria, præmissa, quò firmius subsistant ac serventur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret; Nos eumdem Josephum Mariam specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, divisionem Provinciæ Baren. in duas, atque erectionem novæ Provinciæ Licien. ab eodem Josepho Maria factas, sicut præmittitur, expeditasque desuper patentes ejus literas præinsertas cum omnibus in eis contentis auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus & approbamus, illisque perpetuæ ac inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; necnon omnes & singulos juris & facti defectus, si qui in præmissis quomodolibet intervenerunt, supplemus. Confirmatur dicta Divisio.

§. 4. Decernentes, easdem præsentes literas, semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & diffiniri debere; ac irritum & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Clausulæ.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, Provinciæ, & Conventuum prædictorum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis.

§. 6. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 28. Maji 1733. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

F. Card. Oliverius.

XCV.

Statutum circa Officia Generalia Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia, ut nulla imposterum necessaria sit temporis vacatio in ascensu ab inferiori ad superiorem Gradum; in decursu vero a superiori ad inferiorem, vel transitu ad æqualem, vacatio requiratur

ratur per tempus duorum Capitulorum Generalium, sive duodecim annorum.

Dat. die 29. Maji 1733. Pont. An. III.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Causa edendæ hujus Constitutionis.

§. 1. EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, quod in ultimo Capitulo Generali ejusdem Ordinis, Mediolani celebrato, inter alia totius Ordinis præfati consensu decretum fuit, Sanctæ Sedi supplicandum fore pro moderatione vacationis, quæ juxta Constitutiones Apostolicas intercedere deberet a minoribus ad majora Officia generalia dicti Ordinis assequenda.

§. 2. Quare ipse Minister Generalis, hujusmodi Decreto inhærens, opportune in præmissis a Nobis provideri, &, ut infra, indulgeri summopere desiderat. Nos eumdem Ministrum Generalem specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, auditoque prius voto Congregationis Generalis Ordinis prædicti; quòd in posterum in Gradibus sive Officiis Generalibus ejusdem Ordinis nulla temporis vacatio requiratur, & attendi debeat in ascensu ab inferiori ad superiorem gradum: in descensu vero a superiori ad inferiorem, vel transitu ad æqualem gradum, duplex vacatio, idest per tempus duorum Capitulorum generalium, sive duodecim annorum intercedere debeat, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus & declaramus.

Quod nulla requiratur vacatio ni ascensu.

Requiratur vero in descensu.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes, præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia plenissime & inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis; necnon, quatenus opus sit, Ordinis prædicti, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis.

§. 5. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 29. Maji 1733. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

F. Card. Oliverius.

XCVI. Indulgentia Plenaria perpetua pro Visitantibus Ecclesias Mónachorum & Monialium, tam hactenus erectas, quam imposterum quandocumque erigendas, Congregationis Sancti Benedicti, in Festo Sancti Silvestri Abbatis dictæ Congregationis Institutoris.

Dat. die 9. Junii 1733. Pont. An. III.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

COelestium munerum thesauros, quorum dispensationem fidei nostræ credidit divina dignatio, libenter erogamus, cum ad fovendam, excitandamque fidelium devotionem salubriter expedire in Domino arbitramur.

Indulgentia de qua in Rubrica.

§. 1. Supplicationibus itaque dilecti filii Benedicti Biancini, Procuratoris Generalis Monachorum Ordinis S. Benedicti Congregationis Silvestrinorum nuncupatorum, nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, omnibus & singulis utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis Monasteriorum tam Monachorum quam Monialium ejusdem Congregationis tam hactenus erectorum, quam imposterum quandocumque erigendorum, & ubique locorum existentium, die Festo Sancti Silvestri Abbatis, dictæ Congregationis Institutoris, a primis vesperis usque ad occasum Solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam & remissionem misericorditer in Domino concedimus: Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Fides Transumptorum.

§. 2. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 9. Junii 1733. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

F. Card. Oliverius.

XCVII. Confirmatio Sententiæ Ministri Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia circa dubia quoad numerum Vocalium Diffinitorii Provinciæ Lugdunen. Congregationis Gallicanæ Fratrum Tertii Ordinis Sancti Francisci de Pœnitentia: cum reintegratione ejusdem Diffinitorii ad numerum septem Vocalium, aliisque ordinationibus pro facienda subrogatione aliorum Religiosorum in eventu, quo deficiat aliquis ex septem Vocalibus hujusmodi.

Dat. die 22. Junii 1733. Pont. An. III.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Ministri Provincialis Lugdunen. petitio; cum rei expositione.

§. 1. EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Vincentius Delphinas Minister Provincialis Provinciæ Lugdunen. Congregationis Gallicanæ Fratrum Tertii Ordinis Sancti Francisci de Pœnitentia nuncupatorum, quod intra tempus

effluxum a postremo Capitulo Provinciali dictæ Provinciæ, mense Majo anni proxime elapsi celebrato, duplex ortum est dubium circa intelligentiam statutorum generalium ejusdem Ordinis respiciens præcipue numerum Vocalium, qui juxta statuta hujusmodi in Diffinitorio Provinciali Provinciæ præfatæ sunt cooptandi. Cum enim statuta præfata disponant Definitorium Provinciale componendum esse actuali Ministro Provinciali, Custodibus, Diffinitoribus, Provincialibus quatuor, ac ultimo Ministro Provinciali absoluto; quorum Vocalium numerus, ne unquam deficiat tam multiplex extra Capitula Provincialia subrogandi modus, per eadem statuta ac diversas literas Apostolicas desuper emanatas decretus est, ut eveniente etiam alicujus dictorum Vocalium obitu, nullatenus deesse possit in Provincia prædicta Religiosus capax istiusmodi subrogationis; His tamen non obstan. defuncto nupero Ex-ministro Provinciali ipsius Provinciæ, qui proculdubio jure, atque sub titulo ultimi absoluti Ministri Provincialis, voce activa in hodierno Diffinitorio potitus fuisset, nullus alius Ex-minister Provincialis subrogatus fuit, qui defuncti locum in eodem Diffinitorio teneret; ac insuper licet Custos, qui est Vocalis natus pro Capitulo Generali per statuta supradictæ Congregationis Gallicanæ clare permissus, videretur creari debere sub titulo ac juribus propriis Custodis, & per electionem diversam ab electione, & personis Diffinitorum, sicuti ordinationes præfatæ Congregationis Gallicanæ innuunt; attamen major pars dicti postremi Capituli Provincialis censuit, ipsum Custodem cum Diffinitoribus promiscue confundendum, & solo Deputati nomine ab iis distinguendum esse, contra usum a pluribus annis vigentem in altera Provincia Sancti Elzearii ejusdem Congregationis Gallicanæ, in qua Custos distinctim a quatuor Diffinitoribus deligitur; & quia Diffinitorium ipsius Provinciæ Lugdunen. duobus Vocalibus, nempe Ex-Ministro Provinciali, & Custode distincto a quatuor Diffinitoribus contra jus exinde privari credebatur, illudque tribus dumtaxat Diffinitoribus contra dispositionem dictorum statutorum constabat, si Custos quatuor Diffinitoribus adnumerandus erat, idem Vincentius horum dubiorum solvendorum causa ad dilectum filium Ministrum Generalem Ordinis Fratrum Minorum ipsius Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum ad præscriptum Constitutionum dicti Ordinis occurrente occasione alicujus dubitationis recursum habuit, qui respondit ad primum, Quod moriente ultimo Ex-Ministro Provinciali subrogari debeat alter, qui antea fuerit immediate Minister itidem Provincialis, habeatque votum consultivum, decisivum, atque electivum in omnibus congressibus Diffinitorii: & si aliquis e quatuor Diffinitoribus decedat, subrogetur unus pariter ex-Ministrorum Provincialium, quatenus jam non habeat vocem in Diffinitorio; & si habeat, vel desint Patres hujusmodi, tunc subrogetur antiquior ex Diffinitoribus habitualibus; atque si eatenus nulla facta fuerit subrogatio, imposterum hoc modo facienda & observanda esset: Ad secundum vero, quod quamvis liberum sit eligere vel non eligere Custodem, conveniat tamen eum deinceps eligi distinctum a quatuor Diffinitoribus; isque juribus & privilegiis, cæteris Custodibus concedi solitis, frui debeat, votum habens in congressibus Provincialibus, & in Capitulo Generali, ut Vocalis admissibilis sit cum Ministro Provinciali, & non unus ex quatuor Diffinitoribus, qui locum Custodis tenere possit, quemadmodum deliberatum fuerat.

Ministri Generalis Sententia.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, ipse Vincentius plurimum cupiat, enarratam Ministri Generalis Sententiam, pro firmiori illius subsistentia & exactiori observantia, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri, & opportune in præmissis, ut infra, a Nobis provideri; Nos dictum Vincentium specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus, illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, de venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præpositorum, qui relationem dilecti etiam filii Procuratoris Generalis secundodicti Ordinis sibi super præmissis factam attenderunt, consilio, præfatam Ministri Generalis Sententiam super duplici Dubio hujusmodi auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus & confirmamus; illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis, ac interpretationis prædictorum statutorum vim & efficaciam injungimus; necnon Diffinitorium Provinciale ejusdem Provinciæ Lugdunen. ad septenarium numerum Vocalium, ei, sicut præmittitur, convenientem, harum serie restituimus & reintegramus. Præterea auctoritate & tenore prætatis volumus & statuimus, ut defuncto ultimo Ministro Provinciali in dicta Provincia Lugdunen. ex tunc & usque ad proximum futurum Capitulum Provinciale inclusive subrogatus censeatur sub titulo & juribus Ex-Ministri Provincialis is, qui immediate ante defunctum, ab Officio Provincialatus absolutus, & extra Diffinitorium Provinciale reperitur; quo vero ad Custodem præfatum, servata imposterum in electione eorum, qui ad Capitulum generale deputandi erunt, dicti Ministri Generalis sententia, deputatio facta a postremo Capitulo Provinciali vim habeat pro hac vice tantum in iis, quæ eidem sententiæ non adversantur; Ita quod sic deputatus, aut in ejus locum subrogatus, in sua deputatione vel subrogatione valide, sed cum titulo Custodis, & saltem juribus Definitorum usque ad proximum Capitulum Provinciale permaneat; utque numerus quatuor Diffinitorum, a Custode distinctorum, ex nunc usque ad dictum proximum Capitulum Provinciale inclusive compleatur, adjungatur pro hac vice quartus Diffinitor tribus aliis jam ab ipso postremo Capitulo Provinciali electis præter eumdem Custodem, sive Deputatum secundum leges subrogationis per literas Apostolicas in suo vigore persistentes in casu obitus Definitorum præscriptas, perinde acsi quartus Definitor ad Capitulum Generale deputatus decessisset.

Confirmatione Apostolica robboratur.

§. 3. Decernentes, easdem præsentes literas semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; & ab illis, ad quos spectat & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia inconcusse observari, illisque respective plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Harum Literarum firmitas.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis, & Provinciæ Lugdunen. hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis

Obstantium derogatio.

ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis.

§. 5. Quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 22. Junii 1733. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

F. Card. Oliverius.

XCVIII. Lis omnis inter Clericos Regulares Societatis Jeſu, & Pauperes Matris Dei, a Scholis Piis denominatos, de gravioribus ſcientiis Vilnæ ab utriſque publice tradendis oborta, ad Sedem Apoſtolicam avocatur, & extinguitur, ac alia hac de re a Sanctiſſimo Domino Noſtro edita Conſtitutio confirmatur.

Conſtitutionem hic laudatam, qua Pauperibus Matris Dei Scholarum Piarum facultas aſſeritur graviores tradendi ſcientias, legere eſt ſuperius num. XXXI. pag. 144.

Dat. die 30. Junii 1733. Pont. An. III.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Summi Pontificis eſt lites inter ordines religioſos dirimere.

POntificalis officii noſtri eſſe debet, lites, & invidioſas contentiones inter quoſcumque ſupremæ curæ noſtræ ſubjectos, ac præſertim Ordines religioſos interdum obortas, dirimere, ut chariſmata meliora æmulantes, unà omnes in Vinea Domini laborare ſatagant, ac proximorum ſaluti, rectæque inſtitutioni laudabilem, & Dominica mercede dignam, operam dare non ceſſent.

Inter Clericos regulares Societatis Jeſu, & Pauperes Matris Dei a Scholis piis denominatos de tradendis publice ſcientiis contentio Vilnæ oborta.

§. 1. Quum itaque, ſicut accepimus, poſtquam Anno Domini MDCCXXIII. ſeu alio veriori tempore, Congregatio dilectorum filiorum Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei, qui a Scholis Piis denominatur, in Vilnenſem Civitatem canonice introducta fuiſſet, a dilectis quoque filiis Clericis Regularibus Societatis Jeſu, qui Univerſitatis ſtudii generalis ſeu publicæ Academiæ Vilnenſis curam gerunt, non licere ibi cuiquam extra eamdem Univerſitatem ſive Academiam eminentiores diſciplinas & ſcientias adoleſcentibus tradere, propterea non poſſe jam dictos Clericos Regulares publicas ſcholas ibidem aperire, prætenſum fuerit; hujuſmodi prætenſionibus in Congregationem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cadinalium, negotiis & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſitorum, e quorum numero Nos ipſi tunc eramus, ab utraque parte deductis, eadem Congregatio Cardinalium die vigeſima ſeptima menſis Martii Anni Domini MDCCXXVII. referente dilecto filio noſtro Nicolao Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbytero Cardinale, Spinula nuncupato, decreverit primodictis Clericis Regularibus licere aperire ſcholas juxta modum dumtaxat, ſcilicet inferiores, pro pueris pauperibus, gratis & ſine ullo ſtipendio imbuendis in primis elementis, grammatica, computo, & præcipue in bonis moribus, & fidei catholicæ rudimentis, ad formam literarum Apoſtolicarum fel. record. Pauli Papæ V. Prædeceſſoris Noſtri, quæ incipiunt: *An ea, interdicta quæſtuatione, & amplius cauſam non debere proponi* cenſuerit, & piæ memoriæ Benedictus Papa XIII. etiam Prædeceſſor Noſter decretum prædictum per ſuas literas Apoſtolicas ſub annulo Piſcatoris in forma Brevis die decima ſeptima menſis Martii inſequentis Anni MDCCXXVIII. expeditas, Apoſtolica auctoritate confirmaverit atque adprobaverit, prout in decreto ac literis ejuſdem Benedicti plenius & uberius continetur.

Particulari Card. Congreg. examinanda committitur.

§. 2. Deinde vero Nobis, divina favente Clementia, ad Beati Petri Sedem evectis, cum innotuiſſet, varias, interque ſe diſcrepantes ſententias ac voces percrebuiſſe de proprio officio, præcipuoque inſtituto primodictorum Clericorum Regularium, ſuper modo & ratione inſtituendi adoleſcentes, eorum curæ commiſſos, eoſdemque in ſcholas recipiendi, deque Statutis a piæ record. Gregorio Papa XV. etiam Prædeceſſore Noſtro, confirmatis & approbatis, ac de complurium aliorum Romanorum Pontificum tam ſub plumbo quam ſub Annulo Piſcatoris, in dicta forma Brevis, pro dictis Clericis Regularibus Pauperibus Matris Dei, editis literis Apoſtolicis, & præcipue eorumdem Pauli, Gregorii, & Urbani VIII. Alexandri VII. Clementis IX. & Clementis X. etiam Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum; Nos quaſcumque controverſias & diſſenſiones, ex ſtatutorum & literarum Apoſtolicarum hujuſmodi vario ſenſu ortas, & tunc fortaſſe orituras, pro noſtri Apoſtolatus munere de medio tollere volentes, particulari Congregationi Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, videlicet bonæ memoriæ Proſperi Marefuſchii, eorumdem primodictorum Clericorum Regularium Matris Dei Protectoris, Leandri de Portia, ac Petri Aloyſii Carafæ, ad rem maturo conſilio examinandam, tunc per Nos Apoſtolica auctoritate prædicta inſtitutæ, & præviis facultatibus neceſſariis inſtructæ, commiſerimus & mandaverimus, ut de omnibus & ſingulis tam in forma Brevis, quam ſub plumbo, ut præfertur, expeditis, primodictoſque Clericos Regulares reſpicientibus, Apoſtolicis literis ac ſtatutis prædictis mature perpenſis, in ſubſequentia capita ſedulo inquirerent.

Puncta examini tradita.

Primo nimirum, An prædictis Clericis Regularibus Pauperibus Matris Dei in ſuis publicis ſcholis, præter ſcribendi, legendi & computandi regulas, atque etiam grammaticen., ſcientias majores tradere liceret.

Secundo, An ipſi ad eaſdem ſuas ſcholas pueros etiam Divites, Nobileſque admittere poſſent.

Tertio, An in ſuam curam & regimen juvenum Collegia, Seminaria, & Convictus habere itidem poſſent.

Quarto quæſitum eſt, An privilegium Apoſtolicum eis foret concedendum, ut regulares domos ſine aliorum Regularium conſenſu, condere poſſent, ubi tamen eis pro numero a Conſtitutionibus Apoſtolicis præfixo Religioſis alendis ſufficientes reditus citra mendicandi & quæſtuandi neceſſitatem aliàs ſupperterent: quumque Congregatio particularis, prædicta die XIII. menſis Aprilis Anni Domini MDCCXXXI. habita, præmiſſis omnibus, quemadmodum præceperamus, diligenter inſpectis & ponderatis, nemine diſcrepante, in hanc reſolutionem uno ore devenerit, ſcilicet:

Reſponſiones.

Ad primum, Clericos Regulares Pauperes Matris Dei, qui a Scholis Piis denominantur, teneri prima rudimenta Catholicæ Fidei, grammaticæ & computorum regulas tradere adoleſcentulis ad formam Conſtitutionum Ordinis ſui: licere etiam eiſdem Scientias Majores in ſuis publicis Scholis tradere, dummodo tamen apud eos Conſtitutiones Ordinis quoad ſcholas minores ſerventur.

Ad secundum, eosdem Clericos Regulares teneri admittere pueros pauperes; & licere eis admittere pueros Divites, & Nobiles.

Ad tertium, posse ad formam Capitulorum Generalium.

Ad quartum, pro gratia privilegii eis concedendi responsum fuit; ad formam scilicet Indulti fel. record. Prædecessoris Nostri Clementis Papæ IX. Fratribus Excalceatis Ordinis Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo, concessi die sexta Octobris Anni MDCLXVIII.

§. 3. Relataque Nobis insequenti die per Venerabilem Fratrem Archiepiscopum Nazianzenum, Auditorem nostrum, quem Nos eidem Congregationi particulari Secretarium assignaveramus, resolutione hujusmodi, quascumque contentiones, discordias, & lites, si quæ forsan quomodolibet ubivis locorum super hujusmodi statutorum & literarum Apostolicarum interpretatione & vero sensu contra primodictos Clericos Regulares exortæ, & coram quibusvis Judicibus introductæ, & indecisæ pendere repertæ fuissent, aut imposterum oriri unquam potuissent, ad Nos & Sedem Apostolicam avocantes, ac penitus supprimentes & extinguentes, ac super eis perpetuum silentium imponentes, Motu proprio & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine nostris, resolutionem seu decretum superius expressum & enunciatum, ut deinceps semper & perpetuo vigeret, & ubique locorum a primodictis Clericis Regularibus, illorumque Præposito & Procuratore Generalibus, cæterisque Superioribus & personis quibuscumque observaretur, dicta Apostolica auctoritate perpetuo confirmaverimus & approbaverimus; & ne imposterum quisquam ubivis locorum & gentium contra præmissa novas controversias & dissensiones excitare, primodictisque Clericis Regularibus de his molestiam aliquam inferre auderet, quæ a dicta Congregatione particulari explicata & resoluta fuerant, & a Nobis adprobata, dictaque resolutione seu decreto continebantur, statutorum & literarum Apostolicarum tam sub plumbo quam in forma Brevis hujusmodi, esse verum, germanum, sincerum & indubium sensum; idque omne a quibuscumque etiam speciali nota dignis, & vigore Constitutionum Apostolicarum, nostrarumque & Cancellariæ Apostolicæ regularum, specialiter & individue exprimendis, etiam dictæ S. R. E. Cardinalibus, locorum Ordinariis, ac quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium & Militarium, necnon etiam Congregationum quarumcumque aliorum Clericorum Regularium, etiam Societatis Jesu, & cujusvis alterius regularis Instituti personis Regularibus omnino servandum esse: neque eisdem statutis & literis Apostolicis superius expressis ullam aliam interpretationem tribui posse, neque primodictis Clericis Regularibus ex suis statutis, literisque Apostolicis, iisdem concessis, præsertim dicti Pauli V. Prædecessoris, Scientias Majores profiteri unquam interdictum & vetitum fuisse; immo etiam in suis publicis Scholis easdem Scientias Majores adolescentibus cujuscumque ordinis & conditionis tradere & prælegere licuisse & licere, Apostolica auctoritate prædicta decrevimus & declaravimus, prout in nostris desuper sub datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ MDCCXXXI. Kal. Maji Pontificatus Nostri Anno Primo vulgatis, incipientibus: *Nobis, quibus*, literis, etiam plenius & uberius continetur.

Sententia a S. S. confirmata.

Ac edita Constitutio.

§. 4. Et licet primodicti Clerici Regulares, quibuscumque dissensionibus & controversiis per Nos, ut præfertur, de medio sublatis & suppressis, Scientias Majores adolescentibus cujusvis conditionis & ordinis ubique locorum publice & libere tradere posse sperarent; nihilominus ob prætensum extraordinarium ab Universitate seu Academia Vilnensi prædicta recessum (ut asserebatur) plurium adolescentium, liberalibus disciplinis & scientiis operam navantium: illorumque ad Scholas Pias, per primodictos Clericos Regulares in prædicta Civitate Vilnensi apertas & exercitas, accessum, pro parte Clericorum Regularium Societatis Jesu dictæ Civitatis Vilnensis, prætendentium, dictas nostras literas eamdem Civitatem Vilnensem minime comprehendere; & decretum, per Benedictum Prædecessorem jam memoratum, ut præfertur, confirmatum & adprobatum, quasi per easdem nostras literas minime abrogatum, adhuc viribus subsistere, ac Universitati seu Academiæ prædictæ, privative quoad alios quoscumque, graviores scientias tradere competere, is & causa in partibus coram dilecto quoque filio & Sedis prædictæ Nuncio nostro, apud Illustrem Poloniæ Regem commorante inter dictos Clericos Regulares Societatis Jesu ex una, & primodictos Clericos Regulares ex altera partibus, super observatione memorati decreti introducta extitit: ac dictus Nuncius noster provide considerans, instantiam dictorum Clericorum Regularium Societatis Jesu adversus dictas nostras literas, motu, scientia & potestatis plenitudine prædictis, ut præfertur, expeditas, esse promotam; ideoque super ea animum nostrum requirere existimavit; Nosque super hac re mature procedere volentes, eamdem Congregationem particularem, videlicet Leandri & Petri Aloysii Cardinalium, & dilecti filii nostri Joannis Antonii dictæ S. R. E. Presbyteri Cardinalis Guadagni, primodictorum Clericorum Regularium Protectoris, in prædicti Prosperi Cardinalis defuncti locum suffecti, adsignato ei etiam dicto Nazianzeno Archiepiscopo in Secretarium, iterum instituimus; illique Clericorum Regularium Societatis Jesu Civitatis Vilnensis, & Universitatis seu Academiæ hujusmodi privilegia, ac primodictum decretum, literasque Benedicti Prædecessoris pro ejus confirmatione, ut præfertur, editas hujusmodi, necnon rationes per eosdem Clericos Regulares Societatis Jesu in scriptis allatas, examinandi præcipuam curam commisimus. Et dicta Congregatio particularis die IX. mensis Septembris anni proxime præteriti MDCCXXXII. auditis primodictis Clericis Regularibus, qui a Scholis Piis denominantur, ac mature rimata scriptura legali Universitatis seu Academiæ Vilnensis Clericorum Regularium Societatis Jesu, a prædicto Nuncio nostro transmissa, ac dilecto filio Procuratore Generali dictorum Clericorum Regularium Societatis Jesu requisito, consulendum esse Nobis, quod scriberetur per literas Secretariæ nostræ Status eidem Nuncio nostro, decretum prædictum dicto Anno MDCCXXVII. in causa Vilnensi aperitionis Domus & Scholarum Piarum emanatum, ac literas Apostolicas dicti Benedicti Prædecessoris super ejus confirmatione in forma Brevis, ut præfertur, expeditas, Non obstare primodictis Clericis Regularibus ad effectum aperiendi in Civitate Vilnensi Scholas Publicas, etiam Scientiarum Majorum, attenta Constitutione ac declaratione nostris prædictis sub die 1. Maji anno MDCCXXXI. emanatis, ad formam tamen ejusdem constitutionis: Neque constare de prætensa privativa Universitatis seu Academiæ Vilnensis quoad scientias Philosophicas & Theologicas, etiam morales, aliasque etiam inferiores, censuit: Factaque deinde per dictum Archiepiscopum eadem die IX. Septembris de hac ultima resolutione, seu decreto prædictæ Congregationis particularis, Nobis relatione, illi benigne annuimus, atque ultimodi-

Hinc Romam translata.

Congreg. Particularis Decretum:

Causa ad Nuncium Apostol. delata;

Quod a Sanctissimo D. N. fuit confirmatum:

Ac Nuncio Apostolico transmissum:

ctam resolutionem seu decretum pro ejus adimplemento, prædicto Nuncio nostro transmitti mandavimus: dictusque Nuncius noster ultimo dictæ resolutioni seu decreto sibi transmisso, ut par erat, inhærens, illud non solum voce palam fecit, sed etiam scriptis prolata formali sententia, cujus tenor est: *Christi nomine invocato, pro Tribunali sedentes, & solum Deum præ oculis habentes, per hanc nostram definitivam sententiam, quam in his scriptis ferimus in causa & causis, quæ primo & in prima coram nobis, seu alia veriori versæ fuerunt & verruntur, instantia, inter Rev. P. Sebastianum a Sancto Stanislao, Procuratorem Generalem Causarum Clericorum Regularium Matris Dei Scholarum Piarum Provinciæ Poloniæ & Lithuaniæ, nomine, de quo in Actis, actorem ex una: & Rev. P. Paulum Stryleuski, Procuratorem Generalem Causarum Provinciæ Lithuaniæ Societatis Jesu, nomine pariter, de quo in Actis, reum conventum ex altera, partibus, de & super observatione & executione Constitutionis Sanctissimi Domini Nostri CLEMENTIS Papæ XII. sub datum Kalendis Maji* 1731. *editæ favore Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei, qui a Scholis Piis denominantur, rebusque aliis, in actis causæ & causarum hujusmodi, ad quæ &c. dicimus, declaramus, & definitive sententiamus, suprascriptam Constitutionem Sanctissimi Domini Nostri Papæ ad literam, & prout sonat, fore, & esse exequendam, & in omnibus & per omnia observandam, prout per præsentes exequi & observari volumus & mandamus; signanter declarantes in casu, licuisse Clericis Regularibus Pauperibus Matris Dei, a Scholis Piis denominatis, Domus Vilnensis Publicas Scholas aperire, ac etiam licere Scientias Majores in prædictis suis Scholis publicis tradere, & in easdem pueros Nobiles & Divites admittere; & pro præmissorum effectu mandatum de exequendo, & aliud quodcumque, desuper necessarium & opportunum, decernimus & relaxamus, ac exequi volumus & mandamus &c. Ita pronunciavi Ego C. Archiepiscopus Iconiensis, Nuncius Apostolicus, lata, lecta, & publicata &c. Stephanus Skarbyraski Vicecancellarius.* Insuper dicti Clerici Regulares Societatis Jesu præmissis minime acquiescentes, a Nuncio nostro ejusque sententia appellationem, quæ ab eodem Nuncio, prout juris erat, rejecta fuit, ad Nos, & Apostolicam Sedem interposuerunt.

Ab eo autem publicatum:

Mox appellatum ad Sedem Apostolicam.

§. 5. Nos igitur, qui quascumque contentiones & dissidia a religiosis Familiis amovere studemus, eorumdem Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei, præcipue circa illorum Pias Scholas, in Civitate Vilnensi existentes, tranquillitati & quieti, quantum cum Domino possumus, consulere cupientes, eosque & eorum singulos specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes & absolutos fore censentes, ac litis & causæ prædictarum inter utrosque Clericos Regulares, olim, ut præfertur, pendentium, status & merita, & decreti dictæ Congregationis prædictorum Condinalium, negotiis Episcoporum & Regularium præpositorum, ut præfertur, emanati, ac literarum Apostolicarum dicti Benedicti Prædecessoris pro illius confirmatione editarum, & unius ac alterius Congregationis particularis prædictæ resolutionum seu decretorum, ac nostrarum per Nos, ut præfertur, editarum, ac Pauli, Gregorii, Urbani, Alexandri, & utriusque Clementis Prædecessorum prædictorum, primodictos Clericos Regulares quomodolibet respicientium, literarum Apostolicarum, ac statutorum hujusmodi, & quorumcumque in Capitulis Generalibus primodictorum Clericorum Regularium conditorum decretorum, omnium & singulorum tenores, etiam veriores, ac datas, præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes: necnon litem & causam hujusmodi per dictos Clericos Regulares Societatis Jesu contra primodictos Clericos Regulares, in Civitate Vilnensi commorantes, ut præfertur, introductas, quatenus opus sit, ad Nos & Sedem prædictam avocantes, illasque, & appellationem per eosdem Clericos Regulares Societatis Jesu, ut præfertur, interpositam, penitus & omnino exstinguentes & supprimentes, ac super eis perpetuum silentium imponentes, motu proprio, & ex certa scientia, ac deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine decretum Congregationis eorumdem Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præpositorum, ut præfertur, editum: & literas Apostolicas ejusdem Benedicti Prædecessoris super decreti hujusmodi confirmatione in forma Brevis confectas, itaut illa imposterum per dictos Clericos Regulares Societatis Jesu in quodcumque judicium, vel extra illud, nunquam deduci possint, dicta Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò revocamus, rescindimus & abrogamus. Et ultimodictam resolutionem seu decretum per Congregationem particularem, ut præfertur, emanatum, & sententiam deinde per eumdem Nuncium nostrum favore primodictorum Clericorum Regularium latam, auctoritate nostra perpetuò confirmamus & approbamus; illisque perpetuæ & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, omnesque & singulos tam juris, quam facti, & solemnitatum, ac quoscumque alios quantumvis substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, in iisdem supplemus.

Summus Pontifex hujusmodi lites ad se avocatas prorsus extinguit.

Ac priorem suam Constitutionem pro Clericis Regularibus Pauperibus Matris Dei undequaque confirmat.

§. 6. Ac de prætensa facultate Universitatis seu Academiæ Vilnensis publice docendi scientias majores privative quoad alios, minime constitisse, minimeque constare, & vigore dictarum literarum nostrarum: *Nobis, quibus* incipientium, primodictos Clericos Regulares, etiam in Civitate Vilnensi Scholas Publicas retinere: inibique Scientias etiam Majores adolescentibus cujusvis conditionis & ordinis tradere: ac etiam Collegia, Seminaria, & Convictus in suam curam & regimen recipere, Apostolica auctoritate perpetuo statuimus & declaramus. Insuper eadem auctoritate, dictam nostram Constitutionem in reliquis ibidem expressis firmam, salvam, & illæsam existere, & censeri debere, quoad omnia & singula, in ea in favorem dictorum Clericorum Pauperum Matris Dei contenta, confirmamus, & Vilnæ, ac ubique locorum inviolabiliter observari mandamus: dictamque resolutionem & decretum Congregationis particularis, & memorati Nuncii nostri sententiam, ac prædictas nostras, præsentesque Literas, & in eis contenta & expressa quæcumque, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ, etiam ex eo, quod causæ, propter quas præmissa emanarunt, coram Nobis vel alibi adductæ, verificatæ & justificatæ, ac dicti Clerici Regulares Societatis Jesu civitatis Vilnensis, ac Universitatis seu Academiæ prædictæ Rectores seu Conservatores ac Administratores & quicumque alii, in præmissis & circa ea jus vel interesse habentes, aut habere prætendentes, ad id vocati & auditi non fuerint, & consensum suum eisdem præmissis non præstiterint: aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno & substantiali, sive etiam ex eo, quod in eis solemnitates, ac quævis alia servanda & adimplenda, servata & adimpleta non fuerint,

aut

aut ex quocumque alio capite, etiam in corpore Juris clauſo, & quovis alio prætextu vel cauſa, etiam quantumvis legitima, juſta & privilegiata, ac publicum & commune bonum reſpiciente, quæque ad effectum validitatis præmiſſorum exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus vel controverſiam vocari, ad viam & terminos juris reduci, aut adverſus illas quodcumque juris vel facti aut gratiæ remedium, aut oris aperitionem impetrari; neque illas ſub quibuſvis ſimilium vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus comprehendi; ſed ſemper ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas & plenarie reintegratas, ac de novo etiam ſub quacumque poſteriori data per primodictos Clericos Regulares, a Scholis Piis denominatos, nunc & pro tempore exiſtentes, quandocumque eligenda, conceſſas: illaſque validas & efficaces fore & eſſe, ſuoſque plenarios & integros effectus in omnibus & per omnia ſortiri & obtinere, ac primodictis Clericis, nunc & pro tempore exiſtentibus, in omnibus & per omnia pleniſſime ſuffragari; ſicque, & non aliàs, per quoſcumque Judices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam Cauſarum Palatii Noſtri Apoſtolici Auditores, & dictæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, dictæque Sedis apud dictum pro tempore exiſtentem illuſtrem Poloniæ Regem commorantes, alioſque Nuncios, & quoſlibet alios, quavis auctoritate, poteſtate, prærogativa, honore & privilegio fungentes, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, definiendi, & interpretandi facultate & auctoritate, judicari, definiri & interpretari debere; & quidquid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus.

Obſtantibus derogat.

§. 7. Non obſtantibus iis omnibus, quæ Nos in eiſdem noſtris literis voluimus non obſtare, ac Noſtra & Cancellariæ prædictæ Regula de jure quæſito non tollendo, ac Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, dictorumque Clericorum Regularium Societatis Jeſu, ac Univerſitatis ſeu Academiæ prædictæ, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, de quibus omnibus, etiamſi ſpecialis, ſpecifica, expreſſa ac individua mentio habenda eſſet, dictis Clericis Regularibus Societatis Jeſu, ac Univerſitati ſeu Academiæ hujuſmodi, illiuſque Rectoribus ſeu Conſervatoribus ac Adminiſtratoribus prædictis, aliiſque Superioribus & perſonis quibuſcumque aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis.

Clauſula derogatoria.

§. 8. Quibus omnibus & ſingulis, quamvis pro eorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, aut quævis expreſſio facienda, ſive aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda eſſet, illorum tenores his noſtris pro plene & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter & expreſſe motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine, ad præmiſſorum effectum dumtaxat, pleniſſime derogamus, & derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Fides Tranſumptorum.

§. 9. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſive exemplis, etiam typis impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ, vel dictorum Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei, qui a Scholis Piis denominantur, Præpoſiti Generalis munitis eadem prorſus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ iiſdem præſentibus, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ, adhiberetur.

§. 10. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam noſtræ abſolutionis, revocationis, reſciſſionis, abrogationis, approbationis, confirmationis, roboris, adjectionis, defectuum ſuppletionis, ſtatuti, decreti, declarationis, derogationis, & voluntatis, infringere, vel ei auſu temerario contraire; ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo tertio, pridie Kalendas Julii, Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

A. Card. Pro-Datarius.

F. Card. Oliverius.

V I S A

De Curia J. Archiepiſcopus Ancyranus.

Loco ✠ Plumbi.

D. Stivanus.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Fratres Congregationis de Carbonara Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini poſt ſtudiorum curſum completum, & Theologiæ lecturam, quinquennio peracto, habiles declarantur ad officia Aſſiſtentium, & Procuratoris Generalium. XCIX.

CLEMENS PAPA XII.

Dat. die 4. Julii 1733. Pont. An. III.

Ad futuram rei memoriam.

Qui ad majora Ordinis hujus officia vi Conſtit. Apoſtol. promovendi.

§. 1. EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Nicolaus Antonius Schiaffinati Prior Generalis Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini, quod per quaſdam fel. record. Clementis PP. VIII. Prædeceſſoris Noſtri deſuper in ſimili forma Brevis expeditas literas, & per alias ſimiles a piæ mem. Paulo PP. V. pariter Prædeceſſore Noſtro confirmatas, expreſſe cavetur, ut ad Aſſiſtentium Generalium ejuſdem Ordinis officium, niſi illi, qui in quadrageſimo ſaltem ſuæ ætatis anno conſtituti, & Magiſterii in Sacra Theologia gradu decorati ſint, aſſumantur; unde exiſtimatur, a conſecutione ejuſdem officii Aſſiſtentis, & alterius Procuratoris Generalis Ordinis hujuſmodi, Congregationem S. Joannis de Carbonaria dicti Ordinis, ubi dictus Nicolaus Antonius Prior Generalis viginti quinque annorum ſpatio commoratus fuit, excluſum remanere poſſe; eo quia in memorata Congregatione, tametſi in ea Religioſi perdigni, aliiſque requiſitis pro ejuſmodi gradu obtinendo prædicti reperiantur, eis tamen Magiſterii gradus conferri non conſuevit.

§. 2. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, laurea Magiſtralis juxta ſtatuta ipſius Congregationis, auctoritate Apoſtolica confirmata, non ob meritorum deficientiam iis Religioſis minime permittatur, idem Nicolaus Antonius Prior Generalis, quo prædictæ Congregationis Religioſi validius ad ſtudia incitentur, animumque intendant, ac in perfecta vita communi vivere; necnon ad hujuſmodi Officia elati, præſtanti eorum vitæ exemplo ac ſcientia prædicto Ordini prodeſſe poſſint, opportune in præ-

missis a Nobis provideri, &, ut infra, indulgeri summopere desiderat; Nos ipsius Nicolai Antonii Prioris Generalis votis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutum fore censentes, supplicationibus, ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, illos Religiosos memoratæ Congregationis S. Joannis de Carbonaria, qui studiorum cursum ad formam illius Constitutionum compleverint, & quinquennii spatio Sacræ Theologiæ lecturam uti regentes in Monasterio prædicti S. Joannis peregerint, ad ejusmodi Assistentis Generalis, & Procuratoris Generalis officia, excluso quocumque alio, qui inibi Regentis munus non exercuisset, dicta auctoritate tenore præsentium habilitamus, ac habiles & capaces facimus & declaramus.

Declaratio, de qua in Rubrica.

§. 3. Decernentes, easdem præsentes literas semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia pleniſſime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Præsentium Literarum observantia.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac prædictis Clementis & Pauli Prædecessorum literis, aliisque Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon eorumdem Ordinis & Congregationis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Obstantium derogatio.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 4. Julii 1733. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

F. Card. Oliverius.

C.

Confirmatur Decretum Sac. Congregationis de Propaganda Fide, quo Conventus in Provincia Sancti Francisci de Pacheca in Mexico Ordinis Fratrum Minorum ejusdem Sancti Francisci Discalceatorum deputatur pro Seminario Missionum in Montibus de Cimapan.

Benedictus XIII. anno 1727. Constit. dat. die 3. Aprilis confirmavit Decretum Congregationis Episcoporum & Regularium super Erectione Seminarii, de quo hic agitur.

Dat. die 23. Julii 1733. Pont. An. IV.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. EManavit nuper a Congreg. Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis Propagandæ Fidei præposita, ad supplicationem dilectorum filiorum Definitorum Provinciæ Sancti Didaci in Mexico Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci, Discalceatorum nuncupatorum, Decretum tenoris, qui sequitur videlicet.

Tenor Decreti S. C. de Propaganda Fide.

Decretum Sacræ Congregationis Generalis de Propaganda Fide, habita die 6. Julii 1733. referente Eminentissimo & Reverendissimo Domino Cardinale Nicolao Spinola, libellum supplicem porrectum pro parte Definitorii Provinciæ Fratrum Minorum Discalceatorum Sancti Didaci in Mexico, supplicantis, ut Collegium seu Seminarium Missionum erectum vigore facultatis sibi concessæ per Breve Apostolicum San. mem. Benedicti XIII. sub datum die 3. Aprilis 1727., & cum consensu Ordinarii in Conventu ejusdem Provinciæ Sancti Francisci de Pacheca deputetur pro conversione Infidelium, signanter existentium in Montibus de Cimapan, locisque conterminis, in quibus usque adhuc nulla alia Missio fundata reperitur, cum potestate Sacras Missiones in prædictis Montibus erigendi ab eodem Collegio dependentes; utque omnibus ipsius Provinciæ Sancti Didaci Fratribus districte prohibeatur transitus, nedum ad alias Provincias & Collegia Missionum regularis observantiæ, verum etiam ad Missiones Provinciæ Discalceatorum Sancti Gregorii in Insulis Philippinis, absque peculiari & expressa hujus Sacræ Congregationis licentia. Eminentissimi Patres audito super expositis Patre Procuratore Generali Discalceatorum & Recollectorum, in utroque benigne annuerunt, mandaruntque, ut Religiosi ad Missionariorum munera in præfatis locis obeunda destinati pro necessariis facultatibus Dominum Archiepiscopum Mexicanum Ordinarium adire teneantur. Datum Romæ die & anno, quibus supra.

V. Card. Petra Præfectus.

F. M. Riccardi Pro-Secretarius.

Loco ✠ Sigilli.

Apostol. roboratur confirmatione.

§. 2. Cum autem, sicut pro parte eorumdem Definitorum Nobis subinde expositum fuit, ipsi, Decretum hujusmodi, quò firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri, plurimum desiderent; Nos ipsos Exponentes specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus, eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus & confirmamus; illique Apostolicæ firmitatis robur adjicimus: salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes, easdem præsentes literas firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & diffiniri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Provinciæ & Ordinis præfatorum, etiam

juramento,

juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 23. Julii 1733. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

CI. Decretum, ut deinceps Procurator Generalis pro tempore Congregationis Montis Oliveti insimul Abbas sit Monasterii Sanctæ Mariæ Novæ de Urbe.

Dat. die 24. Julii. 1733. Pont. An. IV.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Petitio quibus innixa rationibus.

§. 1. EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius modernus Procurator Generalis Congregationis Montis Oliveti Monachorum Ordinis Sancti Benedicti, quod mos est ipsius Congregationis, ut illius Procurator Generalis, expleto suo officio, Abbatiam Monasterii Sanctæ Mariæ Novæ nuncupat. de Urbe dictæ Congregationis obtineat; sed plurimorum annorum experientia detexit varia incommoda, quæ ex divisione in duas personas officiorum Procuratoris Generalis, & Abbatis Monasterii hujusmodi proveniunt, in primis verò si isti duo Superiores invicem haud conveniant, prout sæpius accidit, religiosam pacem ac tranquillitatem inter Monachos præfatæ Congregationis non parum perturbari: dictumque Monasterium, tametsi annuis reditibus minime satis instructum, duplici dispendio pro eorum substentatione onerari, quum ipsius Monasterii, illiusque necessitatibus, ac præfatæ Congregationis negotiis per unum ex dictis duobus Superioribus sufficienter provideri valeret, quemadmodum laudabiliter servari memoratur, tam in Conventu Sanctæ Mariæ de Pace Ordinis Canonicorum Regularium Sancti Augustini Congregationis Lateranen., quam in Monasterio Sanctæ Crucis in Hierusalem, etiam respective nuncupatis de eadem Urbe Monachorum Ordinis Cistercien. Congregationis Lombardiæ, ac servatum quoque fuit in ipsamet Congregatione Montis Oliveti anno 1693. quo tunc in humanis agens Abbas Joannes Franciscus Fossati Mediolanensis utroque munere Procuratoris Generalis, & Abbatis prædicti Monasterii Sanctæ Mariæ Novæ functus fuit; quibus accedit, quod parcendo sumptibus ejusdem Monasterii, melius constabiliri in eo posset Collegium Studiosorum, ab universa Congregatione Montis Oliveti summopere exoptatum, quorum vix quatuor nunc alere potest, idque eo seriùs considerandum venit, quod literarum studia Regularibus Institutis non solum splendori & ornamento, verum etiam ad eorum conservationem necessaria esse noscuntur; ea autem adhibita ratione, Juvenes Religiosi majori numero in idem Monasterium collocari, ibique educari valerent, qui, peracto in aliis dictæ Congregationis Montis Oliveti Monasteriis studiorum cursu, uberiores in eisdem literis progressus pollicerentur: quique doctrina ac virtutibus super bonis Magistris ac Præceptoribus in eodem Monasterio apprime instructi magno usui & utilitati forent toti Congregationi prædictæ ad exercendam Curam Animarum, excipiendas Fidelium Confessiones, regendas Cathedras, & administranda gubernia, utpote munera, quæ viros scientia ac virtute præditos exposcunt; Quibus omnibus per memoratum Procuratorem Generalem debite perpensis, ipse communis boni suæ Congregationis intuitu Abbatia supradicti Monasterii Sanctæ Mariæ Novæ, post finitum officium Procuratoris Generalis, quo ad præsens fungitur, sibi obventura lubenti animo careret, jurique sibi ad illam competenti cederet favore sui in Procuratione generali dictæ Congregationis successoris, si statueretur, ut imposterum utrumque officium Abbatis & Procuratoris Generalis istiusmodi in una eademque persona unitum ac consolidatum remaneret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, quatenus in præmissis opportune providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsius moderni Procuratoris Generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, auditis jussu nostro super præmissis dilecti quoque filii Abbatis Generalis ejusdem Congregationis Montis Oliveti relatione ac voto, Abbatiam & regimen dicti Monasterii Sanctæ Mariæ Novæ Procurationi generali ipsius Congregationis Montis Oliveti ex tunc, postquam modernus Abbas Monasterii præfati tempus sui regimini expleverit, itaut deinceps Procurator generalis pro tempore existens ejusdem Congregationis, insimul Abbas prædicti Monasterii sit, ac esse debeat, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò unimus & annectimus, ac unita & annexa fore & esse statuimus & declaramus. Concessio.

§. 3. Decernentes, easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ipsique Procuratori Generali in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter respective observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Clausulæ.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac, quatenus opus sit, primodictorum Congregationis, Ordinis, & Monasterii, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 24. Julii 1733. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

CII. Vicariis Congregationum Ordinis Prædicatorum, ac duobus aliis Fratribus, nempe Definitori, & Socio seu Electori nuncupatis, in Capitulis Generalibus suffragium conceditur.

Dat. die 28. Julii 1733. Pont. An IV.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

INjunctæ Nobis cœlitus Apostolicæ servitutis ratio postulat, ut Religiosas Congregationes, sub suavi arctioris disciplinæ jugo in Ecclesia Dei militantes, suavesque bonorum operum fructus, adspirante superni favoris aura, proferre jugiter satagentes, in laudabilibus earum institutis confovere, illarumque felici & prospero regimini, atque incrementis, quantum Nobis ex alto conceditur, prospicere studeamus.

Causæ concessionis.

§. 1. Cum itaque, sicut accepimus, nonnullæ Congregationes Ordinis Fratrum Prædicatorum, quas observantes appellant, tam citra quam ultra Montes Apostolica auctoritate institutæ reperiantur, quarum aliquæ sufficientem numerum Conventuum ac Religiosorum habent, ut juxta morem usumve antehac in dicto Ordine servatum, in Provincias ejusdem Ordinis erigi possint; Verum si in Provincias hujusmodi erigerentur, formam gubernii ipsarum Congregationum non sine regularis disciplinæ in eis vigentis detrimento immutari oporteret; adeoque sicuti fel. record. Innocentius Papa XII. Prædecessor Noster per quasdam suas in simili forma Brevis die XIV. Junii MDCXCV. expeditas literas statuit, quod Vicarii pro tempore existentes duarum ex istiusmodi Congregationibus, Sanctæ Sabinæ, & Sancti Marci respective nuncupatarum, ab ipso Innocentio Prædecessore erectarum, eamdem prorsus jurisdictionem & authoritatem haberent in Conventus & Fratres suæ Congregationis, quam juxta Apostolicas, & Ordinis præfati Constitutiones Priores Provinciales habent in suis Provinciis: ita longe opportunius salubriusque foret decernere, ut in posterum absque immutatione status supradictarum Congregationum, Vicarii earum, quæ competentem numerum Conventuum & Fratrum habuerint, cum duobus aliis Religiosis, Definitore scilicet, & Socio seu Electore, Capitulis Generalibus ejusdem Ordinis interesse valeant, ad instar Priorum Provincialium dicti Ordinis, & perinde ac si præfatæ Congregationes in Provincias erectæ essent: Cum enim ipsæ Congregationes & Provinciæ unicum Corpus & Ordinem constituant, & ab uno eodemque Capite & Magistro Generali regantur, congruum omnino videtur, quod quemadmodum Priores Provinciales Electioni Superioris Generalis assistunt, sic quoque ad illam concurrant & admittantur Vicarii Congregationum prædictarum; præsertim quia istæ magis, quam Provinciæ præfatæ, pendent ab ipso Magistro Generali, utpote a quo Vicarii immediate deputantur; Priores vero Provinciales a Prioribus Conventuum uniuscujusque Provinciæ eliguntur; tum etiam quia in dictis Capitulis Generalibus non minus Statuta generalia, universum Ordinem concernentia, quam particulares ordinationes pro singulis Provinciis & Congregationibus ejusdem Ordinis passim condi solent; Unde si Prioribus Provincialibus licet suarum Provinciarum rationes in illis exponere, Vicariis quoque præfatis permittendum venit, ut suarum Congregationum necessitates illuc deferre valeant; Idque apprime respondet menti Constitutionum dicti Ordinis, quippe perfectam unionem omnium membrorum sub uno Capite præscribentium, ac vicissim quamcumque divisionis speciem districte prohibentium; quandoquidem ad constabiliendum, arctiusque colligandum hoc religiosæ concordiæ, mutuæque unionis & charitatis vinculum, Prælatos Provinciarum & Congregationum unà convenire decet, ubi totius Ordinis negotia pertractantur; Accedente insuper, quod, cum memoratæ Congregationes exactam regularis disciplinæ observantiam profiteantur, omnis æquì bonique etiam communis totius Ordinis ratio poscit, illarum Vicarios Capitulis hujusmodi adesse, in quibus de præficiendo Magistro Generali, vel de promovenda regulari disciplina præfata, vel de tollendis, si qui irrepserint, abusibus agitur; alioquin dictæ Congregationes ob ipsam exactiorem observantiam, cui assidue insistunt, deterioris essent conditionis cæteris ejusdem Ordinis Religiosis, ac damnum & incommodum sentirent, si iis privilegiis carerent, quibus dictæ Provinciæ gaudent, ac ipsæ etiam Congregationes citra ullam contentionem ac dubitationem gauderent, si remisso accuratioris disciplinæ studio in Provincias erigerentur, quod aliquot saltem ex eis, si peterent, denegari nequiret.

Concessio.

§. 2. Hinc est, quod Nos ad præmissa paternæ nostræ dirigentes considerationis intuitum, dictarumque Congregationum, ac Fratrum in eis degentium statui, indemnitati, ac felicioribus in dies progressibus, quantum cum Domino possumus, salubriter consulere volentes, necnon eorumdem Fratrum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, Motu proprio & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, quod deinceps perpetuis futuris temporibus omnes & singuli Vicarii, nunc & pro tempore existentes, Congregationum prædicti Ordinis Fratrum Prædicatorum, quas observantes vocant, tam citra quam ultra Montes authoritate Apostolica hactenus erectarum, & si quas alias in futurum simili authoritate erigi contigerit, dummodo tamen sex saltem Conventus formales habuerint, cum duobus Religiosis suæ respective Congregationis pro quolibet ex Vicariis hujusmodi, uno nimirum Definitore, ac uno Socio seu Electore, in earumdem respective Congregationum dietis eligendis, in quibuscumque Capitulis Generalibus ejusdem Ordinis interesse libere licite & valide possint & valeant, ipsique Vicarii, ac Definitores, & Socii seu Electores in dictis Capitulis Generalibus votum sive suffragium habeant in omnibus & per omnia ad instar Priorum Provincialium, ac Definitorum, & Sociorum Provinciarum Ordinis præfati, & perinde ac si ipsæ Congregationes in Provincias hujusmodi erectæ & institutæ forent, harum serie statuimus, atque concedimus & indulgemus.

Præsentium Literarum observantia.

§. 3. Decernentes, easdem præsentes literas & in eis contenta, etiam ex eo quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, etiam specifica & individua mentione & expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi; neque causæ, propter quas ipsæ præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis legitima, juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ,

missimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno & substantiali, individuamque expressionem requirente, defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos Juris, seu Statutorum, & Constitutionum dictorum Ordinis & Congregationum reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris & facti vel gratiæ remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in judicio vel extra illud uti, seu se juvare nullo modo posse; Sed easdem præsentes literas semper & perpetuò firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quomodocumque spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, alioſve quoslibet quacunque præeminentia & potestate fungentes & functuros, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac, quatenus opus sit, nostris & Cancellariæ Apostolicæ Regulis de jure quæsito non tollendo, aliisve Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, Congregationum, Provinciarum, & Conventuum hujusmodi, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, usibus, stylis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eisdem Ordini, Congregationibus, Provinciis, & Conventibus, illorumque respective Magistro Generali, Vicariis, Prioribus, Provincialibus, aliisque Superioribus, Fratribus, & Personis quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita, observata, exprimerentur & insererentur, præsentibus pro plenè & sufficienter expressis & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 28. Julii 1733. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

F. Cardinalis Oliverius.

Confirmatur Decretum Congregationis Episcoporum & Regularium, ne Commissarii Generales, nec etiam ipse Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia Discalceatorum aliquem Religiosum ex Provincia S. Didaci in Mexico extrahere possint, nisi de consensu Capituli Provincialis vel Definitorii. CIII.

CLEMENS PAPA XII.

Dat. die 7. Aug. 1733. Pont. An. IV.

Ad futuram rei memoriam.

Petitio Vicarii Provincialis hujus Provinciæ, quibusque innixa fundamentis.

§. 1. Nuper pro parte dilecti filii Josephi de Herize, Vicarii Provincialis Provinciæ S. Didaci in Mexico Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia Discalceatorum nuncupatorum, Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, negotiis ac consultationibus Episcoporum & Regularium præpositorum, exposito, quod licet inter alias Ordinationes Apostolicas pro felici prosperoque regimine Provinciarum eorumdem Fratrum Discalceatorum editas, sæpius ac districte vetitum ac decretum fuisset, ne ulli Commissarii Generales, nec etiam ipse Minister Generalis Ordinis prædicti aliquem Religiosum è dictis Provinciis extrahere præsumerent, ut ad alias partes & Provincias mitterent, nisi prævio consensu Capituli Provincialis, vel Definitorii pleni uniuscujusque Provinciæ hujusmodi respective: ac id ipsum expresse quoque sancitum reperiretur in Statutis Generalibus Familiæ Ultramontanæ Ordinis prædicti; Nihilominus, quia Commissarii Generales novæ Hispaniæ ejusdem Ordinis contra præscriptum Decretorum Apostolicorum atque Statutorum prædictorum, Religiosos e supradicta Provincia Sancti Didaci extrahere, ac in aliis Provinciis incorporare attentabant, dilectus filius Joannes de Soto, Minister Generalis totius Ordinis præfati, per suas patentes literas die 21. Julii 1730. desuper editas, præceperat, tunc, & pro tempore existenti Commissario Generali novæ Hispaniæ prædictæ, ut ab ejusmodi extractione & incorporatione omnino abstineret, declarando nullum & attentatum quidquid secus factum fuisset; & in eadem expositione subjuncto, quod modernus Commissarius Generalis omnium Indiarum occidentalium, nulla præmissorum, ac enarrati præcepti Ministri Generalis habita ratione, Religiosos e Provincia præfata extrahere, & aliò transferre adhuc pergeret; ac proinde pro parte prædicti Josephi eidem Congregationi Cardinalium supplicato, ut opportunum huic rei remedium adhibere vellent: Emanavit a dicta Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur:

S. Congregationis Decretum.

Sacra Congregatio Eminentissimorum & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præposita, attenta relatione Patris Procuratoris Generalis, benigne commisit Archiepiscopo Mexicano, ut, veris existentibus narratis, nomine & auctoritate ipsius Sacræ Congregationis mandet omnino exequi, remediis sibi benevisis, Decreta Apostolica, necnon Decretum Patris Generalis emanatum sub die 21. mensis Julij anni 1730., & pro hujusmodi effectu revocari ad suas Provincias quotquot ab eisdem excorporati fuerint post editum enunciatum Decretum Patris Generalis. Romæ 15. Maji 1733.

A. Card. Sancti Clementis.

J. Archiepiscopus Corinthien. Secr.

Confirmatur.

§. 2. Cum autem, ſicut prædictus Joſephus Nobis ſubinde exponi fecit, ipſe, Decretum hujuſmodi, quò firmius ſubſiſtat, ac ſervetur exactius, confirmationis noſtræ præſidio communiri ſummopere deſideret. Nos eumdem Joſephum ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus, ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati, Decretum præinſertum auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus & confirmamus; illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus: ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Clauſulæ.

§. 3. Decernentes, eaſdem præſentes literas firmas, validas & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere; ac illis, ad quos ſpectat & ſpectabit in futurum, pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari; ſicque, in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, Ordinis & Provinciarum hujuſmodi, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 7. Auguſti 1733. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

CIV. Indulgentia plenaria perpetua pro omnibus & ſingulis Chriſtifidelibus vere pœniten. & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Conventualium, in S. Didaci Confeſſoris, & Sanctæ Claræ Virginis Aſſiſienſis Feſtis diebus, viſitaverint.

Dat. die 11. Aug. 1733. Pont. An. IV.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procœmium.

REdemptoris & Domini Noſtri Jeſu Chriſti, qui glorioſos ſaluberrimorum, quæ Nobis reliquit, exemplorum Sectatores altis decoravit honoribus, & cœleſtis beatitudinis conſortes efficit, vices licet immeriti gerentes in terris, ſpiritualium munerum theſauros, diſpenſationi noſtræ creditos, libenter erogamus, ſicut ad fovendam incitandamque Fidelium erga eoſdem Beatos Cœli Incolas devotionem ſalubriter in Domino expedire arbitramur.

Conceſſio Indulgentiæ, *de qua in Rubrica.*

§. 1. Itaque ad augendam Fidelium Religionem, & animarum ſalutem cœleſtibus Eccleſiæ Theſauris pia charitate intenti, ac de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, necnon dilectorum filiorum Vincentii de Comitibus Miniſtri, & Salvatoris Salandari Procuratoris, Generalium, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Conventualium nuncupatorum, ſupplicationibus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus vere pœnitentibus & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis Fratrum dicti Ordinis tam hactenus erectis, quam in poſterum quandocumque erigendis, & ubicumque locorum exiſtentibus, in Sancti Didaci Confeſſoris decima tertia Novembris, & Sanctæ Claræ Virginis Aſſiſienſis duodecima Auguſti, Feſtis diebus a primis Veſperis uſque ad occaſum Solis dierum hujuſmodi ſingulis annis devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die prædictorum id egerint, Plenariam: Monialibus vero ſupradicti Ordinis, ac aliis in earum quolibet Monaſterio nunc, & pro tempore degentibus, vere pariter pœnitentibus & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui ſuam reſpective Eccleſiam in die Feſto S. Didaci viſitaverint, &, ut præfertur, oraverint, Plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus, præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Fides Tranſumptorum.

§. 2. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 11. Auguſti 1733. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

F. Cardinalis Oliverius.

CV. Confirmatur Decretum ſuper habilitatione trium Regentiarum Collegii, & diſpenſatione ſuper duobus annis tantùm de ætate præſcripta cum Verbi Dei Prædicatoribus, pro Ordine Fratrum Minorum S. Franciſci Conventualium nuncupatorum.

Dat. die 12. Aug. 1733. Pont. An. IV.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. NUper a Nobis emanarunt literæ tenoris ſequentis:

CLEMENS PP. XII. *Ad perpetuam rei memoriam.* Ex injuncto Nobis &c. *Cætera legere eſt ſuperius num. XLII. pag.* 159.

Cauſæ confirmandi Decreti.

§. 2. Et ſicut pro parte dicti Vincentii Miniſtri Generalis Nobis nuper expoſitum fuit, ipſe Regentibus & Lectoribus demonſtrare exoptans, in expetenda ejuſmodi proviſione nil in animo habuiſſe, quam dicti Ordinis Beneficium, quartum Decretum a tunc exiſtente Definitorio Ordinis hujuſmodi anno 1668. editum, per quod habilitantur uti Regentiæ Collegii, ſequentes videlicet, Venetiarum, Panormitan., Mediolanen., Ferrarien., Peruſin., Florentin., & Januen., quoad illos tamen Regentes, qui novem annorum ſpatio Lecturarum curſum in aliis ſtudiis tertiæ, ſecundæ, & primæ claſſis abſolverint, per Nos confirmari plurimum deſiderat, unà cum aliis, quamvis in Congregatione tunc pariter exiſtentium S. R. E. Cardinalium negotiis & conſultationibus Epiſcoporum

porum & Regularium præpositorum, emanatis, & successive per quasdam felicis recordationis Clementis PP. X. Prædecessoris Nostri desuper in simili forma Brevis die 30. Augusti 1670. bo. me. Giberto S. R. E. Cardinali Borromeo nuncupato, dum vixit, dicti Ordinis apud Sedem Apostolicam Protectori, facultas illa confirmandi tributa fuerat, nihilominus factis diligentiis in Regestris & Archivo ejusdem Ordinis, Decretum præfatum repertum minime fuit. Porro præfatus Vincentius Minister Generalis prævidens, quod aliqui ex Studentibus ob prohibitionem, quam ipsi habent, Verbum Dei prædicandi in Quadragesima, a studiis retraherentur; ad occurrendum ergo huic verisimili inordinationi aliud pariter Decretum a Diffinitorio Generali Assisii 1707. factum, quod est in ordine Sextum, per quod triginta annorum ætas præscribitur pro approbandis iis, quibus licentia prædicandi concedi debet, minime tamen comprehensis in Sacra Theologia Magistris: reservata pro tempore existenti Ministro Generali prædicti Ordinis facultate dispensandi pro duobus annis ad summum ad effectum præmissum super ætate prædicta, etiam per Nos confirmari plurimum cupit; Et quia de numero Juvenum, qui ad Habitum admittuntur, non omnes Studiorum Theologiæ Scholasticæ capaces sunt, ad hoc ut durante eorum professorio tempus speculationibus Scholasticis operam navando inutiliter terant: Ipse Vincentius Minister Generalis valde proficuum existimat, ut in qualibet Provincia unus aut duo Conventus juxta majorem vel minorem Provinciarum extensionem deputaretur vel deputarentur, in quo seu quibus jam Seminaria erecta reperirentur, ibique prædicti Juvenes pro eisdem studiis scholasticis inhabiles collocarentur, ut Theologiæ Morali sub directione unius Lectoris vacarent, eique ejusmodi lectura pro paternitate Provinciæ, dummodo illam laudabiliter per quindecim annos exerceret, vel aliis, qui uno tantum triennio eamdem Theologiam Moralem prælegerent, pro tertia classe respective suffragari posset & deberet; ac tandem pro complemento requisitorum pro Paternitate prædicta illis, qui post lecturam tertiæ, secundæ, & primæ classis Collegium consequi nequirent, eam exercendo per totum illud tempus, quod pro complemento quindennii eis deesset, hac tamen conditione, quod lectores Theologiæ Moralis eorumdem Seminariorum lectiones in scriptis tradant omnibus illis diebus & temporibus, quibus alii Regentes illas facere, & ipsi etiam pro circuso conferentias tribus diebus in hebdomada habere teneantur, & saltem Præter Juvenes, qui in illis Seminariis collocandi essent, duos aut tres alios Religiosos habeant, quibus etiam dicta lectio Moralis tradenda esset. Nobis propterea idem Vincentius Minister Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Concessio.

§. 3. Nos igitur ipsius Vincentii Ministri Generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præpositorum, qui in præmissis dilectum pariter filium modernum Procuratorem Generalem ejusdem Ordinis audiverunt, consilio, Decretum quidem Definitorii Generalis anni 1668. quo ad solas Regentias Mediolani, Florentiæ, & Januæ; Alterum vero Decretum anni 1707. cum restrictione facultatis pro tempore existentis Ministri Generalis dispensandi ad duos annos tantum, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus & confirmamus; illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; ac demum juxta petita, quoad unum dumtaxat Conventum in qualibet Provincia, ubi existunt Seminaria, auctoritate & tenore prædictis indulgemus; Salva tamen semper in præmissis auctoritate dictæ Congregationis Cardinalium.

Præsentium literarum firmitas.

§. 4. Decernentes, easdem præsentes literas firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Provinciarum, Conventuum, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis; Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides Transumptorum.

§. 6. Volumus autem, ut ipsarum præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ, vel Ministri Generalis, aut Procuratoris Generalis, vel Secretarii ejusdem Ordinis pro tempore existentis munitis, eadem prorsus fides in judicio & extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 12. Augusti 1733. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

CVI.

Ordini Fratrum Prædicatorum privilegium conceditur, ut sæcularibus adolescentibus, Theologicæ facultati in eorum Studiis, Scholis, Gymnasiis & Collegiis triennalem operam dantibus, lauream Doctoratus seu Magisterii & Gradus in Sacra Theologia, iis pares conferre possit, qui in publicis Studiorum Universitatibus solemni cœremonia conferuntur.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Dat. die 28. Aug. 1733. Pont. An. IV.

Summorum Pontif. laudes erga S. Thomam Aquinatem, Ecclesiæ Doctorem.

§. 1. VErbo Dei Scripto & Tradito innixam scientiam, res divinas, & mores, christiano homine dignos, ad rectam Ecclesiæ Ministrorum institutionem, & salutem animarum, solide pertractantem, ejusque Doctores ac Magistros pietate venerabiles commendari tunc maxime convenit, quum ingruente falsorum dogmatum illuvie Fides catholica, & Christiani mores, supremæ curæ nostræ commissi, periclitantur; Quo loco prædecessores Nostri Romani Pontifices Sanctum Christi Confessorem Thomam Aquinatem Ordinis Prædicatorum, & Ecclesiæ Docto-

rem, honoris causa Angelici cognomento appellatum, semper habuerunt; eum propterea justis laudibus in suis diplomatibus prosequuti: & præsertim Alexander IV. qui Thomam adhuc viventem per Dei gratiam thesaurum literalis scientiæ adeptum pronunciavit: inque ejus vestigia subinde incurrentes alii Romani Pontifices subsequuti, Joannes XXII. Clemens VI. Urbanus V. Nicolaus V. Pius IV. & Beatus Pius V. Xystus V. Clemens VIII. Paulus V. Alexander VII. Innocentius XII. & Benedictus XIII. qui omnes uno eum ore adprobantes in Sacris Ecclesiæ fastis juxta ac magnos Ecclesiæ Doctores, Gregorium, Ambrosium, Augustinum, & Hieronymum, Thomam quoque, ut vitæ probitate, & sanctioris Theologiæ scientia venerabilem, miraque eruditione Ecclesiam Dei clarificantem, ac sancta operatione fœcundantem, coli voluerunt.

Concessio privilegii concedendi lauream Doctoratus &c.

§. 2. Itaque tanti Viri doctrinam, in Conciliis etiam œcumenicis celebratam, debitis præconiis Reipublicæ causa Nos quoque ornare cupientes, quum dilectus noster in Christo, ac fratris germani filius Nereus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus Cardinalis Sancti Hadriani, Corsinus nuncupatus, necnon æque dilecti Ordinis Fratrum Prædicatorum Protector, flagitantibus ejusdem Ordinis Fratribus Magistro & Procuratore Generalibus, Thoma Ripollio & Guillelmo Molo, submissas preces nobis obtulerit, ut præcipuo quodam & speciali modo ejusdem Sancti Viri Doctrinam, in Gymnasiis Ordinis eorumdem Fratrum Prædicatorum non unis regularibus, sed etiam externis sæcularibus Alumnis, illuc ad eam perdiscendam confluentibus, tradi solitam, pro nostra erga Beatum Thomam devotione, totumque Ordinem de Ecclesia præclare meritum singulari benevolentia, ornare dignaremur, ut adolescentes, aliquo veluti præmio animati, ad Beati Thomæ doctrinam cum Dei gratia intellectu conspiciendam, alacrius incumberent; quandoquidem nullum in iisdem Gymnasiis præmium, nulla ipsis expedita via pateat ad eas Ecclesiæ dignitates consequendas, quæ in Sacræ Paginæ doctrina lauream, quam vocant licentiam vel gradum, publice adeptis, aliàs de more conferri debent; Nos hujusmodi precibus, pietate ac justitia subnixis, annuere volentes, ad amplificandum sub tanto Magistro probæ incorruptæque doctrinæ studium inter juvenes, divino famulatui per sacratiores disciplinas addictos, Motu proprio, ex certa scientia, & mera voluntate nostra, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, in quibuscumque Gymnasiis, Scholis, Studiis, & Collegiis Ordinis Fratrum Prædicatorum, extra cæteras Studiorum generalium Universitates erectis vel erigendis, concedi, extendi, & prorogari volumus ac decernimus pro externis quibuscumque sæcularibus, in iisdem Gymnasiis Theologicæ facultati, toto triennio absolutam, operam dantibus, omnia & singula Apostolica privilegia, ab Antecessoribus Nostris Romanis Pontificibus concessa, juxta consuetudinem & methodum præscriptam vel præscribendam ab eodem Generali Ordinis Prædicatorum Magistro, ut post præmissum diligens probationis examen laurea Doctoralis seu Magistralis, Præsentatura, Licentia, Baccalaureatus, atque alii Gradus consueti in Sacra Theologia libere & licite conferantur: quos quidem Gradus iis pares esse volumus, qui in hoc nostro Archigymnasio & Academia, Romanæ Sapientiæ nuncupato, quibuscumque Scholaribus solemni cœremonia conferri solent: Idemque hoc privilegium omnino valere statuimus in quibuscumque insignioribus Civitatibus & Locis, in quibus sæculares juvenes Theologicæ facultati operam daturi, Scholas Ordinis Fratrum Prædicatorum frequentare permittuntur, sive pauperes sive etiam divites sint, quos Universitatum Officiales ad Gradus promovere fortasse recusaverint; etiamsi aliàs in iisdem locis publicæ hujusmodi & ordinariæ studiorum Universitates eis pateant; itaut postquam iidem sæculares & externi juvenes, sine præjudicio quorumcumque jurium ipsis Universitatibus de more persolvendorum, a qua solutione divites eximi non debent, ad jamdictos Gradus solemni cœremonia probati ac promoti fuerint, de eadem re ac facultate prælegere, disputare, ac alios quoscumque actus ad id necessarios ubique facere possint: omnibusque & singulis privilegiis, prærogativis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, præcedentiis, favoribus, gratiis, & indultis uti, potiri, & gaudere possint, quibus alii prævio diligenti examine in studiorum generalium Universitatibus juxta earumdem leges, ordinationes, usus, ritus & mores, de jure vel consuetudine, aut alias quomodocumque utuntur, potiuntur, & gaudent, in omnibus & per omnia, nullo prorsus discrimine, ac si Gradus suos in publicis Universitatibus, & non alibi, accepissent, hac una in re, si, & quatenus unquam fortasse opus esset, propterea derogantes Constitutioni nostræ, pridem editæ, quæ incipit: *Romanus Pontifex.*

Clausulæ hanc Const. præservantes.

§. 3. Præsentes quoque literas, & in eis contenta & expressa quæcumque, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ, etiam ex eo, quod causæ, propter quas illæ emanarint, coram Nobis vel alibi adductæ, verificatæ & justificatæ, ac quicumque in præmissis & circa ea interesse quomodolibet habentes seu habere prætendentes, ad id vocati & auditi non fuerint, & consensum suum eisdem non præstiterint, aut quovis alio quantumvis substantiali defectu, fortasse laborarent: sive etiam ex eo, quod in eis solemnitates, ac quævis alia, servanda & adimplenda, servata & adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite vel causa etiam quantumvis legitima, justa & privilegiata, quæque ad id exprimenda esset, expressa non fuerit, notari, impugnari, invalidari, in jus vel controversiam vocari, ad viam & terminos juris reduci, aut in illas quodcumque juris vel facti remedium, aut oris aperitio impetrari: neque illas sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi possint; sed semper excipi debeant, & quotiescumque emanaverint, toties in pristinum & validissimum statum restitutas, repositas, & plenarie integratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data per dicti Ordinis Fratrum Prædicatorum Magistrum ac Procuratorem Generales, pro tempore existentes, quandocumque eligenda, concessas validas & efficaces fore & esse; suosque plenarios & integros effectus in omnibus & per omnia sortiri & obtinere, dictisque Fratribus ac Sæcularibus apud eos, ut prædicitur, Theologicæ facultati triennalem operam dantibus, & ad Gradus hujusmodi, ut præfertur, promovendis: aliisque, ad quos nunc spectat, & imposterum quomodolibet spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari volumus. Sicque & non aliàs per quoscumque Judices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac prædicti Ordinis Prædicatorum pro tempore existentem Protectorem, aliosque Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, &

Sedis

Sedis Apostolicæ Nuncios, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, definiendi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari, definiri, & interpretari debere: & quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus.

Obstantium derogatio.

§. 4. Non obstantibus, quatenus opus sit, una de non concedendis gratiis ad instar; & altera, Nostris & Cancellariæ Apostolicæ Regulis de jure quæsito non tollendo: ac etiam in Synodalibus, Provincialibus, Generalibus, Universalibusque Conciliis, editis vel edendis, specialibus vel generalibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque, indultis & literis Apostolicis quibusvis personis, aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi de illis earumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, mentio seu quævis alia expressio habenda foret, earum tenores eisdem præsentibus etiam pro plene & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, latissime & plenissime, ac specialiter & expresse, motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis ubique fides adhibeatur.

§. 5. Volumus autem, ut ipsarum præsentium transumptis, etiam impressis, alicui jus in Dignitate Ecclesiastica constitutæ personæ sigillo, & Notarii manu obsignatis, vel etiam, saltem extra Italiam, sigillo & subscriptione Magistri Ordinis, aut Provincialium ejusdem Ordinis pro tempore munitis, eadem prorsus fides in judicio & extra illud adhibeatur, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nemo has literas infringere audeat.

§. 6. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ concessionis, extensionis, prorogationis, voluntatis, decreti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo trigesimo tertio, quinto Kalendas Septembris, Pontificatus Nostri Anno quarto.

A. Card. Pro Datarius.

F. Card. Oliverius.

VISA

De Curia I. Archiep. Ancyranus.

Loco ✠ Plumbi.

D. Stivanus.

Registrata in Secretaria Brevium.

CVII.

Confirmatur, & extenditur Breve Gregorii XV. super Jurisdictione Regiminis Bononien. super Universitatibus Artium ejusdem Civitatis.

Dat. die 11. Sept. 1733. Pont. An. IV.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

PAterna, quam de nostris, & S. R. E. etiam quoad temporalia, subditis, gerimus, cura Nos urget atque impellit, ut, eorum utilitati jugi vigilantia studentes ea, quæ a Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris pro felici prosperoque artium Status nostri Ecclesiastici directione provide constituta atque ordinata esse noscuntur, quo firma semper & inviolabilia persistant, Apostolici muniminis nostri præsidio libenter constabiliamus, aliasque solicitudinis nostræ partes desuper interponamus, sicuti salubriter expedire in Domino arbitramur.

§. 1. Dudum siquidem emanarunt a fe. re. Gregorio PP. XV. Prædecessore Nostro circa Societates, sive Collegia, & Universitates Artium Civitatis nostræ, tunc suæ, Bononien. literæ in simili forma Brevis tenoris, qui sequitur, videlicet:

GREGORIUS PP. XV.

Ad futuram rei memoriam.

Literæ Gregorii XV.

Cum in Civitate nostra Bononien. ad Vexilliferum justitiæ una cum Senatu spectet & pertineat, statuta ac provisiones & ordinationes Societatum sive Collegiorum Universitatum Artium civitatis Bononiæ admittere, reformare, & corrigere cum participatione pro tempore existentis in dicta Civitate Sedis Apostolicæ de Latere Legati, seu ejus Vicelegati, vel Gubernatoris, pro bono pacis & quietis hominum prædictarum Societatum, & prout temporum & personarum qualitas & natura exiget, Motu proprio, & ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, eumdem Vexilliferum, utpote de omnibus gubernium & administrationem ipsarum Societatum concernentibus plene informatum, & tamquam eorum Judicem ordinarium, juxta solitum omnes & quascumque causas, lites, & differentias, ac querelas inter Societatum & Artium prædictarum homines, aut Officiales vel Subditos, aut etiam inter ipsas Societates & Artes, quandocumque & ex quacumque causa earumdem Societatum occasione nascituras, pro sublevandis ipsis Societatibus & earum hominibus a molestiis ac dispendiis Sententiarum, Procuratorum, & Scripturarum expensis, cognoscere, decidere, ac summarie simpliciter, ac sola facti veritate inspecta terminare: aliosque judicantes in Civitate Bononiæ, quacumque præfulgeant dignitate ac facultate ordinaria vel delegata, nullo modo & prætextu contraventionis statutorum, vel provisionum, vel exemptionis pœnarum proprerea incursarum, in causis prædictis se intromittere posse: & quidquid per eumdem Vexilliferum cum auctoritate Superiorum prædictorum pro tempore, decretum, statutum, & ordinatum, ac reformatum fuerit circa prædictas Societates Artium, sive aliquam earum, regimen & gubernium etiam uniendo, & dissolvendo, transferendo, aut quovis alio modo disponendo, perpetuo valere, & validitatem obtinere: nec id aliquo modo infringi posse etiam per viam appellationis seu alterius cujusvis reclamationis & recursus: quodque non possit etiam impediri sub quovis prætextu appellationis, seu alterius cujusvis reclamationis, & recursus aut melioris revisionis vigore quarumcumque inhibitionum, a quocumque Tribunali, etiam Urbis, emanatarum ad id, quod sic fuerit ordinatum & decretum, sed statim executioni demandari debeat, sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, Apostolica auctoritate tenore præsentium decernimus & declaramus; Ulteriusque inhibemus, etiam sub pœnis & censuris in privilegiis dictis Artibus respective concessis, eo ipso in casu contraventionis incurrendis, ne posthac aliquis quavis præfulgeat Dignitate, sive Vexillifer sit, sive ipsemet Gubernator, vel etiam Legatus, aut Prælegatus, aut quisvis alius, audeat,

Jus cognoscendi causas ad Officiales Universitatum spectantes Vexillifero Civitatis assertum.

Privilegia hominibus Artium concessa.

nec possit præcipere, vel præcipiendo directe vel indirecte, vi vel metu, aut jussionibus cogere aut arctare homines cujusvis dictarum Artium, vel eorum Notarios, ad cassandum de eorum Matriculis, vel addendum aut acceptandum in eorum Societates aliquem, vel alio quovis modo eorum privilegia & statuta infringere; sed ad ipsos homines, servata tamen forma eorum statutorum, spectare, liberamque remanere electionem, admissionem, vel repudiationem aggregandi, & observantiam eorum statutorum & privilegiorum in omnibus: salvo tamen decreto Senatus in suo robore circa spontaneas cessiones vel renunciationes: & salvo eo, quod per dictum Senatum unà cum Superiore, ut supra, in dies statueretur, & nihilominus omnia, præter vel contra prædicta gesta vel gerenda, vitio nullitatis ipso jure subjacere, auctoritate & tenore prædictis similiter decernimus. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 14. Junii 1621. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Causæ petendæ harum literarum confirmationis.

§. 2. Cum autem, sicut accepimus, dilecti filii Senatores, pro sublevatione Artium hujusmodi ab ipsis Vexillifero & Senatu deputati earumdem Artium, quas in dies imminui ægre ferunt, instaurationi ac progressibus omni cura ac studio incumbentes inter alia novissime instituerint in dicta Civitate Artem Telariam, vulgariter *de' Tovagliari* nuncupatam, per quam cum assistentia unius Societatis seu Universitatis per deputatos prædictos jam stabilitæ, illuc introducatur opificium diversi generis telarum, quæ a regionibus exteris importabantur, sicque pecuniæ, quæ ex ditione Bononien. ad ejusmodi telas comparandas extrahi consueverant, in ea deinceps remaneant, ac inter artifices dividantur; Et insuper Cannabis, qua ditio præfata abundat, facilius venum eat: nunc vero iidem Deputati hujus Artis institutionem Nobis probatam fuisse intelligentes, animum intendant diversis adhibendis remediis adversus multiplices abusus, quos in aliis Artibus dictæ Civitatis irrepsisse compererunt, quibus e medio sublatis, futurum sperant, ut illæ quoque aliquando restituantur, ac in publicum bonum & commodum denuo floreſcant; sed vereantur, ne pro parte Artes præfatas in dicta Civitate ejusque Comitatu exercentium, aut aliàs interesse in iis habentium, executio resolutionum, quæ ad id capiendæ venient, impediatur aut retardetur per inhibitiones, quas sub obtentu privilegiorum sibi a Sede Apostolica concessorum, suorumve statutorum, auctoritate Apostolica confirmatorum, usuum, ac consuetudinum, litis pendentiæ, aut alio titulo a Judicibus & Tribunalibus etiam Urbis, vel per recursum ad Nos & Romanum Pontificem pro tempore existentem procurare & impetrare possent, ac propterea tam Deputati quam Vexillifer & Senatus prædicti opportune in præmissis a Nobis provideri summopere desiderent; Nos eorumdem Deputatorum, Vexilliferi, & Senatus votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, illorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes & absolutas fore censentes, similiter Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, præinsertas Gregorii prædecessoris literas cum omnibus & singulis in eis contentis harum serie confirmamus & approbamus, ac, quatenus opus sit, innovamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus. Præterea (firma remanente jurisdictione dicto Vexillifero, sicut præmittitur, attributa) easdem Gregorii Prædecessoris literas, & in eis contenta ampliantes, Motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus, tenore præsentium statuimus, quod quidquid per ipsos Vexilliferum & Senatum, aut ab eis deputatum, coram, & approbante supradicto Legato seu Vicelegato circa dictas Societates ac Universitates, sive Collegia Artium earumve Regimen & Gubernium pro tempore decretum ordinatum & reformatum fuerit, statim executioni demandetur, quin executio hujusmodi per quamcumque inhibitionem cujusvis Judicis & Tribunalis, etiam Urbis præfatæ, quolibet titulo, causa, capite, colore, vel prætextu, etiam dictorum privilegiorum, statutorum, usuum, consuetudinum, ac litis pendentiæ, subnixam ac concessam, neque etiam per recursum ad Nos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, immediate habitum, nisi talis recursus fuerit admissus per specialem Commissionem propria manu nostra, seu ejusdem Pontificis signatam, ullatenus impediri aut retardari valeat.

Decretum, quod faciendæ per eundem Vexilliferum reformationes a nemine impedire possint.

Quæ benigne indulgetur.

§. 3. Decernentes, ipsas præsentes literas, etiam ex eo, quod prædicti, & alii quilibet in præmissis jus seu interesse habentes, vel habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi fuerint; seu de subreptionis vel obreptionis vitio, seu intentionis nostræ, sive alio quocumque defectu notari, argui, vel impugnari nullo modo ac tempore posse; sed easdem præsentes literas semper & perpetuo firmas, validas, & efficaces existere & fore; suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective exacte ac inconcusse observari; sicque, & non aliter, in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, eorumque Vicelegatos, & alios quoslibet quacumque præeminentia & potestate fungentes & functuros, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Harum Literarum observantia.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac, quatenus opus sit, Nostra & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon Civitatis, Comitatus, Societatum, Collegiorum, ac Universitatum hujusmodi, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, stabilimentis, stylis, usibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, & decretis, in genere vel in specie, aut aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis.

Clausulæ derogatoriæ.

§. 5. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium & singulorum tenores

præ-

præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 11. Septembris 1733. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

F. Cardinalis Oliverius.

CVIII. Fratribus Ordinis Eremitarum Sancti Augustini interdicitur appellatio a Correctione Regulari; injuncto insuper, ut in casu appellationis, id tantummodo facere debeant gradatim ad Ordinis Superiores.

Dat. die 15. Sept. 1733. Pont. An. IV.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Procœmium. EX injuncto Nobis Apostolicæ servitutis munere ad ea peculiares solicitudinis nostræ curas libenter intendimus, quæ felici Christifidelium Divini Numinis obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipatorum regimini atque tranquillitati conducibilia fore, in Domino arbitramur.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Nicolaus Antonius Schiaffinati Prior Generalis Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini, quod licet per Constitutiones ejusdem Ordinis *Part. III. Cap. XVI. num. XXIV.* appellatio a Correctione Regulari Superiorum Fratribus prædictis sub diversis pœnis prohibeatur: necnon generali decreto, dudum a Congregatione tum existentium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, negotiis & consultationibus Regularium præposita, jussu fel. rec. Sixti PP. V. Prædecessoris Nostri edito, caveatur expresse, quod Regulares cujusvis Ordinis in casibus, in quibus appellare de jure licet, id facere debeant gradatim ad sui Ordinis Superiores, a Priore nimirum ad Provincialem, & a Provinciali ad Generalem, antequam Sedem Apostolicam adire possint; nihilominus ipse Nicolaus Antonius non sine animi sui mœrore advertit, plures Religiosos supradicti Ordinis, Constitutionum ac Decreti hujusmodi memores, illave exoleta & antiquata esse credentes, tum a præfata Correctione Regulari Superiorum provocare, tum ubi appellatio permittitur, nusquam observata forma sic præscripta, ad Superiores mediatos, sive Prælatos majores Ordinis prædicti, ac etiam hanc Sanctam Sedem appellare & recurrere; unde regularis disciplinæ detrimentum, immediatorum Superiorum, eorumque jurisdictionis contemptus, ac non raro impunitas delinquentium, aliaque multiplicia incommoda consequuntur, necnon Almæ Urbis Tribunalia non levibus afficiuntur molestiis. Petitio quibus innixa fundamentis.

§. 2. Quamobrem idem Nicolaus Antonius, qui in ipso Gubernii sui primordio sibi omni ratione adnitendum proposuit, ut debita Subditorum erga Prælatos obedientia, exactaque Regularis observantia in dicto Ordine conserventur: & ficubi exciderint, restituantur; opportunum glisceni malo, & abusui ejusmod remedium adhiberi, & aliàs in præmissis salubriter a Nobis provideri summopere desiderat. Nos ipsius Nicolai Antonii votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus, ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati; omnibus & singulis dicti Ordinis Fratribus ac personis cujusvis dignitatis, gradus, & conditionis existant, appellationem a Correctione regulari suorum Superiorum ad formam enarratarum Constitutionum, ac sub pœnis in eis contentis, auctoritate Apostolica tenore præsentium interdicimus. In casibus vero, in quibus iisdem Fratribus de jure vel juxta Constitutiones prædictas appellare aut recurrere licet, id non aliter deinceps fieri posse statuimus, quam gradatim, a gravamine scilicet Prioris ad Provincialem, & a Provinciali ad Generalem; itaut causæ appellationis seu recursus hujusmodi, antequam ab eodem Priore Generali cognitæ & definitæ fuerint, extra dictum Ordinem deferri & agitari nequeant: Ac propterea omnibus Romanæ Curiæ Tribunalibus ac Judicibus, & quibusvis etiam Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. præfatæ Cardinalium Congregationibus, necnon Sedis Apostolicæ Nunciis, nunc & pro tempore existentibus, ne Fratrum dicti Ordinis appellationem seu recursum admittant, causasque prædictas cognoscant, nisi prius eis legitime constiterit, illas per dictos Superiores, memorato ordine servato, cognitas & definitas fuisse, sub pœna nullitatis actorum, ac inde sequutorum, & quoad Religiosos appellantes vel recurrentes, qui præmissis contravenerint, sub gravibus Nostro & Romani Pontificis pro tempore existentis arbitrio infligendis pœnis, eadem auctoritate harum serie prohibemus.

§. 3. Decernentes, ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; & ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, & iis respective pleniss me suffragari; sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Clausulæ.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis præfati; aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Decretum de quo in Rubrica.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 15. Septembris 1733. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

CIX. Custodia Hiberniæ Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Cappuccinorum nuncupat. in novam Provinciam erigitur.

Dat. die 22. Sept. 1733. Pont. An. IV.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Eliguntur Ministri novæ Provinciæ.

Procœmium.

APostolicæ servitutis munus, quo Catholicæ Ecclesiæ per universum Orbem diffusæ regimini divina dispositione præsidemus, id præcipue solicitudinem nostram intendit, ut Religiosorum Virorum Altissimi obsequiis sub arctioris disciplinæ Instituto mancipatorum, & in Vinea Domini, ac præsertim in nonnullis olim pietatis, & orthodoxæ Fidei laude florentissimis Regionibus inter persecutionum procellas, atque calamitatum tribulos strenue laborantium, statui, & felici directioni consulere peculiari cura studeamus, sicut pia orthodoxorum Regum, multiplicibus in hanc Sanctam Sedem meritis fulgentium, vota postulant: & Nos, omnibus maturæ considerationis trutina perpensis, ad omnipotentis Dei gloriam, ac Religionis, piorumque operum incrementum, & felicem progressum expedire in Domino arbitramur.

Regis Christianissimi preces.

§. 1. Cum itaque, sicut nomine charissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum Regis Christianissimi Nobis nuper expositum fuit, Custodia Hiberniæ Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci, Cappuccinorum nuncupatorum, quindecim Conventibus, nempe duobus in Gallia, ac reliquis in Regno ipsius Hiberniæ constet, dictus vero Ludovicus Rex eamdem Custodiam in novam dicti Ordinis Provinciam ad instar aliarum dicti Ordinis Provinciarum a Nobis erigi plurimum desideret. Nobis propterea dicti Ludovici Regis nomine humiliter supplicatum fuit, ut in præmissis opportune providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur piis ipsius Ludovici Regis votis favorabiliter annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, memoratam Custodiam Hiberniæ in novam Ordinis prædicti Provinciam, quæ ab uno Ministro Provinciali, ac Diffinitoribus, aliisque Officialibus juxta Constitutiones ejusdem Ordinis auctoritate Apostolica approbatas, regi & gubernari debeat, itaut ipsa nova Provincia illiusque Minister Provincialis, Definitores, cæterique Officiales, ac Fratres pro tempore existentes, omnibus & singulis privilegiis, juribus, præeminentiis, prærogativis, honoribus, gratiis, & indultis, quibus aliæ dicti Ordinis Provinciæ tam de jure, usu & consuetudine, quam alias quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent: ac uti, frui, & gaudere possunt & poterunt in futurum; pari modo & absque ulla prorsus differentia uti, frui, & gaudere libere & licite possint & valeant, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo erigimus & instituimus.

D. Custodia in Provinciam erigitur additis aliarum Provinc. Privilegiis.

Capitula Provinc. triennalia.

§. 2. Præterea, ut Capitula Provincialia Provinciæ, sic a Nobis erectæ & institutæ, triennalia sint, & Discreti non eligantur, sed ad Electionem Ministri Provincialis, & Definitorum eodem modo, quo Custos & Consultores antehac electi fuerunt, procedatur; necnon duo Custodes pro Capitulo Generali eligantur, auctoritate & tenore prædictis statuimus ac præcipimus & ordinamus.

§. 3. Porro eidem novæ Provinciæ de idoneis Ministro Provinciali ac Definitoribus, quorum opera Provincia ipsa, adspirante superni favoris auxilio, salubriter dirigatur, hac prima vice providere cupientes, ac de spectata infrascriptorum Religiosorum fide, prudentia, charitate, integritate, vigilantia, & Religionis zelo plurimum in Domino confisi: & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, dilectos filios Philippum Okennedis, qui Custos, in Ministrum Provincialem: ac Bonaventuram Donellis in primum: Joannem Baptistam Knighte in secundum: Thomam Tyrrell in tertium: ac Joannem Evangelistam Ronan, qui Consultores prædictæ Custodiæ sunt, in quartum, Definitores ejusdem novæ Provinciæ, sic a Nobis erectæ & institutæ, ad triennium proximum, a die publicationis præsentium literarum inchoandum, cum omnibus & singulis præeminentiis, prærogativis, facultatibus, auctoritate, privilegiis, gratiis, & indultis, ac honoribus & oneribus solitis & consuetis, auctoritate & tenore prædictis constituimus & deputamus: expleto autem triennio, Capitulum Provinciale in uno ex duobus Conventibus in Regno Galliæ existen. Ministro Provinciali more solito convocandi facultatem concedimus.

§. 4. Mandantes propterea in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac sub indignationis nostræ, aliisque arbitrii nostri pœnis, omnibus & singulis prædictorum Ordinis & novæ Provinciæ Superioribus, Fratribus, & personis, cæterisque, ad quos spectat & spectabit in futurum, ut eamdem novam Provinciam, sicut præmittitur, a Nobis erectam & institutam, tamquam veram & legitimam, canoniceque erectam Provinciam, ac sicut reliquas dicti Ordinis Provincias in omnibus & per omnia recognoscant, nominent, teneant, & tractent; ac Religiosos supranominatos ad officia eis respective demandata, illorumque liberum exercitium juxta earumdem tenorem præsentium recipiant & admittant; illisque in omnibus eadem officia concernentibus faveant & assistant, pareantque & obediant respective.

Solitæ clausulæ.

§. 5. Ac decernentes, easdem præsentes literas semper firmas, validas & efficaces existere & fore; suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia & potestate fungentes & functuros, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis; necnon, quatenus opus sit, Custodiæ, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 22. Septembris 1733. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

CX. Declaratio super Jurisdictione Protectorum Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia, quoad Religiosos deputatos pro regimine & cura Monialium Sanctæ Claræ, & Sanctæ Mariæ Magdalenæ Civitatis Neapolis.

Dat. die 25. Sept. 1733. Pont. An. IV.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Dudum postquam fel. record. Clemens VIII. & Urbanus etiam VIII. aliique forsan Romani Pontifices Prædecessores Nostri per suas in simili forma Brevis, seu etiam sub Plumbo expeditas literas, tunc, & pro tempore existentibus Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum apud Sedem Apostolicam Protectoribus diversas facultates quoad Religiosos ex certis Provinciis Reformatis ejusdem Ordinis pro servitio Ecclesiarum Monasteriorum Monialium Sanctæ Claræ, & Sanctæ Mariæ Magdalenæ Civitatis Neapolitan. ipsarumque Monialium spirituali regimine & cura pro tempore deputatos, sub certis modo & forma tunc expressis, concesserant & attribuerant; dictique Protectores abinde facultatibus hujusmodi libere usi fuerunt, a recol. mem. Innocentio Papa XII. Prædecessore etiam Nostro emanavit Constitutio super moderatione jurisdictionis & auctoritatis Protectorum quorumvis Ordinum Regularium anno 1693. edita, ac successive anno 1694. prodierunt literæ in pari forma Brevis; per quas idem Innocentius prædecessor Ministro seu alteri Superiori Generali Familiæ Reformatæ Cismontanæ dicti Ordinis, pro tempore quoque existenti, facultates quascumque Protectoribus memorati Ordinis, quoad Religiosos præfatos sic concessas & attributas, servata cæteroquin in omnibus & per omnia supradictarum Clementis & Urbani, aliorumque Prædecessorum literarum forma & dispositione, restituit; & quatenus opus esset, de novo impartitus fuit, & aliàs, prout in ejusmodi Literis & Constitutione, quarum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, & de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius respective continetur.

Jurisdictio Protectoribus hujus Ordinis a Clemente & Urbano VIII. asserta, quoad Religiosos ad Ecclesiis inservientes.

Ab Innocentio XII. limitata.

Sed postmodum confirmata.

§. 2. Cum autem, sicut accepimus, tempore ipsius Innocentii Prædecessoris adhuc vigerent peculiares illæ causæ & rationes, quibus dicti Clemens & Urbanus ac alii Prædecessores adducti fuerant ad enarratas facultates Protectoribus Ordinis hujusmodi, respectu dictorum Religiosorum concedendas, reintegratio ad illas Ministro seu Superiori Generali Ordinis prædicti, sicut præmittitur, facta effectum suum sortiri nequivit; unde idem Innocentius prædecessor dictorum Monasteriorum ac Religiosorum illic existentium regimen suscepit atque gessit; Sicuti quoque a similis mem. Clemente Papa XI. Prædecessore etiam Nostro petitum fuit. Verum felic. itidem rec. Innocentius Papa XIII. pariter Prædecessor Noster, per Nos, qui Ordinis prædicti Protectoris munere apud hanc Sanctam Sedem tunc fungebamur, de omnibus præmissis, aliisque totius rei, necnon Monasteriorum præfatorum statum concernentibus, certior redditus, ab ejusmodi regimine abstinuit: Nobisque permisit ibidem exercere eam, quam olim dicti Ordinis Prorectores exercuerant jurisdictionem & auctoritatem, quemadmodum re ipsa fecimus, ac etiam post nostram assumptionem ad Summi Apostolatus apicem ratione Protectionis hujusmodi, quam retinuimus, facere perreximus. Hinc est, quod Nos omnem dubitationis & controversiæ, quæ circa auctoritatem Protectorum dicti Ordinis quoad Religiosos præfatos, temporis progressu postquam viam universæ carnis ingressi fuerimus, facile oriri possent, occasionem amovere: felicique dictorum Monasteriorum directioni, ac paci, & tranquillitati, quantum cum Domino possumus, prospicere cupientes: simulque considerantes, vix sperari posse prædictas Innocentii XII. Prædecessoris literas atque Constitutionem, propter easdem causas & rationes, quæ etiamnum durant, ob quas hactenus in Monasteriis præfatis observari nequiverunt, nec in posterum quoque executioni demandatum ac observatum iri; Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ut dilectus filius noster Trojanus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis Acquaviva nuncupatus, quem in futurum successorem nostrum in Protectione hujusmodi deputavimus, aliique deinceps pro tempore existentes Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum apud eamdem Sedem Protectores, quoad Religiosos pro Ecclesiarum Monasteriorum præfatorum servitio, ipsarumque Monialium spirituali regimine & cura pro tempore etiam deputatos, omnibus & singulis facultatibus per dictos Clementem VIII. ac Urbanum, aliosque prædecessores, ejusdem Ordinis Protectoribus concessis & attributis: necnon auctoritate & jurisdictione quibus usi fuerint, Nosque tamquam Protectores hujusmodi usi fuimus & utimur, similiter uti ac potiri & gaudere libere licite, & valide possint & valeant, harum serie declaramus, statuimus, atque indulgemus; sicque & non aliter per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, dictæque Sedis Nuncios, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Et cum in posterum sint duraturæ.

Facultates a Clemente & Urbano PP. concessæ in perpetuum eisdem confirmantur Protectoribus.

§. 3. Non obstantibus præmissis, aliisque Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis, Ecclesiarum, & Monasteriorum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat speciliter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Obstantium derogatio.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 25. Septembris 1733. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

F. Cardinalis Oliverius.

CXI. Indultum, ut Fratres Minores Sancti Francisci Capuccinorum nuncupat. in Gallia existentes, possint excipere Confessiones Monialium in Claustris degentium.

Iisdem durantibus cautis a Successoribus concessa.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. die 26. Sept. 1733. Pont. An. IV.

Causæ petendæ concessionis.

§. 1. CUm, sicut dilectus filius Cherubinus de Noves, Frater expresse Professus, Custos, & Socius Generalis Ordinis Minorum Sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum, tam suo, quam dilectorum filiorum Fratrum, & præsertim Ministrorum Provincialium in Regno Galliarum existentium ejusdem Ordinis, nomine, Nobis nuper exponi fecit, Fratres prædicti ad excipiendas Sacramentales Confessiones Monialium, aliarumque personarum ægrotantium, in Claustris degentium, multoties ab Ordinariis locorum invitentur, quin eis hac in re morem gerere valeant, eo quod per Regulam ipsius Sancti Francisci Cap. XI. Fratribus universis dicti Ordinis præcipitur, ne ingrediantur Monasteria Monialium, præter illos, quibus a Sede Apostolica specialis ad id concessa est facultas; Nobis propterea idem Cherubinus, quo supra nomine humiliter supplicari fecit, quatenus in præmissis opportune providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur Cherubinum, aliosque Fratres prædictos, specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Fratribus dicti Ordinis Minorum S. Francisci Cappuccinorum, in Regno Galliarum commorantibus, ad audiendas Confessiones præfatas idoneis, ac legitime approbatis, ut ipsi quotiescumque a locorum Ordinariis pro excipiendis Sacramentalibus Confessionibus Monialium, aliarumque personarum ægrotantium, intra Claustra degentium tantum requisiti fuerint, de Superiorum suorum licentia Claustra ejusmodi ingredi, illarumque Confessiones audire, illasque ab earum peccatis, pœnitentia salutari & aliis, quæ injungenda fuerint, eis respective injunctis, absolvere libere & licite possint & valeant, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus & indulgemus.

Quæ benignè indulgetur.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes, easdem præsentes literas semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & diffiniri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 26. Septembris 1733. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

Abbati Generali, ac Diffinitoribus Congregationis Olivetanæ, quod deinceps Capitulum Generale ejusdem Congregationis Dominicâ tertia post Pascha Resurrectionis Dominicæ, sicque tres dies serius quam hactenus fieri consuevit, celebrari debeat, facultas conceditur.

CXII.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. die 30. Sept. 1733. Pont. An. IV.

§. 1. EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Congregationis Montis Oliveti Monachorum Ordinis Sancti Benedicti, totius ejusdem Congregationis nomine, quod illius Capitulum Generale singulis trienniis feria quinta ante Dominicam tertiam post Pascha Resurrectionis Dominicæ celebrari consuevit in principali Monasterio, Montis Oliveti Majoris nuncupato, quod in deserto loco, seu solitudine de Accona Dominii Senensis consistit, ac ita omnia in dicta Congregatione ordinata & disposita sunt, ut negotia in ejusmodi Capitulo Generali tractanda, intra quinque dies dumtaxat absolvantur; eoque brevi temporis spatio satis provideatur publicis privatisque singulorum Monasteriorum ipsius Congregationis necessitatibus.

Qua die celebrari soleat Capit. Gen.

Quotoque tempore durare.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, prædictus locus de Accona quatuor millium passuum a via publica, & undequaque a frequentia habitatorum remotus sit, convenientibusque in Monasterium prædictum omnibus Abbatibus, ac Vocalibus dictæ Congregationis præter Monachos de familia, in eo degentes Conversos, Vectuarios, & Ministros, non sine gravi incommodo ac dispendio parari possint pisces, ova, & lacticinia diebus, quibus carnium usus prohibetur, utpote quorum esculentorum illic copia non suppetit, vel quæ emenda veniunt cariori pretio, ac etiam pravæ qualitatis, cum detrimento valetudinis Religiosorum illuc ex longinquis partibus adventantium, quibus mora quinque dierum hujusmodi tantùm ibidem præstituta est; dictum vero Monasterium inopia laboret, ac multo ære alieno gravetur, atque ex annuis contributionibus reliquorum Monasteriorum ejusdem Congregationis substentetur; cupiatque propterea Procurator Generalis prædictus, opportune in præmissis a Nobis provideri, & ut infra, indulgeri; Nos ipsum Procuratorem Generalem specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantùm consequendum, harum serie absolventes & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, dilectis filiis Abbati Generali, ac Definitoribus præfatæ Congregationis in proxima illius dicta annuali insimul congregandis, quod deinceps Capitulum Generale ejusdem Congregationis ipsa Dominica tertia post Pascha Resurrectionis Dominicæ, sicque tres dies seriùs quam hactenus fieri consuevit, celebrari debeat; Itaut, durantibus tribus diebus hujusmodi, Abbates, Generalis, & Locales, ac Visitatores dictæ Congregationis pro tempore extantes in suis respective muneribus, prout antea, continuare libere licite & valide possint & valeant, statuendi & ordinandi facultatem auctoritate Apostolica tenore præsentium tribuimus & impartimur.

Locus, ejusque incommoda potissimum ad victum comparandum.

Dispositio, de qua in Rubrica.

§. 3. Decer-

Clauſulæ.

§. 3. Decernentes, ipſas præſentes literas firmas, validas & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere; ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Congregationis, Ordinis, & Monaſterii præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis.

§. 5. Quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 30. Septembris 1733. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

CXIII. Præcipitur ne quis notam aut cenſuram ullam Theologicam Catholicorum Scholis diverſa in explicanda Divinæ Gratiæ efficacia ſentientibus inurere, aut earum ſententias contumeliis inceſſere audeat.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. die 2. Octob. 1733. Pont. An. IV.

Exordium.

APoſtolicæ providentiæ officio a Prædeceſſoribus Noſtris ſel. record. Clemente XI. & Benedicto XIII. ſapienter impenſo ad diſſipandas novatorum calumnias & artes, per quas inducta proſcriptis erroribus Catholicorum dogmatum larva, & Sanctorum Doctorum illuſtria nomina obtendentes, ſimplicium animos a debita Conſtitutioni, quæ incipit *Unigenitus*, obedientia deterrere moliebantur, Nos paterna quoque ſollicitudine inhærentes, magnopere dolemus, tenebras à diſſenſionis filiis offuſas nondum ex quorundam mentibus ſatis eſſe diſcuſſas; ſed pleroſque etiam nunc intolerabili pertinacia contendere, cenſuris laudatæ Conſtitutionis doctrinam Sanctorum Auguſtini, & Thomæ de Divinæ Gratiæ efficacia eſſe perſtrictam.

Per laudes Doctrinæ S. Thomæ datas cæteræ non reprobantur Sententiæ.

§. 1. Ut igitur nullas charitatis partes ad revocandos errantes Nobis reliquas faciamus, univerſis, & ſingulis Chriſtifidelibus quacunque dignitate, etiam Epiſcopali, & majori fulgentibus in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipimus, & ſub Canonicis pœnis mandamus, ne diſputantes, aut docentes ſive in Scholis, ſive in Concionibus, ſive ſcriptis editis, ſive aliter propoſitiones defendant, aut enuncient, quæ antedictas novatorum calumnias firmare, ac promovere poſſint, Mentem tamen eorundem Prædeceſſorum Noſtrorum compertam habentes, nolumus aut per Noſtras, aut per ipſorum laudes Thomiſticæ Scholæ delatas, quas iterato Noſtro judicio comprobamus & confirmamus, quidquam eſſe detractum cæteris Catholicis Scholis diverſa ab eadem in explicanda Divinæ Gratiæ efficacia ſentientibus, quarum etiam erga hanc Sanctam Sedem præclara ſunt merita, quominus ſententias ea de re tueri pergant, quas hactenus palam & libere ubique, etiam in hujus Almæ Urbis luce, docuerunt & propugnarunt.

Prohibitio, de qua ſupra.

§. 2. Quamobrem ſel. record. Pauli V., & aliorum Prædeceſſorum Noſtrorum ad reſtringendum diſſenſionum fomitem veſtigia proſequentes, & ſaluberrima mandata renovantes, auctoritate quoque Noſtra omnibus & ſingulis ſuperius expreſſis interdicimus & prohibemus ſub iiſdem pœnis, ne vel ſcribendo, vel docendo, vel diſputando, vel alia qualibet occaſione notam aut cenſuram ullam Theologicam iiſdem Scholis diverſa ſentientibus inurere, aut earum ſententias conviciis, & contumeliis inceſſere audeant, donec de iiſdem controverſiis hæc Sancta Sedes aliquid definiendum, ac pronunciandum cenſuerit. Pacem ſiquidem, quam cum veritate diligendam Dominus præcepit, inter Catholicæ Eccleſiæ Filios fovere, & communire debemus, & curamus; ut conjunctis diverſarum licet Scholarum ſtudiis firmius ſit adverſus erroris inſidias præſidium.

§. 3. Propterea locorum Ordinariis, Inquiſitoribus, cæteriſque Judicibus Eccleſiaſticis injungimus, ut altercationes, & contentiones, quæ diſputationis æſtu animos abripiente, in Chriſtiani populi ſcandala erumpere poſſent, per Canonica remedia compeſcant; iiſdem facultatem ad id neceſſariam, & opportunam impertientes; in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 2. Octobris 1733. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

C. Archiepiſcopus Emiſſenus.

CXIV. Generali Congregationis Montis Oliveti Ordinis Sancti Benedicti facultas conceditur deſtinandi pro libito Abbatem in Monaſterio Sanctæ Mariæ Novæ, abſque regimine, cum voce tamen activa & paſſiva.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. die 6. Octob. 1733. Pont. An. IV.

§. 1. NUper pro parte dilecti filii Procuratoris Generalis Congregationis Montis Oliveti Monachorum Ordinis Sancti Benedicti Nobis expoſitum fuit, quod, cum per alias noſtras in ſimili forma Brevis noviſſime expeditas literas Abbatiam & Regimen Monaſterii Sanctæ Mariæ Novæ nuncupat. de Urbe Procurationi generali ejuſdem Congregationis Montis Virginis, itaut deinceps Procurator Generalis pro tempore exiſtens dictæ Congregationis inſimul Abbas Monaſterii prædicti eſſet, ac eſſe deberet, perpetuo univerimus & annexuerimus, ac unita & annexa fore declaraverimus; ſicque numerus Abbatum prædictæ Congregationis impoſterum diminuendus foret, dilecti vero filii moderni Abbas ac Deffinitores Generales ipſius Congregationis minime expedire exiſtiment, uni potius quàm alteri e ſex Provinciis, quibus eadem Congregatio conſtat, unum Abbatem adimere; idem Procurator Generalis pro quiete & tranquillitate dictæ Congregationis illius Abbati Generali pro tempore exiſtenti, ad quem juxta Conſtitutiones ipſius Congregationis diſtributio regiminis Monaſteriorum ſpectat, facultatem concedi, plurimum deſiderat, relinquendi ſemper unum Abbatem pro arbitrio ſuo abſque gubernio cum voce tamen activa & paſſiva in Capitulis Generalibus, cæteriſque aliorum Abbatum prærogativis & præeminentiis; Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportune providere, &, ut infra, indulgere de be-

Vid. ſuperius.

Petitio.

nignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur prædictum Procuratorem Generalem specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Abbati Generali dictæ Congregationis pro tempore existenti, ut ipse semper unum Abbatem sine regimine Monasterii ejusdem Congregationis, qui tamen voce activa & passiva in Capitulo Generali, cæterisque prærogativis ac præeminentiis ad instar aliorum Abbatum Regiminis frui ac potiri debeat, arbitrio suo relinquere ac destinare libere & licite possit & valeat, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus & indulgemus.

Concessio.

§. 2. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis; necnon, quatenus opus sit, Congregationis & Ordinis prædictorum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Obstantium derogatio.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annullo Piscatoris die 6. Octobris 1733. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

CXV.

Constituitur Procurator in Urbe pro Missionibus exteris Ordinis Minorum S. Francisci Cappuccinorum.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. die 10. Octob. 1733. Pont. An. IV.

§. 1. EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Cherubinus de Noves, Frater expresse Professus, Custos, ac Socius Generalis Gallus, Ordinis Minorum Sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum, quod dilecti filii Ministri Provinciales Regni Galliarum dicti Ordinis, Missionibus exteris, quæ Fratribus ejusdem Ordinis sub ditione charissimi in Christo filii Nostri Ludovici Francorum Regis Christianissimi degentibus demandatæ sunt, auctoritate Apostolica præfecti, tempore ultimi Capituli Generalis Ordinis præfati in Alma Urbe Nostra celebrati, ipsum Cherubinum Procuratorem in Romana Curia dictarum Missionum, quarum curam & onus ab undecim jam annis laudabiliter, & ex animi nostri sententia sustinuit, unanimi consensu constituerunt ac deputarunt, quemadmodum quoque factum est a dilecto filio moderno Ministro Provinciali Provinciæ Hiberniæ prædicti Ordinis, & aliàs, prout uberius continetur in eorumdem Ministrorum Provincialium patentibus literis desuper expeditis, tenoris, qui sequitur.

A Capitulo Generali constitutus Procurator pro Missionibus exteris.

Literæ Patentes Provincialium Provinciarum Galliæ, & Hiberniæ.

Reverendissimo Patri Cherubino de Noves, Ordis Minorum Sancti Francisci Cappuccinorum Alumno, Concionatori Provinciæ Sancti Ludovici, in Romana Curia generaliter Assistenti Provinciis, & Missionibus Gallicanis ejusdem Ordinis, ac propriæ Nationis, Provinciæ suæ pro Comitiis Generalibus Custodi, Consultori Sacrarum Congregationum super Indulgentiis, Reliquiis, necnon Sacræ Congregationis Indicis, sanctique Officii Qualificatori,

Nos Provinciales infrascripti ejusdem Ordinis & Nationis, præfectique Apostolici, licet immeriti, salutem in Domino.

Cum plurima Nobis incumbant tum apud Summum Pontificem, & Sanctam Congregationem, tum apud alios sive intra sive extra Religionem Romæ gerenda negotia pro Missionibus & Missionariis Nostris, qui a Sacra Congregatione deputati, ac Regis Nostri Christianissimi protectione suffulti, toti se tradunt Infidelium Conversioni, Reverendissimam Paternitatem Vestram, de cujus pietate, prudentia, probitate, summo zelo, experientia, & capacitate plurimum in Domino confidimus, ad ea pertractanda negotia in Procuratorem præfatarum Missionum deputandam judicavimus. Ideo virtute præsentium Paternitati Vestræ Reverendissimæ facultatem facimus, & omnem auctoritatem nostram committimus in his omnibus, quæ versantur tum circa nostras Missiones, tum circa alia quæcumque negotia, pro quibus recurrendum nobis foret ad Curiam Romanam easdem Missiones: resque alias, quæ ad Provincias nostras pertinent, humillime in Christo commendantes. interim Deum Optimum Maximum suppliciter deprecamur, ut Reverendissimæ Paternitati Vestræ det illam Sedium suarum assistricem Sapientiam, quæ cum ipsa sit semper, & laboret, eamque ad communem Ecclesiæ utilitatem, Ordinisque nostri ac nostræ Nationis decorem diu incolumem servet. In quorum fidem præsentes manu propria subsignatas dedimus in Conventu nostro Romano die 4. mensis Junii 1733.

Fr. Claudius Maria Ambianensis Provincialis Provinciæ Parisiensis.

Fr. Franciscus Maria Tannayensis Provincialis Provinciæ Turonensis.

Fr. Gregorius Alenconius Provincialis Provinciæ Normanniæ.

Fr. Josephus Maria Dolensis Provincialis Provinciæ Britanniæ.

Fr. Joannes Baptista a Gratianopoli Provincialis Provinciæ Lugdunensis.

Fr. Nicolaus a Calvomonte Provincialis Campaniæ.

Reverendissimo Patri Cherubino de Noves Ordinis Minorum Sancti Francisci Cappuccinorum Alumno, Concionatori &c.

Nos Fr. Philippus à Kennedy Custos, & Præfectus Apostolicus Cappuccinorum Missionis Hiberniæ, licet immeriti, salutem e fonte salutis sempiternam.

Cum plurima Nobis incumbant tum apud Summum Pontificem, & Sanctam Congregationem, tum apud alios sive intra sive extra Religionem gerenda negotia pro Missionibus & Missionariis nostris &c. In Conventu nostro Romano die 12. Augusti anno salutis 1733.

Fr. Philippus, qui supra.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, ipse Cherubinus, quo munus, sibi per memoratos Ministros Provinciales commissum, utiliùs atque efficaciùs cum Socio suo Nationali, juxta antiquum supradicti Ordinis usum ei concesso, exequi possit, præmissa Apostolicæ confirmationis nostræ præsidio communiri plurimum

desideret; Nos prædictum Cherubinum specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ac effectum præsentium tantum consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, deputationem ejusdem Cherubini in Procuratorem dictarum Missionum exterarum in Romana Curia, a Ministris Provincialibus Regni Galliarum & Hiberniæ, sicut præmittitur, factam, expeditasque desuper patentes literas præfatas, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjungimus, ac omnes & singulos juris & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Dicta Deputatio confirmatur.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes, ipsas præsentes literas firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, dictoque Cherubino in omnibus & per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis; necnon, quatenus opus sit, Ordinis & Provinciarum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum præsentes pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 10. Octobris 1733. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

Pro D. Cardinale Oliverio
C. Archiepiscopus Emissenus.

CXVI.

Fratribus Congregationis Hispaniarum Ordinis Sancti Joannis Dei, & Congregationis Italiæ dicti Ordinis, prohibetur, ne alterutri ex dd. Congregationibus aggregentur sine consensu eorum respective Generalis.

Dat. die 14. Oct. 1733. Pont. An. IV.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Causæ hujusce edendi Decreti.

§. 1. CUm, sicut dilectus filius Laurentius Navarro Frater expresse Professus, ac Procurator Generalis Congregationis Hispaniarum Ordinis Sancti Joannis Dei, Nobis nuper exponi fecit, Superiores Generales ejusdem Congregationis occasione præteritarum litium & controversiarum, quæ dictam Congregationem diu multumque exagitarunt, animadverterint, quod nonnulli illius Fratres accessum ad Sedem Apostolicam, ut se defendant adversus asserta gravamina, a prædictis Superioribus Generalibus eis illata prætexentes, ab ipsorum Superiorum Generalium obedientia & jurisdictione sese subtrahere, atque e præfata Congregatione Hispaniarum ad Congregationem Italiæ Ordinis prædicti, mediante etiam beneplacito Apostolico, absque eorumdem Superiorum Regularium consensu transire procurant, in grave dictæ Congregationis Hispaniarum præjudicium, ac Regularis disciplinæ detrimentum; cupiatque propterea ipse Laurentius, opportune in præmissis a Nobis provideri, &, ut infra, indulgeri; Nos prædictum Laurentium specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, & attenta relatione dicti filii Nostri Joannis Antonii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis Guadagni nuncupati, in Alma Urbe Vicarii Nostri in spiritualibus Generalis, ac Ordinis præfati apud dictam Sedem Protectoris, Nobis super præmissis facta, Generalibus, aliisve quibuslibet Superioribus tam Congregationis Italiæ, quam Congregationis Hispaniarum Ordinis hujusmodi, nunc & pro tempore existentibus, ne deinceps Fratres alterutrius ex dictis Congregationibus, absque expressis consensu & licentia eorum respective Prioris Generalis, suæ Congregationi adscribere & aggregare ullatenus audeant seu præsumant, harum serie auctoritate Apostolica prohibemus.

Declaratio, quod Fratres uniùs Congregat. alteri aggregari nequeant.

§. 2. Præterea salubri dispositioni fel. rec. Urbani PP. VIII. Prædecessoris Nostri, per suas in simili forma Brevis die 20. Septembris 1634. editæ, inhærentes, statuimus, ut Fratres dictæ Congregationis Hispaniarum, in Italia degentes, stent & maneant sub jurisdictione & correctione Prioris Generalis Congregationis Italiæ; ac vicissim, si qui Fratres Congregationis Italiæ fuerint in Provinciis a Congregatione Hispaniarum dependentibus, subjaceant jurisdictioni & correctioni Superiorum Congregationis Hispaniarum: exceptis tamen Procuratore Generali, ac aliis Fratribus dictæ Congregationis Hispaniarum in eadem Urbe commorantibus, quos quidem Fratres Correctioni Procuratoris Generalis, ipsum vero Procuratorem Generalem jurisdictioni Protectoris Ordinis nunc & pro tempore existentis, auctoritate præfata tenore præsentium immediate subjicimus.

Fratres vero Congr. Hispan. in Italia degentes, stent sub correctione Prioris Congreg. Italiæ; & V. V.

§. 3. Volentes insuper, quod, si & quando in aliqua Provincia Congregationis Italiæ reperietur Frater Congregationis Hispaniarum, Superiores locales id quamprimum renuntiare debeant Priori vel Procuratori Generali ejusdem Congregationis Hispaniarum, ut in eum, si alicujus delicti reus fuerit, debite animadverti possit.

§. 4. Decernentes, easdem præsentes literas semper firmas, validas & efficaces existere, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Roboratio præsentium Literarum.

§. 5. Non obstantibus quoad ea, quæ præsentibus adversantur, supradictis Urbani Prædecessoris literis, ac quatenus opus sit, re. mem. Innocentii PP. XII. etiam Prædecessoris Nostri,

Obstantium derogatio.

super

super moderatione facultatum Protectorum Ordinum Regularium, aliisque Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon præfatorum Ordinis, Congregationum, & Provinciarum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis.

§. 6. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 14. Octobris 1733. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

CXVII. Designantur Urbes nonnullæ Italiæ tamquam insigniores, in quibus ii ex Ordine Fratrum Eremitarum S. Augustini, qui per decennalem Prædicationis cursum Magisterium in Ordine adipisci quærunt, Quadragesimales Conciones, vel decennales habere debeant.

Dat. die 10. Nov. 1733. Pont. An. IV.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Petitio quibus innixa rationibus.

§. 1. EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Nicolaus Antonius Schiaffinati, Prior Generalis Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini, quod in Capitulo Generali ejusdem Ordinis anno 1685. in alma Urbe celebrato, statutum fuit, ut ii dumtaxat Fratres Ordinis prædicti intra Italiam ad Magisterii lauream promoverentur, qui vel per quinquennium munus Regentis Studiorum obivissent, vel per decennium Dei verbum in insignioribus seu principalioribus ipsius Italiæ Urbibus cum plausu justaque fama prædicassent. At cum sæpius animadversum sit, postrema ejusmodi statuti verba incertum & nimis late patentem sensum continere aut recipere, indeque non raro contingere posse, quod nonnullæ Italiæ Urbes ab aliquo Priore Generali dicti Ordinis (cujus est, dubia illius statuta interpretari) non habeantur inter insigniores, quæ ab aliis Prioribus Generalibus, pro varia cujusque animi affectione, tales antehac reputatæ fuerint, aut imposterum reputentur; sicque concio Quadragesimalis, vel Annalis, per Religiosos ejusdem Ordinis habita, inter legitima requisita ad Magisterium assequendum sit quandoque adnumerata vel adnumeranda, & vicissim quandoque respuenda; hinc ipse Nicolaus Antonius Prior Generalis ad istam ambiguitatem tollendam, certamque in præmissis normam deinceps firmandam atque stabiliendam, cum sua Congregatione, ac etiam consensu novissimi Capituli Generalis dicti Ordinis, opportunum censuit, per Decretum ab eo desuper editum determinare, ac nominatim exprimere Urbes Italiæ, quæ insigniores reputari deberent quoad Concionem Quadragesimalem & Annalem, pro adipiscendo Magisterio in Ordine præfato requisitam, in hunc modum, videlicet.

Designatio per Prio-

Ancona, Andria, Bari, Bologna, Firenze, Genova, Livorno, Messina, Napoli, Padova, Palermo, Pavia, Perugia, Pistoja, Rimino, Roma, Siena, Treviso, Udine, Venezia, Verona, Vicenza; e purche le dette Predicazioni siano principiate almeno dalla Festa di tutti i Santi, e proseguite in tutti li giorni Festivi fino alla terza Festa del Santo Natale; Dichiarando in oltre, ed espressamente determinando, che sotto questa medesima legge siano, e s'intendano compresi anco quei Predicatori Generali già approvati, e che non hanno conseguito finora il grado del Magistero. Saranno ancora approvate per requisiti, come sopra, le Predicazioni Quaresimali, che avranno fatte per una sola volta rispettivamente nelle infrascritte Chiese Catedrali, cioe: Ancona, Aquila, Aversa, Bari, Bergamo, Bologna, Brescia, Capua, Catansaro, Cesena, Chieti, Cosenza, Faenza, Fermo, Ferrara, Firenze, Foggia, Foligno, Genova, Imola, Lecce, Livorno, Mantova, Matera, Messina, Milano, Modena, Napoli, Padova, Palermo, Parma, Pavia, Peruggia, Pesaro, Piacenza, Pisa, Pistoja, Prato, Rimino, Roma in una delle Basiliche, Salerno, Siena, Sorrento, Taranto, Terni, Torino, Treviso, Udine, Venezia, Verona, Vicenza, e Viterbo; Siccome ancora si approveranno in tal forma i Quaresimali, che sogliano da noi darsi per le Chiese dell' Ordine, esistenti nelle suddette, ed in altra Città, riservando al nostro arbitrio di approvare, in qualità pure di requisito, l'Annuale di Genazzano, per la venerazione, che portiamo a quel Santuario.

rem Generalem Ord. facta.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, prædictus Nicolaus Antonius Prior Generalis, præmissa, quò firmius subsistant, ac exactius serventur, Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri, ac aliàs in præmissis opportune a Nobis providere summopere desideret; Nos, ipsum Nicolaum Antonium Priorem Generalem specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum super designatione Urbium Italiæ, quæ pro Concione Quadragesimali & Annali, requisita ad Magisterium in Ordine præfato assequendum, insigniores habendæ & reputandæ veniunt, sicuti præmittitur, editum, auctoritate Nostra Apostolica tenore præsentium approbamus & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos juris & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Confirmatur.

§. 3. Volumus præterea, ac eadem auctoritate declaramus, Decretum præinsertum etiam locum habere quoad Fratres dicti Ordinis, qui decennium Concionum hujusmodi cum approbatione ejusdem Ordinis Priorum Generalium, ipsius Nicolai Antonii antecessorum, jam explevisse existimant, nondum tamen ad Magisterii lauream promoti fuerunt, illosque comprehendere; itaut conciones, ab eis peractæ, etiam a dictis Prioribus Generalibus approbatæ, vim legitimi ad præmissa requisiti non obtineant, nisi in aliqua ex designatis Urbibus habitæ fuerint.

Hæc vero declaratio in præjudicium illorum cadere non debet, qui jam decennalem cursum alibi explevere.

Clausulæ.

§. 4. Decernentes, ipsas præsentes literas semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat & pro tempore quandocumque spectabit, inconcusse observari, illisque respective plenissime suffra-

gari;

gari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis; necnon, quatenus opus sit, prædicti Ordinis, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 10. Novembris 1733. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

CXVIII. Confirmatur Decretum Congregationis Episcoporum & Regularium circa electionem, vel substitutionem Visitatorum Provinciæ Portugalliæ ejusdem Ord. S. Augustini.

Dat. die 23. Nov. 1733. Pont. An. IV.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Petitio.

§. 1. NUper pro parte dilectorum filiorum Emanuelis de Alburquerque Prioris Provincialis, ac Definitorum Provinciæ Portugalliæ Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, Congregationi Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præpositæ, expositio, quod, cum in Constitutionibus dicti Ordinis Apostolica auctoritate confirmatis part. 3. cap. 14. num. 5. ubi agitur de electione Visitatoris seu Visitatorum, habeatur, ut eveniente casu obitus, vel alterius deficientiæ Visitatoris sive Visitatorum in Capitulo Provinciali electorum, si id ante Congregationem intermediam contingat, ad eamdem Congregationem vocari debeant Visitator seu Visitatores præcedentis Capituli Provincialis; sin verò post prædictam Congregationem accidat, jus sit Definitorio privato, alium seu alios in locum deficientium eligendi ac deputandi; In Provincia autem præfata quædam inter duas ejus filiationes seu partialitates alternativa per fe. re. Innocentium PP. XII. Prædecessorem Nostrum, stabilita sit, cui omnes ejusdem Ordinis Constitutiones aptatæ fuerunt, ac ubi de electione Visitatorum sermo est, disponatur quod duo Visitatores ipsius Provinciæ juxta alternativam hujusmodi eligantur, unus ex una, & alius ex altera filiationibus: ac deficiente alterutro ante dictam Congregationem intermediam, succedat alius ejusdem filiationis Capituli proximioris: & si nullus inveniatur illius filiationis, qui succedere possit, eligatur a Definitorio alius filiationis prædictæ: sicut si deficiat post Congregationem intermediam prædictam; licèt hujus dispositionis intelligentia & explicatio, in postremis verbis aliquantum subobscura, desumenda videretur a clariori & literali dispositione supradictarum Constitutionum in casu cujuscumque deficientiæ Visitatoris post dictam Congregationem intermediam; nihilominus Exponentes prædicti ad evitandas contentiones sive controversias, quæ ex ejusmodi verborum ambiguitate excitari possent, memoratæ Congregationis Cardinalium sententiam desuper exquirere opportunum duxissent: ab eaque petiissent, quatenus declarare ac definire vellet: An eveniente casu deficientiæ unius vel utriusque Visitatoris post celebrationem Congregationis intermediæ, electio substituendorum ad Definitorium privatum spectet: seu potius ad officium hujusmodi Visitatores Capituli præcedentis assumendi sint, prout assumi deberent, si deficientia ante celebrationem dictæ Congregationis intermediæ contigisset in casu &c. Emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur:

S. Congregationis Decretum.

Sacra Congregatio Eminentissimorum & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium proposita, referente Eminentissimo Cardinali Gotti Ponente, attenta relatione Patris Procuratoris Generalis Ordinis, re mature perpensa, censuit decernendum, prout decrevit & declaravit: Affirmative ad primam dubii partem, & negative ad secundam; dummodo tamen non sit completa Visitatio, nam Visitatione completa, nec electioni nec substitutioni locus erit. Romæ 13. Novembris 1733.

Card. Franciscus Barberinus.

I. Archiepiscopus Corin. Secretarius.

Confirmatur.

§. 2. Cum autem, sicut pro parte dictorum Emanuelis & Definitorum Nobis subinde expositum fuit, ipsi, Decretum hujusmodi, quò firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desiderent; Nos, ipsos Exponentes specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutas fore censentes, supplicationibus, illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Nostra Apostolica tenore præsentium approbamus & confirmamus; illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus: salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Harum Literarum observantia.

§. 3. Decernentes, ipsas præsentes literas, semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inconcusse observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & diffiniri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis; necnon, quatenus opus sit, Provinciæ, & Ordinis prædictorum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis.

§. 5. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis

aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 23. Novembris 1733. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

CXIX. Breve Sanctissimi Domini Nostri circa appellationes & recursus, a Fratribus Ordinis Eremitarum Sancti Augustini gradatim ad Ordinis ejusdem Superiores faciendos, ad Fratres Discalceatos Congregationum Italiæ & Germaniæ dicti Ordinis extenditur.

Breve hujusmodi lege superius.

Dat. die 7. Dec. 1733. Pont. An. IV.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Aliud Decretum ejusdem formæ pro Ordine S. Augustini emanatum.

§. 1. ALiàs Nos generali decreto dudum a Congregatione tunc existentium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, negotiis & consultationibus Regularium præposita, circa appellationes eorumdem Regularium cujusvis Ordinis, antequam Sedem Apostolicam adire valeant, jussu fel. rec. Sixti PP. V. Prædecessoris Nostri edito, inhærentes, ac supplicationibus pro parte dilecti filii Nicolai Antonii Schiafinati Prioris Generalis Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini Nobis humiliter porrectis inclinati, auctoritate Apostolica statuimus, quod Fratres ejusdem Ordinis Eremitarum Sancti Augustini casibus, in quibus eis de jure vel juxta Constitutiones ipsius Ordinis appellare vel recurrere licebat, id deinceps non aliter facere possent, quàm gradatim, a Priore scilicet ad Provincialem, & a Provinciali ad Generalem dicti Ordinis, itaut causæ appellationis seu recursus hujusmodi, antequam ab eodem Priore Generali cognitæ & definitæ fuissent, extra Ordinem prædictum deferri & agitari nequirent; ac propterea omnibus Romanæ Curiæ Tribunalibus, ac Judicibus, & quibusvis etiam Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ præfatæ Cardinalium Congregationibus, necnon dictæ Sedis Nuntiis pro tempore existentibus, ne Fratrum Ordinis prædicti appellationem seu recursum admitterent, causasque ejusmodi cognoscerent, nisi prius eis legitime constitisset, illas per dictos Superiores, memorato ordine servato, cognitas & definitas fuisse, sub pœna nullitatis actorum ac inde secutorum, & quoad Religiosos appellantes vel recurrentes, sub gravibus nostro & Romani Pontificis pro tempore pariter existentis arbitrio pœnis, prohibuimus, & aliàs, prout in nostris desuper in simili forma Brevis die 15. mensis Septembris proxime præteriti expeditis literis uberius continetur.

Quare petitum, ut ad Fratres Congregationum Italiæ, & Germaniæ extendatur:

§. 2. Cum autem, sicut dilectus filius modernus Vicarius Generalis Congregationis Italiæ & Germaniæ ejusdem Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini Discalceatorum Nobis nuper exponi fecit, ipse pro quiete & tranquillitate dictæ Congregationis, regularisque disciplinæ in ea conservatione, literas nostras præfatas ad Fratres Congregationis prædictæ, addita juxta quasdam rec. mem. Clementis PP. VIII. Prædecessoris itidem Nostri in pari forma Brevis literas die 23. Novembris 1604. emanatas, pœna privationis vocis activæ & passivæ, eo ipso per transgressores tam Superiores quam Subditos incurrenda, extendi; ac insuper, ne dicti Fratres rescripta ad totam Congregationem præfatam spectantia absque licentia Vicarii & Definitorum Generalium pro tempore quoque existentium ejusdem Congregationis a Sede Apostolica procurare audeant, quemadmodum per Constitutiones ipsius Congregationis part. 3. cap. 6. §. 2. cavetur, prohiberi summopere desideret; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, quatenus in præmissis opportune providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, prædictum Vicarium Generalem specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes: necnon literarum Nostrarum præfatarum tenorem, & alia quæcumque, etiam specificam & individuam mentionem & expressionem requirentia, præsentibus pro plene & sufficienter expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, supradictas nostras literas ac statutum & prohibitionem, pro Fratribus Ordinis Eremitarum Sancti Augustini facta, sicut præmittitur, ad Fratres Congregationis Italiæ & Germaniæ ejusdem Ordinis Discalceatorum; adeout in causis eorum appellationis vel recursus similiter gradatim procedatur, nimirum a Priore ad Provincialem & Definitorium Provinciale, & ab his ad Vicarium Generalem & Definitorium Generale, priusquam Sedes Apostolica adeatur, sub pœna privationis vocis activæ & passivæ, per Fratres & Superiores dictæ Congregationis, qui præmissis contravenerint, eo ipso incurrenda, auctoritate Apostolica tenore præsentium extendimus & ampliamus. Cæterum quoad procurantes rescripta a Sede prædicta, universam Congregationem præfatam concernentia, sine licentia dictorum Vicarii & Definitorum Generalium, Constitutiones ipsius Congregationis servari mandamus.

Prout de facto extenditur.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes, easdem præsentes literas semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat & pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon præfatorum Ordinis & Congregationis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis.

§. 5. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 7. Decembris 1733. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

Confir-

CXX. Confirmatio quorumdam Decretorum & Statutorum Congregationis Hiſpaniæ Fratrum Diſcalceatorum Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum.

Dat. die 10. Dec. 1733. Pont. An. IV.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

IN ſupremo militantis Eccleſiæ Solio per ineffabilem divinæ Bonitatis abundantiam, nullo licèt meritorum noſtrorum ſuffragio conſtituti, ea, quæ pro ſalubri Congregationum Religioſorum Virorum, qui Altiſſimi obſequiis ſub ſuavi Religionis jugo mancipati ſunt, directione provide prudenterque conſtituta ſunt, ut firma ſemper atque inviolata perſiſtant, Apoſtolici muniminis præſidio, cum id a Nobis petitur, libenter roboramus.

Tenor ſupplicationis.

§. 1. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Michael a Sancto Raphaele, Procurator Generalis Congregationis Hiſpaniæ Fratrum Diſcalceatorum Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, quod Capitulum Generale, & Definitorium Generale Congregationis hujuſmodi quaſdam novas leges, decreta, & ſtatuta pro felici proſperoque ipſius Congregationis regimine, præſertim pro Capitulorum Generalium celebratione, fecerunt, & in unum volumen redigi curarunt, tenoris, qui ſequitur, videlicet.

Tenor Legum, Decretorum, & Statutorum, de quibus ſupra fuit facta mentio, talis eſt, prout ſequitur, videlicet:

Exordium Statutorum.

Poſtquam Sanctiſſimus Dominus Noſter Clemens Papa XII. per ſuas literas in forma Brevis die 11. Septembris 1730. ea confirmavit Decreta & Statuta, quæ ad uniforme gubernium omnium Provinciarum intra & extra Hiſpaniarum Regna erant erectæ, & erigerentur in poſterum; celebratis jam ſex Provinciarum Capitulis, ſtabilitoque earum uniformi gubernio, hæc Excalceatorum Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, Congregationis Hiſpaniarum nuncupata, Religio humillime & vehementer deſiderat, quod alia nunc Decreta, quæ vi facultatis a fel. rec. Domino Noſtro Benedicto XIII. conceſſa Capitulo Generali tunc futuro, & Diffinitorio Generali ſequenti, per ſuas literas in forma Brevis die 26. Februarii 1728. facta quidem, & ſtabilita a prædictis Capitulo & Diffinitorio, crebro ſtudio, & omni meditatione præmiſſis, integroque quotidianis ſeſſionibus anno conſumpto a Diffinitorio, utpote ad celebrationem inſtantis Capituli Generalis conducentia, imo ſtatutis jam Capitulis Provincialibus neceſſaria, Apoſtolicæ auctoritatis confirmationem roburque conſequi mereantur & obtineant: Ideo adjunctis nonnullis, quæ vim Conſtitutionis pertrium Capitulorum confirmationem circa obſervantiam obtinuerunt, juxta Conſtitutionem fel. rec. Sanctiſſimi Domini Noſtri Clementis PP. X. cuncta Sanctæ Sedis authoritati proponenda, & Apoſtolicam confirmationem petendam hîc ſubjiciuntur, videlicet:

I.

In Religione Excalceata duæ Familiæ:

Quod in noſtra Religione Excalceata erunt duæ Familiæ, in quas totus veniat Univerſalis Ordo diviſus: quarum una denominabitur intra-Hiſpana: & extra-Hiſpana altera. Utraque erit ſub Titulari ſibi Electo.

II.

Ex quarum una Miniſter Gen., ex altera Commiſſarius Gener. eligendi.

Quod ex his duabus Familiis unus Miniſter Generalis in Caput & earum Superiorem eligendus eſt, & poſtea Commiſſarius Generalis in Superiorem Generalem familiæ, de qua Miniſter Generalis non fuerit aſſumptus: itaut Miniſtro Generali tamquam Superiori omnium Commiſſarius Generalis & cæteri omnes humiliter pareant & obediant; quin ſub pœna tranſgreſſionis obedientiæ ulli cæterorum, nec toti Diffinitorio alterius Familiæ, liceat reſiſtere illius mandatis, præſertim poſt ſecundam juſſionem, in quâ expreſſa ſit clauſula: Non obſtantibus his, quæ Nobis expoſita ſunt: quando expoſita referantur ad literam.

III.

Commiſſarii juriſdictio a ſolo Miniſtro Gen. poteſt impediri.

Quod ſimiliter ſua Familia obedire tenebitur ſuo Commiſſario Generali, qui vel juriſdictione ordinaria vel delegata in aliquo caſu gubernium totius Familiæ tenet, quin impediri aut retardari poſſit ab alio, quàm ab omnium Superiore Miniſtro Generali Ordinis.

IV.

Miniſter Generalis primò ex una, ſecundò ex altera Familia aſſumendus.

Quod ut ſemper ac futuris temporibus ſine aſſcujus Familiæ ſive Regionis murmure aut querela unitas Religionis ſub uno Capite permanere poſſit & debeat, in proxima futura Electione Miniſtri Generalis, facienda juxta Sanctam Regulam, eligendus & aſſumendus eſt in hoc munus filius Familiæ Hiſpaniæ: & in Commiſſarium Generalem alterius Familiæ, ſcilicet extra-Hiſpanæ aſſumendus eſt filius ejus.

V.

Quod finito ſexennio poſt prædictam primam Electionem futuram, eligendus eſt in Miniſtrum Generalem Ordinis filius extra-Hiſpanæ Familiæ; & in Commiſſarium Generalem pro ſua Familia filius Familiæ Hiſpanæ.

VI.

Quod hac ſemper viciſſitudine impoſterum fiat Electio Miniſtri Generalis Ordinis in Capitulo Generali.

VII.

Quo moriente tempore ſui ſexennii ex eadem Familia Vic. G. eligendus.

Quod ſi durante ſexennio Miniſtrum Generalem Ordinis mori contingat, vel alia quavis cauſa ejus officium vacaverit, ex eadem Familia illius eligendus eſt Vicarius Generalis Ordinis, qui, excepto nomine Miniſtri in omnibus & per omnia eamdem juriſdictionem & præeminentias habere debet, ac Miniſter Generalis habuerat, & quod ejus officium duret dumtaxat uſque in finem illius ſexennii, ne privetur Familia Superiore Generali Ordinis adhuc per breve tempus ante Capitulum, nec inter Familias alteretur viciſſitudo.

VIII.

Quod ſervandum obveniente obitu, ceſſione &c. Commiſ. Gen.

Quod ſi contingat, Commiſſarium Generalem deficere in alia Familia, mortis, renuntiationis, aut alia quavis cauſa, tunc Miniſter Generalis ex eadem ejus, qui defecerit, familia eligat Vice-Commiſſarium, qui auctoritate delegata, & nomine delegantis expreſſo omnes illi commiſſas facultates uſque ad proximum Capitulum exerceat.

IX.

Cap. Gener. quoto, & quali tempore celebrandum.

Quod Capitulum Generale ad præſcriptum Regulæ celebretur de triennio in triennium Sabbatho ante quartam Dominicam poſt Paſcha extra Curias Principum, in domo deſignanda a Miniſtro Generali Ordinis, quatenus ipſe præſideat, conſulto Diffinitorio Generali ipſius: vel a Commiſſario Generali, conſultis Diffinitoribus ſuæ Familiæ, Miniſtro Generali non præſidente.

X.

Quid præſtandum ante Capituli celebrationem.

Quod tempore Capituli non admittantur hoſpites, nec domum capitularem ingrediantur Vocales per duos menſes ante celebrationem Capituli, niſi fuerit Pater Provincialis illius Provinciæ, exceptis Socio, ſi Miniſter fuerit,

& Vocalis illæ, qui ante annum habeat in eadem domo ſuam ibi deſignatam reſidentiam continuam.

XI.

Quod Miniſter Generalis, & ejus Diffinitorium præexiſtere debent ante Capitulum in eadem domo Capitulari, & cæteri Vocales ingredi teneantur Feria Quinta ante prædictam Dominicam quartam poſt Paſcha.

XII.

Quod Pater Miniſter Generalis tempore apto, ut omnes, qui convocandi ſunt, ad Capitulum congregentur, mittat literas vocatorias omnibus Vocalibus, qui teneantur concurrere, & invitatorias, quibus licitum ſit non concurrere, eaſque omnes mittat cum expreſſione temporis & loci celebrationis imminentis Capituli Generalis; & quod ſi hujuſmodi literæ ad aliquem Capitularem non pervenerint, nihilominus ipſe concurrat, & vocatus intelligatur; dummodo conſtet de promulgatione Capituli Generalis facta, & in ſua Provincia aliis nota.

XIII.

De Præſide ejuſdem Capituli.

Quod in Capitulo Generali Ordinis ſemper præſideat Superior Generalis illius, ſive Miniſter: ſive pro caſu Miniſtri defectus, Vicarius Generalis cognominetur; & quod ſi congregato jam Capitulo, ipſe ægrotaverit, vel propter aliam cauſam non acceſſerit ad Capitulum, tunc Commiſſarius Generalis alterius Familiæ erit Præſes Capituli, ejuſque præſidentia durabit uſque ad finem dicti Capituli, niſi præſens fuerit noviter Electus in Miniſtrum Generalem, quia tunc præſidentiam habere debet; & quod ſi etiam contingat, congregato Capitulo, Miniſtrum Generalem & Commiſſarium Generalem alterius Familiæ ſimul deficere, tunc Præſes Capituli eligatur ab omnibus Vocalibus ſimul, & uſque in finem Capituli præſidentiam habeat, niſi noviter electus in Miniſtrum Generalem ſit præſens.

XIV.

Qui ſuffragium in eo habere debeant.

Quod in Capitulo Generali ſuffragium tantum habeant ſequentes: Præſes Capituli, ſive ſit Miniſter Generalis, ſive Vicarius Generalis, ſive Commiſſarius alterius Familiæ, ſive Præſes electus a Capitulo: deinde Commiſſarius Generalis, vel Vice-Commiſſarius Familiæ, ex qua novus Miniſter Generalis aſſumendus eſt: Item Diffinitores Generales Ordinis, & poſtea Diffinitores Generales Familiæ: omnes Miniſtri vel Vicarii Provinciales: ſinguli Socii primi pro ſingulis Provinciis Ordinis: Procurator Generalis Ordinis, itaut quoties in Hiſpania celebretur Capitulum Generale, ſuffragium habeat Procurator Generalis Hiſpaniæ, & quoties celebretur Capitulum extra Hiſpaniam, ſuffragium habeat Procurator Generalis Curiæ Romanæ: atque etiam ſuffragium habebit Secretarius Generalis Miniſtri Generalis, qui ſpirat: & præterea ſuffragium habere poterit, qui aliquando fuerit Superior Generalis Ordinis, vel Familiæ, Miniſter ſcilicet, Vicarius, Commiſſarius, vel Vice-Commiſſarius: & quod ſub pœna privationis ad ulteriora Ordinis officia nullus, ne ad Capitulum adeat, niſi propter infirmitatem, excuſari poſſit, illis exceptis, qui antea Superiores Generales fuerunt, quibus, dummodo actu non ſint Vocales, liberum erit adire vel non adire Capitulum propter ætatem & labores antea ſuſceptos.

XV.

Locorum in eo aſſignatio.

Quod primo loco ſedeat in Capitulo Præſes, & ad ejus dexteram tota familia, ipſius Miniſtri Generalis, qui ſpirat: Secundo loco & ad ſiniſtram Præſidis Superior Generalis alterius Familiæ cum tota ſua familia; Itaut Superiores Generales Caput agant ad latera; & poſt quemlibet intra propriam Familiam ejus cæteri ſequantur hoc ordine: Diffinitores Generales: Miniſtri aut Vicarii Provinciales: Socii primi & etiam ſecundi, quando ſubrogantur pro Vocali aliquo, quamvis ſubrogentur pro illo, qui ſuperiorem ſedem haberet: Præterea actualis Procurator Generalis, qui habeat ſuffragium: deinde Secretarius Generalis, & denique poſt Vocales ſuæ Familiæ qui aliquando fuerat Superior Generalis pro ea; & ſi plures fuerint, qui aliquando munus Superioris Generalis habuerint, qui fuit Superior Generalis Ordinis, præcedat eum, qui fuerat Superior Generalis Familiæ; & ſi eodem munere plures functi fuerint pro eadem Familia, antiquior in profeſſione præcedat; qui quidem ordo intra & extra aulam Capitularem ſervandus erit, quando ſive in Refectorio ſive in Choro ad latera ſedeant Capitulares; ſi autem alibi non ad latera ſedeant, poſt Miniſtrum Generalem ſedebit Commiſſarius Generalis Familiæ: poſtea Diffinitores Generales Ordinis: deinde Diffinitores Generales Familiæ: poſtea PP. Provinciales juxta antiquitatem eorumdem: præterea Procurator Generalis: & poſt eum Secretarius Generalis: ac denique qui fuerant Superiores Generales, itaut qui Miniſter Generalis fuerat, præcedat tunc, qui ſolum fuerat Commiſſarius Generalis; & ſi plures fuerint Magiſtri, antiquior præcedentiam habeat, cujuſcumque Familiæ fuerit.

XVI.

De aliis rebus Capituli celebrationi committendis.

Quod Feria Quinta ante Dominicam quartam poſt Pentecoſten congregentur omnes Capitulares in Domo deſignata, ante meridiem, ut ad veſperum Præſes Capituli congreget omnes Capitulares, & id faciat, quod juxta noſtras Conſtitutiones præmittere debet.

XVII.

Quod die ſequenti, ſcilicet Feria Sexta congregentur Familiæ, unaquæque ſeorſim ab alia, & Præſes cujuſcumque Vocalibus ſuæ Familiæ notum faciat Catalogum omnium Religioſorum, qui in Provinciis ſuæ Familiæ, attenta ſolum graduatione, & inſpectis interſtitiis juxta noſtras Conſtitutiones, apti reperiantur ad munera & officia ſuæ Familiæ in eo Capitulo pertinentia; ut nullus poſtea conqueri poſſit, quod ſua aptitudo non fuerit omnibus Vocalibus ſuæ Familiæ præſens; ſed hujuſmodi aptitudo ex pura graduatione & interſtitiis judicanda erit, quin ad mores & obſervantiam referatur aptitudo hæc, ut alii includantur, excludantur alii, alias daretur diſſentionum, & occaſio litium.

XVIII.

De ſcrutiniis eligibilitatis.

Quod poſtea eodem die, alia tamen ſeſſione, iterum congregentur Familiæ ſeorſim, ut eligibilitatis ſcrutinium fiat ab unaquaque ſequenti modo: Quod Familia, ex qua aſſumendus eſt Miniſter Generalis in eo Capitulo, juxta ſuam conſcientiam eligibilitatis ſcrutinium toti Capitulo proponendum ſic faciat, ſcilicet, quod unuſquiſque illius familiæ ex catalogo, omnibus credito, eorum, qui ex graduatione & interſtitiis apti reperiantur ad Miniſtri Generalis officium, quinque in ſchedula una ſeligat; quique ſuo judicio, omnibuſque inſpectis, aptiores eſſe crediderit, & coram tota Familia ſua, ad id congregata omnes tradant hujuſmodi ſchedulas ſuo Superiori; qui ſolis cum duobus immediate Vocalibus eaſdem ſchedulas regulabit, & quinque illos eligibiles, qui plures voces habuerint in prædictis Vocalium ſchedulis, eligibiles declarare, & omnibus Gremialibus manifeſtare tenebitur, oſtendendo illis ſchedulam manu unius Scrutatoris ſcriptam, ſubſcriptamque ab alio Scrutatore, & ſignatam ab ipſo Præſide, qui ſtatim hanc ſuæ regulationis ſchedulam, totius Capituli

Præsidi tradere tenebitur; & similiter idem fiat ab alia Familia Generalis, qui spirat, ad faciendum scrutinium eligibilitatis ante Commissarii Generalis electionem.

XIX.

Quod eadem Feria Sexta simile fiat scrutinium, in quo unusquisque Vocalium scribat se seligendo ex catalogo inter aptos ad Diffinitorii officium pro sua Familia duodecim; ut ex omnibus schedulis duodecim continentibus a Scrutatoribus & Præside Familiæ, regulatis vocibus, duodecim, qui plures voces, quàm cæteri habeant, scribantur in alia schedula modo dicto; & similiter publicata postrema schedula, ut de proxime eligibilibus constet, tradatur Præsidi. Si autem contigerit, quod in eligibilitatis scrutinio duo vel tres æqualem numerum suffragiorum seu vocum habeant, illi omnes reputentur eligibiles: si vero hujusmodi æqualitas reperiatur, quando jam ad numerum eligibilium solùm deficiant unum, duo vel tres, tunc antiquiores in professione eligibiles reputentur. Cæterum si omnes voces singulorum Vocalium pro duobus, tribus aut quatuor eligibilibus reperiantur, fiat secundum scrutinium ad eligibilitatem illorum, qui usque ad numerum proxime eligibilium defuerint. Si quis autem inventus fuerit, se ipsum nominasse in schedula selectionis ad eligibilitatis scrutinium, eo ipso ineligibilis sit, quamvis secluſa voce illius, cæteras omnes habeat pro se. Caveatur stricte, ne Scrutatores ulli Vocalium revelare audeant numerum vocum, quas habuerat aliquis, qui eligibilis publicatur.

XX.

Quod factis ab unaquaque Familia prædictis scrutiniis, traditaque Præsidi Capituli schedula eligibilium modo dicto efformata pro eligibilibus suæ familiæ, Præses totius Capituli familiam Generalis, qui spirat, certiorem faciat de eligibilitate sibi nota ad electiones proxime futuras, a toto Capitulo faciendas.

XXI.

Quod si in aliquo scrutinio eligibilitatis, vel supra eo aliquæ difficultates occurrerint, determinandæ sunt a Diffinitorio Generali ejusdem Familiæ, cujus resolutioni standum erit, sub pœna ad arbitrium ipsius Definitorii.

XXII.

Quod his omnibus eadem Feria Sexta expeditis, sequenti die, Sabbatho scilicet, post solemnem Spiritus Sancti Missam, & cætera, quæ juxta nostras Constitutiones debent præmitti, congregentur omnes eo modo & forma jam præscriptis, ut moris est, in propria Aula Capitulari; & quod Præses eam concionem, quam tenetur habere, idiomate omnibus communi per se ipsum habeat; & peractis postea, quæ a nostris Constitutionibus disponuntur, modo eo ibidem dispositio, fiat Ministri Generalis electio.

XXIII.

Quod post Vesperas ejusdem diei congregentur in Aula Capitulari Vocales omnes illius Familiæ, pro qua Minister Generalis spirat, & Præside eodem, qui totius Capituli Præses fuerit, atque sibi electis Secretario & Scrutatoribus modo dicto, omnes simul canonice eligant Commissarium Generalem ad triennium immediate futurum, pro sua, & ex sua Familia assumptum eodem modo ac ritu, quibus Minister Generalis Ordinis ante prandium electus fuerat.

XXIV.

De electione novorum Diffinitorũ.

Quod sequenti die, videlicet Dominica, congregentur omnes utriusque Familiæ Vocales, & similiter per secreta suffragia eligant ad futurum sexennium sex Diffinitores Generales Ordinis, qui semper assumendi erunt ex Familia Ministri Generalis noviter electi.

XXV.

Quod similiter post Vesperas hujus diei congregentur omnes, qui Commissarii Generalis fuerint pridie Electores, & ex sua familia, & pro ea sex alios Diffinitores Generales Familiæ eligant ad futurum triennium qui nec vocari possint, nec re ipsa erunt Diffinitores Generales Ordinis.

XXVI.

De electione Ministri Conventus Sancti Caroli de Urbe.

Quod Diffinitoribus omnibus electis, congregetur tota solaque Familia intra-Hispana, & Præside eodem Capituli Generalis, canonice & ad triennium ex sua Familia eligat Ministrum nostri Conventus Romani Sancti Caroli; & postea Familia, ex qua Minister Generalis spirat, similiter canonice & ad triennium ex sua Familia Ministrum nostri Collegii Romani de Propaganda Fide.

XXVII.

De electione Procuratoris Gen. Ordinis:

Quod immediate Feria Secunda Familia Ministri Generalis, qui spirat, albis nigrisque globulis, aut lapillis assumptis, eligat Procuratorem Generalem Ordinis pro Romana Curia, ex sua Familia assumptum, cui totum Capitulum, antequam finiatur, dare tenebitur Ordinis mandatum Generalis Procuræ.

XXVIII.

Et unius cujusque Familiæ.

Deinde Familia Ministri Generalis electi, Præside eodem Capituli, similiter ex sua Familia eligat Procuratorem Generalem Familiæ suæ pro illius negotiis in Romana Curia exequendis, cui etiam ante finem Capituli dabit suum mandatum Procuræ cum expressa prohibitione sub præcepto formali, ne in communibus negotiis Religionis se immisceat nec verbo; aut scripto a se aut ab aliis suæ Familiæ cognominetur Procurator Generalis Ordinis.

XXIX.

De designatione Domorum Capitularium.

Quod Feria Tertia quælibet Familia seorsim ex qualibet Provincia sua duas domos designet, quæ Capitulares cognominentur, ut qui fuerint earum Ministri, immediate ante Capitulum Generale Ordinis, aut Familiæ suæ, in solius electionis in Ministros earum domorum Socii sint ad Capitulum Generale futurum; Itaut Minister domus, prius in hoc Capitulo designatæ, sit primus Socius, & in Capitulo futuro suffragium habeat: & Minister alter, scilicet domus posterius designatæ, pro eadem Provincia sit Socius Secundus, & in defectum alicujus capitularis.

XXX.

Quod si fuerit aliqua domus extra Provinciam, præter dictas Sancti Caroli, & de Propaganda, & Minister illius majorem partem triennii post suam Electionem expleverit, Familia illa, ad quam domus pertineat, Ministrum eligat in eodem Capitulo Generali ad triennium, quia postea finito triennio ad Diffinitorium Familiæ pro alio triennio usque ad Capitulum Generale pertinebit electio.

XXXI.

Quod electiones Ministrorum horum in Capitulo Generali poterunt fieri sine scrutinio ex omnibus aptis, quia propositis quinque ex aptis a Diffinitorio Provinciæ, ex qua eligendus assumi debeat, Familia in eo Capitulo eligere poterit, quem judicaverit eligendum.

XXXII.

Confirmanda præcepta formalia Constitutionum.

Quod ad removendas opiniones contra observantiam, totum Capitulum confirmare debet omnia præcepta formalia, quæ in nostris Constitutionibus continentur.

XXXIII.

Quod octo postea designentur ex Ministris Provincialibus actualibus, & Diffinitoribus Familiæ, & unà cum Diffinitoribus Generalibus Ordinis concurrant ad correctionem vel depositionem Ministri Generalis, si in illo sexennio

opus fuerit, ut in noſtris Conſtitutionibus ſtatutum habetur.

XXXIV.

Quod cætera omnia fiant, cunctaque leganter, ut moris eſt, prout a noſtris Conſtitutionibus eſt diſpoſitum, ante confirmationes. Et his peractis, Præſes Capituli imponat præceptum, quod juxta eaſdem Conſtitutiones, ut moris eſt, imponitur ad impedimenta detegenda; nulloque invento, vel a Diffinitorio Generali Ordinis judicio facto de alicujus impedimenti dubio, totum Capitulum Generale confirmet electionem Miniſtri Generalis Ordinis, ut moris eſt, poſt Breve fe. re. Urbani PP. VIII.

De confirmatione electionis Miniſtri Gen.

XXXV.

Quod omnes Vocales ad illius Electionem confirment Electionem Commiſſarii Generalis Familiæ.

Et Diffinitorum.

XXXVI.

Quod poſtea duo Diffinitoria ſimul cum Præſide confirment Electiones Diffinitorum Generalium Ordinis: ac demum ordine ſervato Electionum quælibet Familia cum Præſide confirmet eas Electiones, quas canonice fecit.

XXXVII.

Quod tempore Capituli Generalis ultra Miſſam, & concionem deſignatam a noſtris Conſtitutionibus, duæ publicæ poſt ſolemnem Miſſam conciones erunt ex feſtivitatibus Ordinis ad arbitrium Præſidis, qui tempore apto monere debet Provinciales ſuæ Familiæ, ut Prædicatores eligant, quos voluerint pro determinata ab ipſo Præſide concione facienda in Capitulo illo. Monemus tamen Provinciales, ut ſi concionatores vel concionator aliquis ſatirice ad animum populi excitandum, vel complacendum, prædicaverint, illico & perpetuo prædicandi & concionandi licentias auferant, vel licentiam, itaut niſi de conſenſu Capituli Generalis futuri, minime, qui defecerit, poſſit intra nec extra domus noſtras Spiritus Sancti aſcendere Cathedram.

XXXVIII.

Quod cum favente Deo plures ſint extra Hiſpaniam inſtitutæ Provinciæ, & ad felicius faciliuſque Ordinis regimen ſub unitate unius Capitis bipartitio facta fuerit & inſtituta, ut in omnibus utraque Familia dignoſcatur æqualis, & ad præſcriptum Regulæ de triennio in triennium celebretur Capitulum Generale, quod quidem juxta illius tenorem ſemper celebratum fuit, ut ſolum de ſexennio in ſexennium fuerit Capitulum electivum Miniſtri Generalis juxta illud Regulæ: Electio Majoris ac Generalis Miniſtri de ſexennio in ſexennium, & poſt triennium hujus Capituli electivi aliud Capitulum generale, quod ab initio vocatur intermedium: ita etiam ſervetur in poſterum, hoc ſolo diſcrimine, quod Capitulum electivum de ſexennio in ſexennium celebrandum Capitulum Generale Ordinis vocetur: & Capitulum intermedium ſolùm celebretur in ea Familia, ex qua in Capitulo Generali Ordinis Commiſſarius Generalis electus fuerit; ſicque verificabitur, quod ſemper de triennio in triennium aliquod Capitulum Generale celebretur in Ordine.

XXXIX.

Capit. electivum Miniſt. Gen. in ejus Familia celebrandum.

Quod Capitulum, Miniſtri Generalis electivum, ſemper celebrari debet intra Familiam, ex qua Miniſter Generalis ſpirat, cui Familiæ correſpondet celebratio futuri Capituli Generalis intermedii, ut ſic ſupremum Caput Religionis nunquam munus ſuum finiat extra Familiam ſuam.

XL.

De Capitulo intermediotriennali.

Quod Capitulum Generale intermedium celebrari debet juxta Regulam Sabbatho ante quartam Dominicam poſt Paſcha, poſt triennium a die celebrationis Capituli Generalis Ordinis, intra propriam Familiam, extra Curias Principum, in Domo deſignanda a Præſide Capituli, qui ſemper erit Commiſſarius Generalis Familiæ, niſi intra illam & extra propriam Familiam adſit Miniſter Generalis Ordinis, & voluerit præſidere in dicto Capitulo intermedio.

XLI.

Quod ſi, inſtante tempore Capituli, Præſes infirmetur, poſſit differre Capitulum per unum menſem tantùm, quo elapſo, ſi adhuc fuerit impeditus, vel ſi congregato jam Capitulo ægrotaverit, præſideat Diffinitor Generalis Familiæ actu Prior inter alios.

XLII.

Quod ad hujuſmodi Capituli celebrationem per ſuas literas convocatorias convocare debet, & invitare per invitatorias Superior Generalis Familiæ omnes, qui concurrere debent & poſſunt, eo modo, quo dictum eſt de Capitulo Generali Ordinis in aliquo anno ſit futurus Præſes Capituli intermedii.

XLIII.

De iis, qui ſuffragium habere debent in Cap. intermedio.

Quod in Capitulo intermedio ſuffragium habere debent Miniſter Generalis ſi adſit: Superior Generalis Familiæ: Diffinitores Generales illius: Miniſtri Provinciales, vel Vicarii Provinciales ejuſdem: Miniſtrique actuales Domorum Vocalium, quæ in Capitulo Generali Ordinis deſignatæ fuerint, ut earum Miniſtri, finito ſexennio, Socii ſint ad Capitulum Generale Ordinis; Quippe Miniſtri hujuſmodi Domorum ad Capitulum intermedium debent concurrere, & eorum Succeſſores in eiſdem Domibus ad Capitulum Generale Ordinis; quod etiam intelligitur de Sociis in defectum: Præterea ſuffragium habebit in hoc Capitulo intermedio intra Hiſpaniam Procurator Generalis Hiſpaniæ, & extra Hiſpaniam Procurator Generalis Ordinis in Curia Romana: Deinde Secretarius Generalis ſuperioris Familiæ: Ac demum qui in eadem Familia aſſumpti fuerant aliquando Superiores Generales Ordinis vel Familiæ; itaut hi pro libito, cæteri autem ſub pœna perpetuæ privationis concurrere tenentur, ſicut dictum eſt circa Capitulum Generale Ordinis.

XLIV.

Cætera ſervanda, prout in Cap. Gen. Ordinis.

Quod in Capitulo intermedio circa præcepta ſcrutinia, ſelectiones eligibilium, ac cætera præambula, ea omnia obſerventur, quæ dicta manent circa Capitulum Generale Ordinis, & habentur in noſtris Conſtitutionibus.

XLV.

Quod tempore Capituli ſedeant ordine, quo nominati ſunt, & quod ſi caſus occurrerit, in quo recens Electus præſens fuerit, ſedeat immediate poſt Commiſſarium Generalem, qui ſpirat, & ſtatim ſuffragium habeat, quamvis de corpore Capituli non ſit.

XLVI.

Eligendi Diffinitores Familiæ.

Quod, facta electione Superioris Generalis Familiæ, quæ ſemper debet fieri prædicto Sabbatho ante prandium, veſpere congregentur Vocales, & ſex Diffinitores Generales Familiæ ex eadem eligant.

XLVII.

Quod altera die congregentur omnes in aula Capitulari, & ſi Familia fuerit intra-Hiſpana primò eligat Miniſtrum noſtri Conventus Romani S. Caroli; & licèt intra Hiſpana non ſit, eligat Miniſtrum noſtri Collegii Romani de Propaganda Fide.

Cætera per hoc Cap. facienda.

XLVIII.

Quod Capitulum Generale intermedium nullas alias electiones facere poterit ; Ideo his finitis agere debet de redemptione & observantia, facereque Statuta & Ordinationes pro sua Familia, quæ minime opponantur factis a Capitulo Generali, vel Diffinitorio Generali Ordinis; atque sibi eligere Chronistam pro tota sua Familia.

XLIX.

Quod, omnibus peractis, Commissarius noviter electus coram toto Capitulo repromittat obedientiam, eamque promittat specialem tempore sui muneris Superiori Generali Ordinis : Et postea totum Capitulum confirmet P. Commissarii electionem ; & deinde confirmet etiam singulas electiones, quas canonice fecit : & fient legenturque, quæ facienda & legenda sunt in Capitulo generali, juxta nostras Constitutiones.

L.

Quod dissoluto Capitulo Capitulares se mutua fraterna charitate amplexentur, & in suos Conventus proficiscantur.

De quibus omnibus certior faciendus Minister Generalis.

LI.

Quod illico & quamprimum Secretarius, qui fuerat Diffinitorii Familiæ, certiorem faciat Ministrum Generalem Ordinis de omnibus electionibus, & de repromissione obedientiæ moderni Commissarii Generalis.

De modo procedendi ad electionem Vicarii Ordinis.

LII.

Quod in casu, in quo eligendus sit Vicarius Generalis Ordinis propter defectum Ministri Generalis, ut diximus, Prior Diffinitor Generalis Ordinis tunc superstes per suas literas vocatorias congreget omnes Vocales suæ Familiæ, qui concurrere tenerentur, & possent, si in ea Familia celebrandum esset Capitulum intermedium ; designetque Domum aptam etiam extra Principum Curias pro celebratione Congregationis, ut in ea congregentur tempore apto ad ipsius arbitrium, itaut quamprimum fiat Vicarii Generalis electio.

LIII.

Quod, si Diffinitoribus Generalibus Ordinis, illo & alio exceptis, constiterit, quod per omissionem aut industriam prædicti primi Diffinitoris retardatur Congregatio, & Vicarii Generalis electio, liberum sit illis ad Sedem Apostolicam authentice concurrere, ut a Summo Pontifice destinetur Vicarius Generalis Ordinis.

LIV.

Quod prædictus Diffinitor primus sit Præses hujus Congregationis, in qua imponat præceptum ad impedimenta detegenda ; cunctaque alia exerceantur, quæ exercere debet Præses cujuscumque Capituli.

LV.

Quod in prædicta Congregatione fiant scrutinia eligibilitatis usque ad numerum quintum eligibilium, prout in Capitulis Generalibus.

LVI.

Quod post Missam solemnem de Spiritu Sancto, & cætera Præambula, quæ fiunt in Capitulis, fiat Electio Vicarii Generalis ante prandium, qua facta, immediate post Electionem pergant processionaliter in Ecclesiam cantantes Te Deum, quamvis noviter Electus non sit in eadem domo, in qua si fuerit, ab ipso benedictionem accipiant.

LVII.

Quod Vespere iterum congregentur, & si Diffinitor aliquis electus fuerit in Vicarium Generalem, Congregatio eligat novum Diffinitorem Generalem Ordinis ; & si occurrat aliquod negotium urgens pro tota Religione, aut aliqua Familia, determinetur ab omnibus, ut moris est.

LVIII.

Quod postea confirmet electionem Vicarii Generalis ; & deinde, si eam fecit, confirmet etiam Electionem Diffinitoris noviter electi.

LIX.

Quod postea Congregatio dissolvatur, mutuoque amplexentur Vocales, quin aliud fiat, neque concionem aliquam habere ; debeat in hac Congregatione. Si autem aliquis Provincialis, vel Vocalis alter, electus fuisset in Vicarium Generalem, ad Diffinitorium Provinciæ pertinebit electio sive Provincialis sive alterius Officii, quod electus habuerat.

LX.

Quod si facto tertio scrutinio adhuc non fuerit electio canonica, omissis scrutiniis, ille intelligatur vi hujus Constitutionis electus, pro quo fuerit major numerus suffragiorum, quàm pro alio aut aliis. Si autem pro duobus æqualis numerus suffragiorum repertus fuerit, maiorque quam pro aliis, tunc antiquior in professione reputabitur canonice electus.

LXI.

Diffinitores Gen. Ordinis sex :

Quod Diffinitores Generales Ordinis perpetuo solùm erunt sex, & in toto Ordine eam præeminentiam, cæteraque omnia, prout in nostris Constitutionibus, habere debent. Diffinitores vero Generales Familiæ similiter, intra Familiam tantùm, & post Diffinitores Generales Ordinis.

LXII.

Duo Socii cujusque Provinciæ Ministri actuales domorum Capitularium.

Quod duo Socii cujuscumque Provinciæ ad Capitulum Generale erunt Ministri actuales domorum capitularium, quæ in Capitulo Generali Ordinis electæ fuerint, itaut Minister domus prius electæ sit primus Socius, & Minister posterius electæ domus sit secundus Socius, cujus munus solùm sit concurrere extra domum capitularem in loco proximo ad illam, ut præsto & in promptu sit ad hoc, ut si opus fuerit ob defectum alicujus Vocalis suæ Provinciæ, suffragium habeat, supplendo pro eo ; nisi Vocali, qui deficiat, liberum fuerit adesse Capitulo ; quippe horum suffragia suppleri non debent.

LXIII.

Quod si per mortem, infirmitatem, aut aliam justam causam, Minister alicujus domus capitularis non possit interesse Capitulo, tunc Diffinitorium Generale suæ respectivæ Familiæ seligere possit domum alteram, cujus Minister actualis concurrat ad Capitulum, semper ut Socius secundus. Si autem contingat, utrumque Socium pro aliqua Provincia simul deficere, Minister domus prius electæ a Diffinitorio in illo casu erit Socius primus.

De Procuratore Gen. Hispaniæ.

LXIV.

Quod Procurator Generalis Hispaniæ, qui non aliquarum, sed omnium Provinciarum Familiæ suæ, & Procuratoris, & Diffinitorii Generalis semper habuit procuræ mandatum : idemque a Diffinitorio Generali Familiæ suæ propter negotia ejusdem Diffinitorii habere debet ; ab eodem Diffinitorio semper eligatur de triennio in triennium juxta nostras Constitutiones.

Modus supplendi Capitulis intermediis si haberi nequeat.

LXV.

Quod si Familia intra-Hispana ; quando ei competit Capitulum Generale intermedium, illud celebrare non possit, illius Diffinitorium Generale eligat Ministrum nostri Conventus Romani Sancti Caroli ad sequens triennium : Et similiter Familia, quæ prædictum Capitulum celebrare jam instante tempore nequeat, per suum Diffinitorium Generale eligat Ministrum Collegii nostri de Propaganda Fide ad immediatum triennium.

Quædam Privilegia Conventus S. Caroli de Urbe.

LXVI.

Quod Superior Generalis Ordinis, ex Familia extra-Hiſpana aſſumptus, nullam juriſdictionem exerceat in Conventu noſtro Romano Sancti Caroli, niſi eam tantum, quam in alios Hiſpaniæ Conventus exercere poterit; & quod in eo Conventu reſidere non poſſit; Quod potiori jure intelligendum eſt de Commiſſario Generali extra-Hiſpano.

LXVII.

Quod Procurator Generalis, qui ex Hiſpania non fuerit electus, nunquam in prædicto Conventu commorari poſſit, aut reſidere.

LXVIII.

Quod pro hac prima vice ſuffragium habeant omnes ſecundi Socii Provinciarum, ut ſuppleantur ſuffragia Vocalium, qui ad futura Capitula Generalia ex nunc eligi debent.

Quædam explicationes ad Regulas Ordinis.

LXIX.

Quod in Regula noſtra, in qua juxta diſpoſitionem Sanctiſſimi Domini Noſtri fel. re. Urbani VIII. dicitur, quod electio Miniſtrorum Provincialium, & Conventualium, fiat in Capitulo Generali, auferatur vox, Generali; quatenus juxta Breve Sanctiſſimi Domini Noſtri Clementis PP. XII. hujuſmodi Electiones jam fieri debent in Capitulo Provinciali.

LXX.

Quod Regula, ubi Cap. 41. Diffinitorio Generali depoſitio Prælatorum, & eorum ſubrogatio reſervantur, intelligitur de Diffinitorio Generali Familiæ illius, qui deponitur.

LXXI.

Quod ſub voto non ambiendi comprehenduntur Commiſſarius Generalis, Vice-Commiſſarius, Diffinitores Generales Familiæ, & omnes alii, qui habitu vel actu Prælati fuerint.

LXXII.

Quod circa vacationes ſeu interſtitia, quæ in noſtris Conſtitutionibus præſcribuntur, addatur, quod Nullus poſſit eligi in Capitulo, in quo ſpirat, in aliam Prælaturam, niſi in Superiorem Generalem, Miniſtrum ſcilicet juxta noſtras Conſtitutiones, Vicarium, Commiſſarium aut Vice-Commiſſarium, ſi per ſex annos integros & continuos ſemper intra illos functus fuerit officio Diffinitoris Generalis Ordinis: vel uno triennio Superioris Provincialis, & altero immediato Diffinitoris Generalis, vel Provincialis: vel duobus trienniis Miniſtri Conventualis, & in altero Diffinitoris vel Miniſtri Provincialis.

LXXIII.

Quod circa reelectiones addatur, quod Commiſſarius Generalis reeligi non poſſit in ſuum officium, niſi eo fuerit functus per triennium integrum: Et quod nec Miniſter Generalis in Commiſſarium, neque Commiſſarius in Miniſtrum Generalem eligi poſſit, niſi caſu quo Commiſſarius Generalis electus fuerit per ſolum annum ante Capitulum.

LXXIV.

Quod Diffinitores Generales nequeant aſſumi in Miniſtros Provinciales tempore, quo Diffinitores fuerint.

LXXV.

Quod juſtis de cauſis Diffinitorium Generale, inſpecta utilitate domus, poſſit diſpenſare, ut aliquis Miniſter reeligi poſſit in Miniſtrum ejuſdem domus pro triennio futuro a ſuo Capitulo Provinciali, conſentientibus omnibus ſuffragiis Capituli, præter duo.

LXXVI.

Quod reelectio Miniſtri ſive Conventus noſtri Romani Sancti Caroli, ſive Collegii noſtri de Propaganda Fide, fieri poſſit, inſpecta utilitate domus, & nunquam in favorem ejus, qui reeligatur.

LXXVII.

Quod caſu abſentiæ Provincialis, concurrentis ad Capitulum Generale, Præſes Provinciæ erit Provincialis antecedens; & ſi fuerit inhabilis vel impeditus, Diffinitorium Provinciale, Præſide Provinciale ipſo, eligat Præſidem Provinciæ pro tempore abſentiæ; numquam tamen eligat actualem Diffinitorem Provinciæ, ne Diffinitorum numerus diminuatur.

Abſente Provinciali quis debeat præſidere.

LXXVIII.

Quod, dum concurrant Commiſſarius vel Vice-commiſſarius Generalis intra propriam Familiam, ſedeat immediate poſt Superiorem Generalem Ordinis: & extra Familiam Commiſſarii poſt Diffinitores Generales Ordinis.

Locus Commiſſario, & Vice-Comm. Gen. aſſignatur:

LXXIX.

Quod Diffinitores Generales Ordinis in toto Ordine ſedeant juxta noſtras Conſtitutiones, quamvis aliquod Diffinitorium ſive Provinciale ſive Generale Familiæ actu celebretur in ea Domo, in qua aliquis Diffinitor Generalis Ordinis inveniatur; quo tempore juxta noſtras Conſtitutiones Provincialis reſpectu Diffinitoris Generalis, & Miniſter etiam reſpectu Diffinitoris Provincialis amittat locum.

Diffinitoribus Gen.

LXXX.

Quod Diffinitores Generales Familiæ extra actualem Diffinitorii celebrationem intra ſuam Familiam ſedeant poſt Miniſtrum, ſicut Diffinitores Generales Ordinis; & extra ſuam Familiam omnes alios hoſpites tam Miniſtros quam Provinciales præcedant.

LXXXI.

Quod Provinciales hoſpites intra ſuam Familiam præcedant Provinciales hoſpites alterius Familiæ: Et quod Diffinitores Provinciales hoſpites præcedant intra ſuam Familiam hoſpites Diffinitores Provinciales alterius Familiæ: & quod poſtea eodem ordine ſequuntur Miniſtri hoſpites: poſtea Redemptores intra ſuam Familiam, & extra illam poſt Procuratores non hoſpites: poſtea Procuratores Generales: & poſt hos omnes Procuratores plurium Provinciarum: &, ſi hoſpites fuerint, poſt Vicarium Domus: poſtea Procuratores Provinciales in ſuis Provinciis, & extra illas juxta antiquitatem profeſſionis: poſtea Vicarii in ſuis Domibus, & extra illas juxta antiquitatem Domorum: poſtea Patres Confeſſarii intra & extra Familiam, Provinciam aut Domum ſuam: & poſtea Sacerdotes ſimplices, & cæteri omnes, prout in noſtris Conſtitutionibus habetur.

Item Provincialibus.

LXXXII.

Quod futuris temporibus ſuffragia pro noſtris Religioſis defunctis ſolùm fiant intra Familiam eorum pro illis, qui profeſſi fuerint poſt confirmationem harum Conſtitutionum. Quod tamen pro Superioribus Generalibus utriuſque Familiæ, & Diffinitoribus Generalibus, ſemper fiant in toto Ordine juxta noſtras Conſtitutiones: Et pro Diffinitoribus Generalibus Familiæ intra Familiam: pro Miniſtris Provincialibus & Diffinitoribus Provincialibus intra Provinciam juxta ea, quæ in noſtris Conſtitutionibus pro Diffinitoribus aſſignantur.

De ſuffragiis pro Religioſis Defunctis.

LXXXIII.

Quod Titularis Provinciæ in Provincia: & Conventus in Conventu ſit Feſtum Ordinis.

De Feſtivitatibus Ordinis.

LXXXIV.

Quod primæ & ſecundæ Veſperæ canantur in Conventibus in omnibus Feſtivitatibus Chriſti Domini, & ejus Sanctiſſimæ Matris, quæ ex ritu fuerint primæ aut ſecundæ Claſſis, quamvis ad colendum non pronuncientur.

LXXXV.

Quod pro noſtris Religioſis defunctis in omnibus Conventibus & Collegiis fiant Exequiæ poſt Feſtum omnium Sanctorum Ordinis, ſicut ſtatutum eſt per Capitula Generalia.

§. 2. Cum

Supplicatum Sanctissimo pro confirmatione hujusmodi Statutorum.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, Leges, Decreta, & Statuta hujusmodi bono prædictæ Congregationis gubernio valde utilia sint; firmiora verò existant ea, quibus Apostolicæ Sedis auctoritas accedit; Nobis propterea dictus Michael Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum Michaelem Procuratorem Generalem specialis favore gratiæ prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præpositorum, qui rem mature perpenderunt, consilio, omnia & singula Decreta, Statuta, Leges, & Capitula præinserta, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos juris & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus: salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Quæ benigne conceditur.

Harum Literarum observantia.

§. 3. Decernentes, easdem præsentes literas, & Leges, Decreta, Statuta, & Capitula præinserta, semper firma, valida & efficacia existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis; necnon Congregationis Hispaniæ, & Ordinis prædictorum, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptis adhibenda.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis seu exemplis; etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 10. Decembris 1733. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

CXXI.

Confirmantur omnes Confraternitates sub titulo B. M. V. Septem Dolorum a Superioribus Generalibus Ord. Servorum B. M. V. erectæ, etiamsi de earum canonica erectione non constet.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dat. die 14. Dec. 1733. Pont. An. IV.

Prioris Generalis Ordinis hujus petitio.

§. 1. EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Petrus Maria Pieri, Prior Generalis Ord. Servorum B. Mariæ Virginis, quod licet non solum multæ in dicti Ordinis, sed etiam aliis Ecclesiis seu Oratoriis auctoritate Priorum Generalium ejus Prædecessorum erectæ reperiantur Confraternitates utriusque sexus Christifidelium sub titulo B. Mariæ Virginis Septem Dolorum, quæ suas functiones ad instar similium Confraternitatum obeunt, multaque pietatis & christianæ charitatis opera exercent; de aliquarum tamen ex illis canonica ab initio institutione forsan non constat: & in aliarum erectionibus & institutionibus præscripta per Constitutionem fe. re. Clementis VIII. prædecessoris Nostri, quæ incipit: *Quæcumque a Sede Apostolica &c.* die 7. Decembris 1604. editam, forsan servata non fuerunt: & aliæ ante emanatam Constitutionem hujusmodi erectæ & institutæ novas erectionum & institutionum hujusmodi, ac communicationis Indulgentiarum, facultatum, & privilegiorum literas intra tempus ab eadem Constitutione præfixum, seu etiam postea, impetrasse minime reperiuntur.

§. 2. Nobis propterea dictus Petrus Maria Prior Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum Petrum Mariam specialis favore gratiæ prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, omnes & singulas Confraternitates prædictas sub titulo B. Mariæ Virginis Septem Dolorum a Superioribus Generalibus in quibusvis tam dicti Ordinis, quam aliis Ecclesiis seu Oratoriis, ubicumque locorum de præsenti erectas, tametsi de earum canonica ab initio erectione & institutione non appareat, nec ipsæ Confraternitates novas erectionum & institutionum, seu communicationis Indulgentiarum, facultatum & privilegiorum hujusmodi literas intra tempus a prædicta Clementis prædecessoris Constitutione præfixum obtinuisse reperiantur, nec in earum erectionibus & institutionibus præscripta per eamdem Constitutionem servata fuerint, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus & validamus, easque in statu valido esse & fore, decernimus & declaramus, in omnibus & per omnia, perinde ac si illas omnes & singulas ab ipso initio canonice erectas & institutas fuisse, novasque erectiones & institutiones suo tempore juxta formam memoratæ Constitutionis Clementis prædecessoris obtinuisse constaret, & in reliquis ejusdem Constitutionis forma in illarum erectionibus & institutionibus respective servata fuisset, omnesque & singulos juris & facti defectus, qui propter præmissa desuper quomodolibet intervenerint, seu interveniisse dici, censeri, vel prætendi possint, supplemus & sanamus; &, quatenus opus sit, ipsas Confraternitates omnes & singulas, servata tamen cæteroqui Constitutionum & Decretorum hujus Sanctæ Sedis, præsertim circa distantiam locorum, in erectione Confraternitatum similis Instituti servandam, emanatorum, forma & dispositione, de novo erigimus & instituimus.

Confirmantur omnes dd. erectiones cum communicatione omnium Indulgentiarum, Privilegiorum &c.

Addito Decreto quod in futuris

erectionibus servetur forma Constit. Clementis VIII.

Clausulæ.

mam in suprædicta Clementis prædecessoris Constitutione præscriptam adamussim servari volumus; alioquin erectiones & institutiones hujusmodi nullius omnino sint roboris vel momenti.

§. 4. Decernentes, easdem præsentes literas semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia pleniſſime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac, quatenus opus sit, Nostra & Cancellariæ Apostolicæ Regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, ac prædicta Clementis Prædecessoris, aliisve Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 14. Decembris 1733. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

CXXII. Statutum, ut Capitulum Generale Congregationis Montis Oliveti Monachorum Ord. S. Benedicti de quinquennio in quinquennium de cætero celebretur.

Dat. die 19. Dec. 1733. Pont. An. IV.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Petitio.

§. 1. CUm, sicut dilectus filius Procurator Generalis Congregationis Montis Oliveti Monachorum Ordinis S. Benedicti tam suo quam majoris partis Abbatum dictæ Congregationis nomine Nobis nuper exponi fecit, ipsi feliciori regimini in spiritualibus & temporalibus, atque indemnitati ejusdem Congregationis prospiciendi studio, illius Capitulum Generale, quod singulis trienniis cogi consuevit, nonnisi de quinquennio in quinquennium deinceps celebratum iri summopere desideret. Nobis propterea idem Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, quatenus in præmissis opportune providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui rectam ipsius Congregationis administrationem, ac levamentum sinceris exoptamus affectibus, dictos Procuratorem Generalem & Abbates specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut de cætero Capitulum Generale Congregationis præfatæ quolibet quinquennio a proxime futuro Capitulo Generali, quod anno 1735. celebrandum erit, incipiendo, atque ita perpetuis futuris temporibus de quinquennio in quinquennium continuando celebretur; sicque dignitates & alia munera & officia ejusdem Congregationis, quæ triennio terminantur, ad quinquennium itidem imposterum perdurent; ita tamen, ut durante quinquennio ejusmodi omnia & singula Monasteria dictæ Congregationis bis, secundo scilicet, & quarto anno visitari debeant, ac tertio anno Visitatores Dietæ ipsius Congregationis, in Monasterio Montis Oliveti Majoris nuncupati celebrandæ, intervenire teneantur, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus & ordinamus.

Concessio de qua in Rubrica.

§. 2. Decernentes, ipsas præsentes literas semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia pleniſſime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter & inconcusse observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & alios quoslibet quacumque præeminentia & potestate fungentes & functuros, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Congregationis, ejusque Provinciarum, & Monasteriorum; & aliis quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, usibus, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, eisdem Congregationi, Provinciis, & Monasteriis, illorumque Superioribus, Monachis, & Personis quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis & insolitis clausulis, & decretis, in genere vel in specie, aut aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita pro servata habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Fides transumptorum.

Datum

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 19. Decembris 1733. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

F. Cardinalis Oliverius.

CXXIII. Statutum, ut de cætero Fratres Congregationis Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum Epitogium gestent.

Clericis hisce Regularibus Alexander PP. VIII. Constit. sua concessit, ut incederent calceati.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dat. die 14. Jan. 1734. Pont. An. IV.

Causæ hujusce petendæ concessionis.

§. 1. CUm, sicut accepimus per Constitutiones Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, a fel. rec. Gregorio PP. XV. Prædecessore Nostro per quasdam suas literas Apostolicas desuper confirmatas, in Cap. VI. de vestibus in eis de Tunica talari, brevique Pallio nominatis, præcipiatur absque eo, quod de Epitogio ulla mentio fiat; unde in vim Constitutionum hujusmodi Epitogium præfatum minime admittitur, nec excluditur; sed postquam dicta Congregatio in ejus initio instituta fuerat in statu paupertatis, illius Religiosi pedibus denudatis incedebant, & tempore hyemali tam domi quam extra eam ejusmodi pallium, cum nullus ordo sive statutum ea super re emanaverit, ob solam consuetudinem in Italiæ Provinciis introductam gestare consueverunt, dum in aliis Ultramontanis sola veste domi tam æstivo quam hyemali tempore utuntur, ac cum subhabitibus pelle subsutis, & hypocaustis a frigore valde commode se tuentur.

Calceamenta Clericis hujus Ordinis ab Alexandro PP. VIII. concessa.

§. 2. Porro postquam piæ mem. Alexander PP. VIII. pariter Prædecessor Noster per suas literas desuper, in simili forma Brevis die 10. Februarii 1690. expeditas, statuerat, ut Religiosi ejusdem Congregationis ex causis in prædictis literis adductis calceati incederent, nonnulli ex illis usum memorati Epitogii, quemadmodum alii Clericorum Regularium Ordines utuntur, promovere cogitarunt; & de facto aliqui ex ejusdem Italiæ Provinciis in illorum Capitulis inter alias petitiones in Capitulo Generali faciendas, etiam exposcendi Epitogium pro tota Congregatione, ad effectum illud obtinendi cum decreto ipsius Capituli Generalis, interposuerunt; idque facile obtentum fuisset, si in suffragium decernendum proponeretur.

Inconveniens videri, eos solo indutos Pallio incedere.

§. 3. Quantum autem inconveniens & indecorum sit, quod ipsi Religiosi Scholarum Piarum, qui pallio solummodo induti domi & extra illam, ac per omnes officinas incedere, & ex Instituto, quod exercent, cum personis sæcularibus frequenter agere debeant, ab aliis Clericis Regularibus in hoc dissimiles habeantur: Hinc est, quod Nos audita super præmissis dilecti filii nostri Joannis Antonii S. R. E. Presbyteri Cardinalis Guadagni nuncupati, in Alma Urbe nostra Vicarii in Spiritualibus generalis, & dictæ Congregationis apud Nos & Sedem Apostolicam Protectoris, relatione in iisdem præmissis providere volentes, Motu pariter proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ut de cætero omnes & singuli memoratæ Congregationis Clerici ubique locorum Epitogium ferant, ita tamen, ut in eo gestando ab omnibus similitudo & æqualitas conservetur, tenore præsentium perpetuo statuimus & ordinamus.

Quare ut Epitogium gestant, conceditur.

§. 4. Decernentes, easdem præsentes literas semper firmas, validas & efficaces existere & fore; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 5. Non obstantibus prædictis Gregorii & Alexandri prædecessorum literis, aliisque Constitutionibus Apostolicis, necnon dictæ Congregationis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 14. Januarii 1734. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

CXXIV. Monachis Congregationis Cassinen. Ordinis Sancti Benedicti interdicitur recurrere ad Sedem Apostolicam, antequam viciniorís Provinciæ Visitatorem, ac mox Præsidentem Generalem Congregationis adeant.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. die 19. Januar. 1734. Pont. An. IV.

Causæ hujusce petendi Decreti.

§. 1. EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Congregationis Cassinen. Ordinis Sancti Benedicti, quod licet a fel. record. Eugenio IV. Gregorio XIII. & Urbano VIII. Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris districte vetitum fuerit Monachis dictæ Congregationis ad quodcumque Tribunal Ecclesiasticum extra ipsam Congregationem quomodolibet recurrere & appellare, prout in eorumdem prædecessorum Constitutionibus desuper emanatis diserte cavetur; nihilominus, sicuti experientia compertum est, non pauci prædictæ Congregationis Religiosi salubrium ejusmodi Constitutionum, quas forsan tempore exoletas & antiquatas reputant, immemores, variis sub prætextibus, sed revera, ut erratorum suorum pœnas debitas effugiant, adversus suos Superiores ad hanc Sanctam Sedem immediate recurrere passim præsumunt; unde ultra turbas & molestias, quibus iidem recurrentes se ipsos exosos & contemptibiles reddunt, non raro procedunt delictorum impunitas, Prælatorum contemptus, ac nonnullorum Superiorum in continendis & regendis subditis suis negligentia: qui scilicet, ne continuis horum recursibus subjaceant, multos excessus atque abusus, quibus protinus occurrere oporteret, tolerant, vel dissimulant in grave Monasticæ disciplinæ detrimentum. Nobis propterea

terea dictus Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Decreti tenor.

§. 2. Nos igitur ipsum Procuratorem Generalem specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, ac tam memoratis Constitutionibus Apostolicis, quam Generali Decreto dudum jussu re. me. Sixti PP. V. Prædecessoris pariter Nostri a Congreg. tunc existentium S. R. E. Cardinalium, negotiis & consultationibus Regularium præpositorum edito, circa recursum & appellationem eorumdem Regularium, ordinemque in eis servandum, inhærentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ne deinceps ullus Religiosus supradictæ Congregationis Cassinen. cujusvis dignitatis, gradus, & conditionis existat, Sedem Apostolicam adversus suum Superiorem adire audeat sive præsumat, nisi prius ad viciniorem Visitatorem Provinciæ, ac deinde ad Præsidentem Generalem præfatæ Congregationis Cassinen. desuper recursum habuerit, sub pœnis in dicto Decreto generali contentis auctoritate Apostolica tenore præsentium prohibemus ac interdicimus.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes, easdem præsentes literas semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon Congregationis Cassinen. & Ordinis præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 19. Januarii 1734. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

F. Cardinalis Oliverius.

CXXV. Confirmantur Constitutiones pro bono regimine Fratrum Tertii Ordinis Sancti Francisci, ex aliis Constitutionibus, Statutis, & Decretis dicti Ordinis collectæ.

Dat. die 26. Jan. 1734. Pont. An. IV.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Procœmium.

EX injuncto Nobis divinitus Apostolicæ servitutis officio ea, quæ pro felici prosperoque Christifidelium, qui e fluctibus sæculi in portus religiosæ vitæ confugerunt, & vota sua in Sanctitate & Justitia reddere satagunt, regimine & gubernio, ac Religionis Incremento, tuendaque & solidanda in eis pace & tranquillitate provide prudenterque constituta ac dispositа esse noscuntur, ut firma semper & inviolabilia persistant, Apostolici muniminis Nostri præsidio, cum id a Nobis petitur, libenter roboramus.

Petitio pro Apost. obtinenda confirmatione.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Bonaventura Gervasii Procurator Generalis Fratrum Tertii Ordinis Sancti Francisci, tam suo quam dilecti etiam filii Pauli Bellamo Ministri Generalis, aliorumque Religiosorum ejusdem Ordinis nomine, quòd ad unam certamque, quæ in dicto Ordine deinceps servari ac retineri deberet, vivendi normam & disciplinam, sublata omni confusione, ac legum seu statutorum varietate atque discrepantia, constabiliendam ac firmandam, Constitutiones Ordinis prædicti jussu Nostro ordinatæ, & in unum volumen collectæ fuerunt, utpote desumptæ ex multis diversisque aliis ejusdem Ordinis Statutis & Constitutionibus, tum a fel. rec. Urbano VIII. ac Innocentio X. Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris per suas in simili forma Brevis die 8. Julii 1639. & die 27. Junii 1650. respective expeditas literas, confirmatis, tum a Capitulis & Definitoriis Generalibus ipsius Ordinis, quæ ab anno 1619. hucusque celebrata sunt, editis, quibus omnia insuper decreta, aliàs a Nobis condita, & per nostras in pari forma Brevis die 21. Augusti 1730. emanatas literas approbata accesserunt, ac subinde collectio Constitutionum hujusmodi de mandato pariter Nostro revisa & accurate expensa; necnon aliqua ex parte emendata fuit, tenoris, qui sequitur, videlicet.

CAP. I.

Constitutiones.

Quoad Chorum, & Orationem mentalem.

Qui sint exempti a Choro.

1. Ab Horis Canonicis in Choro alternatim recitandis nemo ex nostris cujuscumque gradus exemptus sit, præter Prædicatores, dum actu tamen prædicant & Lectores, dum actu legunt, extra vero festivitates, & dum adsit sufficiens numerus Choristarum.

2. Ubi non adest usus recitandi Matutinum in medio noctis, recitetur prope ortum solis, vel ut mos jam obtinuit, paulo post ejus occasum, cui tunc interfint quoque in Ecclesia Laici legitime non impediti.

3. Hebdomadarius ne præsumat de sua memoria, sed in Breviario vel Diurno legat, quæ in Choro solus recitare debet, sub pœna veniam petendi coram simul discumbentibus.

De Oratione mentali, a qua exemptus nemo.

4. Singulis diebus habeatur mentalis oratio per horam, incipienda tamen a lectione alicujus libri spiritualis, & complenda Sanctorum Litaniis ante cœnam, cui interesse debent etiam Regentes, & Lectores, licèt actuales, sicuti communi flagellationi, & Capitulo culparum.

5. Post Primam quoque mentaliter oretur per semihoram, inclusis tamen B. Virg. Litaniis.

CAP. II.

Quoad casus in nostro Ordine jure harum Constitutionum reservatos.

1. Ut unusquisque ex nostris Superioribus jus suum recognoscat, quoad Casus reservatos, declaramus, quod ex nunc, & in perpetuum infrascripti tantùm Casus in Ordine nostro ex auctoritate Regulari sunt reservati, nempe:

Casus Ministro Generali reservati.

1. Occisio, aut mutilatio cujuscumque personæ.

2. Quælibet

2. Quælibet percuſſio Prælatorum, Procuratoris Generalis, Secretarii Generalis, necnon Secretarii Provincialis.

3. Veneficia, Incantationes, Sortilegia.

4. Retardatio, aut malitioſum impedimentum, aut aperitio literarum Generalis aut ejus Commiſſarii aut Procuratoris Ordinis ad quoslibet alios, etiam non Religioſos, aut aliorum quorumcumque ſubditorum, & ſæcularium ad eoſdem.

5. Falſificatio manus, vel ſigilli Patris Generalis, Commiſſarii Generalis, aut Procuratoris Ordinis.

Caſus Miniſtro Provinciali reſervati.

1. Quælibet percuſſio gravis Religioſorum infra Prælatos & perſonas, ſupra nominatas in ſecundo caſu Miniſtro Generali reſervato; quæ percuſſio erit gravis, ſi fuerit cum notabili effuſione ſanguinis, vel cum ſcandalo ſæcularium.

2. Juramentum falſum in quolibet Judicio legitimo.

3. Procuratio, auxilium, ſeu conſilium ad abortum poſt fœtum animatum, etiam effectu non ſequuto.

4. Falſificatio manus, aut ſigilli omnium Superiorum, ac etiam Officialium Conventuum, ſed infra Generalem, Procuratorem Generalem, & Commiſſarium Generalem quemlibet.

5. Malitioſum impedimentum, retardatio, aut aperitio literarum a Superioribus omnibus, exceptis Generali, ejus Commiſſario, & Procuratore Generali, ad inferiores etiam non Religioſos, & horum ad ipſos.

6. Furtum rei Sacræ, quod ſit peccatum mortale.

Caſus Superiori locali reſervati.

1. Nocturna & furtiva e Conventu egreſſio ad malum finem.

2. Proprietas contra votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale, ut valeat ultra decem julios, etiam pecuniæ.

3. Furtum de re valente ultra decem julios, etiam pecunia, ſed non rei Sacræ.

4. Inceſtus Conſanguineorum, & Sodomia.

5. Percuſſio levis ſine effuſione ſanguinis, & ſine ſcandalo ſæcularium, cum cenſura annexa.

6. Decernimus etiam, ut quater in anno, nempe in ſolemnitatibus Reſurrectionis a Dominica Palmarum uſque ad Dominicam in Albis pro una vice tantum: Natalis Domini: B. P. Franciſci: & in Feſto Portiunculæ ceſſet quoad prædictos caſus omnis reſervatio.

CAP. III.

Quoad ſuffragia Defunctorum.

1. Pro Anima cujuſcumque ex noſtris defuncti celebretur in quolibet noſtri Ordinis Conventu Miſſa ſolemnis de Requie, perſolvatur a Clericis integrum Defunctorum Officium, & ab illiteratis quinquagies recitetur oratio Dominicalis & ſalutatio Angelica cum orationcula, cujus initium: Requiem æternam; Idque ſolemnius fiat in funere Summi Pontificis, & Eminentiſſimi Ordinis Protectoris.

2. Item pro anima, ut ſupra, celebret ſemel quilibet Sacerdos ex ejus Provincia, & quilibet ex toto Ordine pro anima Generalis, Procuratoris Generalis, & Secretarii Generalis tam actualium quam præteritorum.

3. Ut autem mors noſtrorum Defunctorum illico toti Ordini innoteſcat, teneatur Prior Conventus, ubi quis obierit, de hoc obitu Provincialem admonere, qui illum communicet cæteris ſuæ Provinciæ Prioribus, & Procuratori Generali in Curia, a quo admonendi ſunt cæteri Provinciales, ut ipſi in ſuis Conventibus pro Defuncti anima ſtatuta ſuffragia perſolvi ſtudeant. De communicando toti Ordini obitu Defuncti.

4. Præterea ultra quatuor Anniverſaria, in ſingulos annos ſtatuta in noſtra Regula ſub Cap. 17. præcipimus perſolvi quintum die 15. Novembris, vel altera, ea impedita, pro iiſdem animabus, ac ſub iiſdem ſuffragiis.

5. Demum in quolibet noſtro Conventu adſint etiam duo libri, in quorum uno Prior annotet Religioſum ibi decedentem ſub die, infirmitate, & ætate, qua obierit, ac expreſſis gradibus, ſi quos habuit: & in altero ſubſcribantur Sacerdotes, qui pro noſtris Defunctis celebraverint, ut ita & onera & ſimul eorum adimplementum Viſitatoribus legitime appareant.

CAP. IV.

Quoad Affiliationes & Exfiliationes.

1. Commendantes laudabilem Filiationum morem, a noſtris jamdiu receptum, ut ita habeatur locus, ubi fatui, ægri, inſanabiles, ſenes, errati alicujus pœnam luentes, & his ſimiles, qui Conventibus gravi ſunt incommodo, collocari poſſint, præcipimus, ut nemo ad habitum admittatur, niſi habeat alicujus Conventus Affiliationem, ſub pœna privationis officii, Superiori admittenti aliquem ad habitam ſine Affiliatione. Si quis autem reperiatur admiſſus ſine prævia Affiliatione, ad Capitulum illius Provinciæ ſpectabit, eum declarare filium unius potius vel alterius Conventus. Ad habitum non admittendi, qui non habent filiationem.

2. Affiliationes, & exfiliationes, ut ſint validæ, requirunt etiam in ſcriptis conſenſum Miniſtri Provincialis, qui tamen conſenſus ſuppleri poteſt, cauſa cognita a Miniſtro Generali. Quid requiratur ad validitatem filiationis.

3. Habito autem, vel ſuppleto conſenſu Provincialis, affiliatio, ut ſit valida, requirit etiam conſenſum majoris partis filiorum Conventus, cujus nempe quis ſit filius. Et ſi prædicti ad hunc effectum Vocales quoad majorem partem ſint intra Provinciam, licet extra Conventum, tunc eorum ſuffragium exquiratur per epiſtolas. Idem prorſus conſenſus requiritur ad exfiliationes, ut ſint validæ; ita tamen, ut ſi indebite denegetur a majori parte filiorum Conventus, a cujus filiatione quis diſdicere petit, ſuppleri poſſit, cognita cauſa, a Miniſtro Generali.

4. Exfiliatio nullum cenſeatur habere effectum, niſi prævia, vel poſt obtentam legitime affiliationem alterius Conventus ab eo, qui exfiliationem habuit. Et exfiliationis.

5. Demum expenſæ pro infirmitate incurabili, vel longo carcere, ſpectent ad Conventum filiationis, ſicuti & decedentium ſpolia, modo tamen, quo infra Cap. XI.

CAP. V.

Quoad Novitios, & de recenti Profeſſos.

1. Pro admiſſione Novitiorum, ac emittenda Profeſſione, eorumque Magiſtris ſerventur ea, quæ præſcribuntur in noſtra Regula Cap. VII. & IX., ac Decreta Clementis PP. VIII. & Sacræ Congregationis ſuper ſtatu Regularium, edita ſub Alexandro PP. VII. die 18. Junii 1659. Et inſuper antequam noſtro ſancto Habitu induantur, vel jam probati emittant Profeſſionem, vacare debent Exercitiis ſpiritualibus per decem

dies, & eorum quilibet obtinuisse debuerit filiationem alicujus Conventus, ut supra statutum est Cap. IV. quoad affiliationes.

Non admittendi in alieno professi Ordine.

2. Nullus etiam in nostrum Ordinem introducatur, qui in alieno professionem emiserit, & quidem nec de licentia Ministri Generalis, cum hanc facultatem hujusmodi reservaverit Congregatio Generalis.

Laici ad statum Clericalem non promovendi.

3. Laici nequeant transire ad statum Clericalem, & si furtim fuerint Sacris initiati, omni Clericali honore priventur; nec eis divinum Officium in Choro cum Clericis persolvere permittatur, sed ad laicalia onera omnino reducantur. Neque etiam admitti debent ad annum probationis, nisi antea saltem per annum in aliquo ex nostris Cœnobiis vacaverint oneribus laicalibus in habitu tertiariorum, neque cum Tunica talari sine Caputio; Possit tamen Provincialis quoad hoc ex aliquo prudenti motivo cum illis dispensare.

4. Quamvis affiliatio, & exfiliatio modo, quo supra statutum est sub Capite IV. quoad affiliationes, fieri debeant tantum a majori parte filiorum Conventus; attamen in admittendis Novitiis voceм habeant omnes legitime professi in Conventu de Familia existentes, si tamen tertium annum professionis compleverint, & ibi fuerint per duos menses antea commorati. Cum Sacerdotibus autem super prædicto defectu minoritatis professionis dispensare possint tum Generalis, tum Provincialis.

De noviter Professis.

5. Quo autem ad noviter Professos, debent ii permanere in Professorio per tres annos, & ad majus tempus, ad arbitrium Provincialis, dummodo non sint Sacerdotes; ibique in scientiis instituantur juxta eorum capacitatem. Quod si a Conventu Studiorum ali non possint, alatur unusquisque eorum a Conventu suæ filiationis. Quid autem Conventui Studiorum dandum sit, standum erit judicio Provincialis cum suo Definitorio.

6. Demum Provinciales curent, ut superflui sumptus in ingressu ad Novitiatum, & admissionem professionis omittantur.

CAP. VI.

Quoad Tertiarios, seu Heremitas.

E nostris, qui virtute privilegiorum a Summis Pontificibus Nostro Sancto Ordini concessorum, facultatem habent aggregandi ad nostrum Institutum personas sæculares, & eisdem literas patentes concedendi, ut gestare possint Habitum hæremiticum, nemo per se ipsum, sive per alios sub pœna privationis officii possit ab illis aliquid prætendere, nisi dumtaxat julium unum monetæ romanæ ratione expensarum cartæ pergamenæ, & Scriptoris dictarum literarum. Quod si quid aliud sponte & libere fuerit illi oblatum, illico ab eo sub eadem pœna in capsa reponatur, ac in libro peculiari fideliter annotetur, & totum in Beneficium Ecclesiæ & Conventus aut Provinciæ cedere debeat.

CAP. VII.

Quoad votum Obedientiæ, Vagos, & Apostatas.

Pœnæ contra inobedientes.

1. Nihil a Superioribus subditis præcipiatur sub censuris, nisi sit materia peccati mortalis, aut proxime ad illud conducens. Subditus verò respuens temere & pertinaciter per duos dies hujusmodi præceptum, prius sit utraque voce ad tres menses, & si ita inobediens fuerit Provinciali, ad annum, si vero Generali, ad biennium.

De licentia petenda antequam quis exeat e Conventu &c.

2. Nemo nostrum audeat etiam titulo Prædicationis exire e Conventu sine licentia Prioris, aut ejus locum tenentis; nec ex Conventu ad alium inter Provinciam sine licentia in scriptis a Provinciali; nec ex una ad aliam Provinciam sine licentia pariter in scriptis a Generali, sub pœna arbitraria Superioris, quem læserit. Prior autem poterit, si necessitas urgeat, subdito suo concedere, ut per hebdomadum in alio Conventu intra Provinciam moretur, & Provincialis per viginti dies in Conventu alienæ Provinciæ; sed non sine licentia in scriptis pro fide legitimi recessus.

3. Exiens e Conventu furtim ad malum finem de nocte pœnam subeat privationis utriusque vocis ad annum, & deponatur ab officio, si sit Superior. Obedientiæ demum, a quocumque Superiore concessæ, durent ad tres menses a die datæ, nisi aliter limitentur.

4. Prior intelligat, Religiosum ad se divertentem esse fugitivum ex deficientia literarum obedientialium, quas inde a quolibet Advena exquirere debeat. Repertum autem fugitivum, in carcere detineat, donec ab illius Priore, vel Provinciali, per ipsum requisitis, sciat quid quoad eumdem agere debeat.

De Fugitivis.

5. Fugitivi, qui per dies octo vagarunt extra Claustra, priventur utraque voce ad tres menses: qui vero per dies quindecim, per sex menses, & ad hanc proportionem crescente vagatione crescat & præfata pœna.

De Apostatis.

6. Apostatam de rigore, seu qui ipso facto excommunicationem incurrit a jure, eum solummodo declaramus, qui sine vel cum Habitu ab Ordine discedit cum animo amplius non redeundi, juxta Regulam Cap. XX.

7. Repertus in Apostasia sine Habitu, ultra privationem utriusque vocis ad biennium, subeat etiam pœnam carceris, & privationis præcedentiæ ad sex menses.

8. Demum Apostata, qui ad suum Conventum redierit, poterit a Priore absolvi ab excommunicatione, quod & præstari potest a Provinciali in sua Provincia, a Generali ubique, & a Procuratore Generali in Curia.

CAP. VIII.

Quoad Votum Castitatis.

Pœnæ contra peccantes in castitatem.

1. Ut securius a nostris Castitas servetur, eis vetita sint mulierum dubiæ famæ consortia familiaria, & suspecta, sub pœna privationis utriusque vocis ad annum.

2. Convictus de inhonesto concubitu, ultra supradictam pœnam, carceri mancipetur per menses tres, & per sex, si fuerit cum scandalo. Captus vero a Curia sæculari in æde mulieris inhonestæ, puniatur etiam pœna exilii ad triennium.

CAP. IX.

Quoad Votum Paupertatis.

1. In quolibet Conventu adsit capsa triclavis, quarum clavium una sit penes Priorem, alia penes Procuratorem, & alia penes electum a Familia. In præfata capsa triclavi reponi debent, ultra pecuniam, quæ spectat ad Conventum, vel ad Fratres particulares, etiam notæ, vulgo *Spropriæ*, singulorum de Familia, in quibus, sed unusquisque in sua fideliter exprimat, ultra quantitatem pecuniæ, ea etiam mobilia, quæ de licentia Superiores retinet ad usum proprium.

2. Pecunia spectans ad Fratres particulares expendi quidem debet ab expensore vel expensoribus electis, sed non nisi in beneficium ejus, qui eam reposuit in capsa triclavi, sub pœna privationis vocis activæ & passivæ, ac majoris, Priori, vel cuicumque alteri, qui secus fraudulenter egerit.

3. Nul-

3. Nullus ex noſtris, ſub pœna proprietariis debita, mutuet extra Ordinem pecuniam, niſi de conſenſu Prioris, & cum pignore, præſentibus duobus Patribus gravibus & fide dignis. Pignus autem & confeſſio reponantur in capſa triclavi.

Pœnæ contra Proprietarios.

4. Convictus dediſſe rem valoris ultra viginti julios, ſi dederit eam extra vel intra Ordinem, ut gradus vel officia regularia conſequeretur, ſit ultra privationem utriuſque vocis ad biennium, privus obtentis; quam pœnam ſubeant quoque Superiores, qui eo intuitu munera receperunt; circa vero largitionem munerum ſervetur inviolabiliter Bulla Urbani PP. VIII.

CAP. X.

Quoad Indumentum.

Forma Indumenti.

1. Indumentum exterius ſit tunica talaris, ſicut & pallium, quod ſit juxta communem Eccleſiaſticorum formam, ut hodie eſt in uſu: Scapulare utrinque angulare; & horum quodlibet ex lana coloris vulgo *Berrettino*, quod potius ad nigrum colorem vergat: Pileus vero coloris nigri: Pallium, quod domi aut in itinere defertur, ex panno nigri coloris deferri poſſe concedimus: ſubtus nemo ſerius veſtiatur, ſub pœna privationis utriuſque vocis ad ſex menſes, toties quoties inobediens repertus fuerit: Interulis lineis uti poſſint: Extra Cellam non incedant ſine tunica & caputio, licet ſine eis cubare poſſint: manicam pelliceam noſtris non negamus, ſed ſit lana vel panno nigro tecta: Chirothecas quoque modeſti coloris, dum iter agunt, permittimus: Tonſura in Clericis ad formam Coronæ non ſit nudum ſignum Monaſticum, ſed nec tale, ut comam nutrire videantur.

CAP. XI.

Quoad Infirmos, & Spolia decedentium.

1. Ubi e noſtris quis infirmatur, illico Prior ſub pœna privationis officii ſedulo curet, ut in valetudinario cuncta illi ſubminiſtrentur opportuna tam in animæ ſpirituale beneficium, quam pro corporis ſalute recuperanda, & quidem ex bonis ipſius Conventus, ſi convaluerit, & fuerit ibi de Familia; ſi vero ibi morabatur, ut hoſpes, ex bonis Conventus ſuæ aſſignationis, a quo diſceſſerat.

De diſtributione Spoliorum.

2. Si vero mori contigerit in Conventu, cujus non erat filius, tunc ex ejus ſpolio, ſi adſit, Conventus, in quo moritur, ſumat quidquid expenderit pro ultima ejus Infirmitate & funere, & reliquum detur integrum Conventui filiationis.

3. Si vero obierit in Hoſpitio Lauretano, in quo erat de Familia, ſi adſit ſpolium, demptis ex eo expenſis pro ultima infirmitate & funere, dividatur pro medietate inter Hoſpitium & Conventum filiationis; idque quia præfatum Hoſpitium ſæpe gravatur a noſtris peregrinantibus ad Sacram Ædem Lauretanam.

4. Nemini ex Superioribus liceat aliquid ex ſpoliis decedentium accipere; ſoli tamen Miniſtro Generali permiſſum ſit de eorum parva aliqua quantitate diſponere in evidentem Ordinis utilitatem.

CAP. XII.

Quoad Studia Scholaſtica.

Lectores a quibus eligendi.

1. Lectores Philoſophiæ, vel Sacræ Theologiæ, ac Regentes, a ſolo Miniſtro Generali eligi poſſint vel deponi, ita & eorum Scholares, qui illis quoad ea, quæ ſtudia concernunt, ſubſint; immo congruit, ne eos Prior, dum ſtudia ſunt aperta, e Conventu exire permittat ſine illorum licentia.

Tempus aperitionis Studiorum.

2. Studia ſcholaſtica aperiantur poſt Feſtum Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis, & claudantur poſt menſem Junii; ubi autem uſus invaluit, ut menſe Novembri ſtudia aperiantur, tunc non niſi poſt Feſtum Aſſumptionis B. M. V. claudantur.

Aſſignatio dierum pro Lectionibus habendis.

3. Dum ſtudia ſunt aperta, ſtudentes bis tantum in hebdomada ultra Feriam Quintam e Conventu exeant, extra tamen tempus, quo lectionem audire debent, & ſemper de licentia Prioris: Lectores vero, excepta pariter Feria Quinta, & qualibet alia feſtiva, bis quotidie lectionem habere debent, nempe de mane, & poſt Veſperas. Duobus autem ſaltem hebdomadæ diebus poſt Veſperas loco lectionis inſimul conveniant ſtudentes cum Lectoribus ac Regente, & diſputent ſuper iis, quæ ab illis audierunt in hebdomada.

Doctrina Scoti defendenda.

4. Lectores Philoſophiæ & Theologiæ ſuos doctrinam Joannis Dunz Scoti, Doctoris ſubtiliſſimi ex Ordine Minorum, doceant, eamque tum in privatis tum in publicis diſputationibus, quibus præſunt, propugnent, ſecus lectorum privilegiis non gaudeant. Item ſi ſtatis ſupra temporibus, excepto Quadrageſimali, in quo Provincialis Regentibus & Lectoribus facultatem prædicandi concedere poſſit, lectiones legitime non impediti per integrum menſem non habuerint, ipſo facto ab officio Lectores vel Regentes ſuſpenſi intelligantur, abſque ſpe reſtitutionis. Si vero tantum ter per hebdomadam eas omiſerint, corrigantur a Priore, qui ſub pœna privationis officii perſiſtentes in negligentia Miniſtris Provinciali & Generali revelet. Item non occupentur alio officio incompoſſibili, verbi gratia, non ſit quis ſimul Prior, & Lector ſeu Regens. Demum Regens, qui per annos quatuordecim noſtros erudierit, poſſit de conſenſu Generalis eligere ſibi Conventum, ubi aliqualem famulatum habeat ab uno ex laicis, a Priore deputando.

CAP. XIII.

Quoad laureandos.

Laurea Doctoratus a Miniſtro Gen. concedenda.

1. Cum ſe. re. Innocentius PP. XII. Miniſtro Generali noſtri Tertii Ordinis, pro tempore exiſtenti, conceſſerit facultatem privative quoad omnes alios conferendi Doctoratus ſeu Magiſterii lauream Fratribus in dicto Ordine profeſſis, qui antea Philoſophiam per tres, & ſuper omnibus Sententiarum Libris Sacram Theologiam per alios quatuor annos laudabiliter legerint & docuerint, prout latius in ſuo Brevi ſub die 17. Maji 1692. Ut id exacte obſervetur.

Diſtributio Tractatuum.

2. Statuimus, quod ſub primis tribus annis, & quidem proculdubio naturalibus, a Lectore Philoſophiæ tradantur integra Logica, octo libri de Phiſico Auditu, libri de Ortu & Interitu, de Cœlo & Mundo, de Elementis, de Anima, & de Metaphiſica: Ita & in primo ex quatuor pro Sacra Theologia tradantur ab ejus Lectore tractatus de Prœmialibus Sacræ Theologiæ, de Dei quidditate & perfectionibus, Attributis, de Viſione Beata, de Scientia, Voluntate, Providentia, & prædeſtinatione Dei, & de Myſterio Trinitatis: In ſecundo de Angelis, de Actibus humanis, de Vitiis & peccatis, ac de Gratia & Juſtificatione: In tertio de Miſterio Incarnationis, & de Virtutibus Theologicis; In quarto demum de Sacramentis in genere, de Pœnitentia, ac de Sacramento Euchariſtiæ; Et donec præfati omnes Tractatus non fuerint Studentibus traditi, ſeptem anni lecturæ requiſiti ad lauream Magiſterii obtinendam non intelligantur completi.

3. Si plures in uno Collegio sint, qui eosdem Scholares, ut congruit, Sacram Theologiam doceant, Tractatus supra designatos ita sibi dividant, ut de utroque eorum verum sit, in quatuor annis super quatuor Sententiarum libros legisse, ut eis conferri possit, servatis aliis servandis, laurea Magisterii.

4. Si Lectoribus desint Studentes Religiosi, duo saltem Discipuli Sæculares, non tamen pauciores, eis conferant ad lauream consequendam. Sed de adimplemento utriusque lecturæ ad normam supra traditam, ultra fidem juratam à Priore & duobus Patribus principalibus Conventus, ubi legerint, fidem juratam a Provinciali, qua indigent, qui legerint nostris Religiosis, habere debent.

CAP. XIV.

Quoad Examinatores generales.

De numero. 1. Cum ad gradus literarios promovendi sunt Examinatores non sint nec plures nec pauciores, quam viginti & unus, nempe ultra Regentem pro tempore Sanctorum Cosmæ & Damiani de Urbe, septem pro Provinciis, Romana, Marchiana, Aprutina, Neapolitana, & Calabrensi, octo pro Provinciis Mediolanensi, Bononiensi, Brixiensi, Veneta, & Dalmatina, ac quinque pro Provincia Sicula.

Et qualitatibus Examinatorum. 2. Præfati Examinatores Generales approbari debent a Definitorio Generali; & semel approbati, durante eorum vita, deponi non possint, nisi probati infideles in eorum munere examinandi. Cum autem quis eorum moriatur vel renuntiet, alter a Ministro Generali proponatur, sed approbandus a Definitorio Generali, ut ejus electio sit valida. Habeant quoque votum activum in Capitulis Provincialibus suæ tantum Provinciæ, atque ejusdem Provinciæ expensis accedant.

CAP. XV.

Quoad Regentes Generales.

De munere, 1. Adsint etiam quatuor Regentes Generales, quorum munus sit præsidere Cathedris seu Conclusionibus, si quæ fuerint disputandæ, in Capitulo præsertim Generali, si ibi adsint, vel ut Vocales, aut vocati. Præsideant etiam Conclusionibus publice disputandis extra tempora Capitulorum, dummodo tamen non adsit in Conventu Regens particularis.

Et electione Regentium Generalium. 2. Assumantur ex Magistris, in Philosophia & Sacra Theologia versatioribus, nec ex eadem Provincia, nisi duo; Eligantur eo fere modo, quo Examinatores Generales, quorum privilegiis gaudeant; immo eos præcedant, cum possident summum gradum literarium.

CAP. XVI.

Quoad Professores Morales, Confessarios, & Prædicatores.

Qualitates Lectoris Moralis. 1. Nemo instituatur Lector Moralis, vel Prædicator, nisi studuerit laudabiliter Philosophiæ per tres annos, & Sacræ Theologiæ per quatuor.

2. Ubi non adsit Lector Moralis, Sacerdotes ad nutum Superioris bis in hebdomadam conveniant, & ab uno eorum alternatim casus conscientiæ propositi resolvantur juxta sensum probati Auctoris; Inter autem disputandum omnino se abstineant a jurgiis.

Regulares Sacerdotibus Sæcularibus non confiteantur. 3. Sacerdotes nequeant audire Confessiones Religiosorum in aliqua Provincia, nisi saltem de licentia in scriptis illius Ministri Provincialis: qui omnino caveat, ne eo exhibeat Episcopis examinandos pro audiendis Confessionibus Sæcularium, nisi prius a se, vel ab Examinatoribus Generalibus stricte discussos & idoneos repertos.

4. Prædicator, si in loco & in actu prædicationis populo scandalum dederit, a facultate prædicandi ad triennium a Provinciali suspendatur.

CAP. XVII.

Quoad Bibliothecas.

1. Ubi adest Bibliotheca, instituatur Bibliothecarius, cui consignetur a Priore copia Inventarii librorum omnium, repositi in capsa triclavi, & clavis Bibliothecæ.

2. Satagat Bibliothecarius ordinate disponere libros, a pulvere custodire, & accedentibus ad Bibliothecam legendos tradere.

3. Solummodo Regentibus, Lectoribus, & iis, qui super hoc facultatem a Provinciali obtinuerint, licitum erit libros a Bibliotheca extrahere. Extractos autem debet Extractor in libro ad hoc deputato scribere manu propria, v. g. Ego Pater N. N. die, mense, anno extraxi a Bibliotheca librum vel libros, N. N, & cum eos reddiderit, scribat: Reddidi; idque in utroque eventu agat coram Bibliothecario.

4. Bibliotheca non est diminuenda, immo potius, si fieri potest, augenda; inde Bibliothecarius quoad libros repertos laceros curet unà simul cum Priore, ut reparentur; & quoad repertos duplicatos, si sint inutiles insistat, ut vendantur; vendi autem non possunt sine expressa licentia Familiæ, firmata etiam a Provinciali, & ita, ut pretium venditorum convertatur totum in emptionem aliorum librorum, quibus caret Bibliotheca.

CAP. XVIII.

Quoad Eleemosynas.

Conventiones à Priore cum Quæstuantibus non ineundæ. 1. Laici, qui quæstuant, & quilibet ex nostris integram eleemosynam quam a Benefactoribus recipiunt intuitu Conventus, illico tradere debent Priori vel Sacristæ, si data fuerit cum onere celebrationis Missarum; neque Prior cum illis pactum inire potest, sub pœna privationis officii, ut ultra quamdam determinatam summam Conventui applicandam, reliquam sibi retineant. Possit tamen Prior illis aliquid ex acceptis eleemosynis largiri in retributionem laborum.

CAP. XIX.

Quoad introitum.

1. Pecunia spectans ad Conventum, undecumque proveniat, describatur in libro, vulgo *Giornale*, sub iisdem titulo, & die, quo recepta fuerit: & reponatur in capsa triclavi, excepta ea quantitate apud expensorem, quæ necessaria erit pro solo victu unius hebdomadæ; ac sub pœna privationis officii neque Procurator quidquam spectans ad Conventum valoris ultra scuta quinque vendere possit absque Familiæ consensu.

CAP. XX.

Quoad exitum.

1. In supradicto libro, vulgo *Giornale*, describatur saltem de hebdomada in hebdomadam, quidquid in ea expensum fuerit, signatis die, pondere, qualitate, & pretio rei emptæ, sub pœna privationis officii ei, qui defecerit, sive Prior sive Procurator sive Expensor sit, si fuerint notabiliter negligentes reperti.

Gravia debita non contrahenda sine consensu totius Familiæ. 2. Prior, Procurator, Expensor, nec expendere, nec debitum contrahere possint ultra summam scutorum quinque, absque Familiæ consensu sub eadem pœna, qua supra.

3. Ubi quid reſtaurandum ſit, vel de novo erigendum, ex bonis Conventus, id intra ſummam ſcutorum decem poſſit Prior cum conſenſu Familiæ; intra vero ſummam ſcutorum quinquaginta, exquirat conſenſum etiam Provincialis; ſupra autem hanc ſignatam ſummam, obtineat conſenſum quoque Generalis, ſub pœna privationis officii.

Munera nemini per Fratres danda.

4. Nemo noſtrum ſub privationis officii pœna præparet data opera extra ſolemnitates noſtri Ordinis, ex bonis Conventus, convivia exteris, ſi non ſint Benefactores, vel Fratrum conſanguinei iter agentes; nec munera dec ex eiſdem bonis, niſi minuſcula in Natali & Paſcate Domini, ac in die Purificationis Beatæ Mariæ Virginis Candelam, inſervientibus tamen Conventui, & eximiis Benefactoribus.

De Ferculis.

5. Prior contentus ſit iiſdem prorſus ferculis, quæ pro cæteris de familia præparata ſunt, ſub pœna ad arbitrium Provincialis, quæ quidem fercula juxta morem regionum ſint ejus qualitatis, & in ea quantitate, ut dolere non debeant Religioſi graves.

De Computis.

6. Computa tam introitus quam exitus quolibet menſe publicari debent in communi menſa, & ſubſcribi ſaltem ab electo a Familia, ſub pœna Priori privationis officii, ſi fuerit notabiliter repertus negligens.

De Libris rationum.

7. Libros rationum Prior alio non transferat, ſed eos ſucceſſori conſignet, vel, ſi pleni ſint, in Archivio reponat. Præfati autem libri, licet in Viſitatione Provinciali vel Generali fuerint ſubſcriptione firmati, impugnari adhuc poſſunt; cum Viſitator, ſi non advertatur, judicet non ſuper veritate, ſed tantum ſuper calculatione ſummarum; ſed tamen intra decennium a Viſitatione fieri debet, ad inſtantiam ſaltem duorum ex Religioſis fide dignis.

De Viſitatore, & iis, quæ ei ſunt oſtendenda.

8. Prior & Procurator exhibeant Viſitatori libros rationum examinandos, & inſuper tria Inventaria: quæ ſi non adſint, conficere ea Prior teneatur intra congruum tempus, ſtatuendum a Provinciali, ſub pœna provationis officii: Primum ſit bonorum immobilium & ſtabilium, necnon quorumcumque jurium ad Conventum pertinentium, & vulgo dicitur *ſtato del Convento*: Alterum bonorum mobilium, pertinentium præſertim ad Sacriſtiam, Bibliothecam, Cellam Vinariam & uſum domeſticum Religioſorum: Tertium tandem vulgo dicitur *libro del Granaro*, exprimat annuos proventus non ſolum frumenti, ſed etiam vini, olei, leguminum &c., quæ provenerunt ſive ex ſtabilibus Conventus ſive etiam ex quæſtuis: ac eorumdem exitum; itaut omnium comeſtibilium exiſtentium in Conventu diſtincte quantitas appareat. Adſit etiam in quolibet Conventu folium, Viſitatori pariter exhibendum, in quo contineatur numerus ejus creditorum & debitorum. Hæc autem tria Inventaria, ſicut & folium præfatum, ſubſcripta ſint a duobus Patribus ex gravioribus Conventus, quos Viſitator ſi doloſos reperiet, utraque voce privatos ad tres annos declaret.

De Pignorationibus.

9. Sacra mobilia & pretioſa non poſſunt pignorari, niſi apud Montem Pietatis, & maxima urgente neceſſitate, approbanda a tota Familia, & cum Apoſtolico beneplacito, ſub pœna privationis utriuſque vocis ad triennium: quam pœnam ad ſex menſes tamen ſubeant etiam Sacriſta vel Prior, ſi aliquid ex pretioſis commodaverint ſine Familiæ conſenſu.

10. Ubi adeſt ſufficiens numerus Religioſorum, eligantur Depoſitarius, Procurator, & Expenſor a Familia: qui tamen reſpective in adminiſtratione domorum Conventus dependeant a Priore.

Pœnæ contra doloſos.

11. Denique quis, ſive Prior ſive Procurator ſive Expenſor, repertus fuerit doloſus in adminiſtrandis bonis Conventus, illico ab officio deponatur, & Provincialis ſatagat, ut damna Conventui illata reparentur. Laici quoque, qui ex eleemoſynis oſtiatim nomine Conventus collectis, quid ſibi retinuerint in notabili quantitate, ſubeant privationem vocis, & præcedentiæ ad annum.

CAP. XXI.

Quoad pœnam furtorum.

1. Qui e noſtris, quod abſit, ex re familiari Conventus quid grave furatus fuerit ſine officinarum fractura, pro prima vice in carcere per quindecim dies pane ſolummodo & aqua feria ſexta cibetur: pro ſecunda vice per menſem: pro tertia vero per annum: & ſi ulterius, puniatur juxta menſuram delicti.

2. Si furtum fuerit grave, & cum fractura officinarum, pro prima vice per annum carceri mancipetur, pro ſecunda vero ad biennium.

3. Si demum furtum fuerit extra Ordinem, & grave, ſubeat pœnam carceris ad triennium: ſi vero leve, ſed cum ſcandalo, ad tres menſes.

CAP. XXII.

Quoad pœnam detractorum, & verberantium.

Pœnæ contra Detractores;

1. Si quis contumelias bonæ famæ graviter pernicioſas evomerit in fratrem, carceri mancipetur per menſem: ſi in Priorem, per tres: ſi in Provincialem, per ſex. Auctor autem libelli famoſi intra vel extra Ordinem, ulterius in publica menſa qualibet feria ſexta per menſem cibetur tantummodo pane & aqua, & privetur utraque voce ad triennium.

Contra Percuſſores.

2. Si quis manu Religioſum percuſſerit, carceretur per octo dies: ſi baculo & graviter, per ſex menſes: Si vero ferro aut ſclopo, per annum. Secuta autem membrorum mutilatione ex vulnere accepto in vulnerato, vulnerans pœnam ſubeat carceris ad triennium: Sequuta vero morte, in perpetuum. Inde ad præcavenda in noſtris hæc mala, cunctis ſub pœna carceris ad ſex menſes prohibemus, ne propria, vel aliorum arma, & inſtituto offenſiva ferant vel conſervent.

Arma per Religioſos non ſervanda.

CAP. XXIII.

Quoad Judices, Accuſatores, Teſtes, & Appellationes.

Forma Proceſſuum per Judices edendorum.

1. Judices in noſtro Ordine ſive ordinarii ſive delegati proceſſus edere nequeant, ſi accuſatores non ſe ſub initium ſubſcripſerint ad pœnam tallionis, quam omnino ſuſtinere debent, ſi ſufficienter de exiſtentia allati criminis non docuerint: idque ſub pœna nullitatis proceſſus, & Judici privationis officii ad triennium.

Teſtium qualitates.

2. Teſtes quoque non admittantur, niſi fide digni, & ſi falſi deprehendantur, aut poſiti inter duo juramenta, arcti carceris pœna puniantur ad ſex menſes, nec impoſterum ut jam infames in judicium revocentur.

3. Reis etiam conſtitutis detur ex noſtris vir doctus, qui eos intra congruum tempus defendere poſſit: quem ſi Judex denegaverit, privus declaretur officio, & utraque voce ad triennium.

Aſſeſſor è ſæculo cooptandus.

4. Demum proceſſus, urgente juſtitia, conficiatur, ſed a Fratribus & intra Ordinem tam ad ſervandum ipſius Ordinis decorem, quam ad evitandas expenſas. Ut autem rite cuncta perficiantur, poſſit Judex Regularis aſſumere e ſæculo in aſſeſſorem virum prudentia præditum, & in utroque jure peritum.

5. Appellatio a correctione non ſit noſtris licita,

De Appellationibus.

sed a gravamine illato per sententiam : quam si Judex, a quo appellatur, recusaverit admittere, appellans protestetur, se adire velle Superiorem majorem, coram duobus Sacerdotibus, qui de ea protestatione se subscribant.

CAP. XXIV.

Quoad Advenas & Hospites.

Quæ ab Advenis præstanda sunt post triduũ.

1. Advena, ubi prævenerit, illico Priori literas obedientiales exhibeat, eique causam sui adventus exponat. Quod si ob negotia pertractanda, vel honestæ recreationis causa diu ibi Hospes permanere debebit, tribus elapsis diebus, sicut unus ex Conventualibus tractetur ; celebret nempe pro oneribus illius Ecclesiæ, ac Choro interfit, nisi cum eo quandoque Prior benigne dispensaverit.

Prioris & Provincialis super iisdem jurisdictio.

2. Ubi noster adest Conventus, hospes sub pœna privationis utriusque vocis ad sex menses, nequeat in Domibus, etiam Consanguineorum vel aliorum quoque Regularium, pernoctare absque Prioris licentia.

3. Prior & Provincialis habeant in advenas & hospites eamdem prorsus jurisdictionem ordinariam, ac in suos immediate Subditos ; & inde si delinquunt, ab utroque respective puniri possunt ad præscriptum Regulæ, & harum Constitutionum.

De Hospitio ad SS. Cosmam & Damianum.

4. Advenæ divertentes ad Conventum SS. Cosmæ & Damiani de Urbe teneantur post tertiam diem ab accessu celebrare pro oneribus illius Ecclesiæ quotidie, eique ulterius solvere julium unum, duos vero si non celebrent, vel sint Laici. Cumque nostri ex quacumque Provincia, quæ Romæ Conventum proprium non habeat, ad eam accedentes, hospitari debeant in Conventu Sanctorum Cosmæ & Damiani, præcipimus inde ejus Priori sub pœna privationis officii, ut tanquam hospites non recipiat, nedum Tertiarios Regulares Gallos, sed neque nostros ex Provincia Sicula ; cum & hæc in Urbe suum habeat proprium Conventum sub titulo Sancti Pauli ad Arenulam.

CAP. XXV.

Quoad Visitatores & Commissarios.

Faculras Ministri Generalis, quæ sit in electione Commissariorum ad tempus.

1. Minister Generalis non potest nec debet deputare Commissarium Generalem super una Provincia vel Conventu ad tempus sive indefinitum sive definitum ad causam vel causas forsan eventuras : neque unum ex generalibus, nisi tantum, quando ipse egreditur fines Italiæ, & pro eo dumtaxat tempore, quo extra Italiam commoratur ; & huic eidem impotentiæ subest etiam respective Minister Provincialis, dum est intra suam Provinciam.

2. Poterit igitur Generalis, dum est intra Italiam, deputare Commissarium Generalem in casibus particularibus, nempe ad agendam causam civilem aut criminalem, ad visitandum & præsidendum Capitulo Provinciali ; & tunc assumat Religiosos graves, &, si adsint, in Sacra Theologia Magistros, qui quidem Commissarii habeant votum, nec debent tamen assumi ex illa Provincia, ad quam mittuntur.

Procurator Gen. in Curia.

3. Procuratori Generali in Curia non potest demandari Visitatio alicujus Provinciæ vel Conventus extra Urbem, attenta incompatibilitate inter unum & alterum officium.

Commissarii, Visitatores, & Præsidentes ad aliqua officia non eligendi.

4. Commissarii, Visitatores, & Præsidentes in Capitulis & Congregationibus Provincialibus nequeant eligi ad aliquod officium in ipsis Capitulis & Congregationibus in quibus officium Commissarii & Præsidentis exercent, sub pœna nullitatis electionis, quæ revolvatur ad Generalem, & tunc electus a Generali habeatur, ac si in Capitulo & Congregatione electus fuisset.

5. Si quis instituatur a Generali Commissarius super aliqua Provincia, pro eo casu locum digniorem habeat supra Priores & Provincialem : si vero pro Conventu particulari, cedat locum Provinciali.

Visitatio Cœnobii SS. Cosmæ & Damiani a Provinciali P. R. quolibet anno facienda.

6. Demum Provincialis Provinciæ Romanæ ultra Visitationem Ministri Generalis semel in anno, vel sæpius pro rei necessitate, possit & debeat visitare auctoritate sua Provinciali Cœnobium SS. Cosmæ & Damiani Urbis ; attamen per hoc Decretum nullum infertur præjudicium prætensis juribus Patris Generalis, quoad pertinentiam dicti Cœnobii, sed jura unicuique ex partibus salva sint.

CAP. XXVI.

Quoad Provinciales Titulares.

1. Dignitates Titulares Provincialium revocantur ad duas, videlicet Patrimonium, & Montis Feltri. Ad eas assumantur ad triennium a Ministro Generali illi, qui pro Religione assidue laboraverint, vel studiorum lucubrationibus, vel negotiorum occupationibus.

Qui eligendi in Provinciales Titulares.

2. Provinciales Titulares sint Patres perpetui illius Provinciæ, cujus sint filii. Durante eorum triennio vocem habeant in Capitulis & Congregationibus, etiam generalibus ; sed ex eis ille tantùm, qui est nativus illius Provinciæ, & de Familia in Conventu, in quo celebratur Congregatio Generalis. Post triennium vero habeat vocem tantùm in Capitulis Provincialibus Provinciæ suæ nativæ. Quo autem ad præcedentiam, prout infra Cap. 31.

CAP. XXVII.

Quoad Capitulum Generale, ejusque Congregationes intermedias.

Capitulum Gen. quolibet sexennio celebrandũ. In eo qui votum debeant habere.

1. Capitulum Generale singulo sexennio celebretur in Conventu, ubi a Vocalibus Congregationis Generalis præcedentis judicatum fuerit expedire. In eo votum habeant Generalis, Exgenerales, Procurator, & Secretarius Generalis, Provinciales sive jurisdictionis sive tituli, & Secretarii Provinciarum, ac Custodes, ordine, quo infra sub Cap. 32.

Qui vero eligendi.

2. Debent in eo eligi ad sexennium novus Minister Generalis, & novi quatuor Definitores Generales. Minister Generalis debet esse Magister in Sacra Theologia, ac potest eligi, licèt absens, sed non ex illis Provinciis, ex quibus fuerint duo Generales antecessores immediati.

Qualitates eligendorum in Definitores Gen.

3. Definitores Generales debent eligi ex quatuor Provinciis per turnum, nempe pro primo ex Provinciis Mediolanensi, Sicula, Brixiensi, & Veneta : Pro secundo ex Provinciis Romana, Bononiensi, Marchiana, & Dalmatina : Pro tertio ex Provinciis Neapolitana, Aprutina, Calabrensi, & Belgica.

De Expensis.

4. Expensæ pro Capitulo Generali taxentur in ipso Capitulo a Vocalibus Provinciarum ; Quo ad sumptus itinerum, stetur consuetudini Provinciarum. Concionatores & Cathedratici suæ Provinciæ expensis ad Capitulum proficiscantur, de quibus omnibus accurata & distincta in Definitorio ratio danda erit.

De Definitorio Generali : & de quibus in eo agendum.

5. Inde, expletis prædictis electionibus, congregandum erit Definitorium generale, cui interveniant ut Vocales, Generalis, ex-Generales, Procurator Generalis, quatuor Diffinitores Generales, Secretarius Generalis, Provincialis, & Prior Conventus, ad celebrationem dicti Definitorii seu Congregationis destinati, ordine, quo infra Cap. 32.

6. In hac Congregatione supplendus est numerus Examinatorum vel Regentium Generalium, si

quis

quis eorum intra unam Congregationem & aliam mortuus fuerit, vel renunciaverit: Insuper debet eligi novus Procurator Generalis, qui sit Magister, nec ex illis Provinciis, ex quibus sunt Generalis præsens, & immediate præteritus: quo electo, recedit a Congregatione Procurator Generalis præteritus, & ingreditur novus cum juribus Procuratori Generali competentibus: nec duret, nisi ad triennium, itaut qui functus fuerit officio Procuratoris Generalis per triennium, nequeat ad idem officium iterum eligi vel confirmari, nisi per annum vacaverit.

7. In eadem Congregatione debet, a solo tamen Ministro Generali, confirmari Secretarius Generalis, vel eligi novus ad triennium: quo electo, recedat præteritus, & ingrediatur novus, ut dictum est de Procuratore Generali.

8. Liceat Generali cum Vocalibus hujus suæ Congregationis interpretari Regulam & Constitutiones Ordinis in omnibus dubiis, ad verum sensum tamen & mentem earumdem, & non aliàs, nulla facta immutatione: nec non suspendere ab officiis quoscumque, etiam Provinciales, si ita necessitas & justitia requisierit: quinimo etiam privare, juridice tamen & cum causæ plenaria cognitione, salva semper Capituli Generalis auctoritate.

9. Vocales hujus Congregationis statuant, ubi celebranda erit Congregatio Generalis intermedia ad finem triennii, cui respective interveniant iidem Vocales, qui primæ; & in qua similes electiones habeantur, eo tantùm interveniente discrimine, quod in hac Congregatione intermedia Procurator Generalis eligi possit ex illa Provincia, ex qua sit Generalis immediate præteritus.

10. Demum quando aliquid præscribitur agendum in consilio & assensu Definitorum sive Generalium sive Provincialium, debet intelligi, quod id fiat, Definitoribus simul in unum congregatis; aliter consensus, per literas aut singulariter datus, nullius sit momenti, ac irritus effectus inde sequutus.

CAP. XXVIII.

Quoad Capitulum Provinciale, ejusque Congregationes intermedias.

Capitulum Provinc. quolibet triennio celebrãdum.

1. Capitulum Provinciale singulo quoque triennio celebretur, eo loco & die, ut a Ministro Generali vel ejus Commissario fuerit destinatum. In eo votum habeant Generalis, vel ejus Commissarius, ex-Generales, Procurator, Definitor, Secretarius, Generales tum actuales tum præteriti, Provincialis sive jurisdictionis sive tituli, sive actualis sive præteritus, in Capitulo tamen ejus Provinciæ, de qua sunt nativi: item Secretarius Provincialis actualis, Priores cum suis Discretis, ac Regentes Generales, & Examinatores pariter Generales, & Custos actualis Provinciæ, ordine, quo infra sub Cap. 32.

Qui votum in eo habeant:

Et quæ pertractanda.

2. Debent in eo eligi ad triennium novus Minister Provincialis, quatuor Definitores, & Custos: post quas electiones celebretur prima Congregatio Provincialis, cui intervenire debent, qui fuit Præses Capituli, Exgenerales, Provincialis sive jurisdictionis sive tituli actuales, Secretarius, Procurator, & Definitor Generales actuales, si adsint, & quatuor Definitores Provinciales noviter electi, ordine, quo infra Cap. 32.

3. In hac prima Congregatione Provinciali eligi debet a toto Definitorio Secretarius Provincialis ad triennium, qui tamen in ea jus suffragandi non habeat.

4. Eligi etiam in ea debent Priores Conventuum ad annum, quorum nullus potest esse simul Prior & Secretarius, vel Definitor Provincialis, nisi in Provinciis parvis, urgente necessitate, & tunc Definitor, qui proponitur eligendus Prior, se abstineat a suffragando in illa electione. Elapso anno de licentia Ministri Generalis celebrabit Provincialis secundam Congregationem, & elapso biennio, tertiam, quibus interveniant iidem, qui primæ; ac in eis præter electionem Secretarii Provincialis, si electus in prima obierit, vel renunciaverit, fiant electiones Priorum pariter, ut in prima.

5. In præfatis tribus Congregationibus eligendi sunt, vel confirmandi, Magistri Novitiorum, & de recenti professorum, ac ii, de quorum voto expelli possunt ab Ordine incorrigibiles.

6. Qui in tribus Congregationibus continuatis Prior electus fuerit, & per triennium eo munere functus, non poterit eligi neque in Priorem, neque in Præsidentem, nisi transacto anno. Ille vero, qui Præsidens fuit alicujus Conventus pro majori parte anni, non possit ad officium Prioris eligi, nisi ad biennium, itaut tempus Præsidentatus computetur ad effectum vacationis, tanquam annus complens triennium gubernii.

Priores eligendi ad annum.

7. Priores ita eligantur ad annum, ut eo transacto, si præcedens Prior non eligatur, nulla ei fiat injuria, quamvis non compleverit triennium, intra quod confirmari poterit.

Ad officia promovendi tantum filii Provinciæ.

8. Ad officia quæcumque cujuslibet Provinciæ admittantur filii ejusdem Provinciæ tantùm, sub pœna nullitatis electionis; & in Capitulis & Congregationibus Provinciæ Romanæ, ex specialibus causis in hac Provincia concurrentibus, votum decisivum & consultivum habere possit & debeat dumtaxat Pater Generalis actualis, exclusis aliis Superioribus & Officialibus generalibus, cujuscumque Provinciæ sint, & qualitatis.

9. In Capitulo quoque Provinciali Provinciæ Romanæ Regens Sanctorum Cosmæ & Damiani de Urbe votum non habeat, nisi sit nativus illius Provinciæ; cum jus suffragandi concedatur Examinatori generali in Capitulo tantùm suæ nativæ Provinciæ, ut statutum est sub Cap. 14.

10. In Capitulis Provincialibus, si major pars Vocalium non esset pro uno, præmissa protestatione peracto primo scrutinio, durante eadem discordia post tria scrutinia, electio, pro qua est discordia, devolvatur ad Generalem, sive interfit sive non Capitulo. Si autem id eveniat in Congregationibus Provincialibus, electio devolvatur ad Generalem, si ibi fuerit præsens, secus ad Provincialem. Cæterum electiones omnes factæ sive in Capitulis sive in Congregationibus Provincialibus, ut jus tribuunt electis, confirmari debent a Præsidente Capituli vel Congregationis.

11. Demum exeuntes absque causa legitima, & approbanda a Præside & a majori parte scrutatorum, careant utraque voce ad triennium & decennium, si eorum exitus fuerit cum contemptu; & Vocalis dubius careat jure suffragandi.

CAP. XXIX.

Quoad Electionem Discreti Conventualis, mittendi ad Capitulum Provinciale.

In electione Discreti Convent. qui vocem habeant.

1. In Electione Discreti Conventualis, sicut & in quocumque actu, ad quem requiritur consensus Familiæ, vocem habeant omnes legitime professi, in Conventu de Familia collocati, si tertium annum professionis compleverint, ibique fuerint per duos menses immediate ante commorati; ad amovendam autem omnem in hujusmodi Discretorum Electionibus fraudem, nequeat Provincialis tribus mensibus ante Capi-

tulum amovere a Conventu quemlibet, ibi de Familia commorantem, nisi ex causa delicti gravis & notorii. Quod si secus factum fuerit, amotus in Conventu, ubi reperitur vocem non habeat quoad Electionem Discreti; sed ne suffragandi jure sine causa privetur, redeat cum voce ad priorem Conventum, in quo per duos menses de Familia collocatus extiterat, nisi libere juri suo cedat.

In quo Conventu possit eligi.

2. Discretus Conventualis fieri potest in Conventu, ubi saltem adsunt duo habentes vocem passivam, & quinque activam, inter quos numerari debent etiam processati, qui ante latam sententiam carent dumtaxat voce passiva. Inde, deficiente hoc numero Vocalium, convenire possunt Familiæ plurium Conventuum pro Electione unius Discreti. Si post tertium scrutinium Electio Discreti non habeatur, & fuerit præsens Minister Generalis, vel ejus Commissarius, ad eum devolvatur Electio, secus, non iteretur scrutinium, sed Prior accedat ad Capitulum sine Discreto.

3. Statim ac Minister Generalis, vel ejus Commissarius, visitandi causa aliquam Provinciam ingreditur, sit in arbitrio & libertate Capituli Conventualis omnium Conventuum illius Provinciæ devenire ad Electionem Discreti Conventualis, taliter, ut Visitator inhibere non possit, ut Electio non perficiatur, nisi adveniente tempore suæ Visitationis. Quod si Visitator reperiatur in aliquo Conventu, tempore præfatæ Electionis, poterit ei intervenire, & præesse.

CAP. XXX.

Quoad officia collata in Capitulis vel Congregationibus intermediis, sed extra id tempus implenda ex vacationibus, vel per obitum vel per dimissionem.

Quid agendum obeunte Ministro Gen. in completo sexennio:

1. Quædam sunt procul dubio officia, quæ diu saltem nequeunt remanere vacua, ut gradus Ministri Generalis, Definitoris sive Generalis sive Provincialis, Ministri Provincialis, & Prioris Localis. Jam deficiente Ministro Generali ante expletum sexennium sui gubernii, sigillum, & quæ spectant ad prædictum officium, consignentur a Secretario Generali, & a Provinciali illius Provinciæ, in qua obiit Generalis, antiquiori Exgenerali, qui defuncti vices suppleat, donec ab Apostolica Sede provideatur de Vicario Generali: Quod si nullus adsit ex Exgeneralibus, consignentur ei, qui tunc in Ordine dignior est ratione muneris perfuncti.

Quid autem deficiente Procuratore Gen.

2. Deficiente ex quacumque causa intra triennium Procuratore Generali, eligatur novus a Generali cum approbatione Sedis Apostolicæ usque ad Capitulum Generale vel Capitulum intermedium proxime futurum, ita tamen, ut ipse Procurator Generalis numquam eligi possit ex illa Provincia, ex qua fit Generalis.

Vel Definitore.

3. Deficiente ex quacumque causa aliquo Definitore actuali vel Generali vel Provinciali, subrogetur a Generali in locum defuncti ille, qui primum locum occupat in ea Provincia, ex qua defunctus fuerat assumptus, & aliàs non habeat votum in supradicta Congregatione Generali vel Provinciali respective.

Aut Ministro Provinciali.

4. Deficiente ex quacumque causa Ministro Provinciali, donec a Generali provideatur de Commissario Provinciali, quique ad futurum Capitulum Provinciale gerat vices defuncti cum omnimoda potestate Provincialitia, Senior inter Exprovinciales gerat vices defuncti; & si non adsint Exprovinciales subeat hoc munus Discretus Provincialis actualis.

Privilegia Commissarii Prov. si ad biennium Ministrum Prov. egerit.

5. Commissarius Provincialis ita, ut supra, electus a Generali ob deficientiam Ministri Provincialis, si per integrum biennium Provinciam gubernaverit, inter Exprovinciales connumerari debeat, & eorum singulis gaudeat beneficiis & privilegiis, itaut in Capitulo immediate celebrando eligi non possit in Provincialem, nec eo munere fungi, nisi saltem per annum vacaverit; Si autem per integrum biennium in eo officio non steterit, nullo gaudeat Exprovincialium privilegio, & inde eligi poterit in Capitulo immediate sequenti in Ministrum Provincialem.

6. Deficiente ex quacumque causa Priore, antequam a Ministro Provinciali alter eligatur, qui usque ad futurum immediate Congregationem Provincialem Conventum gubernet, dignior de Familia gerat Prioris vices. Qui autem itaut, supra, fuerit a Ministro Provinciali subrogatus, appelletur Præsidens, sed habeat eamdem potestatem, jura, & votum, quæ habebat ejus antecessor. An autem, & quando præfatus Præsidens possit eligi in Priorem, dictum est sub Cap. 28.

7. Demum qui dimittunt officium & dignitates, quæ durant ad triennium, biennio non completo, non gaudeant privilegiis & præeminentiis, quæ in nostris Constitutionibus conceduntur, absolutis ab hujusmodi officiis & dignitatibus; Secus vero, si ea dimittant post elapsum biennium, & ex legitima causa approbanda a Ministro Generali; tunc enim considerari debent, ac si ea per integrum triennium retinuissent.

CAP. XXXI.

Quoad triplicem Paternitatem, & quoad præcedentiam extra quæcumque Capitula & Congregationes.

De Paternitatibus:

1. Paternitas triplex est in Religione nostra: Prima est Religionis seu Ordinis, quam habent Generales præsens & præteriti, Procuratores, Definitores, & Secretarii Generales tam actuales quam præteriti: Secunda est Provinciarum, quam habent Provinciales sive jurisdictionis sive tituli, tam actuales quam præteriti, Definitores, Secretarii, & Custodes Provinciales actuales tantùm, & Magister Regens, qui trinum cursum Theologiæ perfecerit: Tertia est Conventuum, quam habent Priores & Magistri in Sacra Theologia.

De præcedentiis.

2. Quo vero ad præcedentiam extra Capitula & Congregationes servetur ordo sequens: Generalis actualis ubique, & semper in quolibet actu cæteris quibuscumque præfertur: Exgenerales ad invicem servent tempus suæ promotionis. Quo autem ad cæteros in Conventu, ubi degunt, uni tantum subsint, nempe si ibi adest Generalis, soli Generali; eo absente, si ibi aderit Provincialis, soli Provinciali; in absentia autem utriusque, tunc subsint Superiori Locali seu Priori.

3. Procurator Generalis actualis præfertur Definitoribus Generalibus actualibus: & isti præferuntur Secretario Generali actuali, qui tamen omnes cæteris aliis sunt præferendi; sed subsint Provinciali jurisdictionis: in sua tamen Provincia; ac Priori aliter in suo Conventu.

4. Post Procuratorem Generalem, Definitores Generales, & Secretarium Generalem, actuales, sequuntur hoc eodem ordine Procurator, Definitor, Secretarius Generales præteriti, & Provinciales jurisdictionis pariter præteriti: subinde Provincialis tituli actualis, quem sequuntur Provincialis tituli præteritus, deinde Definitores Provinciales actuales, postea Secretarius Provincialis actualis, qui tamen in cursu Visitationis præferatur dictis Definitoribus, deinde Custos Provinciæ pariter actualis.

5. Post prædictos primi sedeant Regentes Generales: secundi Examinatores Generales: tertii

Regentes,

Regentes, qui actu legunt: quarti Magistri, qui fuerunt Definitores Provinciales: quinti, qui fuerint Auctores alicujus Conventus: sexti Magistri: septimi Sacerdotes simplices, qui tamen fuerint Definitores Provinciales: octavi Sacerdotes simplices, qui suæ professionis excedunt annum vigesimum: noni Lectores actuales tam Speculativæ quam Moralis, qui tamen non sint Magistri: decimi cæteri Sacerdotes simplices: undecimi Clerici: & ultimi sedeant Laici.

6. Exceptis ex-Generalibus quoad præcedentiam, qui ut supra statutum est, servent inter se tempus suæ promotionis ad Generalatum: in cæteris omnibus etiam Officialibus, sive Generalibus, sive Provincialibus, sive actualibus sive præteritis, attendatur in paritate gradus tempus professionis, nisi tamen obstet titulus Magisterii; Nam Magistri ubique præferendi sunt non Magistris, licèt illis professione antiquioribus, & sint in eodem gradu v. g. Definitoris. Hanc autem eccellentiam præcedentiæ non conferat titulus Examinatoris aut Regentis Generalis, respectu tamen & dumtaxat Officialium Generalium tum actualium tum præteritorum, & Ministrorum Provincialium sive jurisdictionis sive tituli sive actualium sive præteritorum.

7. Demum Provincialis extra propriam Provinciam nullam habeat præcedentiam ex Provincialatu, sicuti nec Prior a Prioratu extra proprium Conventum.

CAP. XXXII.

Quoad præcedentiam Vocalium in Capitulis & Congregationibus intermediis.

1. In Capitulis Generalibus actualis Generalis digniorem habeat locum, quem immediate sequitur præteritus Generalis cum cæteris jam ex-Generalibus juxta tempus suæ promotionis; Deinde Procurator & Secretarius generalis, Provincialis Conventus, ubi Capitulum celebratur, subinde cæteri Provinciales jurisdictionis gradatim juxta antiquitatem Provinciarum, postea Provinciales titulares: Demum Secretarii, & ultimi Custodes Provinciales, modo supradicto.

2. In Congregationibus generalibus actualis Generalis & ex-Generales sedeant, ut supra in Capitulo Generali, postea Procurator & Secretarius Generales, deinde Provincialis Conventus, ubi Congregatio celebratur, quos sequuntur Definitores Generales, & Prior Conventus, in quo Congregatio celebratur.

3. In Capitulis Provincialibus digniorem habeat locum illorum Præsidens, quem sequuntur ex-Generales, Provincialis actualis, Procurator, Definitor & Secretarius Generales actuales, postea præteriti: Subinde Provincialis tituli actualis, deinde præteritus, Priores juxta antiquitatem Conventuum, Regentes Generales, Examinatores pariter Generales, & Discreti locales juxta antiquitatem Conventuum, & demum Custos actualis Provinciæ, prout in Cap. 28.

4. In Congregationibus Provincialibus digniorem habeat locum illarum Præsidens, nempe Generalis actualis vel ejus Commissarius, vel istis absentibus, Provincialis jurisdictionis actualis, qui, si non sit caput Congregationis, sedeat post ex-Generales, & hunc sequuntur Definitores & Secretarius Generales actuales, Provincialis titularis actualis, & demum quatuor Definitores Provinciales.

5. Si quandoque in Capitulis vel Congregationibus prælibatus ordo pervertitur ex incuria vel inadvertentia, seu ex vocatione permixta, nulli propter hoc intelligatur præjudicium generatum.

CAP. XXXIII.

Quoad Privilegia nonnullorum.

Privilegia Generalis:

1. Solummodo Generalis actualis, & præteriti, titulum Reverendissimi retineant, dum vivunt: possunt etiam ex-Generales unum Conventum sibi deligere, ubi manere possint ad vitam, & a quo omnia tam ad victum quam ad vestitum necessaria, ipsorumque statui religioso congrue recipiant, ac ibidem Superior deputandus, Vir gravis, eidemque ex-Generali bene affectus constituatur a Congregatione Provinciali. Conventus autem, quem eligere possunt, sicut & Regens quatuordecim annorum, debet esse ejus Provincia, de qua ipsi sunt nativi.

Exgeneralium:

Procuratoris & Secretarii Gen.

2. Ex-Generales, Procurator, & Secretarius Generales actuales non solùm votum habeant in Capitulis & Congregationibus tam Generalibus quam Provincialibus, sed ubi aderint, & deliberatio facienda sit per suffragia.

Ex Procuratorum &c.

3. Ex-Procuratores, ex-Definitores, ex-Secretarii Generales, ex-Provinciales, sive jurisdictionis sive tituli, nequeant a Provincialibus actualibus amoveri quocumque prætextu seu colore a Conventu eorum filiationis, vel ab eo, ubi manent, nisi de ipsorum consensu, aut peculiari interveniente mandato Ministri Generalis, vel ob grave ac publicum scandalum, de quo tamen semper certior reddatur Minister Generalis, ejusque mandatum expectetur: cum quibus etiam Superiores actuales quoad actus communes agant cum debito respectu & reverentia.

4. Demum sexagenarii quoque sine ipsorum assensu non amoveantur a Provincialibus a Conventu eorum filiationis, nisi ob grave delictum, publicumque scandalum, aut de mandato Patris Generalis.

Hæc Decreta non obligant ad culpam.

5. Declaramus tandem, quod supradicta Decreta & Ordinationes non obligant ad culpam, sed ad solam pœnam, nisi ubi violatur præceptum aliquod Divinum aut Ecclesiæ, vel substantia trium Votorum essentialium, nisi aliter cautum sit in ipsis Constitutionibus.--

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, tam ipse Bonaventura Procurator Generalis, quam dicti Paulus Minister Generalis, aliique Religiosi Ordinis præfati, Constitutiones sic collatas & ordinatas, quo firmius subsistant, ac serventur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent; Nos, qui dum Cardinalatus honore fungebamur, munus Protectoris ejusdem Ordinis apud Sedem Apostolicam diù sustinuimus, ac etiamnum post nostram assumptionem ad Summi Apostolatus apicem retinemus, rectamque illius administrationem & felices progressus finceris exoptamus affectibus, illorum votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, ac singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus pro parte dicti Bonaventuræ Procuratoris Generalis, quo supra nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnes & singulas Constitutiones præinsertas, & in eis contenta quæcumque auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus & approbamus, il-

Confirmantur auctoritate Apostolica.

lisque

lisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos juris & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulæ. §. 3. Decernentes, easdem præsentes literas & Constitutiones præinsertas semper firmas, validas & efficaces existere, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia pleniſſime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis; ac, quatenus opus sit, dicti Ordinis, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides Transumptorum. §. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 26. Januarii 1734. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

CXXVI.

Constitutio, qua pro indemnitate Communitatum & Populorum totius Status temporalis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, facultates, per Summos Pontifices Congregationi Boni Regiminis contra debitores olim collatæ, confirmantur, noviſque etiam augentur.

Dat. die 12. Febr. 1734. Pont. An. IV.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Procœmium. DIvina providentia in Beati Petri Sede collocati, nostra referre putamus, si non solum Christianæ Religionis curam gerere, verùm etiam erga Provincias populosque universos, ejusdem Principis Apostolorum regimini commendatos, Urbiumque & Oppidorum publica commoda recte administranda, præcipuam diligentiam adhibeamus, accurate prospicientes, ne solicitudini nostræ subjecti ob cujusvis indebitam vectigalium, publicorumque onerum solutionis detrectationem ac difficultatem, nimis graventur. Quare quæ, a Romanis Pontificibus Antecessoribus nostris ad eum finem præscripta sunt, Apostolica auctoritate probanda, & alia etiam sancienda ducimus, quotiescumque id expedire comperimus.

§. 1. Itaque, sicut accepimus, cum aliàs felicis recordationis Clemens Papa VIII. Prædecessor noster pro bono regimine rectaque administratione bonorum, & redituum communium cujuscumque Civitatis, Terræ, Oppidi, & Loci temporalis totius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ditionis, præcipuam Constitutionem Anno Domini MDXCII. ediderit, ubi inter alia præcipitur, ut omnes Communitatum sive Universitatum dicti Status Ecclesiastici debitores suum debitum per earumdem Communitatum sive Universitatum Legatos, Vice-Legatos, Gubernatores, Præsides, aut Potestates, omnibus opportunis juris & facti remediis quamprimum omnino solvere compellantur; Constitutionis vero prædictæ, tenor est, qui sequitur:

Clem. VIII. Constitutionem edidit, ut Communitatum debitores ad solutionem compellerentur.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Tenor Constitutionis Clementis VIII. Pro commissa nobis a Domino Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, eique etiam in temporalibus subjectarum Civitatum & Populorum tutela, paternaque erga nostros subditos caritate, præcipuo studio tenemur providere, ut ad eos pertinentia bona, ea, qua decet fide & cura utiliter & provide administrentur, præsertim verò tollantur pravi abusus, qui in publicum & commune damnum paulatim irrepunt: ex quibus hactenus gravi ære alieno communia illorum bona oppressa, vel ab ipso Nostri Pontificatus initio comperimus: & malum hoc, nisi celeriter opportuna remedia adhibeantur, quotidie in deterius prolabi videmus; Dum enim non pauci sua privata commoda & lucra quærunt, atque illicitis modis, quod prave ambiunt aut concupiscunt, consequi affectant, potentiorum aut vulgi gratiam vanis assentationibus aucupantur, suas denique cupiditates explere satagunt, nulla utilitatis publicæ ratione habita, ærarium publicum ipsarum civitatum & locorum exhauriunt, gravi ære alieno implicant, inanibus pompis & ostentationibus dilapidant: quibus malis atque incommodis, quantum nostra vigilantia atque auctoritate eniti possumus, occurrere cupientes, hac nostra perpetuo valitura Constitutione statuimus & ordinamus, ut in qualibet Civitate, Terra, Oppido, Castro, & Loco dicti Status temporalis Ecclesiastici universi, itaut etiam Bononiensis & Beneventanæ nostræ Civitates sub hac Constitutione sint comprehensæ, Tabella aut Libellus quotannis initio anni conficiatur, in quo sumptus omnes ordinarii & extraordinarii, publice, utiles aut necessarii, sint descripti; & earum quidem, quæ certæ & ordinariæ sunt expensarum, certa etiam taxa & summa exprimatur; Si quæ vero incertæ & extraordinariæ videbuntur, earum universe summa aliqua annua taxetur, quam toto anni curriculo excedere nequaquam liceat; sigillatim vero pro rei indigentia ex universa summa sic taxata a toto Consilio cum interventu Præsidis, Gubernatoris, aut Potestatis, portiones necessariæ infra annum detrahantur, eaque Tabella aut Libellus per Gubernatorem seu Præsidem Provinciæ aut Civitatis, & cujuscumque Terræ, Oppidi & Castri Prætorem seu Potestatem, singulis annis fiat.

Hæc vero prima vice non solum ab ipsis, sed etiam post eos triginta dies, tunc proxime sequentes, a dilectis filiis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerario & Thesaurario Generali Cameræ Apostolicæ, accurate & diligenter inspiciatur, corrigatur, & approbetur, expunctis inde iis omnibus impensis, quæ præter aut contra hanc nostram Constitu-

tionem,

tionem, etiam ex ſtatuto vel conſuetudine antiqua fieri ſolebant, ac retento ipſius Tabellæ ſeu Libelli exemplo ſeu regiſtro penes Cameram Apoſtolicam, gratis & abſque ullo earumdem Communitatum ſeu Univerſitatum diſpendio, ſtatim intra decem dies ab ipſius receptionis die numerandos, ſic reviſa, approbata & correcta, ad prædictas Communitates ſeu Univerſitates remittatur.

Diſtricte autem inhibemus ſub indignationis noſtræ & aliis graviſſimis, noſtro & ſucceſſorum noſtrorum arbitrio imponendis, pœnis, ne pro ſigillo vel pro ſcriptura, charta, atramento, cera, capſula, cordulis, aliiſve rebus, ad hujuſmodi expeditionem pertinentibus, ſeu pro labore aut regalibus, quidpiam, ne minimum quidem obolum, hac de cauſa prædicti Camerarius aut Theſaurarius, eorumve Notarii, Tabelliones, Secretarii, Familiares, aut quilibet Officialis vel Miniſter, exigere, vel etiam ſponte oblatum recipere præſumat. Quinimmo volumus, ut ſine ulla mora omnia gratis, &, prout in Pœnitentiaria Apoſtolica fieri ſolet, ſine aliqua ſolutione expediantur & mittantur. Atque in hoc Camerarius & Theſaurarius prædicti ſummo ſtudio invigilent: & ſi aliquem ex ſuis vel aliis Notariis, Tabellionibus, Secretariis, Familiaribus, Officialibus, aut Miniſtris vel minimum quicquam recepiſſe deprehenderint aut cognoverint, contra eos etiam ad privationis officiorum & munerum, quæ obtinent, inhabilitatiſque ad illa vel alia in poſterum obtinenda, exilii perpetui ab Urbe & ejus Diſtrictu, & aliis gravioribus pœnis procedant; ſcituri, ſi connivendo aut tolerando aut aliàs quomodolibet receptionum & exactionum hujuſmodi per ſe vel alios conſcii aut participes fuerint, ſe quoque Noſtrum & Succeſſorum noſtrorum judicium in hac re ſeverum, ut præfertur, ſubituros.

Verum eadem Tabella ſeu Libellus, ejuſve exemplum, ſic correctum, approbatum & intra decem dies remiſſum, nedum in ipſarum Communitatum ſeu Univerſitatum Archivo aſſervetur, ſed in publico aliquo, omnibus patenti ac conſpicuo, loco pro foribus Aulæ, ubi habetur publicum Conſilium, vel ubi jus dicitur, & frequens Populi ſit concurſus, affigatur, & perpetuo retineatur.

Nec liceat in futurum, niſi de expreſſa Cameræ Apoſtolicæ, aut, ſi urgens neceſſitas moram non patiatur, Gubernatoris, aut Præſidis Civitatum & Locorum, qui ſtatim poſtea Camerarium & Theſaurarium Generalem prædictos certiores de eo reddere teneantur, licentia, cum interventu Procuratoris Fiſcalis ejuſdem loci, cauſa cognita, etiam ſimiliter gratis concedenda, Tabellæ ipſius ſeu Libelli tenorem, etiam ſequentibus annis, immutare aut alterare; neque abſque prædicta licentia, etiam in caſibus improviſis inopinatis aut inſolitis, aliquid ultra contenta in hujuſmodi Tabella aut Libello erogare. Quicquid vero ultra præſcriptas ſummas erogatum fuerit, id volumus, ut ab eis, quibus exigendi & ſolidandi computa & rationes expenſi, ſive illas, ut dicitur, ſyndicandi cura incumbit, nequaquam ratum habeatur; neque ipſis communibus ærariis dictorum locorum, aut maſſis, ſed perſonis ſingularibus, quæ ſumptus ipſos fecerint, expenſum feratur: quæ etiam ad illius, tamquam ab eis indebite ablati, reſtitutionem teneantur.

Id autem quò accuratius ſervetur, & earumdem Civitatum, Terrarum, ac Populorum utilitati amplius conſulatur, præcipimus, ut quilibet modernus, aut pro tempore exiſtens Gubernator, Præſes, aut Poteſtas, tam ex nunc ſeu in ipſo primo ingreſſu, quam deinde ſtatim finito tempore Magiſtratus, per quoſcumque Priores Maſſarios, Camerarios aut Officiales geſti, intra decem dies ab ipſis Prioribus Maſſariis, Camerariis ſeu Officialibus, qui Magiſtratu funguntur aut fungi deſinunt reſpective, plenariam informationem rerum ad publicum regimen & adminiſtrationem communium bonorum pertinentium, præcipue vero indicem & nomina ſingulorum debitorum cujuſcumque Communitatis ſeu Univerſitatis, tam ex ſupradictis quam ex aliis quibuſcumque cauſis, accurate & ſigillatim deſcripta ſibi tradi, eaque poſtmodum cum primùm ſolutionis dies advenerit: aut ſi jam advenit, intra tres aut ad ſummum quatuor menſes, per Officiales & Magiſtratus earumdem Communitatum ſeu Univerſitatum exigi, & in ærarium Communitatis ſeu Univerſitatis referri.

Et ſi quid in fine anni poſt deductas expenſas, in Tabella ſeu Libello deſcriptas, ſupererit, id in extinctionem æris alieni publice contracti: aut ſi æs alienum nullum ſit, vel in Annonam ſublevandam, vel pro Monte Pietatis, vel in recuperationem & redemptionem bonorum & rerum ſeu jurium, per ipſas Communitates ſive Univerſitates alienatorum, vel denique in aliorum immobilium bonorum emptionem, cum interventu tamen Gubernatoris ſeu Poteſtatis, & Procuratoris Fiſcalis loci, converti curet. Quod ſi prædictas pecunias in Monte Pietatis deponi contigerit, id ea conditione fiat, ut illas poſtea quandocumque eædem Communitates & Univerſitates inde extrahere, ac ſi eis videbitur, in uſus per hanc Conſtitutionem permiſſos, erogare valeant.

Fiſci vero cujuslibet loci Procurator petat omnino coram Syndicis, & Gubernatore ſeu Præſide aut Poteſtate intra decem dies ab iis, qui Magiſtratu perfuncti ſunt, tam de adminiſtratione juxta taxam in Tabella ſeu Libello præſcriptam, quàm de aliis ſupradictis, præſertim nominibus debitorum inexactis, rationes reddi. Et ſi quid vel in expenſis exceſſum, vel circa exactionem neglectum, aut per negligentiam ultra tempus prædictum dilatum fuerit, contra eoſdem reos, Magiſtratu, ut præfertur, perfunctos, ad reſtitutionem debitarum expenſarum, necnon ad ſolutionem de ſuo proprio, debitorum, per negligentiam inexactorum, ac ulterius etiam ad pœnarum, in hac Conſtitutione contentarum, executionem procedi, quarum pars quarta ipſi Procuratori Fiſcali ſit applicata.

Si vero poſt hujuſmodi decem dies elapſos Gubernator aut Poteſtas in exigendis rationibus, vel in cogendo ad ſolvendum vel reſtitutionem, aut in exequendis pœnis, ſive aliàs in præmiſſis negligens fuerit, ad reſtitutionem & refectionem damni, ex indebitis impenſis vel retardata exactione, communi ærario cujuslibet loci illati, etiam de ſuo proprio integre teneatur. Procurator autem Fiſcalis ejus Terræ, Oppidi, aut Civitatis, generalem Cameræ Apoſtolicæ Procuratorem Fiſcalem de hujuſmodi negligentia certiorem faciat, ſive etiam cuilibet de Populo id denunciare liceat: ac tam in ſyndicatu, per eos, ad quos ſpectat, quàm poſtea per Procuratorem Fiſcalem Generalem Cameræ Apoſtolicæ contra ipſos Gubernatores & Poteſtates, ſive etiam contra perſonas, quæ pro ipſis in ſyndicatu fidejuſſerint, procedatur, itaut tam ab eis quam ab ipſis reis principalibus illatum damnum, inexacta debita, indebitæque expenſæ, & quæ in hac Conſtitutione continentur, mulctæ, cum ſimili lucro perſonis prædictis applicando, exigantur. Ac propterea tam ipſi Gubernatores, Præſides, Poteſtates, quam Procuratores Fiſcales, in præmiſſis culpabiles, officii per eos obtenti eo ipſo privati, & ad illa atque alia ſimilia de cætero obtinenda perpetuo inhabiles & incapaces ſint & cenſeantur.

Prædicti vero Gubernatores & Poteſtates, eorumque Cancellarii, Secretarii, Tabelliones aut Miniſtri vel Familiares, nihil omnino, ne minimum quidem, occaſione Syndicatus hujuſmodi, vel pro ſententia ferenda, aut pro Tabella ſeu Libello conficiendo, revidendo, vel licentia, ut præfertur, concedenda, ſubſcribenda, vel taxa facienda, emolumenti aut regalium, neque etiam pro mercede aut labore, ſive aliàs, ut præfertur, percipiant: & ſi quid perceperint, etiam tamquam hujus Conſtitutionis violatores in pœnas, quæ in ea ſunt deſcriptæ, ipſo facto incurrant.

Cæterum omnibus & ſingulis Communitatibus, Univerſitatibus, & Populis quarumcumque Provinciarum, Civitatum, Terrarum, Oppidorum, Caſtrorum, & Locorum Status noſtri temporalis Eccleſiaſtici, earumque Senatui, Conſiliis, Adunantiis, & Congregationibus, Magiſtratibus & Adminiſtratoribus, eorumque ſingularibus perſonis, diſtricte interdicimus & prohibemus, ne quis eorum vel earum ſub quovis prætextu aut cauſa, etiam urgenti & neceſſaria, contra Conſtitutionem fel. record. Sixti Papæ V. Prædeceſſoris Noſtri, quæ incipit: *Inter varias & multiplices*, quam Nos harum ſerie approbamus, innovamus & ampliamus, bona aut jura ſua vendat, alienet, hypothecet, aut cenſus ſuper illis imponat, aut pro ſe, præterquam ex cauſa locationis tantùm ad modicum tempus, & ſolutionibus non anticipatis, non autem titulo conductionis, nec ullo modo pro aliis obliget, ſive ære alieno ſe obſtringat.

Neque Legatos ſeu Oratores ad Nos & Sedem Apoſtolicam ſumptibus publicis aut etiam privatis & propriis ipſorum Legatorum, neque etiamſi ipſi ſponte id munus ſuſcipere & de ſuo proprio impenſas ſubire velint, unquam mittant, neve ſub nomine Agentis, aut negotiorum Geſtoris vel Procuratoris, aliàs, quàm ad neceſſariam litium proſecutionem in Romana Curia, pariter expenſis communibus aut privatis, retinere aut mittere; neve quiſpiam id munus ſuſcipere aut obire audeat, niſi habita prius quoad obligationes & alienationes licentia, juxta prædictæ Sixti Prædeceſſoris Conſtitutionis tenorem: Quo vero ad mittendos Legatos ſeu Oratores, a nobis, vel pro tempore exiſtente Romano Pontifice, vel ab eo, qui conſultationibus negotiorum Status Eccleſiaſtici pro tempore præerit, dumtaxat in ſcriptis obtenta, ſine qua ſiquis id munus ſuſcipere auſus fuerit, præter alias per Sixtum Prædeceſſorem inflictas pœnas, etiam officiis per eum obtentis eo ipſo privatus, & ad illa & alia quæcumque obtinenda perpetuo inhabilis & incapax, necnon infamis, & ignominia atque infamia notatus cenſeatur.

Ad hæc prohibemus pariter, ne prædictæ Communitates, Univerſitates, earumve Collegia, Senatus, Adunantiæ, Congregationes, Magiſtratus, Officiales, aut ſingulares perſonæ, ullo modo præſumant ex fructibus, reditibus, & proventibus, collectis, vel contributionibus certis vel incertis, ordinariis ſeu extraordinariis ſui ærarii ſeu maſſæ communis, ſive ex pecuniis etiam privatis & particularibus ſingulorum civium per viam voluntariæ collectæ, ſeu contributionis, in commune congeſtis, etiam cujuſvis ſtatuti ſeu conſuetudinis, aut verius corruptelæ prætextu ex quavis cauſa, etiam ſolita & rationabili, munera aut dona quæcumque cuivis Legato, Vicelegato, Gubernatori, Protectori, Viceprotectori, Præſidi, Officiali, aut perſonæ, etiam quavis tam Eccleſiaſtica, etiam Pontificali, aut alia majori, etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalatus, quàm mundana dignitate fulgenti, ſeu illius Conſanguineis, Affinibus, familiaribus aut miniſtris mittere, tradere aut largiri, aut in alicujus etiam Legati, Vicelegati, Gubernatoris, Præſidis, Benefactoris, aut Protectoris honorem, etiam occaſione hoſpitii aut tranſitus vel primi ingreſſus, aut ad beneficiorum acceptorum memoriam gratique animi teſtificationem, pro conſtruendis, ornandis, aut erigendis perpetuo vel ad tempus Portis, Arcubus, Trophæis, Porticibus, mœnibus, aut aliis monumentis; ſeu pro prædictis perſonis, quavis dignitate vel auctoritate fungentibus, honorifice laute & opipare excipiendis; ſeu pro quibuſvis conviviis aut hoſpitiis etiam moderatis, eiſdem aut cuivis alteri quacumque occaſione vel cauſa exhibendis; aut pro perſonis, quæ illos comitentur, aut illis miniſtrent vel obviam procedant, pretioſis veſtibus induendis, ullas pecunias erogare.

Vel pro congiariis, miſſilibus, aut muneribus publicis; ſeu etiam cibariis, eſculentis & poculentis, epulis, comeſſationibus aut compotationibus, Populo aut Magiſtratibus vel Officialibus ultra eorum ſalaria & emolumenta, de jure vel ex laudabili conſuetudine debita, largiendis; ſeu pro præſtandis pueris vel adoleſcentibus ſtudiorum cauſa alimentis; vel dotibus puellarum non egentium augendis; aut pro exhibendis ſpectaculis, etiam piis & intra Eccleſias vel extra eas in quibuſvis publicis aut privatis, ſacris aut prophanis locis, etiam ubi Sanctorum Sanctarumve vita aut res pie geſtæ, populis ſpectandæ proponuntur; ſive etiam piorum operum & caritatis ſeu eleemoſynæ prætextu, aut aliàs in prædictis ſeu aliis rebus ſupervacaneis, in dicto Libello ſeu Tabella non contentis; ſed ad pompam & oſtentationem aut oblectationem, vel paucorum lucrum & privata commoda, quomodolibet pertinentibus, ſumptus aut impenſas aliquas facere, niſi re ipſa pro divino cultu, & veris Chriſti pauperum indigentiis, de conſilio & conſenſu loci Ordinarii ſublevandis: aut pro iis tantum piis ludis publicis, qui ex inveterato uſu permittuntur, & in prædicta Tabella ſeu Libello exprimentur, taxam a Gubernatore ſeu Præſide aut Poteſtate ipſius Provinciæ, Civitatis, aut loci, cui ſubſunt, præfigendam, quæ in ſupradicto Libello ſeu Tabella comprehenſa erit, non excedentibus, ſumptus hujuſmodi fiant.

Prohibemus inſuper, ne quicumque Cives, Oppidani, aut Incolæ, qui ſuæ Communitatis aut Univerſitatis bonorum detentores, uſurpatores, occupatores fuerint, quive contra ipſas Communitates litem aliquam ſeu controverſiam habuerint, quæ ad hunc effectum per ſolam unicam citationem cœpta & inchoata cenſeatur, eadem lite ſeu controverſia durante, necnon qui ejuſdem ſuæ Communitatis ſive Univerſitatis debitores ex quacumque cauſa extiterint, earumve bona aut pecunias adminiſtraverint, antequam id, quod debent, integre perſolverint, ſeu rationes adminiſtrationis reddiderint, cum ejus reſidui, in quo debitores remanſerint, reali reſtitutione, ad obtinendos, gerendos aut exercendos aliquos in ea Civitate, Provincia, Oppido, Terra, Caſtro, aut Loco, Magiſtratus aut munera quæcumque, vel officia publica, ullo modo eligantur vel admittantur; Et ſi de facto electi admiſſive fuerint, electio & admiſſio irrita ſit & nulla; & tam ipſi quam eligentes ſive admittentes, necnon Gubernatores, Præſides & Poteſtates, qui id permiſerint, vel etiam exactam ſuper his inquirendis & prohibendis diligentiam, prout eos teneri volumus & decernimus, non adhibuerint, pœnis, in hac Conſtitutione contra illius tranſgreſſores inflictis, plectantur.

Porro

Porro locationes seu affictus tam vectigalium, quæ Gabellæ aut datia dicuntur, quàm aliorum quorumcumque redituum, proventuum, jurium & emolumentorum, ad commune ipsarum Civitatum & locorum ærarium quomodolibet spectantium, statuimus & jubemus, omnino servatis servandis, atque adhibitis solemnitatibus, quæ de jure, aut cujuslibet Loci statuto vel consuetudine requiruntur, cum personis fide & facultatibus idoneis, quæ idoneas pariter in publico Consilio approbatas cautiones præstent, iniri & contrahi debere: in quibus sane locationibus seu affictibus ea semper conditio & pactio addatur, ut ipsæ Communitates sive Universitates ab omni prorsus detractione seu remissione, &, ut vulgo dicitur, desalcatione ex quocumque ac inopinato & insolitissimo belli incursus, militum depopulationis, agrorum direptionis aut siccitatis, alluvionis, grandinis, tempestatis, incendii, aut alio quovis maxime fortuito casu, atque ex quovis capite, ac etiam legitima & urgenti amissionis aut diminutionis fructuum, etiam omni vel majoris partis, aut sterilitatis, vel alia quavis causa cogitata vel excogitata, cogitabili vel incogitabili, sint prorsus immunes; nec ad id cogi possint, etiamsi de jure tenerentur, sed integræ semper responsiones & præstationes seu pensiones annuæ absque ulla diminutione per ipsos conductores eis solvi debeant; & quamvis pactum hujusmodi forsan in contractibus omissum fuerit, nihilominus vigore præsentium literarum tacitè inesse & subintelligi debere, perinde acsi id ipsum inter contrahentes expresse cautum & conventum fuisset, sublata omnibus Judicibus, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, ac Sacri Palatii Apostolici Auditoribus, aliter judicandi & interpretandi facultate.

Depositarios quoque pecuniarum, & introituum communis ærarii cujuslibet Communitatis sive Universitatis non aliter eligi, deputari aut admitti volumus, nisi priusquam ad munus assumant, idoneam, arbitrio Gubernatoris, Præsidis aut Potestatis, cautionem præstent; aliquin tam ipsas locationes, affictus, seu appaltus, quam Depositariorum deputationes sive electiones aut admissiones cum omnibus inde secutis, etiam obligatione in forma Cameræ Apostolicæ juramento aut instrumento publico vallatas, irritas & nullas censeri. Et nihilominus Magistratus seu Officiales, qui contractus ipsos iniverint, Depositarios admiserint, vel in publico Consilio assensum dederint, unà cum cæteris consentientibus, pariter pœnis, in hac Constitutione expressis, teneri decernimus & declaramus.

Præterea Auctoritate Apostolica tenore earumdem præsentium, revocamus, irritamus & annullamus omnes & quascumque exemptiones, immunitates, remissiones, condonationes jurium, atque onerum realium & personalium, aut mixtorum, Cameræ Apostolicæ, seu eorum communi ærario debitorum: aut vectigalium, gabellarum, datiorum, portoriorum, dohanarum, collectarum, subsidiorum, contributionum, cuivis particulari personæ pro rata illos quomodolibet tangenti, sive præsidiis, aut bonis, per eas possessis, per quascumque Communitates seu Universitates ex quavis causa, etiam legitima & de jure debita seu permissa, qualis est ob numerum duodecim Filiorum, & quacumque occasione, etiam sub prætextu tituli onerosi, & contractus ultro citroque obligatorii, etiam publico consilio, & communi omnium consensu, perpetuo vel ad tempus concessas, etiamsi id sine ullo Cameræ Apostolicæ damno aut præjudicio factum fuerit, ratamque ipsam eædem Communitates & Universitates in se susceperint.

Districtius inhibentes, ne quid tale imposterum concedere aut attentare præsumant, ac revocantes ex nunc in irritum quicquid circa omnia & singula præmissa præter aut contra hæc nostra interdicta, prohibitiones, statuta, ordinationes, jussa, voluntates, decreta, mandata, aut præcepta, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quod si quis conjunctim cum cæteris, seu divisim, nostrarum hujusmodi prohibitionum, statutorum, ordinationum, jussionum, decretorum, mandatorum, voluntatum, aut præceptorum violator seu transgressor extiterit, statuimus, ut, præter superius expressam restitutionem aut solutionem seu damni refectionem, ii, qui præeminentia aut gradu aliquo cæteris Superiores fuerint, nisi pro viribus id, quod contra hanc Constitutionem attentatum gestumve est, impedire tentaverint, suumque assensum omnino constanter denegaverint, omnibus & singulis per eos obtentis dignitatibus, gradibus, muneribus, officiis & magistratibus eo ipso privati; ac tam ipsi quam alii inferiores, qui id suaserint, procuraverint, aut ipsimet fecerint, vel ab aliis fieri jusserint, ad illa & alia similia vel dissimilia in futurum obtinenda inhabiles perpetuo & incapaces, ac perpetua infamia & ignominia notati, & singuli eorum, si solvendo fuerint, ultra prædictam restitutionem, ad duplum ejus damni, quod communi massæ seu mensæ illatum fuerit, de suo reficiendum obligati existant; sin minus, pœna exilii aut carceris saltem triennalis plectantur; Alii vero, qui solummodo consensum tacite vel expresse præstiterint, si solvendo fuerint, tantundem pecuniarum, quantum erogatum extiterit, de suo persolvant; sin autem id propter inopiam præstare nequiverint, pœna aliqua corporis afflictiva Superiorum arbitrio puniantur; & ejusmodi mulctarum quarta pars inter eos dividatur, qui, quantum in eis fuerit, contradixerint seque opposuerint, vel post consensum præstitum, erroris pœnitentes, superioribus id primi denunciaverint.

Sed & Constitutiones piæ memor. Bonifacii VIII. & Gregorii XIII. Romanorum Pontificum prædecessorum Nostrorum, contra paciscentes, promittentes, dantes, aut recipientes quicquam, parum vel magnum, pro gratia vel justitia, pro se vel aliis obtinenda: & contra complices, vel dantes in præmissis auxilium, consilium, vel favorem cum omnibus, in eis contentis, pœnis, censuris, & extensionibus, quæ supradictis aggravatæ & additæ, non autem per eas imminutæ aut immutatæ censeantur, harum serie approbamus & innovamus, ac ad omnes superius expressas personas, etiam speciali nota dignas, quæ contra ultimò dictas Constitutiones in quibusvis casibus, per eas expressis, dando, recipiendo, promittendo, paciscendo, consentiendo, aut permittendo, non solùm apud Sedem Apostolicam, sed in quibusvis Tribunalibus, & eorum quibuscumque Judicibus, etiam Laicis, Almæ Urbis, ac tam in Romana Curia quam extra eam, in quibuslibet temporali ditioni nostræ mediate vel immediate subjectis Provinciis, Civitatibus, Oppidis, Terris, & locis deliquerint, per easdem præsentes extendimus & ampliamus: pœnis aliis, a jure vel per alias Constitutiones Apostolicas, aut propria locorum statuta vel consuetudines, contra personas, aliquid præmissorum committentes vel omittentes forsan decretis vel inflictis, nihilominus in suo robore permansuris.

Quo circa universis & singulis modernis & pro tempore existentibus ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerario, Thesaurario generali, necnon Legatis, Vicelegatis, Præsidibus, Guber-

natoribus, Poteſtatibus, ac Prioribus, Maſſariis, Magiſtratibus, & Officialibus, cæteriſque, ad quos ſpectat, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi & eorum ſinguli, quantum ad eos pertinet, curent omni ſtudio, diligentia, auctoritate, & vigilantia; præſentem Conſtitutionem firmiter & inviolabiliter obſervari, & contra inobedientes vel tranſgreſſores condignis pœnis animadverti.

Præcipue vero ipſi Legati, Vicelegati, Præſides, Gubernatores, & Poteſtates contra quoſcumque Communitatum ſive Univerſitatum debitores pro exactione integræ ſummæ & quantitatis, quæ earum communibus ærariis debetur, & pro tempore debebitur, ſummarie, ſimpliciter & de plano, ſola facti veritate inſpecta, ſine ſtrepitu & figura judicii, manu regia in vim præſentis Conſtitutionis, etiam quavis inhibitione tam a prædicto Camerario, ſeu cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditore, quàm a quocumque alio Judice ordinario vel delegato, quavis auctoritate fungente, etiam forſan in vim ſpecialis commiſſionis, decreto non obſtante, juris & facti remediis opportunis procedant, & omni & quacumque appellatione remota, exequantur eoſdem inobedientes, necnon contradictores quoslibet & rebelles per opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, dictarumque Provinciarum, Civitatum, Terrarum, Oppidorum, & Caſtrorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ, præſentibus non expreſſa, vel ad verbum non inſerta, effectus præſentis noſtræ Conſtitutionis impediri quomodolibet valeat vel differri. Quæ omnia, quatenus præmiſſis in aliquo adverſentur, prorſus tollimus & abrogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Volumus autem, ut præſentes literæ in valvis Sancti Joannis Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum de Urbe Baſilicarum, & in acie Campi Floræ publicentur, affixis inibi earum exemplis & dimiſſis.

Utque earum exempla, ſeu illorum compendia latino aut vulgari ſermone conſcripta, in libris quorumcumque Statutorum prædictarum Communitatum & Univerſitatum inſerantur, & ſaltem bis quotannis in publicis & majoribus Conſiliis ſive Adunantiis cujuſve Communitatis ſive Univerſitatis alta & intelligibili voce legantur, atque in publico etiam aliquo, & omnibus patenti, loco, ubi frequenter Cives aut Oppidani convenire ſoleant, perpetuo affixum retineatur, adeout ſi contingat, exempla hujuſmodi inde amoveri aut lacerari, ſeu temporis diuturnitate conſumi, debeant omnino Priores, Maſſarii, Cancellarii, ſive alii earumdem Communitatum ſive Univerſitatum Officiales, ſub privationis Officiorum obtentorum, & inhabilitatis ad illa vel alia poſtmodum obtinenda, & aliis etiam gravioribus corporis afflictivis pœnis, ipſo facto incurrendis, curare, ut ſtatim eadem exempla renoventur, & denuo affigantur; &, ſi id commode fieri poterit, in marmoreo aliquo lapide ad perpetuam memoriam inſculpantur.

Demum a ſingulis Legatis, Vice-Legatis, Præſidibus, Gubernatoribus, Poteſtatibus, necnon Communitatum ſeu Univerſitatum Prioribus, Maſſariis, Cancellariis, aut quocumque nomine nuncupatis Officialibus, initio Magiſtratus, antequam ad illum exercendum admittantur, ſuper earumdem præſentium literarum obſervatione jusjurandum ſolemne publicè præſtetur.

Et nihilominus poſt triginta dies a die publicationis, ut præfertur, in Romana Curia faciendæ, unumquemque perinde arctent & afficiant, ac ſi cuique perſonaliter intimatæ, & per eos juratæ fuiſſent.

Earum quoque tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis, eadem prorſus fides in judicio & extra illud adhibeatur, quæ adhiberetur eiſdem præſentibus, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli ergo &c.

Datum Romæ in Monte Quirinali anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſecundo, decimo octavo Kalen. Septembris, Pontificatus Noſtri anno primo.

Idem Papa debitorum tergiverſationibus conſuluit, facultatem concedens nonnullis S. R. E. Cardinalibus quaſcumque hujus generis cauſas regia manu definiendi, ac terminandi.

§. 2. Deinde idem Clemens prædeceſſor, quoniam ex ipſis debitoribus multi non teneri, nec debita ipſa liquida eſſe prætendebant, & a mandatis ſeu ſententiis, per prædictos Judices relaxatis ſeu pronunciatis, ad dictum Clementem prædeceſſorem & Sedem prædictam appellantes, ſeu de nullitate dicentes, executionem tandiù ſuſpendi, donec de juſtitia appellationum cognitum fuiſſet, petebant: Alii, quòd ſua debita tergiverſatione aliqua negare non poterant, executionem ſaltem variis artibus eludere ſatagebant, ac ne bona ſua haſtæ ſubjici viderent, diverſa impedimenta excogitabant, propterea idem Clemens prædeceſſor, eorum quidem, quibus minus juſtæ moleſtiæ inferebantur, indemnitati conſulere, ac iis contra, qui ſub prætextu frivolæ appellationis, aut aliàs, quomodolibet debitas ſolutiones retardare conabantur, omnem fraudis viam præcludere volens, tunc nonnullis ex S. R. E. Cardinalibus, privativè quoad omnes & quoſcumque alios Judices, omnes & quaſcumque cauſas, etiam ſuper validitatibus quarumcumque extenſionum vel immunitatum, quibuſvis perſonis quomodolibet conceſſarum, ad inſtantiam quarumcumque perſonarum cujuſcumque ſtatus aut dignitatis, etiam Cardinalatus honore fulgentium, etiamſi Univerſitates, Societates, Congregationes, Collegia, utriuſque ſexus Monaſteria, Hoſpitalia, Eccleſiæ, aut loca pia, quocumque privilegio immunitate vel exemptione ſuffulta, extitiſſent: ſive etiam viceverſa ad ipſarum Communitatum ſeu Univerſitatum inſtantiam contra prædictos vel alios quoſcumque, aut inter ipſas Communitates invicem quomodolibet motas ſeu movendas, ſummarie & manu regia, ac aliàs audiendi, cognoſcendi, & fine debito terminandi, & tam prædictis quam quibuſvis aliis Judicibus & perſonis, quatenus opus fuiſſet, ſub cenſuris & pœnis eorumdem Cardinalium, ut infra deputatorum, arbitrio infligendis, moderandis & applicandis, inhibendi, ſive inhibitiones quaſcumque, etiam vigore quarumcumque commiſſionum Apoſtolicarum, non tamen manu dicti Clementis Prædeceſſoris ſubſcriptarum, moderandi aut revocandi: &, prout juſtum videretur, mandata quæcumque neceſſaria & opportuna decernendi, relaxandi, ac omni & quacumque appellatione, reclamatione & recurſu omnino poſthabitis, exequendi, plenam & liberam facultatem & poteſtatem ſua auctoritate conceſſerit & impertitus fuerit, ac aliàs, prout in aliis literis Apoſtolicis in forma Brevis ſub Annulo Piſcatoris expeditis, plenius & uberius continetur: quarum tenor eſt, qui ſequitur.

CLEMENS PAPA VIII.

Dilectis filiis Noſtris Antonio Mariæ S. Mariæ de Pace, Salviato, ac Mariano Sanctorum Marcellini & Petri Tituli Presbyteris, de Camerino, & Alexandro Sancti Laurentii in Damaſo Diacono, Cardinalibus, Montalto, nuncupatis.

Tenor Literarum quibus d. conceditur facultas.

Cum per Conſtitutionem, nuper a Nobis editam ſuper bono regimine & adminiſtratione reditnum Communitatum & Univerſitatum ditionis temporalis Eccleſiaſticæ univerſæ, inter alia præceperimus, ut cuncti earum debitores ad ſolvendum id, quod debent, per earum Legatos, Vicelegatos, Gubernatores, Præſides, aut Poteſtates, omnibus opportunis juris & facti remediis quamprimum omnino compellantur; multi autem ex ipſis debitoribus prætendant, ſe non teneri, nec debita ipſa liquida eſſe, & a mandatis ſeu ſententiis, per prædictos Judices relaxatis, ad Nos & Sedem Apoſtolicam appellantes, ſeu de nullitate dicentes, petant, executionem hujuſmodi tamdiu ſuſpendi, donec de juſtitia appellationum cognoſcatur: aliis cum id, quod debent, tergiverſatione aliqua nequeant denegare, executionem ſaltem variis artibus eludere ſatagant; & ne bona ſua haſtæ ſubjici videant, diverſa impedimenta excogitent; proinde Nos volentes eorum quidem, quibus minus juſtæ moleſtiæ inferuntur, indemnitati conſulere: iis contra, qui ſub prætextu frivolæ appellationis aut aliàs quoquomodo, debitas ſolutiones retardare conantur, omnem fraudis viam præcludere.

Circumſpectioni veſtræ, aut duobus ſaltem ex vobis conjunctim procedentibus, privative quoad omnes & quoſcumque alios Judices ordinarios vel delegatos, quavis dignitate & auctoritate fungentes, etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerarium, Vicecamerarium, Theſaurarium Generalem, Cameram Apoſtolicam, ejuſque cauſarum generalem Auditorem, aut Præſidentes Clericos, ac Palatii Apoſtolici Cauſarum Auditores, ac etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, & Legatos, etiam de latere, tam in Romana Curia, quam extra eam jurisdictionem exercentes, omnes & quaſcumque cauſas appellationum, reclamationum, recurſuum, nullitatum, ſeu notoriæ injuſtitiæ: necnon reviſionis, etiam prætextu cujuſvis erroris, etiam calculi, aut reductionis ad arbitrium boni viri, ac reſtitutionis in integrum, tam ſuper præmiſſis, quam ſuper validitatibus & invalidatibus quarumcumque exemptionum vel immunitatum, quibuſvis perſonis per eaſdem Communitates ſeu Univerſitates, ſive etiam auctoritate Apoſtolica, & per Nos ſeu Prædeceſſores Noſtros conceſſarum, & an ſint admittendæ, nec ne: ac ſuper prætenſis remiſſionibus ſeu defalcationibus ſolutionum, eiſdem Communitatibus debitarum ob quoſcumque in dicta Conſtitutione expreſſos vel non expreſſos fortuitos caſus, vel ex quacumque alia cauſa, caſu, culpa, vel facto cujuſcumque perſonæ, aut aliàs ad inſtantiam quarumcumque perſonarum, quæ ipſis Communitatibus ſeu Univerſitatibus aliquid debent, vel debere prætenditur, aut quippiam ex præmiſſis petunt, tam Laicorum, quam Clericorum cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, dignitatis, conditionis, vel præeminentiæ exiſtentium, etiam Cardinalatus honore fulgentium, etiamſi Univerſitates, Societates, Congregationes, Collegia, ac tam virorum quam mulierum Monaſteria, Hoſpitalia, Eccleſiæ, aut Loca pia quocumque privilegio, immunitate vel exemptione ſuffulta extiterint: ſive etiam viceverſa ad ipſarum Communitatum ſeu Univerſitatum inſtantiam contra prædictos vel alios quoſcumque, aut inter ipſaſmet Communitates invicem, occaſione cujuſvis laudi, arbitramenti, ſententiæ, decreti, aut mandati per prædictos Gubernatores, Poteſtates, aut Præſides, vel Legatos, aut quoſcumque alios Judices, ſeu Commiſſarios, etiam ad id delegatos vel ſubdelegatos, aut arbitros vel arbitratores, in vim Conſtitutionis noſtræ prædictæ, ſeu aliàs quomodolibet lati aut relaxati, motas aut movendas cum illarum dependentiis, emergentibus, incidentibus, annexis & connexis, ſummarie, ſimpliciter & de plano, ſine ſtrepitu & figura judicii, ſola facti veritate inſpecta, etiam terminis ſubſtantialibus non ſervatis, manu regia, audiendi, cognoſcendi, & fine debito terminandi: ac ſuperius expreſſis, & aliis quibuſvis Judicibus & perſonis, quoties opus fuerit, ſub cenſuris & pœnis arbitrio veſtro infligendis, moderandis, & applicandis, inhibendi, ſive inhibitiones quaſcumque ab eis editas, etiam vigore quarumcumque commiſſionum Apoſtolicarum, non tamen manu Noſtra ſignatarum, moderandi aut revocandi: & prout juſtum vobis videbitur, mandata quæcumque neceſſaria & opportuna decernendi, relaxandi, & omni & quacumque appellatione, reclamatione & recurſu omnino poſthabitis, exequendi, plenam & liberam facultatem & poteſtatem auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus & impartimur.

Præterea, cum ſæpenumero contingat, debitas executiones mandatorum, in favorem earumdem Communitatum relaxatorum, ea ſpecie eludi, quod non reperiatur, qui bona debitorum, auctioni ſubjecta, emere velit, eidem circumſpectioni veſtræ per præſentes committimus & mandamus, ut tam cauſis hujuſmodi per vos cognitis, quam etiam non cognitis, eorum, contra quos de prædictorum Judicum ſeu veſtro mandato, occaſione prædictæ noſtræ Conſtitutionis, executio aliqua facienda erit, bona vendi, auctioni ſubjici, & ſi intra brevem terminum nemo, qui illa emat, repertus fuerit, conſanguineos & affines proximiori gradu conjunctos ad illa emenda cogi, prout in bonis ex crimine & delicto confiſcatis, & publicatis ad inſtantiam Procuratoris Fiſci, fieri ſolet; cæteraque omnia in præmiſſis & circa ea neceſſaria & quomodolibet opportuna decernere, mandare, & exequi, etiam omni & quacumque appellatione, reclamatione & recurſu penitus remotis, vel inhibitione ſuperius expreſſorum vel aliorum quorumcumque, vel litis pendentia, non obſtante, auctoritate noſtra curetis; ſuper quo etiam plenam eiſdem Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, Præſidibus, & Poteſtatibus facultatem tribuatis.

Non obſtantibus præmiſſis, ac etiam aliis omnibus, quæ in Conſtitutione noſtra prædicta voluimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub Annulo Piſcatoris die trigeſima Octobris, anni milleſimi quingenteſimi nonageſimi ſecundi, Pontificatus Noſtri Anno Primo.

Congregation Boni Regiminis a Paulo PP. V. auctæ facultates.

§. 3. Anno vero Domini milleſimo ſexcenteſimo ſeptimo piæ memoriæ Paulus Papa Quintus, etiam Prædeceſſor Noſter, ad utilitatem earumdem Communitatum ſeu Univerſitatum Status Eccleſiaſtici prædicti ſedulo incumbens, juriſdictionem prædictæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Congregationis Boni Regiminis circa omnes & quaſcumque cauſas tam civiles quam criminales & mixtas, ad Communitates ſive Univerſitates quaſcumque Status Eccleſiaſtici prædicti, Romano Pontifici mediate vel immediate ſubjectas, tam active quam paſſive pertinentes, per Cardinales ejuſdem

Congregationis. vel ab eis subdelegandos, audiendi, discutiendi, examinandi & terminandi, ac reassumendi, & avocandi, necnon quibusvis Judicibus, & aliis personis, etiam sub censuris & pœnis inhibendi, ac omnia alia & singula, in supradicta Constitutione contenta, executioni demandandi: necnon plura alia faciendi, gerendi, ordinandi, & exequendi, plenam, liberam & amplam auctoritatem, facultatem & potestatem per quasdam suas concesserit & impertitus fuerit; & mox per alias respective etiam sub Annulo Piscatoris in forma Brevis expeditas literas Apostolicas, intentionis suæ fuisset, eamdem Congregationem Boni Regiminis causas solummodo ad Communitates seu Universitates prædictas earumque reditus & proventus, aut computorum & quorumcumque bonorum administrationis rationem quomodolibet spectantes (non tamen pœnarum maleficiorum) per se vel alios subdelegandos, audiendi, discutiendi, examinandi, expediendi, terminandi, reassumendi, & a quibusvis Judicibus, eis etiam inhibendo, avocandi facultatem a se, ut supra, concessam, habere declaraverit; Binarum autem dicti Pauli Prædecessoris literarum tenor pariter est, qui sequitur, videlicet:

PAULUS PAPA QUINTUS

Ad futuram rei memoriam.

Binæ ad id datæ a Paulo PP. Literæ.

Cupientes Constitutionem, a felic. record. Clemente Papa Octavo Prædecessore Nostro, super bono regimine & administratione redituum Communitatum & Universitatum ditionis temporalis Ecclesiasticæ editam, debitæ executioni pro earumdem Communitatum & Universitatum utilitate demandari; ac de singulari fide, prudentia, & integritate dilectorum filiorum nostrorum, Mariani, Sanctorum Marcellini & Petri de Camerino: Octavii Sanctæ Sabinæ, Bandini: Dominici Sancti Honuphrii, Tusci: Dominici Gymnasii: Innocentii Sancti Thomæ in Parione Titulorum, Presbyterorum, Bubali: & Bartholomæi Sanctæ Mariæ in Porticu Diaconi, de Cesis, nuncupatorum, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, plurimum in Domino confisi; eisdem Cardinalibus, quos pro executione dictæ Constitutionis harum serie deputamus.

Omnes & quascumque causas tam civiles quam criminales & mixtas, ad Communitates & Universitates quascumque Status nostri Ecclesiastici, Nobis mediate vel immediate subjectas, tam active quam passive pertinentes, per se vel ab eis subdelegandos audiendi, discutiendi, examinandi, expediendi & terminandi, ac omnia alia & singula, in eadem Constitutione contenta, executioni demandandi.

Ac pro faciliori negotiorum hujusmodi expeditione aliquos Prælatos, aut alias personas, juris prudentia præditas, a Nobis approbandas, in suos Consultores adhibendi: necnon aliquem ex illis, aut alium idoneum eis benevisum, in suæ Congregationis Secretarium deputandi, & causas quascumque reassumendi & avocandi; necnon quibuscumque Judicibus & aliis personis, etiam sub censuris & pœnis, inhibendi, & quoscumque citandi, etiam per Edictum publicum constito de non tuto accessu, cæteraque omnia & singula in præmissis & circa ea quomodolibet necessaria & opportuna faciendi, gerendi, ordinandi & exequendi, itaut occasione causarum criminalium, censuram Ecclesiasticam, aut irregularitatis notam, dummodo sententias sanguinis per se ipsos non ferant, minime incurrant, plenam, liberam & amplam auctoritatem, facultatem & potestatem concedimus & impartimur.

Non obstantibus Constitutionibus, Ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, quæ dictus Clemens prædecessor in eadem Constitutione voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus etiam, ut ea, quæ a majori parte eorum resoluta fuerint, plenam obtineant firmitatem, & plenariæ executioni demandari debeant.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die quarta Junii millesimi sexcentesimi quinti, Pontificatus Nostri Anno primo.

PAULUS PAPA QUINTUS

Ad futuram rei memoriam.

Jampridem cupientes Constitutionem, a felicis recordationis Clemente Papa Octavo prædecessore Nostro, super bono regimine status Ecclesiæ editam, executioni demandari, dilectis filiis Nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, pro ejusdem Constitutionis executione a Nobis deputatis, omnes & quascumque causas tam civiles quam criminales & mixtas, ad Communitates & Universitates quascumque Status Ecclesiastici, Nobis mediate vel immediate subjectas, tam active quam passive, per se vel alios, ab eis subdelegandos, audiendi, discutiendi, examinandi, & terminandi: ac omnia alia & singula in eadem Constitutione contenta executioni demandandi, easdemque causas quascumque reassumendi & avocandi, quibuscumque Judicibus inhibendi, & alias, prout in nostris Literis in hujusmodi forma Brevis desuper expeditis sub die quarta Junii 1605. Pontificatus Nostri Anno primo, plenius continetur, facultatem dedimus.

Quia vero ob generalitatem prædictarum Literarum nostrarum facile videri alicui posset, ea Nos commisisse, quæ nostræ intentionis committere minime fuit, idcirco ad solvendas hujusmodi difficultates, prædictarum Literarum tenorem præsentibus pro sufficienter expresso, & ad verbum inserto habentes;

Motu proprio, & ex certa nostra scientia, maturaque deliberatione, vigore præsentium declaramus, intentionis nostræ, eisdem Cardinalibus eas solummodo, & non alias causas civiles, criminales & mixtas, tam active quam passive ad Communitates & Universitates Status nostri mediate vel immediate subjectas pertinentes, per se vel alios, ut præmittitur, subdelegandos, audiendi, discutiendi, examinandi, expediendi & terminandi, reassumendi, & avocandi, quæ ad reditus & proventus (non tamen pœnarum maleficiorum) ad illas quomodolibet spectantes, & quæ in futurum spectabunt, aut rationem seu computorum redditiones, etiam ratione administrationis Annonæ seu Abundantiæ, & pecuniarum ac rerum, illis seu illi destinatarum, Civitatum, Terrarum & Locorum ejusdem Status Ecclesiastici, sive ad quorumcumque bonorum administrationes prædictarum Communitatum & Universitatum quomodocumque & qualitercumque pertinent & pertinebunt, facultatem tribuere, itaut eas tantùm, & non alias causas iidem Cardinales per se vel alios subdelegandos, audire, discutere, examinare, expedire, & terminare, reassumere, & avocare a quibuscumque Judicibus, necnon iisdem inhibere, & omnia & singula in eis contenta, omnibusque aliis & singulis in prædictis literis nostris, facultatibus illis concessis in præmissis, & circa ea uti possent & valerent, ac possint & valeant.

Irritum decernentes & inane, quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus præmissis, necnon quibusvis

Con-

Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesima tertia Novembris Millesimo sexcentesimo septimo, Pontificatus Nostri Anno tertio.

Innocent. XI. decrevit Apostolicas Constitutiones & Chirographa esse servanda quoad debita personarum privilegiatarum:

§. 4. Postmodum pluribus ex debitoribus Communitatum sive Universitatum hujusmodi, præcipue Ecclesiasticis, aut aliis privilegiatis personis, suorum privilegiorum prætextu sese ab onerum eisdem Communitatibus debitorum solutione prorsus eximi, aut saltem illam retardare studentibus, & propterea causas, solutionem prædictam concernentes, ad alias Congregationes aliaque Tribunalia Urbis deferentibus, recolendæ memoriæ Innocentius Papa XI., etiam Prædecessor Noster, pro re hujusmodi examinanda & definienda præcipuam Congregationem ex dictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Congregationum super Immunitate Ecclesiastica, & Decretorum Concilii Tridentini Interpretum, ac super consultationibus Episcoporum & Regularium, necnon Boni regiminis ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Præfectis, illarumque Secretariis, deputaverit; & Congregatio sic deputata hujusmodi, semel & iterum habita, unum videlicet sub die quarta Decembris anni Domini MDCLXXX. cujus tenor est: *Quoad onera Cameralia solvenda ab Ecclesiasticis, serventur Constitutiones & Chirographa Summorum Pontificum, prout jacent; & quoad eorum interpretationem & executionem, ad Congregationem Boni Regiminis*: Et alterum, Decreta, quæ postea ab eodem Innocentio Prædecessore approbata fuere, sub die quintadecima Januarii insequentis anni MDCLXXXI. ediderit. Secundo dicti Decreti tenor est sequens: *Quoad onera Communitativa, suis loco & tempore exprimenda, Ecclesiasticos non teneri, ubi suppetunt facultates Communitatum; & providebitur in casibus particularibus per Sacram Congregationem Boni Regiminis.*

Clericorum:

Clericos conjugatos etiam habentes requisita *Cap. 2. de Vita & honestate Clericorum in 6.*, & Sacri Concilii Tridentini, teneri ad omnia onera realia & mixta, nisi contra pro eis adsit legitima consuetudo.

Et quoad eorum interventum in Consiliis.

Quo vero ad eorum interventum in Consiliis, supplicandum esse Beatissimo, ut Ordinarii prohibeant tam Clericos cœlibes quam conjugatos, habentes supradicta requisita, esse de Consilio, nisi legitime renunciaverint privilegio Clericatus.

Ab Innocentio XII. Particulari Congregationi demandatum examen Appellationum, Recursuum &c.

§. 5. Demum ejusdem piæ rec. Innocentius Papa XII. etiam Prædecessor Noster, deputata pro renovatione & declaratione Constitutionis piæ me. Sixti Papæ Quinti, similiter prædecessoris Nostri, erectionem plurium Congregationum dictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium continentis, particulari plurium Romanæ Curiæ Prælatorum Congregatione, decretum illius die nona Augusti anni Domini Millesimi sexcentesimi nonagesimi tertii emanatum, quo causas supradictas contra quoscumque, necnon appellationes, reclamationes, aut recursus super præmissis omnibus interponendos, ac cognitionem privilegiorum & exemptionum, an illa suffragarentur; atque onerum, an illa essent cameralia, communitativa, vel mixta, spectare ad Congregationem Boni Regiminis privative quoad omnes alias Congregationes, Judices, & Tribunalia, etiamsi ageretur de personis & locis Ecclesiasticis, quantumvis exemptis & privilegiatis; ac speciali nota dignis, sub eadem die nona Augusti approbaverit; particula autem dicti Decreti jurisdictionem prædictæ Congregationis Boni Regiminis concernens, est sequens, videlicet: *Et quoniam post eamdem sa. me. Sixti Quinti Constitutionem Congregatio Boni Regiminis instituta fuit pro felici & œconomico gubernio Communitatum Status Ecclesiastici*: & ad hoc, ut sublatis debitorum subterfugiis expeditior esset exactio onerum & collectarum, eisdem Universitatibus incumbentium, exinde censuit Congregatio, causas omnes tam pro adimplemento Bullæ Boni Regiminis nuncupatæ, quàm alterius declaratoriæ impressæ post Constit. X. Clementis Octavi, sive sint civiles sive criminales, aut mixtæ, juxta aliam Constitutionem XXXVIII. Pauli Quinti contra quoscumque earumdem Universitatum Officiales, Administratores, Appaltatores, aut quovis alios debitores, ex causa tamen onerum Cameralium & Communitativorum, aliorumque redituum, in Tabella Congregationis descriptorum, sive etiam ratione publicæ Annonæ, necnon appellationes, reclamationes, aut recursus, super præmissis omnibus interponendos, spectare ad eamdem Congregationem privativè quoad omnes alias Congregationes, Judices & Tribunalia, etiamsi agitur de personis & locis Ecclesiasticis, quantumvis exemptis & privilegiatis, ac speciali nota dignis, itaut ad eamdem Congregationem Boni Regiminis pertineat privativa (ut supra) cognitio: an privilegia & exemptiones suffragentur contra dictas Communitates, earumque Administratores & Appaltatores: an onera sint Cameralia, Communitativa, vel mixta juxta prædictam Bullam declaratoriam sa. me. Clementis Octavi, & juxta alia Decreta Congregationis particularis, edita die quarta Decembris MDCLXXX. & decimaquinta Januarii MDCLXXXI. a sa. me. Innocentio XI. approbata.

Ac statutum; ut omnes causæ hujusmodi aut similes a Congreg. B. Regim. cognoscantur.

Causæ edendæ hujus Constitutionis.

§. 6. Licèt vero post dictorum Clementis & Pauli hujusmodi literas Apostolicas, ac utriusque Innocentii prædecessorum cautiones, in decretis expressas, indemnitati Communitatum seu Universitatum Nostri Status Ecclesiastici prædicti satis consultum fore sperari posset; nihilominus, ut etiam accepimus, illarum debitores ad præsens sub variis prætensarum exemptionum assertionibus, a jurisdictione prædictæ Congregationis Boni Regiminis non sine gravi Communitatum seu Universitatum hujusmodi, pluriumque ex nostris subditis præjudicio, declinare, & variis tergiversationibus ac subterfugiis ad alias Urbis nostræ Congregationes & Tribunalia confugere adhuc non cessent; propterea nos Communitates seu Universitates, universosque subditos nostros hujusmodi, a detrimento ex præmissis insurgente eximere, ac publico bono earumdemque Communitatum seu Universitatum, felici & œconomicæ gubernationi, ut par est, prospicere, ac jurisdictionem prædictæ Congregationis Boni Regiminis illæsam subsistere volentes;

Qua Prædecessorum Pontificum statuta omnia confirmantur.

§. 7. Motu proprio & ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Clementis & Pauli literas Apostolicas prædictas tam sub Plumbo, quam in forma Brevis, ut præfertur, expeditas: necnon Decreta, per utrumque Innocentium prædecessores, ut præfertur, approbata, ac respective omnia & singula in eis contenta & expressa, itaut illa deinceps adversus quemcumque lapsum temporis firma & inconcussa consistant, maximumque pondus apud quoscumque habeant, dicta Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò confirmamus & approbamus; illisque Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, omnesque & singulos tam juris quam facti & solemnitatum, ac quoscumque alios, quantumvis substantiales defectus, si qui desuper forsan quomodolibet intervenerint, in eisdem supplemus.

Congregationis Boni Regim. ju-

§. 8. Et ad validiorem præmissorum omnium effectum, eidem Congregationi Boni Regiminis

Jurisdictio absoluta & privativa declaratur.

privative quoad omnes & quoscumque alios Judices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, aut prærogativa, dignitate, & præeminentia fulgentes, etiam dictæ S. R. E. Camerarium; Thesaurarium Generalem, Cameram Apostolicam, ejusque Curiæ causarum generalem Auditorem, & Præsidentes Clericos, ac Causarum Palatii Nostri Apostolici Auditores, dictæque S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos & Vicelegatos, respective tam in Romana Curia quàm extra eam, jurisdictionem exercentes, ac etiam alias Cardinalium Congregationes, omnes & quascumque causas sive civiles vel criminales, aut mixtas, tam interesse Communitatum seu Universitatum quarumcumque, nobis & Romano Pontifici pro tempore existenti, Sedique prædictæ mediate vel immediate subjectarum, quomodolibet respicientes, quam appellationum, reclamationum, recursuum, nullitatum, seu notoriæ injustitiæ, necnon revisionis, etiam prætextu cujusvis erroris, etiam calculi, aut reductionis ad arbitrium boni viri, ac restitutionis in integrum, tam super præmissis quàm super validitatibus & invaliditatibus quarumcumque exemptionum vel immunitatum, quibusvis personis per easdem Communitates seu Universitates, sive etiam auctoritate Apostolica, & per Nos, ac prædecessores Nostros concessarum: & an sint admittendæ, necne: ac super prætensis remissionibus seu defalcationibus solutionum, eisdem Communitatibus seu Universitatibus debitarum ob quoscumque in dicta Constitutione Clementis prædecessoris expressos vel non expressos fortuitos casus, vel ex quacumque alia causa, casu, culpa, vel facto cujuscumque personæ, aut aliàs ad instantiam quarumcumque personarum, ipsis Communitatibus seu Universitatibus aliquid debentium, aut quidpiam ex præmissis petentium, tam Laicorum quàm Clericorum, & cujuscumque status, gradus, ordinis, dignitatis, conditionis, vel præeminentiæ existentium, etiam Cardinalatus honore fulgentium, aut etiam quarumcumque Universitatum, Societatum, Congregationum, Collegiorum utriusque sexus, etiam Societatis Jesu, ac quorumcumque Regularium Ordinum, etiam Mendicantium, Ordinum Militarium, ac Hospitalium, etiam S. Joannis Hierosolymitani, & aliorum Institutorum, quibuscumque privilegiis & immunitatibus gaudentium: Item Monasteriorum, Ecclesiarum, & piorum Locorum, etiam quocumque privilegio immunitate vel exemptione illa suffulta extiterint, ac de quibus specialis & expressa ac individua mentio præsentibus habenda foret; sive etiam viceversa ad ipsarum Communitatum seu Universitatum instantiam contra supradictos vel alios quoscumque, aut inter ipsasmet Communitates seu Universitates invicem, occasione cujusvis laudi, arbitramenti, sententiæ, decreti, aut mandati per quoscumque locorum Gubernatores, Potestates, aut Præsides, vel Legatos, aut quosvis alios Judices, seu Commissarios, etiam ad id delegatos vel subdelegatos, aut arbitros vel arbitratores, quomodolibet lati aut relaxati, vel alias quomodolibet motas & movendas cum illarum dependentiis, emergentibus, incidentibus, annexis & connexis, summarie simpliciter & de plano sine strepitu & figura judicii, sola facti veritate inspecta, etiam terminis substantialibus non servatis, manu regia, audiendi, cognoscendi, & sine debito terminandi: ac tam in Romana Curia quam extra eam, jurisdictionem, ut præfertur, exercentibus, superius expressis, & aliis quibusvis Judicibus & Ministris ac personis quoties opus fuerit, etiam sub censuris Ecclesiasticis & aliis pœnis, arbitrio ejusdem Congregationis Boni Regiminis infligendis, moderandis, & applicandis, inhibendi sive inhibitiones quascumque ab eis editas, etiam vigore quarumcumque commissionum Apostolicarum, non tamen Nostra & Successorum Nostrorum manu signatarum, moderandi aut revocandi: & prout justum videbitur, mandata quæcumque necessaria & opportuna decernendi & relaxandi, ac omni & quacumque appellatione, reclamatione & recursu omnino posthabitis, exequendi (citra tamen pronunciationem sententiæ sanguinis) plenam, liberam & omnimodam facultatem, auctoritatem & potestatem omnino spectare & pertinere, ac ad eamdem Congregationem Boni Regiminis valide competere, dicta Apostolica auctoritate etiam perpetuò volumus & declaramus.

Etiam quoad Ministrorum electionem.

§. 9. Insuper ut œconomia bonorum & redituum earumdem Communitatum seu Universitatum ea, qua convenit, diligentia & integritate imposterum exerceatur, ut dicta Congregatio Boni Regiminis, etiam privative quoad omnes & singulos Judices, Ministros, & personas, ut supra expressas, & ut præfertur, qualificatas, etiam, ut præfertur, Cardinalatus honore fulgentes, plenam & liberam jurisdictionem circa electiones & deputationes quorumcumque Ministrorum, œconomiæ Communitatum seu Universitatum hujusmodi præpositorum, exercere libere & licite possit & valeat, auctoritate prædicta similiter perpetuò concedimus & indulgemus.

Præsentium Literarum robur ac firmitas.

§. 10. Præsentes quoque literas, & in eis contenta & expressa quæcumque, nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ, etiam ex eo, quod causæ, propter quas præmissa emanarunt, coram Nobis vel alibi adductæ, verificatæ & justificatæ: aut Communitatum seu Universitatum Status Ecclesiastici hujusmodi, Consules, Conservatores, Senatores, Confalonerii, Officiales, Ministri, Magistratus, & Deputati quicumque, illarumque debitores, ac Judices & Ministri, aliæque personæ, ut supra expressæ & qualificatæ, ac quicumque alii, in præmissis, & circa ea quomodolibet in quorumcumque contractuum, conductionum & obligationum vim interesse habentes, seu habere prætendentes, ad id vocati & auditi non fuerint, & consensum suum eisdem præmissis non præstiterint, aut alio quovis defectu, etiam quamtumvis magno, inexcogitato, & substantiali: sive etiam ex eo, quod eædem præsentes extra Consistorium Nostrum secretum, nec de Venerabilium Fratrum Nostrorum prædictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio & assensu emanaverint, & in eis solemnitates, ac quævis alia servanda & adimplenda, servata & adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite, etiam in corpore juris clauso, & quovis alio prætextu, occasione, vel causa, etiam quamtumvis legitima, justa, & privilegiata, quæque ad effectum validitatis præmissorum exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus vel controversiam vocari, ad viam & terminos juris reduci, aut adversus illas quodcumque juris vel facti remedium, aut oris aperitionem impetrari, neque illas sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi; sed semper ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum & validissimum statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data, per dictam Congregationem Boni Regiminis quandocumque eligenda, concessas, illasque validas & efficaces fore &

esse,

esse, suosque plenarios & integros effectus in omnibus & per omnia sortiri & obtinere, ac eidem Congregationi Boni Regiminis, aliisque, ad quos nunc spectat & pro tempore quomodolibet spectabit in futurum, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, ac a Communitatum seu Universitatum prædictarum Officialibus & Ministris supradictis, illarumque debitoribus, etiam, ut præfertur, qualificatis prædictis, inviolabiliter observari & adimpleri, nec ab eisdem præsentibus ullo unquam tempore resiliri aut recedi posse: & quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus.

Specialis obstantium omnium derogatio.

§. 11. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostræ & Cancellariæ Apostolicæ Regula, ac piæ me. Pii Papæ Quarti, etiam prædecessoris Nostri, de gratiis, interesse Cameræ Apostolicæ quomodolibet concernentibus, in eadem Camera infra certum tunc expressum tempus registrandis ac insinuandis, aliisque Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis dictarum Communitatum seu Universitatum Status Ecclesiastici prædicti, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, eisdem Communitatibus seu Universitatibus, aut illarum Officialibus & Ministris supradictis, necnon Camerario, Thesaurario generali Cameræ Apostolicæ, ejusque Curiæ Causarum generali Auditori, aut Præsidentibus Clericis, & Causarum dicti Palatii Auditoribus, & etiam in vim dictarum regularum prædictæ S. R. Ecclesiæ Cardinalibus, etiam de latere Legatis, competentibus, aliisque Cardinalium Congregationibus prædictis, & quibusvis aliis personis, ac etiam Societatibus, Collegiis, Hospitalibus utriusque sexus, Monasteriis, Ecclesiis, & piis Locis quibuscumque, aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales mentio seu quævis alia expressio facienda & habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum omnium & singulorum tenores eisdem præsentibus etiam pro plene & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, latissime & plenissime, ac specialiter & expresse, motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque; Aut si aliquibus communiter, aut divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per Literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Fides Transumptorum.

§. 12. Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis, etiam typis impressis, & sigillo alicujus in Dignitate Ecclesiastica constituti munitis, eadem prorsus fides in judicio & extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si illæ exhibitæ forent vel ostensæ.

§. 13. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ confirmationis, approbationis, roboris, adjectionis, defectuum supplectionis, declarationis, concessionis, indulti, decreti, derogationis, & voluntatis, infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo trigesimo quarto, pridie Idus Februarii, Pontificatus Nostri Anno Quarto.

A. Card. Pro-Datarius.

F. Card. Oliverius.

VISA

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

Loco ✠ Plumbi.

D. Stivanus.

Registrata in Secretaria Brevium.

Confirmantur patentes Ministri Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia Literæ, quibus nonnulli Ordinis sui Religiosi deputantur ad quæstuandum in certis statutis Provinciis pro conservatione Terræ Sanctæ. CXXVII.

CLEMENS PAPA XII.

Dat. die 13. Feb. 1734. Pont. An. IV.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius modernus Commissarius Generalis Terræ Sanctæ in Romana Curia Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci, de Observantia nuncupatorum, quod dilectus pariter filius Joannes de Soto Minister Generalis dicti Ordinis per suas patentes Literas Ministris Provincialibus Provinciarum Aratidæ, Sancti Antonii Capatior. Pietatis, & Conceptionis della Veira, & Alyncho directas, eos rogavit, monuit, & hortatus fuit, ut pro conservatione locorum ejusdem Terræ Sanctæ, Commissario dictæ Terræ Sanctæ, Matriti residenti, Religiosos uniuscujusque Provinciæ, qui qualitatibus ad id necessariis prædicti sint, super quæstuatione eleemosynarum pro eisdem locis deputent & deputare teneantur; & aliàs, prout uberiùs continetur in ipsius Joannis Ministri Generalis literis patentibus, desuper emanatis, ex idiomate hispanico in latinum versis tenoris, qui sequitur, videlicet:

Literæ Patentales Ministri Generalis, de hispanico in latinum idioma traductæ, sunt tenoris sequentis.

Literæ, de quibus in Rubrica.

Fr. Joannes de Soto Lector Jubilatus, Theologus Majestatis suæ, & congressûs Immaculatæ Conceptionis, Minister Generalis totius Ordinis S. P. N. Francisci, & Servus &c.

RR. PP. Provincialibus præsentibus & futuris Provinciarum nostrarum Arabidæ, Sancti Antonii Capatior. - Pietatis, & Conceptionis dela Veira, & Alyncho, salutem & pacem in Domino Nostro Jesu Christo.

Quoniam inter ea, quibus nostra Seraphica Religio curam & solicitudinem majori vigilantia impendere debet, potissima est conservatio SS. Locorum, Terræ Sanctæ major cultus, & assistentia Religiosorum in illis residentium, in cujus finem opus est deputare Religiosos, qui curam assumant & habeant, eleemosinas in hisce Regnis, necnon Brasili, quæstuandi, & eas a fidelibus, ut moris est, colligendi; & quia æquum ac justum est, ut omnes & singulæ Provinciæ in tam sanctum Opus concurrant: cunctarum quidem honor est, sacræ Custodiæ at-

que Sanctorum Locorum manutentio, in quibus Redemptio noſtra operata eſt. Inde præſentium vigore rogamus, monemus, & exhortamur RR. PP. VV. in viſceribus Jeſu Chriſti, ne ſe excuſent, ac retrahant in cooperando, quantum valeant ad præfatum effectum, concedentes ac deſignantes R. P. Commiſſario Terræ Sanctæ Religioſos uniuſcujuſque Provinciæ noſtræ ad inſtantiam & beneplacitum ejuſdem P. Commiſſarii in quæſtores eleemoſynarum tam in eo Regno quam Braſili, aliiſque Ditionibus, & quidem eos, qui qualitatibus ad id neceſſariis & opportunis ſint prædiți, uti de zelo & religioſitate PP. VV. conſidere debemus. Quibus paternam noſtram benedictionem impertimur.

Datum in hoc noſtro Conventu Sancti Franciſci Matriti die 18. Septembris 1733.

Fr. Joannes Soto Miniſter Generalis.

De mandato S. P. Reverendiſſimæ Fr. Didacus Spinoſa Secretarius Generalis Ordinis.

§. 2. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, prædictus modernus Commiſſarius Generalis, exponens præmiſſa, quò firmius ſubſiſtant, & ſerventur exactius, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri ſummopere deſideret; Nos ipſius moderni Commiſſarii Generalis exponentis votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus, ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati, præinſertas ejuſdem Joannis Miniſtri Generalis literas patentes, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus & approbamus; illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus; ac omnes & ſingulos juris & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus.

Confirmatur.

§. 3. Decernentes, eaſdem præſentes literas ſemper firmas validas & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere; ac illis, ad quos ſpectat & pro tempore ſpectabit, pleniſſime ſuffragari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſulæ.

§. 4. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, Ordinis & Provinciarum hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis ac ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 13. Februarii 1734. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

Confirmantur privilegia, gratiæ, facultates, & indulta Collegii Montis Alti Civitatis Bononien. ac præcipue quæ Cardinali Protectori conceſſa ſunt.

CXXVIII.

CLEMENS PAPA XII.

Dat. die 16. Feb. 1734. Pont. An. IV.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. Exordium.

EX injuncto Nobis cælitus Apoſtolicæ ſervitutis munere illa, quæ ex circumſpecta Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum providentia in favorem ac commodum Collegiorum ad rectam piamque Juventutis educationem, & literarum Studiis, aliiſque laudabilibus Diſciplinis inſtructionem, ubique, ac præſertim in temporali Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Ditione inſtitutorum ſalubri conſilio emanaſſe noſcuntur, ut firma ſemper atque illibata perſiſtant, Apoſtolici muniminis noſtri præſidio, cum a nobis petitur, libenter corroboramus.

Collegium hoc a Sixto PP. V. fundatum.

§. 1. Dudum ſiquidem fel. record. Sixtus PP. V. Prædeceſſor Noſter, Collegium Montis Alti nuncupatum in Civitate Bononien. a ſe fundatum & erectum, illiuſque Rectorem, Scholares, Cappellanos, Oeconomos, Officiales, Miniſtros, ac perſonas & bona univerſa ab omni pro tempore exiſtentium Sedis Apoſtolicæ in prædicta Civitate Bononien. de latere Legati, & Archiepiſcopi Bononien. & quorumvis aliorum Judicum ſuperioritate & juriſdictione: necnon a quorumcumque pedagiorum impoſitione, ac ſubſidiorum ſolutione exemit: ipſique Collegio, ejuſque Colonis, Conductoribus, & Emphyteutis frumenta, aliaſque fruges ex poſſeſſionibus dicti Collegii provenientes de quibuſvis Provinciis, Terris, & Locis, eidem Romanæ Eccleſiæ mediate vel immediate ſubjectis, cujuſvis licentia deſuper minime requiſita, & abſque alicujus pecuniæ vel alterius rei ſolutione & præſtatione extrahendi, & ad prædictum Collegium pro illius uſu conducendi, & etiam illas in præfata Civitate Bononien. illiuſque Comitatu, ac reliquo Statu Eccleſiaſtico vendendi, & de illis ad eorum libitum diſponendi: pro tempore verò aliter exiſtenti Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali ejuſdem Collegii Protectori ac Judici ordinario, Officiales & Miniſtros deputandi, ſtatuta condendi, omneſque lites & cauſas civiles, criminales, & mixtas, dictum Collegium illiuſque perſonas, res & bona quomodolibet concernentes, tam activas quam paſſivas, etiam illas a quibuslibet Judicibus avocando, privative quoad omnes & ſingulos alios Judices ordinarios & delegatos eorumque Curias, & Tribunalia audiendi, cognoſcendi, & fine debito terminandi facultatem tribuit: diverſaque habeat privilegia, facultates, prærogativas, gratias, & indulta eidem Collegio illiuſque perſonis, rebus & bonis conceſſit ac elargitus eſt, & alias, prout in ipſius Sixti Prædeceſſoris literis deſuper ſub plumbo anno Incarnationis Dominicæ 1588. decimoquinto Kal. Decembris expeditis, quarum tenorem præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſo ac de verbo ad verbum inſerto haberi volumus, uberiùs continetur.

Et privilegiis ornatum.

§. 2. Cum autem, ſicut dilecti filii Rector & Scholares Collegii prædicti Nobis nuper exponi fecerunt, præfati Sixti Prædeceſſoris literæ, ac in eis contenta, hactenus illibate, ut par erat obſervata, fuerint, ac etiamnum plenum obtineant vigorem: privativaque juriſdictio Cardinali Protectori, ſicut præmittitur, attributa geminis etiam reſcriptis Signaturæ Juſtitiæ, ac noviſſime decreto

Privativa Cardinali Protectori attributa juriſdictio.

per

per bon. mem. Prosperum dictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Marefuscum nuncupatum, dum rec. mem. Clementis PP. XI. Prædecessoris quoque nostri Auditorem agebat, edito, judicialiter asserta ac vindicata fuerit, ipsumque Collegium non sine ingenti studiosæ Juventutis in eo degentis progressu, ac Universitatis studiorum generalium dictæ Civitatis Bononien. decore & ornamento nunc quoque eximie florere dignoscatur; quia tamen solidius subsistunt, quæ hujus S. Sedis sæpius fulciuntur auctoritate, ipsi Exponentes, præmissa Apostolicæ confirmationis nostræ robore communiri, summopere desiderent; Nos eosdem Exponentes specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes & absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tam enarrata quàm quæcumque alia privilegia, exemptiones, facultates, jurisdictionem, prærogativas, gratias, & indulta, memorato Collegio, ejusque personis, rebus, & bonis, ac S. R. E. Cardinali dicti Collegii Protectori & Judici ordinario, & aliàs quomodolibet ab eodem Sixto prædecessore, ut præfertur, concessa, expeditasque desuper illius literas prædictas cum quibuscumque in eis contentis, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò approbamus & confirmamus, ac illis omnibus & singulis perpetuæ atque irrefragabilis Apostolicæ firmitatis robur, patrocinium, & præsidium adjicimus.

Quæ omnia Apostolica auctoritate roborantur.

§. 3. Decernentes, ipsas præsentes literas semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia pleniſſime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter & inconcusse observari; sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. præfatæ Camerarium, seu Pro-Camerarium, & alios Cardinales, etiam de latere Legatos, necnon Cameræ Apostolicæ Præsidentes Clericos, cæterosque Officiales & Ministros, & alios quoslibet quacumque præeminentia & potestate fungentes & functuros, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac quibuscumque posterioribus Decretis, Chirographis, & Cedulis motorum propriorum, necnon omnibus & singulis illis, quæ in supradictis Sixti prædecessoris Literis concessa sunt, non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio quàm extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 16. Februarii 1734. Pontificatus Nostri anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

Confirmatio Constitutionum pro Fratribus & Sororibus Tertii Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis in Brasilia.

CXXIX.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. die 17. Febr. 1734. Pont. An. IV.

EX injuncto Nobis cælitus Apostolicæ servitutis munere ea, quæ pro felici Conventuum, aliorumque Locorum piorum regimine, salubrique in eis Altissimi obsequiis sub suavi Religionis jugo assiduè famulantium directione, provide statuta atque ordinata esse noscuntur, ut firma semper atque inviolata persistat, Apostolici muniminis nostri, cum id a Nobis petitur, præsidio libenter constabilimus.

Proœmium.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Uguccio Maria Diez y Quarozma, Frater expresse Professus Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis, natione Brasilienſis, quod cum ipse ex America ad Almam Urbem nostram venerit, ut tam suo quàm dilectorum filiorum Antonii Das Merces de Maria, Josephi Pereyra de Fygueredo & Antonii Peccatoris nomine impetraret a dilecto etiam filio moderno Priore Generali Ordinis præfati licentiam fundandi in Brasilia Conventus Fratrum ac Sororum Tertii Ordinis eorumdem Servorum Beatæ Mariæ Virginis, sub quibusdam peculiaribus Constitutionibus ac legibus, ad Christianæ pietatis studium conducentibus, ultra Regulas a fel. record. Martino PP. V. Prædecessore Nostro pro ejusmodi Fratribus & Sororibus præscriptas, idem Prior Generalis vigore facultatis sibi ad id tum per literas memorati Martini Prædecessoris generaliter, tum per Nos specialiter attributæ, petitam licentiam indulsit, dictasque Constitutiones approbavit, tenoris, qui sequitur, videlicet:

Constitutiones ad confirmandum propositæ.

Constitutiones Fratrum, & Sororum Tertii Ord. Servorum Beatæ Mariæ Virginis, vita Communi viventium in Brasiliis.

De fine sibi præfigendo a Fratribus & Sororibus.

I. Duo sub fausſis auspiciis ac patrocinio Sanctissimæ Virginis singularibus, continuis studiis debent sibi præfigere Fratres ac Sorores Tertii Ordinis ejusdem, una simul in Brasiliis viventes: Primum, sibi vacare, ut quibus possunt exquisitioribus mediis perfectionis bravium assequantur: Alterum dare operam proximis, ferreque iis opem in spiritualibus, corporalibusque earum indigentiis: Hinc ut rei utrique fiat satis, pro viribus in primis unicuique Conventui juncta sit Ecclesia, & unicuique Ecclesiæ conjuncta sint duo Xenodochia, omnino ab invicem separata, & ad latera Ecclesiæ hinc inde disposita, ita ut in cornu Evangelii sit Xenodochium pro hominibus, quibus ministrent Tertiarii: in cornu Epistolæ Xenodochium pro fœminis, quibus inserviant Tertiariæ; Ecclesia vero inter utrumque mediet, in qua duo construantur Chori ad divinas laudes persolvendas: unus pro Fratribus, alter pro Sororibus, sintque inter se omnino sejuncti.

De reverentiis Beatæ Mariæ Virginis.

II. Quoniam Fratres & Sorores Tertii Ordinis Servorum sub protectione speciali Beatæ Mariæ Virginis Deo militantes, æquum est, ut eam specialibus obsequiis & reverentiis, inter divina præcipue, prosequantur; Idcirco in quacumque

Ecclesia,

Ecclesia, etiam Tertii Ordinis, sit Cappella sive Altare in honorem ejusdem Beatæ Mariæ Virginis Septem Dolorum, & si commode fieri potest, ad omnia Altaria adsit Imago Beatissimæ Virginis, quæ tum in principio tum in fine Missæ salutari possit, ut in Cæremoniali Ordinis præscribitur. Sit etiam Altare aut Imago picta septem Beatorum Patrum Fundatorum, Sancti Philippi Benitii, Sancti Peregrini, Beatæ Julianæ de Falconeriis, & Beati Joachimi Piccolominei.

De Oratione Mentali.

III. Cum Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis propria & peculiaris Institutio sit ejusdem Sanctissimæ Matris, & Institutricis nostræ doloribus compati, quos in Vita, Passione ac Morte Divini Filii sui sustinuit, omnes & singuli Tertiarii in choro qualibet die per duas integras horas, una videlicet matutina, vespertina altera, Orationi Mentali sedulo incumbant, ita tamen, ut semper primæ meditationis argumentum sint Dolores Beatæ Mariæ Virginis; alterius verò aliquod christianæ Religionis Misterium patris Prioris arbitrio eligendum. Qui legitime sunt impediti, nec cum aliis præfatæ Orationi intersunt, per horam saltem quotidie privatim ei vacare teneantur omnino. Quovis item vespere quadrantem immediate ante horam cœnæ omnes simul conveniant ad propriæ conscientiæ examen peragendum.

De Divino Officio.

IV. Omnes Sacerdotes & Clerici teneantur cavere, vel recitare in Choro alta voce Divinum Officium: Laici vero recitent eodem modo officium parvum Beatæ Mariæ Virginis, quod privatim recitabunt etiam Sacerdotes & Clerici; & si aliqui Laici legere ignorant, dicant imprimis orationem Dominicam & Salutationem Angelicam, prout imponitur in Bulla Martini V. & insuper bis Coronam Beatæ Mariæ Virginis Septem Dolorum, ad quam recitandam teneantur etiam omnes alii Laici: Missæ & alia Divina Officia secundum Ritum Romanæ Ecclesiæ, & juxta regularia Ordinis Servorum instituta persolvantur, ea omnia servando quæ in libro officiorum Ordinis nostri, ac in Cæremoniali præscribuntur.

De Confessione, & Communione.

V. Clerici & Laici confiteantur peccata sua, & sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumant qualibet prima & tertia Dominica cujuslibet mensis, singulis diebus Dominicis Adventus, & Quadragesimæ, Feria Sexta post Dominicam Passionis, Feria Quinta majoris hebdomadæ, Dominica Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi, Dominica Pentecostes, & Sanctissimæ Trinitatis, singulis solemnitatibus Domini Nostri Jesu Christi, & Festivitatibus Beatæ Mariæ Virginis; necnon Sanctorum Michaelis Archangeli, Angelorum Custodum, Sanctorum Joannis Baptistæ, Josephi Sponsi Beatæ Mariæ Virginis, Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & Joannis Evangelistæ, & qualibet die, quo Sancti hujus Evangelistæ officium recitatur: Denique in Festivitatibus Sanctæ Annæ Matris Deiparæ Virginis, Septem Beatorum Fundatorum, Sancti Philippi Benitii, Sancti Peregrini Latiosi, Beatæ Julianæ de Falconeriis, ac Beati Joachimi Picolominei; Sacerdotes vero frequentius sacramentali Confessione purgent conscientiam suam, & præcipuè præfatis diebus noverint, se ad eamdem confessionem districtius obligari.

De Jejunio, Abstinentiis, & Disciplina.

VI. Jejunia a sancta Ecclesia statuta accuratissime omnes observent, & præterea a prima Dominica Adventus usque ad Nativitatem Domini, quemadmodum qualibet Feria Sexta per totum annum, & qualibet Vigilia Festorum Beatæ Mariæ Virginis, Sanctorum & Beatorum Ordinis, quorum Officium celebratur, pariter jejunent; sciantque ulterius omnes gratam rem se Deo facturos, si qualibet Feria Sexta Adventus, & Quadragesimæ, & Vigilia Pentecostes, Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis, ejus Assumptionis, solemnitatis Septem Dolorum, Septem Beatorum Patrum Fundatorum, in solo pane & aqua jejunaverint, quod jejunii genus, sicut pro tota familia non credimus decens esse, quod dispensetur, sic pro temporum & personarum ratione poterit a Priore rationabili ex causa dispensari. Bis in hebdomada tempore Adventus & Quadragesimæ, quatuor Temporum anni, & in qualibet Vigilia fiat lectio & collatio Spiritualis per medietatem horæ tempore assignando a Priore, præter lectionem, quæ ad primam & secundam mensam semper est facienda, & magno silentio audienda. Castigatio corporis per disciplinam fiat qualibet Feria Sexta, ter in hebdomada Sancta, ter tempore novemdialium ante Nativitatem Domini Nostri Jesu Christi, & singulis diebus tempore exercitiorum Spiritualium, quibus indispensabiliter quolibet anno omnes vacare debent. Quilibet tamen poterit frequentius disciplina secreto se se percutere ex consilio patris Prioris vel patris Spiritualis, quemadmodum ex alterutrius consilio super nudas tabulas dormire, & cilicium ferre; & si quis ex beneplacito patris Prioris cupiat uti lanea loco lineæ subuculæ, illi non denegetur, immo ad eam deferendam Novitiis consulimus tempore Novitiatus.

De dicendis suis culpis Feria Sexta.

VII. Qualibet Feria Sexta congregentur omnes Fratres in loco Capituli, in quo suas culpas dicent, eo modo, quo in Cæremoniali præscribitur, illisque pœnitentiis salutares injungantur, & si quæ corrigenda fuerint, corrigantur; Deinde Prior hortetur Fratres ad vitæ profectum, ad pacem servandam, & ad regularem disciplinam; commendet post hæc illorum orationibus statu S. Matris Ecclesiæ, Summum Pontificem, Regem Lusitaniæ, Eminentissimum Cardinalem Protectorem Ordinis, Reverendissimum Patrem Generalem, Animas Fratrum & Sororum defunctorum, Religionisque Benefactores tum vivos tum defunctos. Item qualibet Feria Sexta distribuatur eleemosyna pauperibus, copiosior ea, quæ singulis diebus fieri solet; idemque servetur in solemnitate Septem Dolorum Beatissimæ Virginis, ac ejus Assumptionis, in Festivitatibus Septem Patrum Fundatorum, Sancti Philippi Benitii, Sancti Peregrini, Beatæ Julianæ de Falconeriis, & Beati Joachimi Picolominei.

De Clausura & Cellis.

VIII. In Dormitorio sit unicuique sua Cella deputata, nudis omnino parietibus, nihilque penitus in ea sit præter genuflexorium, Sanctissimum Crucifixum, Imaginem Virginis Septem Dolorum, & ad summum alteram Imaginem chartæ impressam septem Beatorum Fundatorum, & Sanctorum Ordinis: adsit tamen lectulus ex palea, & pulvinar, stragulum, scamnum, mensula, eaque omnia, quæ ad scribendum sunt necessaria; adsit quoque caput mortui super genu-

flexorium, disciplina, vas pro aqua benedicta, atque ea, quæ mere necessaria sunt ad munditiem corporis, quæ omnia humilia, & simplicia atque pro omnibus æqualia esse debent; & si Prior, qui unà cum duobus ex senioribus quolibet mense diligenter Cellas visitare debeat, aliquid invenerit superfluum, & præter communem usum, omnia amoveat, puniatque transgressores. Et quoniam omnia debent esse communia, nec ullus Frater aliquid proprium habere neque in Conventu neque extra, idcirco habeatur locus, qui Vestiarium appelletur, ubi omnia vestimenta, & ad habitus pertinentia conserventur a Fratre ad hunc effectum destinato, qui Vestimenta singulorum Fratrum in distincto & proprio loco reponet ad permutationes evitandas. In Conventum non introducantur extranei, præcipue sæculares, sine Prioris licentia, nec ullus ex Fratribus domo exeat, nisi genuflexus unico genu, si sit Sacerdos: ambobus, si non sit Sacerdos, & licentiam & socium a Priore obtinuerit, & nisi prius salutaverit Angelica Salutatione, & Antiphona: *Sub tuum Præsidium &c.* Beatissimam Virginem, ob quem finem adsit in situ congruo prope portam Conventus parvum Altare vel Cappella cum Imagine ejusdem Sanctissimæ Dominæ Nostræ, quam omnes salutare teneantur, etiam cum ad Conventum redeunt.

De Rasura.

IX. Ad imitationem Domini Nostri Jesu Christi omnes, ut cujusque natura fert, deferant barbam; quæ verò est in superiori labio, tondeatur, & decurtetur propter sumptionem sanctissimi Calicis Domini Nostri Jesu Christi. Rasura quoque sit Sacerdotibus & Clericis per modum Coronæ, & superius non modica more sæcularium Clericorum, sed ampla, ut mos est a Regularibus gestari, itaut ex omni parte sit rotunda, capillique Coronæ non excedant latitudinem duorum digitorum.

De Silentio.

X. Non permittatur ullus ludus præter illum, qui vulgo dicitur *degli Aranci* bis in mense, exceptis tamen temporibus Adventus, Quadragesimæ, & Vigiliarum; adsit tamen Aula seu Cubiculum Magnum, in quo ad conversandum & ad tractanda negotia convenire possint Fratres diebus & horis statutis. In quocumque alio loco observetur Silentium, & si necessitas exigat aliquid dicendum, hoc fiat omni brevitate, qua fieri potest, ac nunquam alta voce, nec ullus Frater sine licentia Prioris ingrediatur Cellam alterius, ut perfectius servetur Silentium, exceptis tamen Vicario Generali, Priore, ejusque Vicario.

De Recipiendis ad Ordines.

XI. Nullus recipiatur ad Ordinem, nisi præmisso diligenti examine eorum omnium, quæ sanciuntur in Bulla Martini V. §. 1. Deinde ab iis, qui optant ad Ordinem admitti, exquiratur, quo spiritu & qua mente id Religionis genus elegerint, quem sibi finem proposuerint, num zelo melioris frugis & perfectionis vitæ, ut Deo, ac Dominæ Nostræ liberius famulari possint, an potius levitate vel humana aliqua ratione, aut inordinato animi motu ducantur. Exponantur deinde iis per eosdem austeritas Ordinis, abdicatio propriæ voluntatis, vilitas cibi & potus, Vigiliæ nocturnæ, & his similia; & si non cognoscatur in eis singularis Dei Amor, ac peculiaris devotionis sensus in Beatissimam Virginem, non recipiantur, & si nobilitate præfulgeant; si vero sint illi comperti; & post quindecim dies perseveraverint in proposito ingrediendi Religionem, si pro Clericis cupiunt admitti, examinentur circa studia, an saltem linguam latinam sciant, & an capaces sint in literis proficiendi: His peractis, de licentia Vicarii Generalis proponantur Discretorio prius, deinde toti Capitulo; & si primi habeatur consensus per secreta suffragia duarum partium ex tribus, & secundi habeantur vota favorabilia supra medietatem, admittantur ad Habitum & ad Novitiatum, servando ea omnia, quæ præscribuntur in Bulla Martini V. §. III., &, completo probationis anno, non admittantur ad Professionem, nisi habita prius fide cum juramento Magistri Novitiorum, subscripta a Patribus Discretis, postea admittantur suffragia totius Capituli, quæ si fuerint supra medietatem favorabilia, si velint, poterunt profiteri juxta modum a Martino V. præscriptum §. IV.

De Promovendis ad Sacros Ordines.

XII. In promovendis ad sacros Ordines sive minores sive majores summa diligentia est adhibenda, ut ii tantum admittantur, qui expressam Professionem emiserint, sintque bonis moribus imbuti, sufficientique literarum peritia, & aliis qualitatibus a sacris Canonibus requisitis præditi. Quare caveat Vicarius Generalis Dimissoriam ulli Fratri concedere, nisi prius habuerit testimonium juratum a Patribus Discretis circa mores ejus religiosos, & consensum duarum partium ex tribus per secreta suffragia Discretorii. Ad Subdiaconatum porro non dentur Dimissoriæ, nisi ei, qui compleverit annum vigesimum quintum, ad Diaconatum trigesimum, ad Sacerdotium trigesimum tertium; omnes vero, qui ordinabuntur in Sacris, prius septem saltem diebus antea operam dent Exercitiis spiritualibus, ut ad sacros Ordines magis ferventes accedant.

De numero Fratrum, eorumque muneribus.

XIII. Ne ex nimia multitudine oriatur confusio, in quolibet Conventu supra numerum centenarium recipi non possint Tertiarii: qui in tres partes æquales quantum fieri potest dividantur, quarum una sit Sacerdotum, altera Clericorum, postrema Laicorum. Sacerdotum munus sit Divina Officia peragere, verbum Dei annuntiare, Sacramentales Confessiones audire, aliaque omnia, quæ ad cultum Dei, & ad salutem spiritualem populorum pertinent; Quapropter adsint plures Confessarii, quorum duo vel tres qualibet die certis assignatis horis stent in Ecclesia in loco destinato ad audiendas Confessiones; In diebus autem Festivis vel Ecclesiæ vel Ordinis quinque vel sex assistant. Adsint quoque plures, qui a Patre Vicario Generali, & a Definitorio constituti sint ad prædicandum, salvis juribus Episcoporum, verbum Dei, tum in propria Ecclesia tum apud Infideles. Clericorum vero munus sit, Chorum & Sacristiam, atque ea omnia, quæ ad sacros usus pertinent, munda conservare. Et tandem munus Laicorum sit xenodochio inservire, aliaque inferiora officia peragere; ne qui Divino cultui sunt dedicati, vilibus negotiis inservire cogantur. Debeant Clerici pariter infirmis aliquando ministrare; nullo modo vero Sacerdotes, qui tamen si velint ad humilitatis exercitium, possint omnia præstare, quæsita prius facultate a patre Priore.

De particularibus Officiis.

14. Officia, quæ solis Sacerdotibus possunt competere, sunt Vicarii Generalis Prioris, ejusdemque Vicarii, Correctoris Tertiariorum in propriis Domibus degentium, itemque Correctionis Societatis Septem Dolorum B. M. Virginis, Magistri Novitiorum, Annalistæ seu Historici, Secretarii, Discretorii. Clerici vero & Laici poterunt exercere officia Sacristæ, Depositarii, Syndici, Procuratoris, & Infirmarii.

De Studiis.

15. Quia præsertim juventutem necesse est per Præceptores literis imbui, idcirco adsint Magistri, qui linguam latinam & rectoricam, si forte alicui adhuc opus esset, cumulatiùs doceant: adsint & Magistri, qui legant Theologiam Dogmaticam, Scholasticam & Moralem, & præter lectionem Theologiæ Moralis, quæ solis Studentibus facienda est, bis in hebdomada omnibus Fratribus intervenientibus lingua vernacula proponantur duo casus conscientiæ, & a Lectore casuum solvantur.

De Priore, Discretis, eorumque electione.

16. Ut omnia, prout humana permittit mortalitas, juste ac prudenter administrentur tum in spiritualibus tum in temporalibus adsit cœtus tredecim Religiosorum, qui appellabitur Discretorium: & ex his tredecim sint septem Sacerdotes, tres sint Clerici, & tres Laici, qui omnes sint in religiosis virtutibus ornatiores; In quo Discretorio tamen semper locum habebit Vicarius Generalis, Prior, & quamdiu vivant, Fundatores Conventus; Cæteri autem per schedulas eligantur a tota Communitate, ut infra dicetur. In facienda electione Prioris & Discretorum hæc methodus observetur: Die statuta pro electione omnes confiteantur peccata sua, &, qui non celebrant, sumant sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum; Deinde omnes in Ecclesia conveniant ad audiendum de eligendis sermonem a Patre Vicario Generali faciendum, & celebrata Missa de Spiritu Sancto, recitatoque hymno: *Veni Creator &c.* cum Orationibus, ut in Cæremoniali, singuli in suam Cellam se recipiant: & in schedulis, ad hunc effectum omnino similibus datis, conscribant nomen illius vel illorum, quos eligere intendunt; Deinde dato signo cum campanula, iterum omnes ad Ecclesiam convenient, & recitatis Litaniis Sanctissimæ Virginis, & Septies Antiphona: *Salve Regina*, incipiendo a senioribus & dignioribus, ponatur schedula in Calice supra Altare præparato; & positis omnibus schedulis coram omnibus, tres Scrutatores, qui vel eligentur, vel si Discretorium ex majori parte nolit eligere, erunt senior ex Sacerdotibus, senior ex Clericis, & senior ex Laicis, dato prius juramento de veritate dicenda, & de secreto perpetuò servando, legent alta voce vota, quæ a Secretario Discretorii conscribentur; at antequam vota legantur, debeant singula Vicario Generali ostendi; & illi, qui plura vota supra medietatem habuerint, intelligantur electi, & ut tales omnino habeantur, postquam confirmati fuerint signo Crucis a Vicario Generali: Electis eligendis a tota Communitate cantetur -- *Te Deum laudamus*, & omnes Fratres ad invicem sese amplectantur. Cæteri Officiales Conventus, exceptis Vicario Generali, & Vicario Conventus, qui a solo Priore est eligendus, & Correctore Fratrum & Sororum in propriis domibus degentium, in cujus electione servanda est Regula Martini V. §. 17. eligantur a Discretorio per secreta suffragia ad triennium tantùm, & non ultra ad idem officium prorogentur, nisi adsit urgentissima causa a Discretorio & Communitate approbata per secreta suffragia supra medietatem; nemoque, cum ab officio vacaverit, poterit denuo ad idem officium eligi, nisi post aliud triennium, quæ regula tamen non valeat pro Annalista seu Historico, Aromatario, & Quæstuantibus.

De Vicario Generali.

17. Cum Vicarius Generalis semper eligendus sit a Reverendissimo Patre Generali totius Ordinis biennio ante Capitulum Generale, convocetur Discretorium, quod eligat tres Religiosos præsentandos novo Generali pro eligendo novo Vicario Generali: electio prædictorum trium Religiosorum transmittatur Patri Generali existenti, subscripta a toto Discretorio, & munita sigillo tum Vicarii Generalis tum Prioris; & eadem occasione recensebuntur summa fide Patri Generali omnes qualitates tum intellectuales tum morales trium nominatorum, ut possit præsentare novo Generali electionem eorumdem, quorum pro suo libito unum eliget primo loco in Vicarium Generalem, &, eo mortuo, alterum secundo loco, &, hoc pariter forte defuncto, alterum tertio loco. Vicarius Generalis regulariter ad sexennium durabit; attamen si contigerit differri negotia novæ electionis, perseveret idem Vicarius Generalis, donec prædictæ novæ electionis, nuncius ad Brasilias, Conventumque Urbis S. Salvatoris pervenerit; &, ne in quocumque eventu remaneant Fratres in Brasiliis sine Vicario Generali, si contingeret omnes tres nominatos e vivis eripi, Prior Conventus Civitatis S. Salvatoris vices gerat Vicarii Generalis, assumendo titulum & sigillum, quod officium si peragere recusaverit, sententiam excommunicationis incurrat; & permaneat in dicto officio usque, dum sciatur canonice nova electio Vicarii Generalis, facienda modo prædicto a Patre Generali; & in hoc casu Discretorium eligat novum Priorem, qui in officio permanebit pro tempore dumtaxat, quod requiritur ad complendum triennium Prioris assumentis Vicariatum Generalem. Habeat Vicarius Generalis sigillum, in quo impressum sit stemma Religionis, & circumductæ sint hæ literæ -- *Sigillum Vicarii Generalis Tertii Ord. Servorum B. M. Virginis in Brasiliis* --.

De Administratione Bonorum.

18. Ut secure conserventur pecuniæ Conventus, adsit capsa tribus clavibus clausa, quarum una sit apud Priorem, altera apud Depositarium, & altera apud Syndicum; & a prædicta capsa extrahi non poterunt pecuniæ pro expensis faciendis, nisi de consensu Discretorii, cujus ordinationes omnes registrentur in libro peculiari, in quo etiam notetur, quid quid e capsa extrahitur, & quidquid ibi ponitur: illud advertendo, ut pro expensis faciendis sine facultate ejusdem Discretorii nihil fiat a Procuratore vel Syndico, qui singulis quibusque mensibus rationem reddent toti Discretorio, & Capitulo redituum & expensarum.

De Conservatoribus.

19. Si contigerit, quod Conventus seu Xenodochia possideant domus, prædia, & bona immobilia, & propter hæc lites oriantur, caveant Tertiarii, ne litigaturi coram Tribunalibus compareant; sed solùm, ne prædicta bona incau-

te amit-

te amittantur, eligi debeant duo Conservatores, quorum unus saltem sit in dignitate ecclesiastica constitutus, alter ex nobilioribus Civitatis, ad quos pertineat jura Conventus defendere: quibus proinde in communis grati animi testimonium concedi poterit participatio bonorum spiritualium Ordinis; & deinde quolibet anno vel in die solemnitatis Septem Dolorum Beatæ Mariæ Virginis vel septem Beatorum Patrum Fundatorum aliquod aliud munus dignum Religiosis hominibus.

De Visitatoribus.

20. Prior quolibet mense unà cum duobus Discretis visitet Ecclesiam, Sacristiam, Conventum Monialium, & Xenodochium. Item quolibet mense, si Conventus unquam teneretur oneribus Missarum, congreget Discretorium, ut revideantur libri horum onerum tum perpetuorum tum manualium; omnesque celebrantes quotidie, celebrata Missa, in dictis libris se subscribant, ut clare & distincte videri possit, an sint onera satisfacta. Item Vicarius Generalis quolibet anno visitet Conventum tum Fratrum tum Sororum, Ecclesiam, Sacristiam, libros satisfactionis Missarum, libros introitus & exitus Conventus, audiatque omnes Fratres, an habeant aliquid significandum pro publico bono, gloria Dei, & Ordinis augumento.

De Infirmis.

21. Fratres infirmi non ponantur in xenodochiis, sed in alio loco in Conventu ad hunc finem præparato, ubi visitentur sæpe a Priore, & a singulis Fratribus, eisque omnia, quæ opus sunt etiam commoda, singulari charitate ministrentur.

De Conventibus erigendis.

22. Si progressu temporis erigendi sint alii Conventus Tertiariorum Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis, non possint erigi sine consensu Discretorii Conventus Civitatis S. Salvatoris, & Vicarii Generalis in Brasiliis existentis, cui sicut ex Reverendissimo Patri Generali subjecti sint, si erigantur; teneanturque ad omnes eas leges servandas, ad quas tenetur Conventus S. Salvatoris, qui sicut & cæteri soliciti valde sint, ut numerus Tertiariorum, qui recipiuntur, sit juxta vires Conventuum, itaut in vita perfecta communi commode substentari valeant, attentis propriis reditibus, & eleemosynis Fidelium.

De Sororibus.

23. Quidquid dictum est de Fratribus Tertiariis, intelligendum est quoque, proportione servata, de Sororibus, quibus quolibet triennio assignabuntur a Discretorio Priorissa, cæteræque Officiales. Teneantur Sorores, quæ norunt legere, divinum Officium in Choro recitare, quemadmodum & officium Beatæ Mariæ Virginis, dicantque quotidie Coronam Septem Dolorum ejusdem Sanctissimæ Virginis. Si Xenodochium mulierum vel Conventus Sororum habet bona immobilia, hæc sint communia cum iis Conventus Fratrum, & Xenodochii Virorum; omniaque ista etiam ministrari debent a Discretorio, quod pariter curam habebit, ut de omnibus ipsas Sorores provideat: quæ in cellis eadem habebunt, quæ habent Tertiarii. Non possint Sorores præter necessitatem, a Patre Vicario Generali, Priore, & Confessario approbandam, nedum alloqui viros extraneos, immo neque mulieres, exceptis patre & matre, & tunc sermo fiat coram alia Sorore ad arbitrium Priorissæ, & faciebus coopertis. Si quæ pro aliqua indigentia, opus sit, tractare Patrem Vicarium Generalem, Priorem, vel Confessarium, hoc præstetur (si fieri facile potest) in scriptis: Quod si commode fieri non possit, tunc mutuo quidem se se alloquantur, sed brevius quàm possunt, considerata re pertractanda.

De transgressionibus Constitutionum.

24. Si reperiantur inter Fratres & Sorores transgressores harum Constitutionum, a Priore & Priorissa respective puniantur iis pœnis, quæ a Vicario Generali, & Discretorio simul determinabuntur; & si contigerit aliquem Fratrem vel Sororem juxta Constitutionem Martini V. §. 19. ejici ab Ordine, ea die omnes tum Fratres tum Sorores jejunent in pane & aqua, & nocte sequenti acerbiorem longioremque solitâ disciplinam faciant, Deum rogantes, ut expulsum vel expulsam illuminet, tangatque ejus cor: qui vel quæ, si progressu temporis non ambigua dederit veræ pœnitentiæ & emendationis signa, iterum arbitrio Vicarii Generalis recipi possit, ea lege tamen, ut adsit consensus per secreta suffragia duarum partium ex tribus, deinde totius Communitatis; & receptus sive recepta eodem modo confideretur, ac si nunquam prius ordinem introisset.

De Constitutionibus.

25. Nemo tandem audeat aliquid contrarium his legibus seu regulis constituere; si quæ unquam statueretur, nullius sit prorsus roboris ac momenti. Possit tamen aliquid præter istas addi ad promovendam magis pietatem in Beatissimam Virginem, ac Evangelicam perfectionem; sed id non habeat legis vigorem, nisi propositum primo sit a Vicario Generali, deinde accceptatum per omnia secreta suffragia totius Discretorii, post per suffragia secreta duarum partium ex tribus Capituli Conventualis, demum confirmatum auctoritate Vicarii Generalis, & postremo a Reverendissimo Patre Generali: ad cujus usque confirmationem publice in Conventu promulgatam poterit quidem in usu poni ad tempus, si id expedire videatur Discretorio & Capitulo; sed non haberi ut lex obligans, usque dum hoc declaret Reverendissimus Pater Generalis.

Petita Apostolica confirmatio.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, prædictus Uguccio Maria Constitutiones hujusmodi, quò firmius subsistant, ac serventur exactius, Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri, summopere desideret; Nos, ipsum Uguccionem Mariam specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes & absolutum fore censentes, supplicationibus, ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, Constitutiones præinsertas auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos tam juris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Quæ concedituir.

§. 3. Decernentes, easdem præsentes literas firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat & pro tempore

Præsentium Literarum firmitas.

quandocumque ſpectabit, in omnibus & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari; Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio obſtantium.

§. 4. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis; necnon, quatenus opus ſit, ſupradicti Ordinis, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis, ac ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Fides Tranſumptorum.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique locorum habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 17. Februarii 1734. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

CXXX. Confirmantur Statuta, pro bono regimine Eccleſiæ S. Joannis Baptiſtæ Nationis Florentinæ de Urbe edita.

Dat. die 20. Martii 1734. Pont. An. IV.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

AD paſtorale faſtigium, meritis licèt impares, evecti illa, quæ pro ſalubri Eccleſiarum & Locorum piorum quorumcumque almæ Urbis Noſtræ directione provide conſtituta eſſe noſcuntur, ut firma ſemper atque inviolabilia perſiſtant, Apoſtolici muniminis præſidio, cum id a Nobis petitur, libenter conſtabilimus.

SS. D. N. in minoribus cum eſſet Eccleſiæ hujus demandata Viſitatio:

§. 1. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Officiales & Deputati Congregationis, quam ſecretam appellant, Eccleſiæ S. Joannis Baptiſtæ Nationis Florentin. de eadem Urbe, quòd, cum aliàs Nobis, dum Cardinalatus honore fungebamur, dictæ Eccleſiæ, illique, dudum a fel. record. Leone PP. X. Prædeceſſore Noſtro annexæ, Societatis Pietatis nuncupat., necnon Hoſpitalis Nationis præfatæ Viſitatio per rec. mem. Clementem PP. XI. Prædeceſſorem etiam Noſtrum injuncta fuiſſet, ac die 28. Novembris 1729. prædictum quoque Hoſpitale perpetuò eidem Eccleſiæ univerimus, novamque normam ſeu methodum, quibus Eccleſia, Societas, & Hoſpitale hujuſmodi deinceps regenda & adminiſtranda forent, præſcripſerimus: omnia verò per Nos geſta a piæ mem. Benedicto PP. XIII. ſubinde approbata & confirmata fuiſſent, prout in ipſius Benedicti Prædeceſſoris cedula motu proprio die 25. menſis Decembris ſubſequentis deſuper expedita, cujus tenorem præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſo & inſerto haberi haberi volumus, plenius continetur: licetque præmiſſa ſic per Nos diſpoſita executioni demandata fuerint; quia tamen experientia compertum fuit, pro felici proſperoque memoratorum trium Locorum piorum regimine ac gubernio aliqua alia ordinanda & ſtabilienda fore: ipſi vero Exponentes unà congregati, ac re diu matureque perpenſa quædam nova Statuta ſeu Capitula impoſterum ſervanda unanimi conſenſu ediderunt, tenoris, qui ſequitur, videlicet:

A Deputatis alia Statuta edita.

Per eumdem ei unitum Hoſpitale.

Et præſcripta Statuta.

Nuovi Capitoli & Ordini da oſſervarſi per il buon governo e regolamento della Chieſa di San Giovanni Battiſta della Nazione Fiorentina di Roma, e dello Spedale, e Compagnia della Pietà a quella uniti.

I. Si devino ridurre gli Uffiziali, che compongono la Congregazione ſegreta dal numero di ventiquattro, quanti ne ſono nominati nel Motu proprio della ſan. mem. di Benedetto XIII. ſegnato li 15. Decembre 1729., al numero di diciotto, e ſaranno nel avvenire il Prelato, il Conſolo, il Governatore della Compagnia, il Soprintendente dello Spedale, il Proveditore, il Segretario, due Conſiglieri del Governatore, due Deputati nella Chieſa, due Deputati ſulle liti, quattro Deputati allo Spedale, e due Operaj, che ſaranno ancora deputati ſopra le Tenute.

II. Che ſempre, quando ſi doverà fare rendere conto all' Eſattore Computiſta o altro Miniſtro, ſi devino deputare dalla Congregazione ſegreta due Uffiziali della medeſima per aſſiſtere a ricevere detto rendimento de' conti, e tale rendimento ſi debba fare almeno ogni due anni.

III. Che mancando per morte o aſſenza alcuno degli Uffiziali, che compongono la Congregazione ſegreta, queſta abbia la piena facoltà di eleggere e ſurrogare altra perſona, che continui nello Uffizio, e intervenga nella detta Congregazione ſegreta per tutto quel tempo, che averebbe dovuto continuare il morto o l' aſſente; e queſta elezione ſi faccia nel modo e forma, che ſi fa quella del Prelato, ad eſcluſione però del Governatore, e de' ſuoi due Conſiglieri, che mai doveranno farſi dalla ſola Congregazione ſegreta, neppure quando anche veniſſe il caſo della ſorrogazione temporanea per morte o aſſenza.

IV. Che le nomine degli Uffiziali o Deputati debbano farſi dalli quattro Uffiziali Maggiori, cioè Prelato, Conſolo, Governatore della Compagnia, e Soprintendente allo Spedale, che ſi troveranno perſonalmente preſenti nella Congregazione ſegreta, eſcluſi ſempre gli Aſſiſtenti, e tra queſti ſi deve ſempre venire alla nomina di detti Uffiziali o Deputati coll' appreſſo ordine, cioè, Se per eſempio ſi doveranno nominare dodici perſone, devino li quattro Uffiziali Maggiori nominarne tre per uno: ſe tredeci, quattro il Prelato, e tre gli altri: ſe quattordeci, il Prelato ne nominerà quattro, altre quattro il Conſolo, e tre gli altri. E queſto ordine e regola ſi deva oſſervare per tutti gli altri caſi di nomine, con avere ſempre riguardo tra detti Uffiziali Maggiori alla precedenza di uno per l' altro.

V. Che riſpetto alli ſoggetti da nominarſi agli Uffizii dalli detti quattro Uffiziali Maggiori, per dopoi proporli alla Congregazione Generale, debba il numero de' nominati augumentarſi per li due terzi; e di queſto numero così augumentato doverà la Congregazione ſegreta includerne due terzi con fare correre la buſſola, e aver riguardo alla pluralità de' Voti: e queſti due terzi, che reſteranno incluſi, ſi doveranno mandare alla Congregazione Generale, dalla quale parimente per buſſola ſi dovera includere

Quæ a Benedicto XIII. confirmata fuerunt.

quella

quella metà, che averà maggiori Voti; come per esempio, dovendosi eleggere cinque Uffiziali, se nè doveranno a nomina delli quattro Uffiziali Maggiori proporre quindeci nella Congregazione segreta, e questa dovrà includerne dieci, con mandare successivamente questi dieci così inclusi alla Congregazione Generale, dalla quale doveranno includersi, ed eleggersi cinque, cioè quelli cinque, che corsa la bussola si troveranno avere maggiore numero di Voti.

VI. Che tutti gli Uffiziali da eleggersi dalla Congregazione segreta, o da nominarsi da questa ed eleggersi dalla Generale, debbano essere Fratelli della Compagnia della Pietà, compresavi anche la Persona del Prelato.

VII. Che attesa l'unione dello Spedale fatta alla Chiesa, la quale dovrà sempre avere il suo pieno effetto, si osservi con la dovuta vigilanza, puntualità e carità la ospitalità verso degli Infermi a tenore della pia mente de' Testatori; e per maggiormente adempire alla medesima ospitalità essendosi creduto necessario di ampliare la fabrica dello Spedale, subito, che questa sarà perfezionata, devino riceversi tutti quegli ammalati Nazionali, de' quali esso Spedale dentro le forze dell' entrate sarà capace; e a questo effetto doverà dal Computista tenersi conto delle rendite e pesi dello Spedale; con che però li depositi, da farsi in Monte di Pietà o Banco di S. Spirito devino sempre farsi in nome commune, cioè sotto nome della Chiesa, Compagnia della Pietà e Spedale di San Giovanni de' Fiorentini.

VIII. Che la detta Ospitalità sia sempre privilegiata e privilegiatissima, ed anche potiore e anteriore a qualunque altra occorrenza della Chiesa e Compagnia, che richiedesse spesa; anzi per meglio provedere alla detta Ospitalità anche per li casi repentini, doveranno restare sempre vincolati per detta Ospitalità quattro luoghi di Monte; e sempre che una o più volte per urgenza di adempire alla detta Ospitalità si dovessero li medesimi alienare, debba con la maggiore sollecitudine possibile reintegrarsi l' investimento con la compra di altri quattro luoghi, da stare sempre coll' istesso speciale vincolo e peso.

IX. Che la conferma degli Uffiziali amovibili sia in piena libertà della sola Congregazione segreta di poterla fare a biennio, senza che la Congregazione Generale abbia facoltà alcuna di potere fare ulteriori conferme; E a questo effetto nel fine di ciaschedun biennio si doverà proporre nella Congregazione Segreta la conferma distintamente e singolarmente di ciascuno Uffiziale, con fare correre la bussola e partito distinto sopra di ciascheduno soggetto; la conferma però del Governatore debba farsi dalla detta Congregazione segreta per un' anno solamente, e debba mandarsi ciascheduna volta alla Congregazione Generale, acciocchè confermi o rigetti la detta conferma secondo il maggiore numero de' Voti.

X. Che nelle nuove Elezioni degli Uffiziali o Deputati possano essere nominati dalli quattro Uffiziali Maggiori anche quelli soggetti, che naturalmente doverebbero uscire da uffizio.

XI. Che nell' Elezione del deputato Fornaro, siccome quelli, che attualmente sono *padroni de' Forni in Roma*, o pure sono stati Padroni, e li loro Figliuoli, che abbino esercitato il mestiero nel forno del *Padre*, *devano essere preferiti*, conforme si dispone nel Cap. 31. e 32. dello Statuto della Compagnia; così trovandosene quattro, ne' quali concorrino, e abbiano giustificato li suddetti requisiti al Sopraintendente dello Spedale, doveranno questi essere proposti alla Congregazione segreta, la quale per bussola ne includerà due, avuto riguardo alla pluralità de' voti; e questi così inclusi doveranno successivamente proporsi alla Congregazione Generale, la quale parimente per bussola includerà per deputato quello, in cui caderà la pluralità de' voti. Se poi vi fusse un solo Fornaro, in cui concorressero li suddetti requisiti, questo dovrà essere il Deputato senza altra Elezione, sempre che averà giustificati li requisiti al Soprintendente; ed il medesimo, dopo che averà esercitato per due anni, doverà uscire da uffizio, ancorche non vi sia altro esercente; nè potrà rientrare in carica, che dopo la vacanza di uno anno. Se poi li Fornari, che averanno giustificati li suddetti requisiti al Soprintendente, saranno due o tre, doveranno i nomi di questi porsi in una borsa, e nella Congregazione segreta estrarne uno a sorte. E dandosi il caso, che non vi sia alcun Fornaro, in cui concorrano li suddetti requisiti, allora dalli quattro Uffiziali Maggiori si doverà venire alla nomina di quattro Fratelli della Compagnia, e di questi la Congregazione segreta doverà eleggere per bussola e voti segreti due, da mandarsi successivamente alla Congregazione Generale, dalla quale con la maggioranza de' voti doverà eleggersene uno.

XII. Venendo il caso di doversi eleggere il Prelato, si doveranno nominare quattro soggetti dalli quattro Uffiziali Maggiori, quando il Prelato, che finisce o lascia la carica o si assenta da Roma, sia presente nella Congregazione segreta; Quando poi sia morto o assente, allora, comeche cessa la sua nomina, se ne doveranno nominare tre dagli altri tre Uffiziali Maggiori: e ciascheduno delli soggetti, come sopra nominati, dovrà nella detta Congregazione Segreta mandarsi a partito per bussola e voti segreti, e in chi di loro caderà la pluralità de' voti, resterà conclusa l' Elezione.

XIII. Questo Prelato eletto nel modo suddetto sarà perpetuo, sinche il medesimo non dimetta la carica, o non sia mutato dalla Congregazione secreta, oppure non abbia impiego fuori di Roma.

XIV. Che accadendo, che nella Congregazione segreta nel tempo, che si devono fare le nomine per l' elezione degli Uffiziali o Deputati, manchi uno o più delli quattro Uffiziali Maggiori, allora cresca il numero delle nomine a favore di quegli Uffiziali Maggiori, che si troveranno presenti colla regola e precedenza prescritta nel Cap. IV.

XV. Che la Congregazione segreta si raduni in San Giovanni de' Fiorentini ogni primo martedì di ciascun mese; ed essendo questo impedito, s' intimi in altro giorno non impedito più prossimo a quello, ancorche non sia martedì, ad arbitrio del Prelato, che se l' intenderà col Proveditore, purche la Congregazione si faccia ogni mese, e ne' primi giorni.

XVI. Che li presenti nuovi Ordini devino puntualmente nell' avvenire osservarsi ed eseguirsi in tutte le loro parti e casi di sopra espressi, talmente che li precedenti Capitoli riferiti e confermati nel sudetto Motu proprio della fa. mem. di Benedetto XIII. devino avere il loro vigore in quelle parti e casi solamente, alle quali con questi presenti non resta esplicitamente o implicitamente derogato: E quando mai insorgesse qualche dubio circa il senzo e intelligenza di questi presenti ordini, e li precedenti contenuti

nel ſuddetto Motu proprio, come pure qualſiſia altra difficoltà riguardante il buon governo della Chieſa, Spedale, e Compagnia, devaſi inviolabilmente attendere ed oſſervare quella intelligenza, ſpiegazione o provvedimento, che ſarà data o ſtabilita dalla Congregazione ſegreta per buſſola, e col maggiore numero de' voti, rimoſſo qualſivoglia riclamo o ricorſo.

§. 2. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dicti Exponentes nova Statuta ſeu Capitula hujuſmodi, quò firmius ſubſiſtant, & ſerventur exactius, Apoſtolicæ confirmationis Noſtræ patrocinio communiri ſummopere deſiderent; Nos ſpecialem ipſis exponentibus gratiam facere volentes, eorumque ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus, eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati, omnia & ſingula Statuta ſeu Capitula præinſerta auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac quoſcumque juris & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus.

Supradicta omnia Statuta confirmantur.

Clauſulæ.

§. 3. Decernentes, ipſa Statuta ſeu Capitula, ac præſentes literas ſemper firma, valida & & efficacia exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere; ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, inviolabiliter & inconcuſſe obſervari; illiſque reſpective in omnibus & per omnia pleniſſime ſuffragari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & alios quoslibet quacumque præeminentia & poteſtate fungentes & functuros, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Eccleſiæ Sancti Joannis Baptiſtæ, Societatis, & Hoſpitalis ſupradictorum, aliiſque quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis, ac ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 20. Martii 1734. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

Indulgentia Plenaria pro Chriſtifidelibus utriuſque ſexus, aliquam ex Eccleſiis Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Conventualium in Sancti Ludovici Francorum Regis, ac Sanctæ Eliſabeth viduæ Regis Hungariæ natæ Feſtis diebus, viſitantibus. CXXXI.

CLEMENS PAPA XII.

Dat. die 20. Martii 1734. Pont. An. IV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procœmium.

INjunctæ Nobis divinitus Apoſtolicæ ſervitutis ratio poſtulat, ut cœleſtium munerum Theſauros, diſpenſationi Noſtræ a Domino creditos, fideliter erogemus, cum id ad augendam in terris Sanctorum in cœlis cum Chriſto regnantium venerationem, excitandamque & fovendam erga illos fidelium devotionem, & ad animarum ſalutem ſperamus in Domino profuturum.

§. 1. Supplicationibus itaque dilectorum filiorum Vincentii de Comitibus Miniſtri, & Salvatoris Salandari Procuratoris, Generalium, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Conventualium nuncupatorum, nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus vere pœnitentibus & confeſſis ac ſacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis Fratrum dicti Ordinis, tam hactenus erectis quam impoſterum quandocumque erigendis, & ubicumque locorum exiſtentibus, in Sancti Ludovici Francorum Regis, ac Sanctæ Eliſabeth viduæ Regis Hungariæ natæ Feſtis diebus a primis Veſperis uſque ad occaſum Solis dierum hujuſmodi, ſingulis annis devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die prædictorum id egerint, Plenariam: Monialibus verò ſupradicti Ordinis, ac aliis in earum quolibet Monaſterio nunc & pro tempore degentibus, vere pariter pœnitentibus & confeſſis ac ſacra Communione refectis, quæ ſuam reſpective Eccleſiam in ſupradictis Feſtis diebus viſitaverint, &, ut præfertur, oraverint, Plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Conceſſio Indulgentiæ.

§. 2. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Fides Tranſumptorum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 20. Martii 1734. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

Confirmatio quarumdam Rubricarum Statuti Collegii Cauſidicorum Civitatis Ferrarien. CXXXII.

CLEMENS PAPA XII.

Dat. die 29. Martii 1734. Pont. An. IV.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. ALiàs pro parte dilecti filii Antonini Piſani, Decani Collegii Procuratorum

Petitio.

Cauſidico-

Causidicorum Civitatis Nostræ Ferrarien. Nobis supplicato, quatenus Rubricas primam, quartam, quintam, octavam, & nonam Statuti dictæ Civitatis, Collegium ejusmodi concernentes, quæ jam inde ab anno 1557. a bon. mem. Alphonso Estensi, dum vixit, Ferrariæ Duce, necnon successive anno 1559. a fel. record. Clemente PP. VIII. Prædecessore Nostro, sub certis modo & forma tunc expressis approbatæ dicebantur, auctoritate Apostolica specifice confirmare, aliaque plurima pro felici ipsius Collegii directione, majorique decore & honorificentia statuere, decernere, ac declarare dignaremur; quarum quidem Rubricarum tenor est, qui sequitur, videlicet:

Rubricæ.

Rubrica Prima.

Cum maxima pars Justitiæ, sine qua regna subsistere non possent, quinimo ea remota secundum Augustinum magna forent latrocinia, videatur esse in reddendo unicuique quod suum est, ac debitum sit; idque potissimum efficiatur apud jus reddentes in judiciis, in quibus propter hominum contentiones, meum & tuum in medio ponentium per viros juris peritos, quos Procuratores appellamus, causæ, controversiæ, lites, ac jurgia deduci solent, dignum ac necessarium arbitramur in hac amplissima nostra Republica eligi eos debere, qui recte & cum omni integritate possint ac noverint prædicta dirigere & perficere; ne passim concedentes, & sine delectu omnibus prædicta exercentibus, multa incommoda ac damna nostri patiantur subditi & incurrant, prout magistra rerum experientia sæpius edocuit; Ideo statuimus & ordinamus per hunc modum videlicet:

In primis, quod fiat Collegium Procuratorum, in quo Collegio esse debeant, & intrare possint solùm Viri docti & periti, videlicet apti ad procurandum in judiciis: qui etiam esse debeant Viri graves & morati, ac bonæ opinionis vitæ & famæ: examinandi, ut infra, approbandi & acceptandi per Judicem XII. Sapientum Civitatis Ferrariæ, Proconsules Notariorum Civitatis Ferrariæ, quorum unus sit de Cancellariis Sanctissimi Domini Nostri, & Priorem dicti Collegii Procuratorum, qui per tempora erunt; ac duos Procuratores per dictum Judicem eligendos, & cum juramentis, de quibus infra disponitur.

Rubrica Quarta.

Statuimus, quod nemo possit officium procuræ exercere pro alio in litibus & causis judicialibus in civitate Ferrariæ coram aliquo Judice, & Officiali ordinario & extraordinario, Delegato, Arbitro, Arbitratore, ac quocumque alio Judice quocumque nomine nuncupato, & quodcumque & qualecumque Tribunal causarum habeat, nisi per prius sit examinatus in iis, quæ pertinent ad exercitium & officium Procuratoris, & approbatus ac acceptatus per dictos Judicem XII. Sapientum, Proconsules, & Priorem dicti Collegii & Procuratores, quos elegerit Judex XII. Sapientum, & cum Juramento prædictorum: Quòd eis videatur idoneus, & doctus, ac sufficiens; ac fiat approbatio per suffragia secreta, & non ad voces; & quisque possit libere & juste votum suum ponere; & aliter facta nullo modo valeat approbatio: Ac etiam sit descriptus in dicto Collegio per Notarium Collegii Notariorum civitatis Ferrariæ sub pœna librarum decem marcharum, applicandarum dicto Collegio Procuratorum pro dimidia, & pro alia dimidia Massariæ communis Ferrariæ; & nihilominus Acta sint ipso jure nulla, & teneatur ad interesse Parti scilicet principali, pro quo interceserit; Volentes, quòd, taliter examinatus & approbatus, in primo anno sequenti non possit procurare in causis excedentibus summam librarum 50. marcharum; finito autem anno, possit in quacumque causa & summa procurare. Possit tamen quilibet Notarius Collegiatus in Collegio Notariorum Civitatis Ferrariæ officium Procuræ exercere absque eo, quod sit Collegiatus in Collegio Procuratorum, in causis a decem libris infra; & ipsis Notariis sic procurantibus in dictis causis solvatur pro eorum mercede arbitrio Prioris dicti Collegii Procuratorum, dummodo non excedat summam taxatam in Statutis nostris, & non ultra accipere possint etiam a sponte dantibus, sub pœna dupli ejus, quod plus acceperint, applicanda parti, a qua sic plus debito acceperint, & sub pœna librarum quinque marcharum dicto Collegio Procuratorum applicanda pro dimidia, & pro alia dimidia Massariæ communis Ferrariæ.

Rubrica Quinta.

Ne fraus fiat legi, statuimus, quòd nullus, qui non sit in Matricula Procuratorum, possit comparere pro alio coram aliquo Judice, vel judicente Tribunalia judicialiter, etiam cum Principali suo, & dicere sub nomine ejus aliqua verba spectantia ad ordinem judicii, & etiam dicere -- *Ipse sic dicit* -- in aliqua causa ordinaria ultra duas vices sub pœna quinque librarum marcharum, applicanda pro dimidia Massariæ communis Ferrariæ, & pro alia dimidia Collegio Procuratorum; & prædicta non vindicent sibi locum in conjunctis personis, quæ pro aliis conjunctis personis comparere possint.

Rubrica Octava.

Statuimus, quòd nullus, exercens officium Tabellionatus ad acta civilia vel criminalia, possit, audeat vel præsumat procurare, & officium procuræ exercere quoquo modo in judiciis ad aliquod Tribunal, seu coram quocumque Arbitro vel Arbitratore generaliter vel specialiter, sub pœna librarum decem marcharum, Collegio Procuratorum applicanda, & nihilominus Acta ipso jure sint nulla, nisi a quantitate decem librarum marcharum infra, ut supra in quarto Statuto dispositum est.

Rubrica Nona.

Cum dignum sit, ut quisque sit contentus officio suo, statuimus, quòd nullus, qui se exerceat pro Advocato, & sit in Collegio Advocatorum Civitatis Ferrariæ, possit officium Procuratoris exercere sub pœna prædicta; sic etiam e contrario nullus Procurator audeat vel præsumat exercere spectantia ad officium aut exercitium Advocati; possit tamen consilium factum exponere tempore allegationum, sub pœna librarum decem marcharum, applicanda pro dimidia Massariæ Communis Ferrariæ, & alia dimidia Collegio Procuratorum vel Advocatorum, singula singulis referendo.

Nos audita super præmissis relatione dilecti filii nostri Alexandri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis Aldobrandini nuncupati, in Civitate & Ducatu Nostris Ferrarien. nostri & Sedis Apostolicæ de Latere Legati, ejusmodi preces Congregationi particulari nonnullorum dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum a Nobis specialiter deputatorum pro voto remisimus, qui visis juribus favore prædicti Collegii deductis, ac re accurate examinata,

votum ſuum deſuper ediderunt in hunc modum, nimirum: Congregatio particularis a Sanctiſſimo Domino Noſtro ſpecialiter deputata in cauſa Ferrarien. confirmationis Statutorum ad inſtantiam Almi Collegii Procuratorum Cauſidicorum dictæ Civitatis, exquiſita pro Voto ſuper infraſcriptis novem Capitulis, nempe:

Primò: Supplicatur pro confirmatione in forma ſpecifica Statutorum Ferrariæ Rubrica 1. 4. §. 8. & 9. lib. 11., ultra generalem aliorum Statutorum omnium, & Conſtitutionum localium, ad Collegium Cauſidicorum ſpectantium:

Secundò: Pro declaratione, quòd nullus non deſcriptus in albo Procuratorum audeat vel præſumat publice aut occulte, directe vel indirecte in judicio comparere, ibique acta & inſtantias quaſcumque judiciarias aſſumere & explere, & Procuratoris munus exercere coram quocumque Tribunali vel Judice ordinario vel delegato, ſub pœna nullitatis Actorum, ipſo jure & de facto incurrendæ a quolibet etiam de Populo allegabilis; immo, quod pro allegata haberi poſſit ac debeat, ac aliis pœnis declarandis & infligendis etiam corporis afflictivis per Eminentiſſimum Legatum pro tempore.

Tertiò, Pro declaratione favore Collegii, quod ſit nobile eximium & honorabile, & pro aggregato Collegio Procuratorum Urbis, quantum ad prærogativam honoris.

Quartò, Supplicatur pro declaratione quod ultra qualitates & conditiones in litera Statuti expreſſas, admittendus ad Collegium juſtis & honeſtis natalibus procreatus eſſe debeat, juſtificandis vere & in effectu, & non præſumptive tantum, nec fictè ſcilicet per quamcumque legitimationem; Et præter hæc, quod nullus poſſit admitti, niſi fuerit, & ſit verus civis origine propria & paterna ſe Civitate Ferrariæ; quod aliqua infamia notati, ſive juris ſive facti, vel indigna actione coinquinati, vel ſuſpecti de præſenti vel de præterito, ſecluſi remaneant, & omnino incapaces aggregationis; Sicuti excludantur ii, qui vel conſanguineos vel affines in quocumque gradu habeant vel habuerint infamia taliter notatos; necnon & etiam, qui fuerint alicujus falſitatis, homicidii, vel alterius notabilis criminis rei vel proceſſati.

Quintò, quinimmo laurea doctorali inſigniti ac decorati in almo Civitatis Ferrariæ Archigymnaſio, vel alia Univerſitate famoſa, prius eſſe debeant aggregandi quoad impoſterum; Quodque in concurſu admittendorum, filii Procuratorum, nepotes, & conſanguinei, ſtatutas, & hic volitas conditiones habentes, præferri cæteris omnino debeant.

Sextò, Quotieſcumque, qui admiſſus & acceptatus fuit in Procuratorem, patraverit & admiſerit illa, quæ ſecundum ſupradicta diſpoſita ſunt impedientia acceptationis, intelligenda ſint etiam pro dirimentibus acceptationem ipſam; itaut ipſo jure & facto deletus intelligatur ab Albo, etiam ſine inſtantia partis, & nulla expectata ſententia.

Septimò, Quod facultas congregandi Collegium devoluta intelligatur Priori pro tempore, ubi requiſitus ille, ad quem de ſtilo ſpectat convocare, recuſaret, vel eſſet negligens in convocando; ſicuti in ordine exercitii ſeniori, data Prioris recuſatione vel negligentia, & ſic ſucceſſive & gradatim pro illa vice & caſu tantum &c. habito tamen ſuper præmiſſis verbo cum Eminentiſſimo Legato.

Octavò, Supplicatur pro extenſione Brevis cum clauſula, *ſublata*, firma remanente juriſdictione, quam per antea habebant Eminentiſſimus Legatus, & Prolegatus, caſu Interregni, interpretandi & judicandi Statutum in caſibus dubiis, necnon ampliata eadem juriſdictione pro interpretatione Brevis in caſibus ſimilibus, quatenus &c.

Et nono denique, quod electus & acceptatus teneatur ſtatim in manibus D. Judicis Sapientum præſtare juramentum ſub præciſa forma ſequenti:

Juro Ego N. N. per Sanctiſſimam Trinitatem & ad Sancta Dei Evangelia, me in iis, quæ a ſacris Canonibus, & ſacroſancta Oecumenica Tridentina Synodo ſtatuta & definita ſunt, neque nunc in aliquo diſſentire, neque ullo unquam tempore diſſenſurum: hæreticis omnibus, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ non communicantibus ſemper adverſaturum: veram & germanam obedientiam Summo Romano Pontifici, ejuſque & Apoſtolicæ Sedis Legatis Prolegatiſque perpetuo præſtiturum: lites, quas vere injuſtas fore exiſtimaverim, nunquam ſuſcepturum & ſuſceptarum, quas tales cognoverim, patrocinium deſerturum: leges omnes, ſtatuta, conſtitutiones, & decreta de nobis aut officio noſtro diſponentia, & præſertim, quæ ab Eminentiſſimo & Reverendiſſimo Domino Cardinale Legato condita fuerint, ſemper inviolabiliter obſervaturum.

Congregata in Palatio Apoſtolico Quirinali, & manſionibus R. P. D. Paſſari ejuſdem Sanctiſſimi Auditoris die 30. Auguſti 1733., viſis juribus, deductis favore prædicti Collegii a Franciſco Pallearino in Ferrarienſi Archigymnaſio J. U. D., atque in eodem Cauſidicorum Collegio Profeſſore, ejuſdemque Collegii defenſore, reſpondit, ut infra:

Quoad primum Capitulum, Statutum quoad quinque Rubricas eſſe confirman. in forma ſpecifica.

Quoad ſecundum Capitulum, Rubric. 4. ſatis proviſum per Statutum.

Quoad tertium, non eſſe admittendum.

Quoad quartum, reſtringendam eſſe excluſionem ad ſpurios, & alios ex damnato coitu progenitos, & hoc per viam novæ diſpoſitionis, ſine alia additione verborum. Quoad requiſitum Civilitatis non eſſe admittendam petitionem, & in reliquis reſtringendam eſſe petitionem ad illos, qui per Judicialem ſententiam ſint excommunicati, aut aliqua infamia notati, vel alicujus falſitatis, homicidii, aut alterius capitalis criminis rei.

Quoad quintum, reſtringendam eſſe petitionem ad laureatos in quacumque publica Univerſitate quoad admittendos impoſterum.

Quoad ſextum, non eſſe admittendam petitionem.

Quoad ſeptimum, audiatur Judex duodecim Sapientum.

Quoad octavum, eſſe admittendum.

Quoad nonum & ultimum, eſſe admittendum.

Ita eſt.

P. Aldrovandus Patriarcha Hieroſolymitanus Sacræ Rotæ Decanus, & unus ex Judicibus deputatis in Congregatione, a Sanctiſſimo Domino Noſtro deputata.

Carolus Albertus Archiepiſcopus Philipenſis, utriuſque Signaturæ Votans, & unus ex Judicibus, ut ſupra, deputatis.

Marcellus Archiepiſcopus Nenzianzenus Sanctiſſimi Domini Noſtri Auditor, unus ex Judicibus, ut ſupra, deputatis &c.

N. Corius Sacræ Rotæ Auditor alter ex Judicibus deputatis.

S. Cincius alter ex deputatis, ut ſupra.

Jo. Baptiſta Recemei Cam. Apoſtolicæ Clericus, & unus ex Judicibus deputatis.

§. 2. Cum autem, ſicut idem Antonius Nobis nuper exponi fecit, ipſe ſupradicto Collegio opportune in præmiſſis a Nobis provideri, &, ut infra, indulgeri ſummopere deſideret; Nos ipſum Antonium ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis,

ſuſpen-

suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, quinque Rubricas præinsertas Statuti Civitatis Ferrarien. auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac quoscumque juris & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, in reliquis vero omnibus & singulis votum quoque præinsertum dictæ Congregationis particularis cum in eo contentis auctoritate & tenore præfatis approbamus, ratumque habemus, ac servari volumus & mandamus.

Prædictæ Rubricæ confirmantur.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes, easdem præsentes literas semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat & pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ prædictæ Cardinales, & alios quoslibet quacumque præeminentia & potestate fungentes & functuros, sublata eis & eorum cuilibet aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate; salva tamen memorata jurisdictione pro tempore existentis in Civitate & Ducatu Ferrarien. hujusmodi Sedis Apostolicæ de Latere Legati & Prolegati, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon Civitatis & Collegii præfatorum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis;

§. 5. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 29. Martii 1734. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

CXXXIII. Declaratur Breve Alexandri VII. circa Votum in Provinciis Ord. Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia Commissarii Generalis Curiæ, ac Procuratoris Generalis eorumdem Fratrum Reformatorum Familiæ Cismontanæ.

Dat. die 12. Aprilis 1734. Pont. An. IV.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Cajetanus a Laurino Commissarius Curiæ Fratrum Minorum de Observantia, ac Petrus Paulus a Cirignola Procurator Generalis eorumdem Fratrum Reformatorum respective nuncupatorum pro familia Cismontana Ordinis Sancti Francisci, quod dudum fel. record. Alexander PP. VII. Prædecessor Noster per quasdam suas in simili forma Brevis die 4. Decembris 1662. expeditas literas omnibus & singulis Commissariis Curiæ, ac Procuratoribus Generalibus Fratrum Minorum tam de Observantia, quam Reformatorum familiæ Cismontanæ, ac Ordinis hujusmodi, qui sua respective officia triennii continui spatio gessissent, indulsit, ut depositis eisdem officiis suffragium, sive votum perpetuum consultivum & decisivum in quibusvis Capitulis, & Congregationibus suæ cujusque Provinciæ dicti Ordinis habere & ferre possent.

Breve Alexandri PP.

§. 2. Cumque subinde tunc in humanis agenti Antonio a Campobasso, Fratri expresse professo dicti Ordinis Minorum de Observantia, qui officio Procuratoris Generalis in Curia Romana functus fuerat, mota fuisset quæstio super fruitione ejusmodi voti perpetui, & quod officium præfatum triennii completi spatio minime gessisset, habito pro parte ipsius Antonii recursu ad bon. mem. Alderanum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Cibo nuncupatum, dum viveret, prædicti Ordinis apud Sedem Apostolicam Protectorem, pro opportuna declaratione obtinenda, negotioque per ipsum Alderanum Cardinalem Protectorem quondam Petro Marino, tunc temporis Ministro Generali dicti Ordinis remisso, ut pro munere suo desuper provideret, idem Petrus Minister Generalis consultis prius aliquot ex gravioribus Fratribus de Observantia, ac Reformatis præfati Ordinis, ac ponderatis eorum allegationibus, die 19. Aprilis 1687. de illorum consilio ac voto decretum edidit, quo declaravit & definivit supradictum Antonium, & si per spatium continui triennii completi officium Procuratoris Generalis istiusmodi non obiisset, sed per continuum triennium inceptum dumtaxat exercuisset, nihilominus vere & ad sensum præfatarum literarum Alexandri Prædecessoris tempus in eis præscriptum expleviisse, adeoque ei competere ac deberi votum perpetuum ad formam earumdem literarum, ac super ejusmodi controversia silentium imposuit, & aliàs, prout in decreto præfato, cujus perinde, ac dictarum Alexandri Prædecessoris literarum tenores, præsentibus pro plene & sufficienter expressis & insertis haberi volumus, uberius continetur.

Quomodo observatum fuerit posterioribus temporibus.

§. 3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, nonnulli postmodum Commissarii, ac Procuratores Generales respective dicti Ordinis, qui triennium præfatum non absolverant, ignari decreti hujusmodi, aut ad majorem & abundantiorem cautelam gratias identidem a Sede Apostolica impetrarint cum clausula, perinde ac si integrum triennium complevissent, seu munere istiusmodi per integrum triennium functi fuissent, ipsi Exponentes quamcumque dubitationis & contentionis, quæ exinde aut aliàs quomodolibet super intelligentia & interpretatione dictarum Alexandri Prædecessoris literarum enasci possent, occasionem submoveri plurimum desiderant; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut opportune in præmissis providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur dictos Exponentes specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati,

Confirmatur, & declaratur.

nati, enarratas Alexandri Prædeceſſoris literas, quibus prædictis Commiſſariis Curiæ, & Procuratoribus Generalibus familiæ Ciſmontanæ, qui ſua reſpective officia triennii continui ſpatio geſſerunt, ſuffragium ſive votum perpetuum attribuitur, ſicut præmittitur, juxta decretum a memorato Petro Miniſtro Generali editum, de triennio incæpto, dummodo tamen ipſum triennium incæptum ſit continuum, & non interpolatum per notabile temporis ſpatium, intelligendas eſſe & fore, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ſtatuimus & declaramus; Sicque per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Definitoris ſcilicet & Diſcreti aſſignantur.

Obſtantium derogatio.

§. 4. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, Ordinis præfati, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis, ac ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 13. Aprilis 1734. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

CXXXIV. Confirmatur concordia ſuper aſſignatione duorum Magiſteriorum Ordinis Fratrum Eremitarum ſancti Auguſtini Provinciæ Bethicæ ex quadraginta ſupranumerariis.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. die 10. Maji 1734. Pont. An. IV.

§. 1. EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Didacus Salinas Aſſiſtens Generalis Hiſpaniarum, ac Procurator totius Provinciæ Bethicæ Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini, in Sacra Theologia Magiſter, quod inter dilectum pariter filium Nicolaum Antonium Schiaffinati Priorem Generalem ejuſdem Ordinis, ac dictam Provinciam Bethicam emanavit concordia, qua ex quadraginta Magiſtris ſupranumerariis, idem Nicolaus Antonius Prior Generalis, obligando pro ſe ſuiſque reſpective ſucceſſoribus, præfatæ Provinciæ Bethicæ duo tantum Magiſteria pro ſuis Vocalibus, nempe Definitore ac Diſcreto ad Capitulum Generale venientibus, aſſignare debeat, & quod ipſamet Provincia dua Magiſteria hujuſmodi ex dictis quadraginta acceptare ſe obliget cum pacto, quod aliud vel alia pro dicta Provincia non aſſignentur, & alias, prout plenius continetur in ſcriptura deſuper confecta tenoris, qui ſequitur videlicet:

In Nomine Domini. Amen.

Tenor Concordiæ, qua Provinciæ Bethicæ duo Magiſteria

Præſenti publico concordiæ Inſtrumento cunctis ubique pateat evidenter, & notum ſit, quod anno ab ejuſdem Domini Noſtri Jeſu Chriſti ſalutifera nativitate milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo tertio, Indictione undecima, die vero nona menſis Octobris, Pontificatus autem Sanctiſſimi in eodem Chriſto Patris, & Domini Noſtri, Domini Clementis divina providentia Papæ XII. Anno ejus Quarto.

Cum fuerit, & ſit (prout mihi Notario ab infraſcriptis partibus affirmatur) quod aliàs & ſub die 6. menſis Maji anni 1726. obtentum fuerit a fel. record. Sanctiſſimo Domino Noſtro PP. Benedicto XIII. quoddam Breve, cujus virtute quilibet Reverendiſſimus Pater Generalis Ordinis Eremitarum S. Patris Auguſtini poterat creare in Provinciis ultra Italiam quadraginta Magiſtros ſupranumerarios, qua de re Provincia Bethica ejuſdem Ordinis, volens impedire inconvenientia & detrimenta, quæ ex nimia Magiſtrorum multiplicatione in dicta Provincia fuerat experta, obtinuerit ab eodem fel. record. Sanctiſſimo D. N. Benedicto XIII. aliud Breve, quod incipit -- *Exponi Nobis* -- ſub datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 11. Januarii 1727. per quod numerus duodecim Magiſtrorum, quem pluribus annis habuerat, auctus fuerit ad triginta, cum prohibitione ſupernumeralium impoſterum -- Sitque pariter, quod cum per hanc prohibitionem videretur derogari facultati prædictæ Patrum Generalium præcitati Brevis, quoad memoratam Provinciam Bethicam: Reverendiſſimus Pater Generalis poſtea obtinuerit declarationem ſub die 11. menſis Septembris dicti anni 1727. ab ipſomet fel. record. Sanctiſſimo Domino Noſtro Benedicto, in qua ipſe Sanctiſſimus declaraverit, quod per illud Breve, Provinciæ Bethicæ præfigens numerum triginta Magiſtrorum, non derogaretur illi facultati, Reverendiſſimis Patribus Generalibus primo conceſſæ pro conſtituendis quadraginta Magiſtris ſupra numerum extra Italiam -- Sit ulterius, quod ex prædictis omnibus ortum fuerit, quod ex una parte Reverendiſſimi Patres Generales optent ſervare ſuam facultatem creandi quadraginta Magiſtros ſupranumerales in Provinciis Ultramontanis, & illa uti in illis ac per conſequens, & in ipſa Provincia Bethica, & ex alia parte dicta Provincia Bethica optet non gravari pluribus Magiſtris ultra dictum numerum, ne ulterius pateretur eadem incommoda & detrimenta, quæ primum fuit perpeſſa, propterea-que ad ea vitanda obtinuerit augmentationem numeri duodecim Magiſtrorum ad numerum triginta a dicto fel. record. Sanctiſſimo Domino Noſtro Benedicto XIII. per ſupracitatum Breve, ut ſemper gauderet impoſterum prohibitione Magiſtrorum ſupranumeralium ob varia incommoda, ipſi Sanctiſſimo expoſita; Unde ſi nunc ſupradictum numerum triginta Magiſtrorum alios ſupernumerales ſine limitatione acciperet, non ſolum ad præterita rediret incommoda, ſed in deteriori conditione, ac antea erat, remaneret.

Verum cum nunc dicta Provincia Bethica deſideret duo tantum Magiſteria ſupra numerum trigeſimum pro ſuis Vocalibus, nempe Diffinitore & Diſcreto Capituli Generalis, ut poſſit reperire viros idoneos & graduatos, qui velint arripere iter ita longum, difficile, & graviſſimis expenſis (ex majori parte a dictis Vocalibus faciendis) oneratum, ut eſt a Provincia Bethica uſque ad Italiam, qui certe non erunt, ſi priventur ſpe præmii Magiſterii, hac de cauſa & ad tollendas alias diſſentiones, difficultates, & inconvenientia, decreverit devenire cum Reverendiſſimo Patre Generali ad infra referendam compoſitionem & concordiam, videlicet.

I. Quod dictus Reverendiſſimus Pater Gene-

ralis

ralis ex quadraginta supracitatis Magisteriis se obliget pro se & successoribus, ac ipsa Religione assignare, duo Magisteria dictæ Provinciæ Bethicæ pro suis Vocalibus, nempe Diffinitore & Discreto ad Capitulum Generale venientibus, cum pacto non assignandi alia Magisteria pro dicta Provincia Bethica.

II. Quod ipsa Provincia Bethica se obliget acceptare prædicta duo Magisteria ex dictis quadraginta supracitatis, cum prædicto pacto, quod non assignentur aliud vel alia pro ipsa, a quovis Reverendissimo Patre Generali, ne eadem patiatur incommoda & detrimenta; Et volentes super præmissis publicum conficere Instrumentum: hinc est, quod -- In mei Notarii publici, & testium infrascriptorum præsentes & personaliter existentes, Reverendissimus Pater Magister Regens Fr. Nicolaus Antonius Schiaffinati Neapolitanus Generalis Ordinis Eremitarum Sancti Augustini ex una, & Admodum Rev. P. Lector Fr. Franciscus Candiotti, uti Procurator dictæ Provinciæ Bethicæ, prout ex Instrumento publico mandati procuræ in ejus personam facti, & ab idiomate hispanico in italicum traducti, quod hic inseritur tenoris &c. prout in eo ex altera partibus ambo mihi &c. cogniti, asserentes, & medio juramento tactis pectoribus more sacerdorali affirmantes, omnia & singula, superius expressa & narrata, vera fuisse & esse, eaque pro talibus, & tamquam talia modo ratificantes & approbantes, in eorum igitur executionem eorum sponte &c. nominibus, quibus supra, respective, per viam amicabilis transactionis, compositionis, & concordiæ, ac aliàs omni meliori modo &c. renunciarunt imprimis & ante omnia cuicumque privilegio, prælationi, aliisque juribus & rationibus quibuscumque, eisdem quomodolibet competentibus circa præmissa, quibus omnibus nullo unquam tempore contra præsens Instrumentum uti velle ad invicem promiserunt & declararunt in judicio, nec extra, libere &c. ita quod &c. alias &c. Et prosequendo dispositivam stabilitæ concordiæ per viam ejusdem, prædictus Reverendissimus Pater Generalis promisit, seque solemniter obligavit pro se & ejus successoribus, assignare ex dictis quadraginta Magisteriis duo Magisteria pro Diffinitore & Discreto, a dicta Provincia Bethica missis ad Capitulum Generale, quin pro dicta Provincia possit aliud, vel alia ex dictis quadraginta Magisteriis assignare; aliàs ad omnia & singula damna &c. de quibus &c. quia sic &c. -- Et e contra prædictus admodum Rev. Pater Lector Franciscus Candiotti, uti dictæ Provinciæ Procurator per eamdem viam amicabilis *transactionis*, compositionis, & concordiæ, ac omni &c. acceptat prædicta duo Magisteria ex quadraginta supra relatis, cum pacto tamen, & conditione prædicta, quod non assignentur pro dicta Provincia alia Magisteria, quam relata duo, quia sic per pactum &c. ita quod &c. aliàs non deventum esset ad præsentem concordiam, quam ambæ partes prædictæ nominibus, quibus supra, respective, promiserunt esse bonam, validam, & legitimam, beneque valide & legitime gestam & factam, pro tali semper & perpetuo attendere ac inviolabiliter observare, habere ratam, gratam, validam, atque firmam tamquam talem sibi ipsis, nominibus prædictis facere licuisse & licere, contraque non facere, dicere, opponere, vel venire quovis sub prætextu, causa, ingenio, vel quæsito colore, aliàs ad omnia & singula damna &c. de quibus &c. renunciantes ulterius beneficio *legis de his cum ii ff. & eod.*, ac toto titulo de *transactionibus*, omnibusque & singulis aliis legibus &c. ad eorum, & transigentium favorem quomodolibet facientibus, in forma &c. non solum &c. sed & omni &c. Hisque semper salvis conventum per pactum expressum inter dictas partes extitit, quod si aliquando prædicta Provincia Bethica ex motivo alicujus inevitabilis impedimenti, ut pestis, vel alterius similis, omnino intercludentis iter ab ipsa ad locum, ubi celebrabitur Capitulum Generale, nequierit suos mittere Vocales, tunc a Reverendissimo Patre Generali (ne amittat suum jus in isto casu) provideantur prædicta duo Magisteria, sicuti alia triginta ejusdem Provinciæ Bethicæ, per propositionem factam a Diffinitorio ipsius Provinciæ Bethicæ, in qua proponet Diffinitorium tres Lectores jubilatos, & omnibus requisitis ad Magisterium ornatos, ex quibus propositis Reverendissimus Pater Generalis eliget, quem sibi placuerit, & ipsum creabit Magistrum, atque memorata Provincia Bethica servabit etiam ordinem partialitatum, qui in ea ad omnia officia, munera, & magisteria servatur, ita quod si illo sexennio, in quo Vocales dictæ Provinciæ ob prædictum aliquod inevitabile inconveniens ad Capitulum Generale nequierint accedere, electio Diffinitoris & Discreti debeat fieri in Religiosis partialitatis Provinciæ, & tunc tres Lectores Jubilati pro quolibet ex duobus Magisteriis a Provincia proponendi, debeant esse ejusdem Partialitatis Provinciæ. Si vero electio talium Diffinitoris & Discreti debebit fieri in Religiosis Partialitatum Hispalis, & Extrematuræ, tunc tres Lectores Jubilati proponendi a Provincia debeant esse earumdem Partialitatum Hispalis, & Extrematuræ: quia sic per pactum expressum &c. aliàs &c. de quibus &c. quæ omnia &c. aliàs &c. ad omnia damna &c. de quibus &c. quod &c. pro quibus &c. dicti Reverendissimus Pater Generalis se ipsum &c. & ejus successores &c., & dictum Ordinem Eremitarum Sancti Augustini, & admodum Rev. Pater Lector Candiotti uti Procurator præfatus dictam Provinciam Bethicam, bona &c. jura &c. in ampliori Reverendæ Cameræ Apostolicæ, & alia quavis forma solitis cum clausulis &c. citra &c. obligantes, renunciantes &c. constituentes &c. unica &c. & ita tactis pectoribus more sacerdotali jurarunt &c. super quibus omnibus & singulis præmissis petitum fuit a me Notario publico infrascripto, ut unum vel plura, publicum seu publica, Instrumentum & Instrumenta conficerem, atque traderem, prout opus fuerit, & requisitus ero -- Actum Romæ in Mansionibus dicti Reverendissimi Patris Generalis, sitis intus Venerabilem Conventum S. Patris Augustini juxta &c., ibidem præsentibus, audientibus & bene intelligentibus DD. Marco Chito fil. quondam Antonii Bergomen., & Michaele Cignali fil. quondam Camilli Romano, testibus ad prædicta omnia & singula vocatis, habitis specialiter, atque rogatis.

Fr. Nicolaus Antonius Schiaffinati Generalis.

Fr. Franciscus Candiotti Procurator Provinciæ Bethicæ.

Pro Domino Antonio Bonifacio Senepa Causarum Curiæ Capitolii publico Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Notario, de præmissis rogato.

Ego Franciscus Andreas Diamilla Connotarius præsens Instrumentum subscripsi & publicavi; rogatus &c.

Loco ✠ Signi.

Dicta Concordia confirmatur.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Didacus Assistens Generalis, præmissa, quò firmius subsistant, & serventur exactius, Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri summopere desiderat; Nos ipsum Didacum Assistentem Generalem specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes,

&

& a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus, ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, negotiis & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſitorum, qui rem undique mature diſcuſſerunt, conſilio, concordiam inter Partes prædictas initam, ut præfertur, confectamque, deſuper ſcripturam, præinſertam, cum omnibus & ſingulis in ea contentis, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & ſingulos juris & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus.

Præſentium literarum firmitas.

§. 3. Decernentes, eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere; ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quomodocumque ſpectabit, in omnibus & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Obſtantium derogatio.

§. 4. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis; necnon, quatenus opus ſit, Ordinis & Provinciæ prædictorum, aliiſve quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Fides Tranſumptis danda.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio & extra illud habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 10. Maji 1734. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

CXXXV. Declaratur Breve Innocentii XII. ſuper facultate conferendi Lauream Magiſtralem Fratribus profeſſis Tertii Ordinis Sancti Franciſci in Capitulis Generalibus vel Provincialibus tantùm.

Dat. die 12. Maji 1734. Pont. An. IV.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Innocen. XII. Literæ, quibus Mini-

§. 1. DUdùm ſe. re. Innocentius Papa XII. prædeceſſor Noſter, ſupplicationibus tunc exiſtentis Procuratoris Generalis Tertii Ordinis Sancti Franciſci nomine ſibi ſuper hoc humiliter porrectis inclinatus, circa facultatem Miniſtro Generali pro tempore pariter exiſtenti dicti Ordinis conferendi Doctoratus ſeu Magiſterii lauream Fratribus in eodem Ordine profeſſis nonnulla conceſſit, prout continetur in ipſius Innocentii prædeceſſoris Literis, deſuper in ſimili forma Brevis expeditis, tenoris, qui ſequitur, videlicet:

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Joannes Locatus a Bergamo, Procurator Generalis Fratrum Tertii Ordinis Sancti Franciſci, quod cum ex præſcripto Conſtitutionum dicti Ordinis, præſertim illarum, quæ a felicis recor. Innocentio Papa X. prædeceſſore Noſtro per quaſdam ſuas in ſimili forma Brevis die 6. Novembris 1648. emanatas literas in forma ſpecifica confirmata fuerunt, illi, qui ex Ordine hujuſmodi Doctoratus ſeu Magiſterii lauream ſuſcepturi ſunt, debeant prius Philoſophiam per triennium legere, & deinde, onere ſacram Theologiam per quadriennium legendi indiſpenſabiliter ſuſcepto, literas patentes a Miniſtro Generali pro tempore exiſtente Ordinis præfati obtinere, quarum ſubinde vigore in aliqua publica Studii generalis Univerſitate ſe præſentantes, Laurea hujuſmodi decorantur, non pauci circa præmiſſa abuſus irrepſerunt; Multi ſiquidem adepta Laurea hujuſmodi quadriennalem ejuſdem Sacræ Theologiæ lecturam negligunt; alii vero, etiam ipſa triennali Philoſophiæ lectura, eo quod aut labores reformident, aut ſeſe ad id inhabiles agnoſcant, penitus, vel in parte omiſſa, literas patentes ſupradictas præpotenti patronorum interpoſita opera & auctoritate de manibus dicti Miniſtri generalis extorquent, & inde in publicis ſtudiorum generalium Univerſitatibus, ubi nonnunquam magis lucrum quam virtutis meritum reſpicitur, Doctoris ſeu Magiſtri titulo decorantur, ſicque privilegiis, aliàs non niſi verè Magiſtris ſeu Doctoribus competentibus, gaudent in maximam ſtudiorum jacturam, & aliorum antiquiorum Sacerdotum dicti Ordinis præjudicium, ac non ſine evidenti religioſæ paupertatis detrimento, quandoquidem iſti ſic laureandi notabiles pecuniarum ſummas in ordine ſupradicto colligunt, illaſque ſic collectas foris expendunt & diſtrahunt.

Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dictus Joannes Procurator Generalis abuſus hujuſmodi tolli, viamque illis impoſterum præcludi plurimum deſideret; Nobis propterea idem Joannes Procurator Generalis etiam nomine dilecti filii Jacobi Guidotti a Bononia Miniſtri Generalis ejuſdem Ordinis humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportune providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ejuſdem Joannis Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino poſſumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Ven. Fratrum Noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, negotiis & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſitorum, conſilio, obtenta relatione Ven. Fratris Noſtri Alderani Epiſcopi Oſtien. ejuſdem S. R. E. Cardi-

nalis

ſtro Gener. conceditur facultas concedendi Lauream Doctoratus in Capitulo Generali.

Quæ requirenda ſint in laureandis.

nalis Cybo nuncupati, dicti Ordinis apud Nos & Sedem Apostolicam Protectoris, præfatis Cardinalibus, qui etiam dictum Jacobum Ministrum Generalem audiverunt, facta eidem Jacobo & pro tempore existenti Ministro Generali Ordinis hujusmodi facultatem privative quoad omnes alios conferendi Doctoratus seu Magisterii lauream Fratribus in dicto Ordine professis, qui antea Philosophiam per tres, & super omnibus libris Sententiarum sacram Theologiam per alios quatuor annos laudabiliter legerint & docuerint, ac duabus saltem publicis Conclusionibus præsederint, & subinde ab eodem Ministro Generali, Procuratore Generali, vel, isto absente, ab uno per eum deputando, qui præditus sit qualitatibus in cæteris Examinatoribus, ut infra, requisitis, necnon tribus aliis ejusdem Ordinis in eadem Sacra Theologia versatioribus, quique per septennium laudabiliter legerint, in Capitulis Generalibus vel Provincialibus dumtaxat, nec non alibi examinati, & aliis, vel saltem a quatuor eorum per secreta & jurata vota tamquam idonei, & laurea digni, approbati fuerint, itaut si secus aliqua in parte fieri contigerit, Minister Generalis privationis officii, cæteri vero examinatores privationis vocis activæ & passivæ ab officiorum, si qua habuerint, & laureati nullitatis collatæ laureæ, pœnasque respective ipso facto incurrant, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus & indulgemus: salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis prædictorum Cardinalium.

Decernentes, easdem præsentes literas semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia pleniſſime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & diffiniri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quæ præsentibus ipsis haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 17. Maji 1692. Pontificatus Nostri Anno Primo.

J. F. Card. Albanus.

§. 2. Cum autem, sicut dilectus filius modernus Minister Generalis Ordinis hujusmodi Nobis nuper exponi fecit, in hoc Tertio Ordine post triennium Capituli generalis Congregatio generalis, etiam Capitulum generale intermedium nuncupatur (ideſt inter unum & aliud Capitulum generale) celebrari soleat, dubitatum fuit, an in prædicta Congregatione generali dictus Minister Generalis super expressam facultatem exercere posset, propositoque dubio 1716. & 1722. in Congregatione tunc existentium ejusdem S. R. E. Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præposita, dicta Congregatio, quamvis tunc existens Procurator Generalis rationes pro prædicta affirmativa produxisset, ad dubii resolutionem devenire noluit, sed tam die 16. mensis Februarii ejusdem anni 1716. quàm die 24. mensis Aprilis dicti anni 1722. Ministro Generali tunc pariter existenti memorati Ordinis indulsit, ut in illa particulari Congregatione facultate hujusmodi uti posset; nunc autem cum in proxima ventura Pentecoste Congregatio generalis celebranda sit, & in eodem Ordine nonnulli Religiosi necessariis requisitis pro obtinenda Laurea Magistrali præditi reperiantur, qui aliter ad effectum illam consequendi triennium fere expectare cogerentur; ac proinde dictus Minister Generalis opportune sibi in præmissis a Nobis provideri, &, ut infra, indulgeri plurimum desideret; Nos ipsum Ministrum Generalem specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutum fore censentes, supplicationibus, ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum dictæ S. R. E. Cardinalium, eisdem negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præpositorum, consilio, præinsertas Innocentii prædecessoris Literas, itaut in eis etiam Capitula Generalia intermedia, seu Congregationes generales comprehendantur, auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus: salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Dicta facultas extenditur ad Congreg. Generales & Capitula intermedia.

§. 3. Decernentes, easdem præsentes literas semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia pleniſſime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignorater contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac iis omnibus & singulis, quæ in præinsertis Innocentii prædecessoris literis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 12. Maji 1734. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

CXXXVI.

Indultum ut Fratres Missionarii Galli Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum, Missam ac Officium Sancti Ludovici Regis recitare possint in Festo ejusdem Sancti die.

CLEMENS PAPA XII.

Dat. die 8. Maji 1734. Pont. An. IV.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. NUper ad enixas dilecti filii Cherubini de Noves Fratris expresse Professi Ord.

Minorum

Minorum S. Franciſci Capuccinorum nuncupatorum, ac dilectorum filiorum Fratrum Gallorum Miſſionariorum dicti Ordinis in partibus Infidelium in Romana Curia Procuratoris inſtantias emanavit a Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium Sacris Ritibus præpoſitorum decretum tenoris, qui ſequitur, videlicet:

Decretum S. Congregationis Rituum.

§. 2. Ordinis Capuccinorum Miſſionariorum remiſſis à Sacra Congregatione de Propaganda Fide ad Sac. Rituum Congregationem enixis Patrum Ordinis Capuccinorum Miſſionariorum inſtantiis per P. Fratrem Cherubinum de Noves, dicti Ordinis, ac ſupradictorum Patrum in Romana Curia Procuratorem jam exhibitis, illiſque relatis, Sacra eadem Rituum Congregatio poſſe concedi cenſuit, ut Patres Capuccini Galli Miſſionarii in partibus Infidelium exiſtentes Officium S. Ludovici Regis, quod in dicto Ordine ſub ritu duplici majori peragitur, ſub ritu primæ claſſis in Feſto ipſius Sancti impoſterum recitare, & Miſſam reſpectivè celebrare poſſint & valeant. Die 10. Aprilis 1734. -- A.F. Card. Zondadari Pro-Præf. - N. M. Tedeſchi Archiep. Apamen. S. R. C. Secret. -- L. ✠ S.

Confirmatur cum conceſſione &c.

§. 3. Cum autem, ſicut pro parte dicti Cherubini Nobis ſubinde expoſitum fuit, ipſe Decretum hujuſmodi, quo firmius ſubſiſtat, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri ſummopere deſideret. Nos ſpecialem ipſi Cherubino gratiam facere volentes, eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium tantum conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, decretum præinſertum auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus: ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Clauſulæ.

§. 4. Decernentes, eaſdem præſentes literas firmas, validas & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere; ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, pleniſſime ſuffragari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 8. Maji 1734. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

CXXXVII. Miniſtro Generali Ordinis Prædicatorum facultas conceditur proponendi Congregationibus S. Sabinæ Provinciæ Lombardiæ, ac S. Marci Romanæ tres Religioſos, e quibus Vicarium Generalem, quem maluerint, debeant eligere.

Dat. die 15. Maji 1734. Pont. An. IV.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Congregationum S. Sabinæ utriuſque Lombardiæ, & S. Marci nuncupatorum Romanæ, reſpective Provinciarum, quod licet in literis ſe. re. Innocentii PP. XII. Prædeceſſoris Noſtri ſuper erectione ambarum Congregationum præfatarum, die 14. Junii 1695. editis, habeatur utrique Congregationi de idoneo Vicario Generali a Magiſtro itidem Generali ejuſdem Ordinis providendum fore; minime tamen ordinatum fuit iſtiuſmodi proviſionem fieri debere de Religioſis ipſi Magiſtro Generali per dictas Congregationes nominandis ſeu proponendis, quòd valde expediret ſalubri directioni earumdem Congregationum, quarum Fratribus cum probe innoteſcant Religioſi præ aliis vitæ integritate, literarum ſcientia, ac rerum agendarum uſu & prudentia præſtantes, atque habiles & idonei ad regularem obſervantiam tuendam & promovendam, exinde longe facilior certiorque dicto Magiſtro Generali redderetur delectus Vicarii Generalis præfati, quàm ex ſimplici relatione, aut teſtimoniis aliunde conquiſitis; quemadmodum in antiqua Congregatione Lombardiæ ipſius Ordinis, dum illa olim vigebat, factum fuiſſe memoratur, cui quidem cum in ejus primordio Vicarius Generalis libere ab eodem Magiſtro Generali præficeretur, ac ſubinde compertum fuiſſet pro recto illius gubernio utilius fore, ſi Vicarius Generalis ejuſmodi per dictam Congregationem eligeretur, Apoſtolica auctoritate cautum fuit, ut Vicarius Generalis præfatus a Fratribus ipſius Congregationis poſtularetur, & a Magiſtro Generali prædicto confirmaretur; ac poſtulatio quidem per Priores Conventuum cum ſociis, Magiſtros in Theologia, & alios Fratres, qui aliquando fuiſſent Vicarii Generales: confirmatio vero hujuſmodi infra octo dies, a præſentatione poſtulationis numerandos, fierent, alioquin poſtulatio dicta auctoritate Apoſtolica confirmata cenſeretur, hæcque forma inſtituendi Vicarium Generalem in præfata antiqua Congregatione Lombardiæ poſtmodum ſervata fuit, donec in Provinciam erecta eſt.

Cauſæ concedendæ facultatis.

Conceſſio.

§. 2. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, jam per alias noſtras in ſimili forma Brevis, die 28. menſis Julii proxime præteriti expeditas literas, ſupradictis S. Sabinæ, & Sancti Marci, cæteriſque Ordinis præfati Congregationibus, ſex ſaltem Conventus formales habentibus, indulſerimus, ut in earum Dietis Definitor & Socius ad Capitulum Generale mittendi eligi poſſent, ipſi Exponentes dictis duabus Congregationibus tres earum Religioſos idoneos ad Vicariatum Generalem præfatum memorato Magiſtro Generali, qui unum ex eis ſibi beneviſum deputare teneatur, nominandi ſeu proponendi facultatem impertiri plurimum deſiderent, itaut nominatio fiat in prædictis Dietis a pro tempore exiſtentibus Vicario Generali, Prioribus Conventuum, & ex-Vicariis Generalibus, quo pacto eiſdem Congregationibus ſalubrius conſultum erit, earumque immediata ſubjectio dicto Magiſtro Generali retinebitur, ac perfiſtet arctiùs, quàm in præfata antiqua Congregatione Lombardiæ, utpote quæ unicum Religioſum ab ipſo Magiſtro Generali confirmandum poſtulabat, ubi iſtæ tres Religioſos proponent, e quibus ei unum, quem maluerit, in Vicarium Generalem præficiendi libera erit poteſtas; Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, quatenus in præmiſſis opportune providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ad ea, quæ felici proſperoque utriuſque Congregationis præfatæ regimini ac progreſſui conducibilia ſunt, libenter intendentes, dictoſque Exponentes ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis,

suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut deinceps supradictæ duæ Congregationes S. Sabinæ & S. Marci in earum Dietis, sicut præmittitur, tres Religiosos habiles & idoneos ad Vicarium Generalem præfatum, tametsi Philosophiam & sacram Theologiam actu non legant, nec antea legerint, Magistro Generali ejusdem Ordinis pro tempore existenti nominare seu proponere respective possint & valeant; ipseque Magister Generalis unum, quem maluerit, ex tribus Religiosis sic nominatis seu propositis in Vicarium Generalem infra mensem, a die præsentationis sibi faciendæ nominationis ejusmodi computandum deputare, ac præficere teneatur, dicta auctoritate tenore præsentium statuimus & ordinamus.

Clausulæ. §. 3. Decernentes, easdem præsentes literas semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia pleniſſime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon Congregationum & Ordinis præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 15. Maji 1734. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

CXXXVIII. Indulgentia Plenaria perpetua pro Visitantibus aliquam ex Ecclesiis Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci Cappuccinorum Missionariorum in partibus Infidelium a Custode, seu Præfecto Missionum hujusmodi designandam die Festo Sancti Ludovici Regis Francorum.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dat. die 4. Junii 1734. Pont. An. IV.

Exordium. COelestium munerum Thesauros, quorum dispensationem fidei nostræ credidit divina dignatio, libenter erogamus, cum ad augendam in terris Sanctorum in cœlis cum Christo regnantium fovendamque, & excitandam erga illos fidelium devotionem salubriter expedire in Domino arbitramur.

Concessio Indulgentiæ. §. 1. Supplicationibus itaque dilecti filii Cherubini de Noves Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum Professoris, ac dilectorum filiorum Missionariorum Gallorum ejusdem Ordinis in partibus Infidelium existentium, in Romana Curia Procuratoris, nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi; omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus & confessis, ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis seu Oratoriis dictorum Fratrum Missionariorum; Mulieribus vero, quibus ad illas seu illa liber non patet accessus seu ingressus, quæ aliam Ecclesiam seu Oratorium Catholicorum earumdem partium a Custode seu Præfecto Missionum hujusmodi designandam seu designandum, die Festo Sancti Ludovici Regis a primis Vesperis usque ad occasum Solis Festi hujusmodi, singulis annis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Fides Transumptorum. §. 2. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 4. Junii 1734. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

CXXXIX. Confirmatur Decretum Capituli Generalis Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Excalceatorum nuncupat. super divisione Provinciæ Poloniæ, ac erectione novæ Provinciæ Lituaniæ dicti Ordinis.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dat. die 7. Junii 1734. Pont. An. IV.

Exordium. EX injuncto Nobis cælitus Apostolicæ servitutis munere, quæ pro felici prosperoque Christifidelium Altissimi obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipatorum regimine & gubernio provide facta ac ordinata esse noscuntur, ut firma atque illibata persistant, Apostolici muniminis nostri præsidio, cum id a Nobis petitur, libenter constabilimus.

Causæ novæ erigendæ Provinciæ. §. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Excalceatorum nuncupatorum, quòd cum Provincia Polona dicti Ordinis adeo ampla existeret, ut ob nimiam ejus vastitatem ac extensionem ab uno dumtaxat Priore Provinciali visitari, ac commode regi nequiret, Capitulum Generale ejusdem Ordinis, in Conventu Sanctæ Mariæ de Scala nuncupat. de Urbe noviſſime celebratum, hac, aliisque rationabilibus causis regularis observantiæ, religiosæque pacis & tranquillitatis conservationi maxime conducentibus, accuratè perpensis, vigore facultatum sibi attributarum prædictam Provinciam Polonam in duas divisit, novamque ipsius Ordinis Provinciam

Lituanam nuncupandam erexit cum assignatione nonnullorum Conventuum, Monasteriorum, ac residentiarum, a primodicta Provincia separatorum & dismembratorum, & alias, prout uberius continetur in Decreto ejusdem Capituli Generalis desuper emanato, tenoris, qui sequitur, videlicet:

Confirmatio, divisio & nova erectio.

Dubium propositum in Capitulo Generali.

Propositum fuit, utrum dividenda esset Provincia Poloniæ in duas Provincias, nempe Polonam & Lituanam, assignando Provinciæ Lituaniæ erigendæ sub titulo S. Casimiri sequentes Conventus tam Fratrum quam Monialium, videlicet Conventum Posnaniensem sub titulo SS. Joseph & Theresiæ, & Monasterium Monialium ibidem existentium sub titulo S. Mariæ de Monte Carmelo: Conventum Varsaviensem sub titulo Assumptionis Beatæ Virginis, & Monasterium Monialium ibidem existentium sub titulo Assumptionis Beatæ Virginis Mariæ: Conventum Vilnensem sub titulo Sanctæ Matris nostræ Theresiæ, & Monasterium Monialium ibidem existentium sub titulo Sanctæ Matris nostræ Theresiæ: Conventum Slembocensem sub titulo Assumptionis Beatæ Virginis Mariæ: Conventum Grodnensem sub titulo Sanctæ Crucis, & alias residentias in Magno Ducatu Lituaniæ, nempe Connensem, & aliam sitam post Fluvium Villia dictum, cum omnibus bonis mobilibus & immobilibus, reditibus, scripturis, instrumentis, actis, & aliis quomodocumque ad prædictos Conventus & Residentias quocumque titulo & ubique locorum cum suis juribus & oneribus pertinentibus.

Responsio affirmativa.

Responsum affirmative cum omnibus suffragiis.

Provinciæ Polonæ S. Spiritus fines.

Itaque Provincia Polona Sancti Spiritus divisa est in Ven. Capitulo Generali celebrato Romæ in Conventu Sanctæ Mariæ de Scala die 14. Maji Anno Domini 1734. suffragantibus omnibus votis RR. PP. Gremialium in duas Provincias, quarum Conventus Religiosorum sunt quatuordecim, Residentiæ quatuor, Monialium octo. Ex quibus in antiqua Provincia Sancti Spiritus manent novem scilicet Conventus, Cracovienſis sub titulo Immaculatæ Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, Lublinensis Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo, Leopolienſis Sancti Michaelis Archangeli, Cracovienſis SS. Michaelis & Joseph, Premisliensis S. M. N. Theresiæ, Visnicensis SS. Salvatoris, S. Eremi, S. Eliæ, Visniovicensis S. Michaelis Archangeli: Monialium autem quinque scilicet Cracovienſis, S. Martini, Lublinensis, S. Joseph Sublinensis Immaculatæ Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, Leopolienſis S. Spiritus, Cracovienſis S. M. N. Theresiæ, & S. P. N. Joannis a Cruce.

In nova vero Provincia erecta sub titulo Sancti Casimiri

Fines alterius novæ Provinciæ.

Manent quinque Conventus, videlicet, Posnanienſis sub titulo SS. Joseph & Theresiæ, Vilnensis Sanctæ Matris Nostræ Theresiæ, Varsavienſis Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis & S. Joseph, Glembocensis Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, Grodnensis Sanctæ Crucis: Residentiæ vero duæ, nimirum Caunensis Jesu Mariæ & Joseph, Lavilienſis Sanctæ Matris Nostræ Theresiæ; Monialium autem tres, scilicet Varsavienſis Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, Posnanienſis Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo, Vilnensis Sanctæ Matris nostræ Theresiæ.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, ipse Procurator Generalis, præmissa, quò firmius subsistant ac serventur exactiùs, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret; Nos dictum Procuratorem Generalem specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum a memorato Capitulo Generali factum, ut præfertur, cum omnibus & singulis in eo contentis, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos juris & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Præsentium Literarum firmitas.

§. 3. Decernentes, easdem præsentes literas semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis; necnon, quatenus opus sit, Ordinis ac Provinciæ Polonæ, Conventuum & Monasteriorum prædictorum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 7. Junii 1734. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

CXL.

Confirmantur nonnulla Decreta in Capitulo Provinciali Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini edita super Privilegiis, quibus frui debeant antiquiores Doctores Provinciæ Bethicæ ejusdem Ordinis in Hispalensi Universitate promoti, vel in posterum promovendi.

Dat. die 26. Junii 1734. Pont. An. IV.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicis Libelli tenor; cum Decretorum enumeratione.

§. 1. EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Didacus Salinas, Assistens Generalis Hispaniæ, ac Procurator Provinciæ Bethicæ Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini, quod dilecti filii Definitores dictæ Provinciæ in eorum Capitulo Provinciali mense Aprilis 1733. celebrato, animadvertens, Universitatem Studii Generalis, in Civitate Hispalensi dudum erectam, inter cæteras totius Hispaniæ Universitates ejusdem percelebrem, atque intra fines ejusdem Provinciæ præcipuam existere, multumque splendoris & ornamenti Ordini & Provinciæ præfatis afferri, quod istius filii ac Religiosi Doctoratus laurea in Universitate prædicta decorentur, quoad oppositiones, ut vocant, seu concursus pro publicis lecturis in ipsa Universitate assequendis idonei reddantur: simulque attendentes, quod Fratres Provinciæ Castellæ ejusdem Ordinis his de causis, & ut illius Fratres aliquo honoris incitamento ad rigorosum examen, literariosque labores pro ejusmodi gradu consequendo alacriùs subeundos excitarentur, aliàs obtinuerunt a Capitulo Generali ipsius Ordinis, anno 1685. habito, decretum inter acta dicti Capituli Generalis relatum, atque a fe. re. Innocentio PP. XI. Prædecessore Nostro per quasdam suas in simili forma Brevis die 30. Aprilis 1685. expeditas literas confirmatum, quod quatuor in Salamantina, & tres in Complutensi studiorum itidem generalium Universitatibus antiquiores Doctores Provinciæ Castellæ præfatæ inter Magistros supradicti Ordinis adnumerandi forent, atque omnibus privilegiis, honoribus, gratiis, & indultis, quibus juxta ejusdem Ordinis Constitutiones, dictæque Provinciæ Castellæ statuta ac consuetudinem alii Magistri potiebantur & gaudebant, similiter potiri & gaudere deberent; ipsi Definitores Provinciæ Bethicæ hoc exemplo ac iisdem causis & rationibus adducti decreverunt, ut Prior Provincialis nomine dictæ Provinciæ Bethicæ coram Nobis staret, quatenus memoratum indultum antiquioribus Doctoribus dictæ Provinciæ Castellæ concessum, ad Doctores pariter antiquiores ipsius Provinciæ Bethicæ, in Universitate Hispalensi præfata jam promotos, ac deinceps promovendos, extendere vellemus, cum his tamen conditionibus ac declarationibus: Primo, quod nullus ex dictæ Provinciæ Bethicæ Fratribus ad gradum Doctoratus in eadem Universitate Hispalensi promoveri possit, nisi de licentia Prioris Generalis dicti Ordinis pro tempore existentis, ut præscribunt præfatæ Constitutiones par. 5. cap. 4. & 7. Secundo, quod nullus Doctor in dicta Universitate Hispalensi Magistri privilegia obtinere incipiat, antequam expleto suæ lecturæ tempore, a Definitorio Provinciæ, sive in Capitulo Provinciali, aut Congregatione intermedia, Lector jubilatus declaretur, aut saltem post sex annos lecturæ Philosophiæ, & sacræ Theologiæ in majori Conventu Hispalensi, munus Regentis per triennium laudabiliter expleverit; & tunc absque novo examine, & alia gradus susceptione, istiusmodi Doctores Magisterii privilegiis gaudere incipiant, & uti Magistri a Priore Provinciali pro tempore existenti in libro, in quo cæteri describuntur Magistri, adnotentur, & ex tunc demum, non autem secundum tempus suscepti Doctoratus, eorum antiquitas inter Magistros Ordinis computetur. Tertio, quod sicuti ad evitandam confusionem, quæ ex multitudine Magistrorum decursu temporis oriri posset, pro dicta Provincia Castellæ statutum fuit, quatuor tantum Salamantinæ, tres vero Complutensis Universitatum prædictorum antiquiores Doctores tali indulto frui debere; ita in ipsa Provincia Bethica tres dumtaxat itidem antiquiores dictæ Universitatis Hispalensis Doctores Magisterii privilegiis fruantur; reliqui autem, si qui fuerint, quamvis cæteris qualitatibus mox recensitis præditi reperiantur, illa minime obtineant, quousque per alicujus ex dictis tribus Doctoribus antiquioribus cessum vel decessum eis locus fiat secundum ordinem suæ antiquitatis, & aliàs, prout in Decreto per dictos Definitores desuper edito, cujus tenorem præsentibus pro plene & sufficienter expresso haberi volumus, uberiùs dicitur contineri.

Prædicta Decreta confirmantur.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, præmissa supradicto Decreto Capituli Generalis anni 1685., quod Constitutionibus Ordinis præfati insertum reperitur, apprimè consonent, & a dilecto filio moderno Priore Generali ejusdem Ordinis, ejusque Congregatione die 18. Junii anni proxime præteriti approbata fuerint, petitaque extensio indulti septem Doctoribus Provinciæ Castellæ concessi, ad solos tres antiquiores prædictæ Provinciæ Bethicæ restricta & limitata sit; Nobis propterea prædictus Didacus humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ejusdem Didaci votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, enarratum indultum, Septem Doctoribus antiquioribus Provinciæ Castellæ in Universitatibus Studiorum Generalium Salmantina & Complutensi respective promotis, sicut præmittitur, concessum, ad tres dumtaxat antiquiores Doctores Provinciæ Bethicæ Fratrum dicti Ordinis Eremitarum Sancti Augustini in Universitate studii Generalis Hispalensis nunc & pro tempore graduatos, servatis tamen conditionibus & declarationibus supradictis, itaut iidem tres antiquiores Doctores inter Magistros Ordinis prædicti adnumerentur, & uti tales habeantur, omnibusque privilegiis, favoribus, prærogativis, gratiis, & indultis potiantur & gaudeant, potiri & gaudere debeant, quibus cæteri in eadem Provincia Bethica Magistri de jure, usu & consuetudine potiuntur & gaudent, aut potiri & gaudere possunt & poterunt quomodolibet in futurum, auctoritate Apostolica tenore præsentium extendimus & ampliamus.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes, easdem præsentes literas semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & diffiniri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon Provinciæ Bethicæ & Ordinis præfatorum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 26. Junii 1734. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

FINIS.

INDEX

RERUM NOTABILIUM,

Quæ in hoc Tomo XIV. continentur, Alphabetico ordine digestus.

A.

ABBAS.

Abbas Monasterii Sanctæ Mariæ Novæ. Vide *Ordines Religiosi ubi de Congregatione Montis Oliveti.*

ACADEMIÆ ET UNIVERSITATES.

Studiorum Universitates quantum Religioni conferant. pag. 96.
Academiæ Cervariæ a quo erecta, & quibus regenda legibus. ibid.
Quæ sint Statuta & Privilegia Cathedræ Sancti Thomæ Aquinatis in Universitate Mutinensi. pag. 221.
Ne quis Censuram ullam Theologicam diversa in explicanda Divinæ Gratiæ efficacia sentientibus inurat, jubet Constitutione sua Clemens XII. pag. 300.

ALTERNATIVA.

Provisio Beneficiorum sex anni mensibus vacantium Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis conceditur. p. 2.
Alternativa in Provinciis Regularium. Vid. *Ordines Religiosi suis locis.*

APPROBATIO APOSTOLICA.

Approbatio Constitutionum Ordinum Regularium. Vid. *Ordines Religiosi suis locis.*
Approbatio Decretorum Capitulorum Generalium, vel Provincialium &c. ibid.
Approbatio Decretorum Congregationum. Vid. *Decreta Congregationum S. R. E. Cardinalium.*

ARCHICONFRATERNITAS.

Archiconfraternitas Sanctissimi Sacramenti in Ecclesia S. Mariæ ad Martyres erecta. Vide *Erectiones.*

ARCHIVIUM.

Pro directione Archivii Regiminis Bononiensis Constitutionem edidit Ferdinandus Cardinalis de Abdua. p. 152.
Eandem certis finibus circumscripsit Thomas Cardinalis Ruffus. ibid.
Benedictus XIII. confirmavit. ibid.
Sub eadem comprehendi singulos Ecclesiasticos tàm Sæculares, quam Regulares totius Legationis, & quoscumque Notarios etiam Curiæ Archiepiscopalis declarat Clemens XII. ibid.

AUGUSTINIANI.

Vid. *Ordines Religiosi. Fratres Eremitæ S. Augustini.*

B.

BEATIFICATIO.

Congregatio Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum discussis Processibus confectis super Vita, Sanctitate, Virtutibus in gradu eroico Servæ Dei Catharinæ de Riccis Monialis Ordinis Sancti Dominici, & Miraculis ad ejus intercessionem a Deo patratis, ad ejusdem beatificationem procedi posse censuit. pag. 247.
Eam Beatæ nomine nuncupari, Corpus, & Reliquias fidelium venerationi exponi &c. indulget Clemens XII. ibid.

BETHLEMITÆ.

Vide *Ordines Religiosi. Bethlemitæ in Indiis Occidentalibus.*

C.

CÆNOBIUM.

Cænobium SS. Cosmæ & Damiani a Provinciali Provinciæ Romanæ Tertii Ordinis S. Francisci singulis annis visitandum. pag. 318.
Cænobii Sacri Specus decora. pag. 174.
Ibi S. Benedictus prima Ordinis fundamenta jecit. ibid.
Privilegia ei collata, & a Romanis Pontificibus confirmata. ibid.
Clemens XI. hanc Ecclesiam visitantibus Indulgentiam concessit. ibid.
Quæ eidem donaverit Ægidius Columna Monachus. ibid.
Ordinationes pro antiquo cultu ibi restituendo. ibid.

CAPELLANI.

Capellanis Pontificis Privilegia concessa. Vide *Exemptiones, Privilegia, & Indulta.*

CAPITULA ORDINUM REGULARIUM.

Vide *Ordines Religiosi suis locis.*

CAPUCCINI.

Vide *Ordines Religiosi. Fratres Minores S. Francisci Capuccinorum.*

CARDINALES.

Decanatus Sacri Collegii Cardinali antiquiori Romæ commoranti adjudicatus. pag. 134.
Quomodo hujusmodi antiquitas sit intelligenda. pag. 135.
Ad illum obtinendum non suffragatur residentia in Episcopatibus vel Archiepiscopatibus non Suburbicariis. p. 134.
Suburbicarii vero optari nequeunt a Cardinali absenti nisi ex publica causa, vel ex Romani Pontificis destinatione. pag. 135.
Cardinalibus a Presbyterali ad Episcopalem ordinem ascendentibus semel tantum ab una ad aliam Ecclesiam transire licet. ibid.
Quam visitare tenentur relationem de ea Pontifici exhibituri. ibid.
Cardinalis Vicecancellarii facultates. ibid.
Quæ sit Cardinalium auctoritas Sede Vacante. pag. 251.
Mandata de solvendis pecuniis expedire non possunt. ibid.
Neque licentias Frumenti extrahendi, aut jubilationes, concedere, vel reos absolvere. ibid.
Non comprehenduntur sub regulis faciendis nisi specialis eorundem fuerit facta mentio. pag. 11.

CARMELITÆ.

Vide *Ordines Religiosi. Fratres B. M. de Monte Carmelo.*

CARTHUSIANI.

Vide *Ordines Religiosi Carthusien.*

CLERICI REGULARES.

Vide *Ordines Religiosi suis locis.*

COMMENDA.

Nulli Sæculari de Regulari, nec Religioso de Sæculari Beneficio Commenda danda. pag. 8.

CONCLAVE, ET CONCLAVISTÆ.

In eligendo Pontifice solus Deus, ejusque Ecclesiæ status respiciendus. pag. 249.
Negotia majoris momenti in Congregationibus generalibus examinanda. ibid.
Tres Cardinales eligendi, qui præsint Clausuræ cæterisque rebus Conclave respicientibus. pag. 250.
Pœnæ contra Scrutinia renunciantes vel recipientes. ibid.
Frugalitas & temperantia in victu servanda. ibid.
Numerus Magistrorum Cæremoniarum, aliorumque Conclavi Servientium. ibid.
De expensis Conclavis. pag. 251.
Civitatis Leoninæ Gubernium Gubernatori Urbis, Conclavis ejusque cohortis Præfecto Palatii Apostolici demandatum. ibid.
Huic 1000. scuta in singulos menses assignantur. p. 252.
Officium Custodis Fontium extinctum. ibid.
Camerario, Thesaurario, Clericis Cameræ &c. nulla emolumenta solvenda. ibid.
Conclavistæ Comites Sacri Palatii, ac Nobiles creantur omnibusque ornantur Privilegiis. pag. 12.
Exempti sunt a solutione Decimarum, & impositionum. ibid.
Testari possunt etiamsi Religioni alicui, aut Militiæ sint adscripti. pag. 13.
Ex iis qui pensiones habent, incedere in habitu & tonsura non tenentur. ibid.
Pensiones ad sum. 200. Ducat. possunt resignare. ibid.
Condonantur eis fructus Beneficiorum male percepti. p. 14.

CONFIRMATIO APOSTOLICA.

Confirmatio Regularum Cancellariæ. pag. 1.
Confirmatio Constitutionum Apostolicarum. Vide *Constitutiones Apostolicæ confirmatæ.*
Confirmatio Decretorum Sacrarum Congregationum. Vide *Decreta Congregationum.*

CONFRATERNITAS.

Confraternitatem perpetuæ Adorationis Sanctissimi Sacramenti in Ecclesia S. Mariæ ad Martyres confirmavit Clemens XII. pag. 232.
Vide *Erectiones.*
Confraternitates sub titulo B. M. V. Septem Dolorum erectæ confirmantur. pag. 309.
Privilegia, cæteraque eis concessa. Vide *Erectiones.*

CONSTITUTIONES APOSTOLICÆ CONFIRMATÆ.

Constitutionem Urbani VIII. super subjectione Provinciæ Romanæ Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum Ministro Generali, eoque absente Procuratori, & Commissario Generali confirmat Clemens XII. pag. 34.
Constitutionem Leonis X. qua Canonici Metropolitanæ Ecclesiæ Florentinæ in Notarios Sedis Apostolicæ creantur. pag. 130.
Alteram ejusdem PP. concessionem Notario & Cancellario Nationis Florentinæ de Urbe, ut quæcumque acta judicialia possit conficere. Vide *Curia Romana.*
Constitutionem Benedicti XIII. super dismembratione quorundam Conventuum a Provincia Terræ Laboris Ordinis Fratrum B. M. de Monte Carmelo, ac erectione Provinciæ Neapolitanæ. Vide *Ordines Religiosi Fratres B. M. de Monte Carmelo.*
Constitutiones Urbani VIII., & Successorum, quibus singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis &c. præcipitur ut saltem bis in Anno Populo Sacrorum locorum Hierusalem necessitates exponant. pag. 163.
Constitutionem Benedicti XIII. qua statuitur ne quis Monachus Ordinis Carthusiensis gratias, vel officia, inconsultis ordinis Superioribus, ab Apostolica Sede possit impetrare. pag 238.
Constitutionem Clementis X. super prohibitione ambitus in Congregatione Clericorum Regularium de Somascha. Vide *Ordines Religiosi Congregatio Clericorum Regularium de Somascha.*
Constitutionem Gregorii XV. pro jurisdictione Regiminis Bononiensis super Universitatibus Artium ejusdem Civitatis. Vide *Universitates Artium.*
Constitutiones omnium prædecessorum Pontificum facultatem aliquam procedendi in causis debitorum Communitatum Status Ecclesiastici Congregationi Boni Regiminis asserentes. pag. 322.

CONSTITUTIONES APOSTOLICÆ DECLARATÆ.

Constitutiones Apostolicas Clementis VIII. & Urbani pariter VIII. super jurisdictione Protectorum Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia, quoad Religiosos deputatos pro cura Monialium Sanctæ Claræ, & S. Mariæ Magdalenæ Civitatis Neapolis, declarat Clemens XII. pag. 295.
Constitutionem Alexandri VII. circa votum in Provinciis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia Commissarii Generalis Curiæ, ac Procuratoris Generalis Familiæ Cismontanæ. Vide *Ordines Religiosi Fratres Minores de Observantia.*
Constitutionem Innocentii XII. super facultate conferendi Lauream Magistralem Fratribus Professis Tertii Ordinis Sancti Francisci in Capitulis Generalibus, vel Provincialibus tantum. Vide *Ordines Religiosi Fratres Tertii Ordinis S. Francisci.*

CONSTITUTIONES APOSTOLICÆ DEROGATÆ.

Constitutiones omnes prædecessorum Pontificum, quibus immunitates, & exemptiones Ordinibus Regularibus conceduntur in Cameræ Apostol. præjudicium, derogat Clemens XII. Constitutione sua XXIII. Vide *Revocatio.*
Nonnulla derogantur, quæ in Benedicti XIII. Constitutione *Flagitantium preces* statuuntur. p. 164.

CONSTITUTIONES APOSTOLICÆ MODERATÆ.

Literas a Benedicto XIII. pro Ordine Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia datas moderatur Clemens XII. Constitutione sua XII. p. 86.
Mandatum quoque ejusdem Pontificis super usu Cantus Gregoriani in toto Ordine Minorum Sancti Francisci Recollectorum. p. 155.
Literas insuper nonnullas a Benedicto XIII. Ordinibus Regularibus & Mendicantibus concessas, quas ad terminos juris communis, Concilii Tridentini, & Constitutionum Apostolicarum reducit. p. 182.

CONSTITUTIONES ORDINUM REGULARIUM CONFIRMATÆ.

Constitutiones Ordinis Monachorum Sancti Hieronymi in Hispania confirmat Clemens XII. Constit. XI. p. 35.
In his decernitur.
Constit. 1. De Electione Prioris Generalis, & ad quos dicta Electio pertineat. p. 37.
Constit. 2. De tempore, quo durare debent Priores in eorum officiis. p. 40.
Constit. 3. Ubi & quando celebrari debeat Capitulum Generale. ibid.
Constit. 4. De electione & officio Procuratoris Capituli Generalis. p. 41.
Constit. 5. De Sede Priorum, & Procuratorum in Capitulo Generali. p. 43.
Constit. 6. Quod Visitatores Generales eant ad Capitulum, & Speciales mittant informationem suam. ibid.
Constit. 7. De Electione & facultate Definitorum. ibid.
Constit. 8. Quæ ordinationes habebunt vim legis in Ordine. ibid.

Constit. 9. De Misericordiis, quæ demandari debent in Capitulo Generali. p. 45.
Constit. 10. Quomodo eligi debeant Deputati Capituli privati, & de eorum facultate, & quomodo removeri poterunt. p. 47.
Constit. 11. De electione & facultate Visitatorum Generalium. p. 48.
Constit. 12. De assistentia Patris Generalis in Monasterio Sancti Hieronymi a Jesu Abulensi. p. 49.
Constit. 13. De facultate Patris Generalis, & de remedio Monasterii, quod ab illo fuerit gravatum. ibid.
Constit. 14. Quomodo Monachus poterit mutari ad aliud Monasterium. p. 51.
Constit. 15. Quando tenebitur Prior epistolas suorum Monachorum transmittere ad P. Generalem. ibid.
Constit. 16. Quando Prior debet habere consensum sui Capituli, & consilium cum Deputatis. p. 52.
Constit. 17. Quod nullus Prior nostri Ordinis eligatur in Priorem alterius Monasterii, nisi Sancti Bartholomæi, & quod Monachus electus in Priorem alterius Monasterii, in eo possit remanere perpetuo. p. 53.
Constit. 18. Ad quem pertineat hæreditas illius, qui est electus in Priorem alterius Monasterii. ibid.
Constit. 19. De Officio Vicarii & sub-Vicarii, ac de eorum auctoritate & facultate. ibid.
Constit. 20. De modo, quem servare debent Monachi in egrediendo a Monasterio, & quando redeunt ad illud. ibid.
Constit. 21. Quod non loquantur Monachi cum Personis, quæ non sunt ex eorum Monasterio sine licentia. ibid.
Constit. 22. De Scrutinio, quod facere debent Priores in cellis Monachorum. ibid.
Constit. 23. Quomodo fieri debeat Officium Divinum. ibid.
Constit. 24. De celebratione Missarum, Communione Monachorum, & de solemnizanda Festivitate S. Hieronymi. p. 56.
Constit. 25. De tempore & locis silentii. ibid.
Constit. 26. De Habitu Monachorum, & de Donatis. ibid.
Constit. 27. De culpis levibus. p. 57.
Constit. 28. De culpis gravibus. ibid.
Constit. 29. De culpis gravioribus. p. 58.
Constit. 30. De culpa gravissima. p. 59.
Constit. 31. Quando Prior in correctionibus sequi debeat consilium Deputatorum, aut sui Capituli. p. 60.
Constit. 32. De facultate Prioris dispensandi in Pœnitentiis. ibid.
Constit. 33. Quomodo imponi debeant pœnitentiæ culparum gravium & graviorum. ibid.
Constit. 34. De mutuo dando aut accipiendo. ibid.
Constit. 35. Quomodo debeat se habere Prior in operibus & ædificiis. p. 61.
Constit. 36. De electione & officio Procuratoris in temporalibus. ibid.
Constit. 37. De Arca communi, electione Capserii, de Arca Depositorum, & Depositario. p. 62.
Constit. 38. Quod non recipiantur plures Monachi quam illi, qui sustentari possunt cum redditibus Monasterii. ibid.
Constit. 39. De examine ante receptionem ad Habitum, & Professionem. p. 63.
Constit. 40. De tempore Novitiatus, & dispositione Bonorum Novitii. p. 66.
Constit. 41. De præcedentia & ordine sessionum inter Monachos. p. 67.
Constit. 42. Quando Monachi habere debeant votum in eorum Capitulo. ibid.
Constit. 43. De fugitivis, pœnisque eis infligendis. p. 68.
Constit. 44. Quod spoliari debeat Habitu Ordinis, qui non fuerit Monachus illius. p. 69.
Constit. 45. De fundatione, unione, & destitutione Monasteriorum. ibid.
Constit. 46. Quod non ingrediantur Mulieres in Monasteria. p. 70.
Constit. 47. De Itinerantibus. ibid.
Constit. 48. Quod nullus Monachus eat sine licentia ad Capitulum Generale, aut ad P. Generalem. ibid.
Constit. 49. Quis possit dare licentiam, ut transeat Monachus ad aliud Monasterium, aut ad alium Ordinem. p. 70.
Constit. 50. Sub cujus obedientia stare debeat Monachus, qui vadit ad aliud Monasterium ad tempus, vel in perpetuum. p. 71.
Constit. 51. Quomodo se habere debeant Monachi, quando itinerantur, pro recipiendis Sacramentis. ibid.
Constit. 52. De examine, quod præcedere debet pro ordinandis Monachis. De electione, & obligationibus Collegialium. ibid.
Constit. 53. Quomodo & quando poterunt Monachi prædicare, & audire Confessiones. p. 73.
Constit. 54. Quando haberi debet Capitulum culparum. p. 74.
Constit. 55. De pœnis impositis contra illos, qui obtinent gratiam aut favorem contra Statuta Ordinis. ibid.
Constit. 56. De pœnis contra illos, qui extrahunt negotia, & lites Ordinis extra illum. ibid.
Constit. 57. De pœnis impositis illis, qui appellant a Judicibus Ordinis. ibid.
Constit. 58. De pœnis contra illos, qui obtinent a personis potentibus pro obtinendis officiis in Ordine, & pro remissione pœnitentiarum. p. 75.
Constit. 59. De pœnis contra illos, qui obtinent favores, aut minas in damnum Ordinis. ibid.
Constit. 60. De jejuniis, & abstinentiis Ordinis. ibid.
Constit. 61. Quod Sæculares non manducent in Refectoriis. p. 76.
Constit. 62. De Anniversariis, quæ celebrari debent in quolibet anno. ibid.
Constit. 63. De Officio, quod fieri debet pro Religiosis Defunctis. ibid.
Constit. 64. Quod non accipietur exequutio Testamenti sine licentia. p. 77.
Constit. 65. Quod non acceptetur commissio, nisi fuerit Apostolica, neque arbitratio inter partes, sine licentia. ibid.
Constit. 66. Cujus sumptibus teneri & custodiri debeant Monachi fugitivi. ibid.
Constit. 67. De pœna contra illos, qui dixerint verba injuriosa Ministris Ordinis. ibid.
Constit. 68. De forma Visitationis Generalis nostrorum Monasteriorum. ibid.
Constit. 69. De modo Visitationis specialis. p. 81.
Constit. 70. De electionibus & confirmationibus. ibid.
Constit. 71. De electionis forma. p. 84.
Constit. 72. De pœnis illorum, qui tractant de Electionibus. p. 85.
Constit. 73. De tempore, quo legi debent Constitutiones. ibid.
Constitutiones, & Regulas Congregationis Montis Libani Monachorum Syrorum Maronitarum Ordinis S. Antonii Abbatis confirmat pariter Constit. LVI. p. 183.
Scilicet
Pars 1. Cap. 1. De Obedientia. p. 184.
Cap. 2. De Castitate. ibid.
Cap. 3. De Paupertate. ibid.
Cap. 4. De Humilitate. p. 185.
Cap. 5. De Fraterna Charitate. ibid.
Cap. 6. De Patientia. ibid.
Cap. 7. De Habitu Monachorum. ibid.
Cap. 8. De Mora in Cella. ibid.
Cap. 9. De Iter agentibus. ibid.
Cap. 10. De Mensa. ibid.
Cap. 11. De opere manuum. ibid.
Cap. 12. De Silentio. ibid.
Cap. 13. De Oratione mentali. ibid.
Cap. 14. De Oratione Vocali. ibid.
Cap. 15. De Confessione Sacramentali. p. 186.
Cap. 16. De Sanctorum Mysteriorum Communione. ibid.
Cap. 17. De Modestia. ibid.
Cap. 18. De Ægrotis. ibid.
Pars 2. Cap. 1. De Novitiis. ibid.
Cap. 2. De Magistro Novitiorum. p. 188.
Cap. 3. De Professis. ibid.
Cap. 4. De Clericis Studentibus, & Magistris. p. 189.
Cap. 5. De Sacerdotibus. ibid.

Cap. 6. De Monachis Laicis. p. 190.
Cap. 7. De Ordine domeſtico, & de Honeſtate extra Monaſterium ſervanda. ibid.
Cap. 8. De Fundatione Monaſteriorum, & receptione Hoſpitum, deque vitanda Monachorum vagatione. p. 191.
Cap. 9. De ſubjectione erga Prælatos. p. 192.
Cap. 10. De iis, quæ obſervari debent in exigenda ab Abbatibus, & reddenda a Monachis ratione conſcientiæ. p. 193.
Cap. 11. De Renovatione Votorum. ibid.
Cap. 12. De Monachis Infirmis, & decedentibus. p. 194.
Cap. 13. De Eremitis, & incluſis. ibid.
Cap. 14. De Monialibus. p. 195.
Pars 3. Cap. 1. De Communi Regula Abbatum, & Superiorum. p. 196.
Cap. 2. De Regimine & de Ordine atque Præeminentia Abbatum. p. 197.
Cap. 3. De Abbate Generali. ibid.
Cap. 4. De Hegumenis. p. 199.
Cap. 5. De Abbate Provinciæ. ibid.
Cap. 6. De Abbate Monaſterii. p. 200.
Cap. 7. De Vicario. p. 201.
Cap. 8. De Oeconomo, ſeu Procuratore Monaſterii. ibid.
Cap. 9. De Conſultoribus. p. 202.
Cap. 10. De Prædicatoribus. ibid.
Cap. 11. De Præfecto Rerum Spiritualium. ibid.
Cap. 12. De Præfecto Eccleſiæ. p. 203.
Cap. 13. De Præfecto Bibliothecæ. ibid.
Cap. 14. De Socio, & Sigillo Abbatis Generalis Hegumenorum, & Abbatis Provinciæ, atque Cænobiarchæ. p. 204.
Cap. 15. De Infirmario. ibid.
Cap. 16. De Janitore. ibid.
Cap. 17. De Cuſtode Veſtium. p. 205.
Cap. 18. De Cellerario. ibid.
Cap. 19. De Coquo. ibid.
Cap. 20. De Hebdomadario Chori, & Menſæ. ibid.
Pars 4. Cap. 1. De Congregatione Generali. p. 206.
Cap. 2. De Electione Abbatis Generalis, & Hegumenorum. p. 207.
Cap. 3. De Congregatione Hegumenorum, & electione Abbatum Provinciæ, vel Monaſterii. p. 209.
Cap. 4. De Congregatione Provinciæ & Monaſteriorum. p. 210.
Cap. 5. De Congregatione Hebdomadali. p. 211.
Cap. 6. De Electione in communi. ibid.
Cap. 7. De Viſitatione. ibid.
Pars 5. Cap. 1. De Proceſſu judiciali. p. 212.
Cap. 2. De Culpis & Pœnis. p. 213.
Cap. 3. De levi Culpa & Pœna. p. 214.
Cap. 4. De gravi Culpa & Pœna. ibid.
Cap. 5. De graviori Culpa & Pœna. ibid.
Cap. 6. De graviſſima Culpa & Pœna. pag. 215.
Cap. 7. De Culpis & Pœnis Superiorum. ibid.
Cap. 8. De Percuſſoribus. pag. 216.
Cap. 9. De Proprietariis. ibid.
Cap. 10. De Apoſtatis. pag. 217.
Cap. 11. De Excommunicatione. ibid.
Cap. 12. De Privatione Vocis, loci, Cuculli, & Coronæ. ibid.
Cap. 13. De ſuſpenſione & depoſitione ab Officio. p. 218.
Cap. 14. De Pœna ejectionis ex Ordine. ibid.
Cap. ultimum. Monita Generalia pro obſervatione Conſtitutionum. pag. 218.
Conſtitutiones pariter confirmat pro bono Regimine Fratrum Tertii Ordinis Sancti Franciſci, ex aliis Conſtitutionibus Ordinis collectas. pag. 312.
Scilicet
Cap. 1. Quoad Chorum & Orationem mentalem. ibid.
Cap. 2. De Caſibus reſervatis. ibid.
Cap. 3. De Suffragiis Defunctorum. pag. 313.
Cap. 4. De Affiliationibus & exfiliationibus. ibid.
Cap. 5. De Novitiis & recens Profeſſis. ibid.
Cap. 6. De Tertiariis, ſeu Heremitis. pag. 314.
Cap. 7. De Voto Obedientiæ, Vagis, & Apoſtatis. ibid.
Cap. 8. De Voto Caſtitatis. ibid.
Cap. 9. De Voto Paupertatis. pag. 314.
Cap. 10. De Indumentis. pag. 315.
Cap. 11. De Infirmis & ſpoliis decedentium. ibid.
Cap. 12. De Studiis Scholaſticis. ibid.
Cap. 13. De Laureandis. pag. 315.
Cap. 14. De Examinatoribus Generalibus. pag. 316.
Cap. 15. De Regentibus Generalibus. ibid.
Cap. 16. De Profeſſoribus Moralibus, Confeſſariis, & Prædicatoribus. ibid.
Cap. 17. De Bibliothecis. ibid.
Cap. 18. De Eleemoſinis. ibid.
Cap. 19. De Introitu. ibid.
Cap. 20. De Exitu. ibid.
Cap. 21. De pœna Furtorum. pag. 318.
Cap. 22. De pœna Detractorum & Verberantium. ibid.
Cap. 23. De Judicibus, Accuſatoribus, Teſtibus, & Appellationibus. ibid.
Cap. 24. De Advenis, & Hoſpitibus. pag. 318.
Cap. 25. De Viſitatoribus & Commiſſariis. ibid.
Cap. 26. De Provincialibus Titularibus. ibid.
Cap. 27. De Capitulo Generali ejuſque Congregationibus intermediis. ibid.
Cap. 28. De Capitulo Provinciali, ejuſque Congregationibus intermediis. pag. 319.
Cap. 29. De Electione Diſcreti Conventualis mittendi ad Capitulum Provinciale. ibid.
Cap. 30. De Officiis collatis in Capitulis vel Congregationibus intermediis. p. 320.
Cap. 31. } De Triplici Paternitate & præcedentiis. ibid.
Cap. 32. }
Cap. 33. De Privilegiis. pag. 321.
Conſtitutiones pariter confirmat Fratrum & Sororum Tertii Ordinis Servorum B. M. V. in Braſilia. pag. 333.
Scilicet
De fine ſibi præfigendo a Fratribus & Sororibus. ibid.
De Reverentiis B. M. V. ibid.
De Oratione Mentali. p. 334.
De Divino Officio. ibid.
De Confeſſione & Communione. ibid.
De Jejunio, abſtinentiis, & diſciplina. ibid.
De dicendis Culpis. ibid.
De Clauſura & Cellis. ibid.
De Raſura. p. 335.
De Silentio. ibid.
De recipiendis ad Ordines. ibid.
De promovendis ad Sacros Ordines. ibid.
De numero Fratrum, eorumque muneribus. ibid.
De particularibus Officiis. p. 336.
De Studiis. ibid.
De Priore, Diſcretis, eorumque Electione. ibid.
De Vicario Generali. ibid.
De Adminiſtratione Bonorum. ibid.
De Conſervatoribus. p. 337.
De Viſitatoribus. ibid.
De Infirmis. p. 337.
De Conventibus erigendis. ibid.
De Sororibus. ibid.
De tranſgreſſionibus Conſtitutionum. ibid.
De Conſtitutionibus. ibid.

CONSTITUTIONES ALIORUM LOCORUM CONFIRMATÆ.

Confirmatur Decretum Magni Magiſtri, & Conſilii Hoſpitalis Sancti Joannis Hieroſolymitani ad abuſus tollendos in exmutitione Commendarum, earumque conceſſione. p. 149.
Item Conſtitutio circa publicum Archivium Regiminis Bononienſis, Vide *Archivium*.
Confirmantur pariter Conſtitutiones pro Seminariis Eccleſiaſticorum in Regno Aragoniæ. p. 166. & ſeq.
Statuta & Privilegia Cathedræ Sancti Thomæ Aquinatis in Univerſitate Mutinenſi. Vide *Academiæ*.
Statuta & Ordinationes pro Collegio Clericorum prope Civitatem Placentiæ. p. 264.
Statuta pro bono Regimine Eccleſiæ Sancti Joannis Baptiſtæ Nationis Florentinæ de Urbe. p. 338.
Rubricæ Statuti Collegii Cauſidicorum Civitatis Ferrarien. p. 340. 341.

CON-

CONVENTUALES.

Vide *Ordines Religiosi. Minores Conventuales.*

CURIA ROMANA.

In causis Beneficiorum judicandum juxta formam Literarum expeditarum non Supplicationum. p. 5.
In impetrationibus Beneficiorum annuus eorundem valor exprimendus. p. 8.
Item qualitas Beneficiorum. p. 9.
Votantibus Signaturæ Justitiæ usum redimiculi coloris Violacei in Galero concessit Benedictus XIII. p. 140.
Eisdem Mantello Magno & Pileo Pontificali in solemnibus equitationibus uti conceditur. ibid.
Augetur annua assignatio ad scuta 2600. p. 274.
De electione & facultatibus Pro-Pœnitentiarii Sede Vacante. p. 251.
Et Vicesgerentis Urbis Vicario decedente. ibid.
Auditor Signaturæ Justitiæ tunc temporis prosequi potest causas, quæ pendebant coram Auditore Papæ. ibid.
Congregationi Boni Regiminis facultates alias concessæ contra debitores Communitatum totius Satus confirmantur. p. 322.
Notarius Nationis Florentinæ de Urbe acta quæcumque judicialia, & contentiosa licitè conficere potest. p. 132.

D.

DAPIFERI.

DApiferis, qui in Conclavi Cardinalibus inservierunt, Privilegia concessa. Vide *Exemptiones, Privilegia, & Indulta.*

DECRETUM.

Decreta Congregationum, quo firmius subsistant, & serventur exactius, Apostolica solent auctoritate confirmari. Sic Clemens XII. Constit. IV. p. 23.
Constit. XXX. p. 144.
Constit. XXXV. p. 150.
Constit. XLV. p. 161.
Constit. LIX. p. 224.
Constit. LXI. p. 225.
Constit. LXIII. p. 228.
Constit. CXVIII. p. 301.
Decreta Ordinum Regularium, quo inviolabiliter observentur, Apostolica solent auctoritate communiri. Sic Clemens XII. Constitut. IX. p. 29.
Constit. XXVII. p. 141. & seq.
Constit. XXXVI. p. 150.
Constit. LX. p. 225.
Constit. LXIV. p. 229.
Constit. LXXIII. p. 245.
Constit. LXXXIV. p. 267.
Constit. LXXXV. ibid.
Constit. LXXXVII. p. 269.
Constit. XC. p. 272.
Constit. XCIV. p. 276.
Constit. XCVII. p. 278.
Constit. CV. p. 288.
Constit. CXX. p. 303.
Constit. CXXXIV. p. 344.
Constit. CXXXIX. p. 349.
Alia quoque Decreta confirmat idem Pontifex: Scilicet Constit. VII. p. 25.
Constit. XXXIV. p. 149.
Constit. XXXVII. Pro Archivio Bononiensi. Vide *Archivium.*
Constit. LVIII. p. 221.

DECRETA CONGREGATIONUM S.R.E. CARDINALIUM.

DECRETA CONGREGATIONIS EPISCOPORUM, ET REGULARIUM.

Decretum ne Sacerdotes Ordinis Hospitalarii S. Hippoliti Mexican. Prælaturas Ordinis obtinere possint, aut Provinciæ Assistentes eligi. p. 144.
Decretum, quo conceditur Institutio Collegii Missionariorum Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia in Conventu Sanctæ Luciæ Oppidi Sancti Gavini Uselen. Diœcesis. p. 150.
Decretum quo statuitur, ut in Domibus Religiosis Provinciæ Sancti Gregorii in Insulis Philippinis Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Discalceatorum servetur Clausura. p. 161.
Decretum super electione Officialium Ordinis Bethlemitarum in Indiis Occidentalibus. p. 225.
Decretum super divisione Provinciæ Austriæ Inferioris Ordinis Minorum Sancti Francisci Conventualium in duas Provincias Austriæ Inferioris, ac Silesiæ, & Moraviæ. pag. 288.
Decretum circa electionem vel substitutionem Visitatorum Provinciæ Portugalliæ Ordinis Fratrum Heremitarum Sancti Augustini. p. 301.

DECRETA CONGREGATIONIS SACRORUM RITUUM.

Decretum quo Fratribus B. M. de Mercede Redemptionis Captivorum conceditur recitatio Officii Beatæ Mariæ Virginis sub titulo de Remedio. p. 23.

DECRETA CONGREGATIONUM PARTICULARIUM.

Decretum super Observantia Constitutionum Egidianæ, & Carpensis, & Archiviatione Instrumentorum pro Communitatibus, & Universitatibus Provinciæ Marchiæ, refert & confirmat Clemens XII. Constitutione sua LXIX. p. 224.

DECRETA ORDINUM REGULARIUM.

Decretum Capituli Generalis Ordinis Carmelitarum Excalceatorum circa humilitatis officium per Ordinis Donatos exercenda. p. 141. & seq.
Decretum Capituli Generalis Congregationis Italiæ & Germaniæ Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Excalceatorum super erectione novæ Provinciæ Ferrariæ, & Piceni. p. 150.
Decretum Definitorii Capituli Provincialis Provinciæ Sanctæ Mariæ Hungariæ Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia super acceptatione alternativæ officiorum inter Fratres Nationis Hungaricæ, Germanicæ, & Sclavonicæ. p. 229.
Decretum Capituli Provincialis Provinciæ Aquitaniæ Tertii Ordinis Sancti Francisci circa electionem Custodis pro Capitulo Generali. p. 267.
Decretum Capituli Generalis Ordinis Fratrum S. Francisci Cappuccinorum de Anno 1667. circa Residentiam Definitorum Generalium in Urbe. p. 272.
Statutum circa numerum Vocalium Definitorii Provinciæ Lugdunen. Congregationis Gallicanæ Fratrum Tertii Ordinis S. Francisci de Pœnitentia. p. 278. 279.
Concordia super assignatione duorum Magisteriorum Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini Provinciæ Bethicæ ex quadraginta Supranumerariis. p. 344.
Decretum Capituli Generalis Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Excalceatorum super erectione novæ Provinciæ Lituaniæ. p. 349.

DEROGATIO.

Vide *Constitutiones Apostolicæ derogatæ.*

DIÆCESIS.

Diœceseos terminos Ecclesiæ Oppidi Divionen. nuper in Cathedralem erectæ designat Clemens XII. Constit. 41. pag. 151.

DISPENSATIO.

In dispensationibus specialis expressio facienda. pag. 8.
Non suffragatur dispensatio, nisi Literis confectis. ibid.

E.

ECCLESIA.

ECclesiæ Aretinæ antiquitas & dignitas, ac Diœcesis amplitudo. pag. 88.
Reliquiæ, ac Santuaria. ibid.

In Ecclesia Florentina Missæ celebrari possunt per horam ante diluculum, & usque ad dimidiam horam post meridiem. pag. 130.
Ecclesiæ S. Stephani Divionen. Dignitas & Splendor. p. 157.
Quæ ejus Episcopi Dos sit. ibid.
Quod Capitulum. pag. 158.
Quam necessarium sit minoribus Ecclesiis idoneos Præsules destinare. pag. 27.

ERECTIONES.

Oppidum Divionen. in Civitatem erigitur ejusque Sancti Stephani Ecclesia in Cathedralem. pag. 156.
Erigitur Confraternitas, seu Congregatio nuncupat. Perpetuæ Adorationis Sanctissimi Sacramenti, in Ecclesia Collegiata Sanctæ Mariæ ad Martyres de Urbe & Privilegia nonnulla ei conceduntur. pag. 231.
In Archiconfraternitatem. pag. 232.
Hospitale Sancti Lazari extra muros Placentiæ in Collegium. pag. 236.
Ejus administratio, & directio Presbyteris Congregationis Missionis demandatur. pag. 264.
Statuta pro ejusdem Regimine. ibid.
Collegium Ritus Græci in Oppido Ullani pro Pueris ex Epiro advenientibus. pag. 258.
Confirmatio Confraternitatum sub titulo B. M. V. Septem Dolorum a Superioribus Generalibus Ordinis Servorum B. M. V. erectarum, etiamsi de earum canonica erectione non constet. p. 309.
Confraternitates sic erectæ gaudent Privilegiis quibus cæteræ fruuntur Confraternitates. ibid.
In similibus erectionibus servanda forma Constitutionis Clementis VIII. pag. 309. & 310.

EREMITÆ S. AUGUSTINI.

Vide *Ordines Religiosi.*

EXEMPTIONES, PRIVILEGIA, ET INDULTA.

Quam gravi damno sit Statui Ecclesiastico exemptionum multiplicatio. pag. 136.
Revocantur. ibid.
Quæ sint hujusmodi exemptiones. pag. 137. & seqq.
Privilegia Conclavistarum. pag. 12.
Dapiferorum. pag. 18. & seq.
Familiarium Sanctissimi D. Nostri. pag. 90. & 161.
Capellanorum Communium S. S. pag. 149.
Privilegia Collegii Montis Alti Civitatis Bononien. p. 332.
Canonicorum Metropolitanæ Ecclesiæ Florentinæ. p. 130.
Indultum celebrandi Missas & recitandi Officia Sanctorum Ordinis Canonicorum Regularium Sancti Augustini pro Congregatione S. Antonii Viennen. p. 25.
Fidelibus Hispaniarum concessa recitatio Officii & Missæ S. Antolini Martyris. pag. 143.
In Civitatibus Florentina & Pratensi, ac in universo Ordine Sancti Dominici, tam Fratrum, quam Monialium Officii & Missæ recitatio sub ritu duplici de Beata Catharina de Ricciis concessa a Clemente XII. pag. 247.
Exemptiones Bombardariorum in Arce S. Angeli de Urbe. pag. 245.

F.

FEUDUM.

Ducatus Parmæ & Placentiæ cum utili dominio &c. ad Sedem Apostolicam devolutus declaratur, quatenus ex Ducissa Henrichetta Masculina proles non nascatur. pag. 154.

FRATRES.

Vide *Ordines Religiosi.*

I.

INDULGENTIÆ, ET JUBILÆUM.

Jubilæum Universale ad implorandum Divinum Auxilium pro salutari Ecclesiæ Catholicæ regimine. pag. 27.
Indulgentia perpetua in diebus Conversionis & Commemorationis Sancti Pauli Apostoli alias concessa Ecclesiis Barnabitarum extenditur ad Ecclesias Monialium Angelicarum ejusdem Ordinis. pag. 129.
Jubilæum pro Christifidelibus Urbis, Italiæ, & Insularum adjacentium Divinam opem implorantibus pro Ecclesiæ necessitatibus. pag. 179.
Indulgentia sicut in Anno Jubilæi degentibus in Regno Hiberniæ, Deoque precantibus pro Regni ejusdem spiritualibus necessitatibus. pag. 181.
Plenaria perpetua visitantibus Ecclesias Monachorum, & Monialium Congregationis Sancti Benedicti in Festo Sancti Silvestri Abbatis. pag. 280.
Visitantibus aliquam ex Ecclesiis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Conventualium in S. Didaci Confessoris, & S. Claræ Virginis festis diebus. pag. 288.
Similis Indulgentia visitantibus aliquam ex Ecclesiis Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum Missionariorum in Partibus Infidelium à Custode, seu Præfecto Missionum designandam. pag. 349.

M.

MINORES CAPUCCINI.

Vide *Ordines Religiosi. Fratres Minores S. Francisci Capuccini.*

MINORES CONVENTUALES.

Vide *Ordines Religiosi.*

MINORES DE OBSERVANTIA.

Vide *Ordines Religiosi.*

O.

ORDINES RELIGIOSI.

Revocantur ad terminos juris exemptiones Ordinibus Religiosis concessæ. pag. 137.
Eodem modo literæ nonnullæ Apostolicæ a Benedicto XIII. datæ. pag. 182.

FRATRES MINORES S. FRANCISCI DE OBSERVANTIA.

Conventus de Ozzier Superiori Generali Ordinis immediate subjectus. pag. 87.
Instituitur Collegium Missionariorum in Conventu S. Luciæ Oppidi S. Gavini. pag. 150.
In Domibus Religiosis Provinciæ Sancti Gregorii in Insulis Philippinis servanda clausura. pag. 161.
Statuta pro regimine Nationis Germano-Belgicæ. p. 164.
Constituitur alternativa Officiorum Provinciæ S. Mariæ Hungariæ inter Fratres Nationis Hungaricæ, Germanicæ, Slavonicæ. pag. 229.
In Capitulo Generali duo Vocales pro singulis Custodiis eligendi. pag. 238.
Alternativa Officialium electio in Custodiis alias statuta. ibid.
Statuta pro Provincia Granatensi. pag. 244.
Super distributione officiorum Provinciæ Terræ Laboris. pag. 244. & 245.
Provincia Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Regni Portugalliæ in duo Territoria divisa. pag. 260.
Vacante Provincialatu quis sigillum debeat assumere. ibid.
Conventibus vero recens erectis quis præsidere. ibid.
Ad Studia extra hanc Provinciam non decedendum Provinciali, vel Definitorio inconsultis. pag. 262.
Commissarii Generales Hispaniæ Vocales Provinciæ Sancti Gregorii in Insulis Philippinis non debent plus æquo detinere. pag. 269.
Nec Visitatorem illuc ex aliena Provincia mittere. ibid.
Nec se intromittere in eorum Eleemosynis, & negotiis. pag. 270.
Modus imposterum servandus in deputatione Officialium Curiæ pro Provincia Franciæ in locum cedentium, vel decedentium durante tempore officiorum. pag. 271.
Provincia Barensis in duas dividitur, & nova Licensis erigitur. pag. 276.
Barensis amplitudo. ibid.
Nulla necessaria temporis vacatio in ascensu ab inferiori ad superiorem gradum; In descensu vero a superiori ad

ad inferiorem, vel transitu ad æqualem vacatio requiritur duodecim annorum. pag. 277. & 278.
Decedente ultimo Ex-Ministro Provinciali debet subrogari, qui fuerit antea immediate Minister itidem Provincialis. pag. 279.
Definitorium Provinciale Provinciæ Lugdunen. Septenario Vocalium numero restituitur. ibid.
Nec Minister, nec Commissarii Generales aliquem Religiosum ex Provincia Sancti Didaci in Mexico extrahere possunt inconsulto Capitulo Provinciali vel Definitorio. pag. 287.
Quæ sit jurisdictio Protectorum Ordinis quoad Religiosos deputatos pro Regimine Monialium Sanctæ Claræ, & Sanctæ Mariæ Magdalenæ Civitatis Neapolis. pag. 295.
Quæ fuerit jurisdictio eisdem concessa ab Urbano VIII. ib.
Facultas data nonnullis Religiosis ad quæstuandum pro conservatione Terræ Sanctæ. pag. 331.
Commissariis Curiæ, ac Procuratoribus Generalibus Familiæ Cismontanæ, qui officia triennio gesserunt, concessit Alexand. VII., ut depositis officiis votum in Capitulis, & Congregationibus suæ Provinciæ habeant. p. 343.
Quod Privilegium confirmatur. pag. 343. & 344.

RECOLLECTI.

Provinciis Hispaniarum & Indiarum Cantu simplici uti conceditur. pag. 155.

FRATRES TERTII ORDINIS S. FRANCISCI.

Procurator Generalis eligendus a Definitorio Generali. pag. 25.
Non assumendus ex Provincia ex qua sit Generalis actualis, aut fuerit antecessor. pag. 26.
Visitatio alicujus Conventus extra Urbem ei non committenda. ibid.
Prior per tres annos officio Prioris functus in Priorem, aut Præsidentem alicujus Conventus nonnisi transacto anno eligendus. ibid.
Ad Officia Provinciæ nonnisi filii admittendi. ibid.
In Congregationibus & Capitulis Provincialibus Provinciæ Romanæ P. Generalis actualis tantummodo ex exteris votum decisivum, & consultivum habet. ibid.
Provinciæ Galliæ, & Conventus B. M. Miraculorum de urbe comprehenduntur in Brevi circa Vias Crucis. pag. 226.
In Provincia Aquitaniæ quolibet triennio eligendus Custos Provinciæ, qui Socius Provincialis sit ad Capitulum Generale. pag. 267.
Ab Oratione mentali exemptus nemo. pag. 312.
Casus Ministro Generali reservati. ibid.
De filiationibus. ibid.
Ad habitum non admittendi qui filiationem non habent. p. 313.
Non admittendi in alieno professi Ord. pag. 314.
Laici ad statum Clericalem non promoven. ibid.
De Fugitivis, & Apostatis. ibid.
Pœnæ contra peccantes in Castitatem. ibid.
Contra Proprietarios. pag. 315.
Forma indumenti. ibid.
De distributione spoliorum. ibid.
Lectores, ac Regentes a solo Ministro Generali eligendi. ibid.
Numerus & qualitates Examinatorum. p. 316.
Regentium. ibid.
Regulares Sacerdotibus Sæcularibus confiteri non debent. ibid.
Conventiones a Priore cum Quæstuantibus non ineundæ. ibid.
Forma Processuum per Judices edendor. p. 317.
Capitulum Generale quolibet sexennio celebrandum. p. 318.
Capitulum vero Provinciale quolibet triennio. p. 319.
De Difinitorio Generali & in eo agendis. ibid.
Priores eligendi ad annum. ibid.
Ad officia promovendi solummodo filii Familiæ. ibid.
De Paternitatibus, & præcedentiis. p. 320.
Privilegia Generalis, & Officialium. p. 321.
Innocentius XII. Ministro Generali facultatem concessit dandi Lauream Doctoratus in Capitulo Generali p. 346.
Quæ requiri voluerit in Laureandis. pag. 346.
Hæc facultas extenditur ad Congregationes Generales, & Capitula intermedia. p. 347.

MINORES CONVENTUALES.

Nemo lecturæ cursum inchoare potest nisi prævio examine. p. 160.
Tempore Capituli Generalis lectiones non intermittendæ. ibid.
Studentes Prædicationibus non incumbant. ibid.
Collegiales præcedentiam Patribus de Domo cedant. ibid.
In Conventu SS. Duodecim Apostolorum de Urbe moribus probatiores collocandi. ibid.
In eodem tres Assistentes ex Germania, Gallia, Polonia eligendi. ibid.
Quæ eorum sint Privilegia. p. 161.
Dividitur Provincia Austriæ inferioris in duas. p. 228.
Requisita triginta annorum ætas pro licentia danda prædicandi. p. 289.
Minister vero Generalis dispensare potest pro duobus annis. ibid.

FRATRES MINORES S. FRANCISCI CAPUCCINI.

Provincia Romana Ministro Generali, & in ejus absentia Procuratori & Commissario Generali subjacere debet. p. 34.
Definitores Generales Romæ debent residere. p. 273.
Definitorium Generale bis qualibet in hebdomada congregandum. ibid.
Debet cognoscere causas Ordinem respicientes antequam ad alia Tribunalia extra illum deferantur. ibid.
Missionarii Missionum, & Concionum tempore Sacerdotibus vel Regularibus peccata possunt confiteri in locis in quibus Ordinis Confessarii minime reperiuntur. p. 276.
Custodia Hiberniæ in novam Provinciam erigitur. p. 294.
Singula aliarum Provinciarum Privilegia eidem conceduntur. ibid.
In ea capitula debent esse triennalia. ibid.
Religiosi in Gallia existentes excipere possunt confessiones Monialium in Claustris degentium. p. 296.

FRATRES PRÆDICATORES.

Innocentius XII. S. Sabinæ in Lombardia, & Sancti Marci Romanam Provincias ab omni Priorum Provincialium jurisdictione exemit. p. 147.
Quale detrimentum Disciplinæ Regulari afferre soleat FF. transitus ab uno ad alium Conventum. p. 148.
Quæ sint Statuta & Privilegia Cathedræ Sancti Thomæ Aquinatis in Universitate Mutinensi. p. 221.
Facultas celebrandi Processiones Sanctissimi Corporis Christi & Rosarii. p. 272.
In Scholis Ordinis Theologicæ facultati operam navantibus sæcularibus adolescentibus Doctoratus Laurea conferri potest. p. 289. 290.
Pro Provinciis S. Sabinæ Lombardiæ, ac Sancti Marci Romanæ Vicarius Generalis eligendus ex tribus Religiosis a Ministro Generali Ordinis proponendis. p. 348.

FRATRES EREMITÆ S. AUGUSTINI.

Procurator & Assistentes Generales eligi non possunt in Generalem ante sexennalem vacationem ab officio. p. 266.
Fratres Congregationis de Carbonara post Studiorum cursum completum & Theologiæ lecturam eligi possunt Assistentes, & Procuratores Generales. p. 285.
Religiosi appellare non possunt a correctione Regulari. p. 293.
Appellatio vero a gravamine fieri debet gradatim ad Ordinis Superiores. ibid.
In quibus Italiæ Civitatibus Quadragesimales conciones habere debeant, qui per prædicationis cursum Magisterium adipisci quærunt. p. 300.
Hæc declaratio in præjudicium illorum cadere non debet, qui decennalem cursum alibi explevere. ibid.
Quomodo supplendum cum aliquis Visitator decedit inexpleto officio. p. 301.

Provinciæ Bethicæ duo Magisteria Definitoris scilicet & Discreti assignantur ex quadraginta Supranumerariis. pag. 344.
Privilegia antiquiorum Doctorum Provinciæ Bethicæ in Hispalensi Universitate promovendorum. p. 350. 351.

FRATRES EREMITÆ S. AUGUSTINI EXCALCEATI.

Ex his Officiales Generales Congregationis Galliarum post vacationem novendecim, aut viginti mensium ab eorum officiis ad alia eligi possunt. p. 140.
Erigitur nova Provincia Ferrariæ & Piceni cum omnibus Privilegiis &c. p. 150. 151.
Fratres Congregationum Italiæ, & Germaniæ appellare non possunt a correctione Regulari. p. 302.
A gravamine vero appellare debent ad Ordinis Superiores gradatim. ibid.
Pœna privationis vocis activæ & passivæ in transgressores. ibid.
Eandem pœnam incurrunt procurantes rescripta ab Apostolica Sede universam Congregationem concernentia, sine licentia Vicarii & Definitorum Generalium. ibid.

FRATRES B. M. DE MONTE CARMELO.

Erigitur Provincia Neapolitana. p. 141.
Provinciis Calabriæ Citerioris, & Ulterioris conceditur alternativa Provincialatus, & quatuor Difinitorum. p. 267.
In Provincia Franciæ primo triennio Provincialis eligendus ex Fratribus Franciæ, Normanniæ, & Leodii; altero triennio e Fratribus Districtus Picardiæ, Attrebati, & Hannoniæ. p. 269.

EXCALCEATI EJUSDEM ORDINIS.

Fratres etiamsi Superiores sint, exempti non sunt a subeundis humilitatis officiis per Donatos exercendis. p. 142.
Erectio novæ Provinciæ Lituaniæ divisæ a Polona. p. 348.

FRATRES MINIMI S. FRANCISCI DE PAULA.

Generalis potest erigere, & aggregare Confraternitates sub denominatione & instituto Sancti Francisci de Paula, illisque Indulgentias Ordinis communicare. p. 275.

FRATRES B. M. DE MERCEDE REDEMPTIONIS CAPTIVORUM.

Quotannis Dominica secunda Octobris recitare possunt Officium B. M. V. sub titulo de Remedio. p. 23.

FRATRES DISCALCEATI SS. TRINITATIS REDEMPTIONIS CAPTIVORUM.

Capitula Provincialia quolibet triennio celebranda. p. 30.
Ita tamen ut cum Generali non concurrat. ibid.
In iis vocem activam habent Vocales a Definitorio electi. ibid.
Præses vero futurus Minister Generalis vel Difinitor hujus Provinciæ. ibid.
Definitores Generales extra Domum Capitularem commorari debent. p. 31.
Hæc Capitula facultatem habent condendi novas leges ad regimen suæ Provinciæ. ibid.
Capitulum Generale Ministri Generalis electivum quolibet sexennio cogendum. p. 34.
In hac Congregatione duæ familiæ ex quarum una Minister Generalis; ex altera Commissarius Generalis eligendi. p. 303.
Commissarii jurisdictio a solo Ministro Generali potest impediri. ibid.
Minister Generalis primo ex una, secundo ex altera Familia assumendus. p. 303.
Capitulum Generale quoto, & quali tempore celebrandum. ibid.
Quid in eo præstandum. ibid.
Vocalium numerus & qualitas. p. 304.
Quomodo facienda Definitorum Generalium electio. p. 305.
Minister Conventus S. Caroli de Urbe. ibid.
Capitulum electivum Ministri Generalis in ejus familia celebrandum. p. 306.
De Capitulo intermedio triennali, & his qui suffragium in eo habere debent. ibid.
Electio Vicarii Ordinis. p. 307.
Definitores Generales Ordinis sex. ibid.
Modus supplendi Capitulis intermediis, si nequeant haberi. ibid.
Privilegia Conventus S. Caroli de Urbe. p. 308.
Explicationes ad Regulas Ordinis. ibid.
Residentia Officialium majorum. ibid.

FRATRES SERVI BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Conventus a Priore Generali semel saltem in sexennio, singulis annis a Provincialibus debent visitari. p. 174.
Huic Visitationi subjiciuntur Eremi S. Georgii in Lunigiana, B. Mariæ loci Ciboriæ, S. Bonaventuræ Monterani. ibid.

ORDO S. JOANNIS DEI.

Religiosi Congregationis Hispaniarum aggregari non possunt Congregationi Italiæ sine consensu Generalis, & v. v. p. 299.

CARTHUSIEN.

Monachus gratias vel officia inconsultis Ordinis Superioribus, ab Apostolica Sede non debet impetrare. p. 237. 238.
Idem statuit Benedictus XIII. ibid.

CONGREGATIO HISPANIARUM ORDINIS CISTERCIEN.

Statuitur bipartita divisio officiorum pro Monachis Regnorum Galleciæ, & Legionis Provinciarum de Campos. p. 239.
Hæc Provincia a Clemente XI. in duas divisa. ibid.
Facta hinc alia subdivisio. p. 241.
Utraque divisio confirmata. p. 243.

MONACHI SANCTI HIERONYMI IN HISPANIA.

Generalis in Collegio Abulensi residere debet. p. 37.
In quo debet existere Archivium Ordinis. p. 49.
Non eligendus nisi qui saltem intra duos menses in eodem Monasterio residentiam figere possit. ibid.
Cogi potest ad acceptandam sui electionem nisi fuerit Prior Domus de Guadalupe. ibid. & seq.
Vel Prior S. Laurentii Regalis. ibid.
Hoc vacante officio ad quos Pro-Generalis spectet electio. ibid.
Qui vero fuit Generalis nonnisi post novennium reeligi possit. ibid.
Neque Prior, qui immediate terminavit officium. p. 40.
Nec duo successivè ex eodem Monasterio. ibid.
Electores discedere non possunt a domo electionis nisi habita prius notitia electum consensisse. ibid.
Vicarius Generalis deficiente Generali toti Ordini præsidet. ibid.
Quæ sint ejus officii partes, & quæ privilegia. ibid.
Capitulum Generale cogendum in Monasterio S. Bartholomæi de Lubiana. ibid.
A quo expensæ necessariæ debent subministrari. p. 41.
In quo tres Personæ tantum de qualibet Domo admittendæ. ibid.

Sed

Sed non Monasteriorum Monialium Procuratores. p. 41.
Quæ sint Ex-Generalium privilegia? p. 42.
Quæ exemptiones? p. 45.
Quæ Lectorum. ibid.
Vicariorum Generalium, & aliorum. p. 46.
Quæ Privilegia, & quod officium Magistri Novitiorum. p. 66.
Ordo in sessionibus servandus. p. 43.
Prior S. Bartholomæi de Lubiana Definitor perpetuus. p. 43. 44.
Cæterorum Definitorum facultates, quæ sint? ibid.
Inter quos in quolibet Monasterio unus tantum Definitor eligi potest. p. 44.
Quod requiratur ut Statuta in legem extravagantem transeant? p. 45.
Quomodo eligi debeant Deputati Capituli privati, & de eorum facultate, & quomodo removeri possint. p. 47.
Visitatores Generales, & quæ sint eorum facultates. p. 48.
Quale sit officium Vicarii, & Subvicarii, quæ eorum auctoritas, & facultas. p. 54.
Inquisitio in Cellis Monachorum ter in anno a Priore facienda. p. 55.
Procuratoris officium ejusque obligatio reddendi rationes. p. 61.
Examen admittendorum ad habitum. p. 63.
Tempus Novitiatus. pag. 66.
De fugitivis & pœnis eis infligendis. pag. 68.
De fundatione, unione, & destitutione Monasteriorum. pag. 69.
De examine ordinandorum, electione, & obligationibus Collegialium. pag. 71.
De Prædicationibus & Confessionibus. pag. 73.
Pœnæ in delinquentes contra Statuta. pag. 74.
Executio Testamentorum non acceptanda sine licentia, neque commissio, nisi fuerit Apostolica. pag. 77.
Forma Visitationis Monasteriorum quolibet triennio facienda. ibid.
De Electionibus, & confirmationibus. pag. 81.

CONGREGATIO MONTIS OLIVETI.

Procurator Generalis insimul Abbas Monasterii S. Mariæ Novæ de Urbe. pag. 285.
Hæc concessio irrita declaratur data Generali facultate destinandi ibidem Abbatem pro libito. pag. 297.
Capitulum Generale Dominica tertia post Pascha Resurrectionis debet celebrari. pag. 296.
Cogendum vero de quinquennio in quinquennium. p. 310.

CONGREGATIO PAUPERUM MATRIS DEI SCHOLARUM PIARUM.

Publicas conciones Adventus, & Quadragesimæ haberi a PP. hujus Congregationis interdicitur. pag. 128.
Præpositus vero Generalis facultatem habet concedendi literas patentes Concionatoribus duobus in qualibet Provincia, tribus vero in grandioribus. ibid. & seq.
PP. hujus Congregationis Grammaticam, ac majores Scientias tradere, divites nobilesque Pueros admittere, Seminaria & Collegia in curam habere, & Regulares Domos absque aliorum Regularium consensu condere possunt. pag. 144. & 145.
Ac specialiter Vilnæ. pag. 280. & seq.
Clericis hujus Ordinis Calceamenta concessit Alexander VIII. pag. 311.
Quam inconveniens sit eosdem solo Pallio indutos incedere. ibid.
Epitogii usus conceditur. ibid.

CONGREGATIO CLERICORUM REGULARIUM DE SOMASCHA.

Decreta pro impediendo ambitu in tota Congregatione. pag. 262. & seq.

CONGREGATIO PIORUM OPERARIORUM.

Capitulum Generale quolibet triennio celebrandum. p. 261.
In eo votum nemo habet nisi post decennalem in Congregatione moram, ac Ordinarii loci approbationem ad Sacramentales Confessiones audiendas. p. 262.
Singula officia triennalia. ibid.

CONGREGATIO MONTIS LIBANI.

Monachorum Syrorum Maronitarum Institutum hoc a Clemente XI. in Urbem advocatum. pag. 183. & seq.
Ejusdem Regulæ & Constitutiones. ibid.

ORDO HOSPITALARIUS S. HIPPOLITI MEXICAN.

Sacerdotes Prælaturas Ordinis obtinere nequeunt, nec Provinciæ Assistentes eligi. pag. 144.

BETHLEMITÆ IN INDIIS OCCIDENTALIBUS.

Officialium electio in unaquaque Domo per Præfectum, & quatuor Definitores Generales facienda. pag. 225.
Per Constitutiones vero Ordinis a Religiosis fieri statuitur. ibid.
Hæc electio quolibet facienda triennio. pag. 226.

P.

PALLIUM.

CConceditur Aretinis Episcopis. pag. 88.

PAROCHIA.

Parochiæ idioma loci nescienti non conferendæ. pag. 5.

R.

RESERVATIO.

ECclesiæ Patriarchales, Primatiales, Archiepiscopales, Episcopales, Monasteria, & majores Dignitates, ac Beneficia (exceptis Privilegio munitis, & in Concordatis comprehensis) provisioni Papæ reservantur. pag. 2.
Item Beneficia per assecutionem pacificam vacatura. ibid.
Beneficia quoque, quæ per Personas Curiæ affectas obtinentur. ibid.
Vel vacantia per obitum Familiarium Cardinalium. p. 6.
Canonicatus, Præbendæ &c. Ecclesiarum Sancti Joannis Lateranen. S. Petri, & S. Mariæ Majoris de Urbe, ac Beneficia Titulorum Cardinalium a Curia absentium. pag. 2.
Beneficia vacantia mensibus Januarii, Februarii, Aprilis, Maji, Julii, Augusti, Octobris, Novembris. pag. 3.
Beneficia quoque per prædecessores Pontifices reservata. ibid.
Vel vacantia Sede Apostolica vacante. pag. 11.

REVOCATIO.

Revocantur decimæ, subsidia &c. super Beneficiis imposita (non tamen pro expeditionibus contra Turcas & Catholicæ Fidei Hostes) & facultates ea exigendi. pag. 9.
Facultates quoque percipiendi pretium Officiorum vacantium. ibid.
Indulta superviventiæ. pag. 10.
Diversæ facultates a Romanis Pontificibus per vivæ vocis oraculum, vel rescripta concessæ. pag. 177.
Scilicet audiendi confessiones inconsulto Ordinario: Absolvendi a casibus reservatis: Eximendi a denunciationibus

nibus: Utendi facultatibus ſpecialibus: Relaxandi juramenta: Diſpenſandi Vota: Diſpenſandi ſuper irregularitate, vel impedimento ad Matrimonium: Convalidandi titulos Beneficiorum: Celebrandi Miſſam in portatili &c.: Diſpenſandi a recitatione Officii. p. 178.

U.

UNIO.

REvocantur omnes, & ſingulæ uniones Eccleſiarum, Beneficiorum &c. contra mentem Concilii Tridentini, vel neceſſariis conditionibus deficientibus factæ. pag. 3.
In ſupplicationibus unionis verus annuus Beneficii valor exprimendus. pag. 5.

UNIVERSITATES.

Quæ de Univerſitatibus Studiorum decreverit Clemens XII. Vide *Ubi de Academiis.*
Juriſdictionem Regimini Bononienſi a Gregorio XV. alias aſſertam ſuper Univerſitatibus Artium ejuſdem Civitatis confirmat Clemens XII. Conſtit. CVII. pag. 291.

Finis Indicis Rerum Notabilium.



MAGNUM
BULLARIUM
ROMANUM:
TOM. XIII. XIV.

1721
1734

Th
475a